Digitized by the Internet Archive
in 2017 with funding from
Getty Research Institute

https://archive.org/details/bigdekohanimides00brau_0


בגדי כהנים
DE VESTITU
SACERDOTUM HEBRÆORUM.
AUCTORE
JOHANNE BRAUNIO
PALATINO.
צור TYRUS
תולעת שני Coccus.
תכלת וארגמן Hyacinthus & Purpura.
מעשה ארג
זהב AURUM.
שש Linum.
צמר Lana.
מעיל Pallium.
אפוד Ephodum.
חשן Pectorale.
מצנפת וציץ Tiara & corona
מכנסים Brachæ.
כתונה Tunica.
אבנט Balteus.
מגבעות Pileus.
B. Stoopendaal ſculp.
AMSTELODAMI.
ANNO MDCCI.

בגדי כהנים

ID EST

VESTITUS

SACERDOTUM HEBRÆORUM.

SIVE

COMMENTARIUS AMPLISSIMUS

IN

EXODI CAP. XXVIII. ac XXXIX. & LEVIT. CAP. XVI.
Aliaque loca S. Scripturæ quam plurima.

LIBER PRIMUS.

AUCTORE

JOHANNE BRAUNIO,

S. S. Theologiæ Doctore & Profeſſore.

Cum INDICIBUS locupletiſſimis & TABULIS æneis elegantiſſimis.

Editio ultima, priori auctior & emendatior.



AMSTELODAMI,

Apud JOANNEM WOLTERS, 1701.

Nobiliſſimis, Illuſtriſſimis & Ampliſſimis Viris

JOHANNI van JULSINGA op Tackenborgh, Toparchæ in Garmer Wolde, Ten Buur, Theſinge cum annexis. Reipub. Gron. Conſuli & Senatori Seniori.

EGBERTO CLANT. Dom: in Scheltkema Nyenſtein, in Sandweer, Uythuyſen & Cantes, cum annexis. Nobili & Hovelingio, Omland: inter Amiſiam & Lauwers Senatori & Præſidi.

REMBERTO de IDDEKINGE, Reip. Groninganæ Senatori Societatis Indiæ Occidentalis Directori.

JOHANNI CLANT; Domino in Aduardt Omlandorum inter Amiſiam & Lauwers Senatori.

WIGBOLDO GRUYS in Uythuyſen & Uythuyſtermeden, Nobili Toparchæ ac Civitatis Groninganæ Senatori.

HENRICO PICCARDT. Domino in Schlochteren Colham & Utriuſque Harkſteede, Trium Catarractarum Delf-zylenſium Præfecto Hæreditario, Omlandiæ Conſiliario & Syndico.

Academiæ

GRONINGÆ & OMLANDIÆ

Curatoribus Magnificis, Sapientiſſimis, Literatiſſimis, Dominis & Fautoribus ſuis omni obſervantia Colendis

S. P. D.

JOHANNES BRAUNIUS.

SI ullus fuit, Viri Nobiliſſimi atque Ampliſſimi, cui, omni neglecta ambitione, amicorum commendatione, omnibuſque remotis artibus, oblata fuit Profeſſio, is ego ſum; ut & in hoc, quemadmodum in toto meæ vitæ curriculo, ſingularis emicuerit Dei Providentia. Ante ſeptendecim annos, cum de Profeſſore Theologiæ Hebrææque Linguæ Nobiles atque Præpotentes hujus Reipublicæ Ordines, cum Nobiliſſimis atque Ampliſſimis Academiæ Curatoribus erant ſoliciti, nemini per totam hanc Regionem fui notus. Domi habitabam mecum, ab omni eruditorum turba longe remotus. Splendidiſſimam veſtram Groningam, jucundiſſimum beatiſſimumque Omlandorum agrum veſtramque Academiam Celeberrimam nunquam videram. Tamen, quo fato, quibuſque cauſis neſcio, vobis innotui. Nobiles enim atque Præpotentes, cum Urbani, tum & Omlandici, ut quilibet in ſuo Collegio, ita & in Ordinum Comitiis eodem die inter Viros doctos alios, me Profeſſioni non fore ineptum unanimi conſenſu exiſtimarunt; eodemque die unoque voto eam mihi decreverunt. Notus autem factus ſum, non ſola amicorum commendatione, Sed viri Illuſtres, Patres Patriæ, ſolita ſua in rebus agendis, (quoties

ties de Reipublicæ ſalute, de Academiæ emolumento agitur) Sapientia, Prudentia atque cura, de me meiſque ſtudiis, laboribus, diligentia aut deſidia, deque mea aptitudine aut ineptitudine, quid mei valeant humeri, quid ferre recuſent, magna diligentia atque ſolicitudine inquiſiverunt. Traditum eſt Nobiliſſimis Ampliſſimiſque Curatoribus hoc meum *De Veſtitu Sacerdotum Hebræorum Opus*, me etiam, cum nondum ad umbilicum deductum fuerit, invito. Placuit quibuſdam ex vobis, Viri Nobiliſſimi atque Ampliſſimi, in ſe laborem ſuſcipere, ut illud evolverent atque percurrerent, Sapienti prudentique ſuo examini atque limato judicio ſubjicerent. Qualecunque hoc meum opus fuerit, non diſplicuit: immo placuit materia quam pertracto, atque modus agendi, ut vel inde conjecerint, me Profeſſioni Theologiæ Hebrææque Linguæ, in ſua Academia, non fore inutilem. Quamobrem hac ſola de me, ex hiſce meis laboribus, concepta opinione moti, me magna humanitate atque honorifice ad ſe invitarunt. Quomodo me jam, per ſeptendecim fere annos, inter vos geſſerim: utrum exſpectationi veſtræ, Academiæ voto & juventutis deſiderio ſatisfecerim, veſtro, viri Nobiliſſimi atque Ampliſſimi, relinquo judicio. Me autem vobis non diſplicuiſſe, mihi certiſſime perſuadeo: Cum toto hoc

hoc temporis ſpacio, ut me primum magna humanitate, amore, atque favore complexi eſtis, ita & benevolum animum paternamque curam variis modis abunde eſtis teſtati. Ardentiſſimis votis optaſſem, eſſe in me, quo vobis, viri Illuſtriſſimi, debitam gratiam, non ſolum agere, ſed & referre poſſem. Cum autem hoc opus, qualecumque ſit, vobis ita placuerit, ut vel eo ſolo moti me ad vos invitaveritis, meque tanto amore, benevolentia, ac benignitate exceperitis, atque hactenus foveritis, quilibet mecum agnoſcet illud nemini quam vobis deberi. Vobis itàque, viri Nobiliſſimi, Illuſtriſſimi, atque Ampliſſimi, hoſce meos labores meque totum, omniaque mea gratiſſimo animo, debitaque veneratione, offero, conſecro, & dedico.

Deum Optimum Maximum ſubmiſſis precibus veneror ut vobis, omnibuſque qui vobis ſunt cariſſimi, omnia fauſta atque felicia, ad præſentem & futuram vitam abunde largiatur, Patriæ, Eccleſiæ atque Reipublicæ Literariæ multos in annos incolumes conſervet. Valete, viri Nobiliſſimi, Illuſtriſſimi atque Ampliſſimi, veſtraque benevolentia atque favore me proſequi pergite, Dabam Groningæ. Ipſis Cal. Aug. CIↃIↃCXCVII.

Eru-

Erudito atque humano
LECTORI
SALUTEM

Præterierunt ſedecim ſæcula, & quod excurrit, ex quo Templum Dei deſtructum & totum Sacerdotium abolitum eſt. Auguſtiſſimum illud & ad miraculum magnificum ædificium jacet. Splendidiſſima marmora, pulcherrimæ columnæ fractæ atque dirutæ, Pretioſæ atque æternæ cedri in cineres redactæ ſunt. Aurum ſuperbum, argentum & æra mirifica arte elaborata, gemmæ inæſtimabilis pretii, opera Phrygionica acupicta artificioſiſſima, divinæ artis texturæ, altaria, menſæ, lampades, vaſa, & tota ſacra ſuppellex, uno verbo, quicquid ingenium humanum ab ipſo Deo edoctum excogitare & conficere potuit, ultima ſenſit fata, ſimul cum ipſis victimis, oblationibus, & ſacerdotibus. Stupendum iſtud Dei palatium, omniaque ejus ornamenta, vaſa, ſacrificia & ipſi Pontifices, cum fuerint imagines atque umbræ venturi Chriſti ſalvatoris noſtri, non debuerunt nec potuerunt exiſtere eo præſente. Quemadmodum enim umbræ neceſſaria naturæ lege diſſipantur ſimul ac ſol oritur, ut in radiante ejus luce neutiquam ſubſiſtere queant, ita & Chriſtus verus atque æternus Sol juſtitiæ *diſpellit plane-*

neque diſſipat templum cum toto iſto cærimoniarum choragio, tanquam tot umbras legis. Cærimoniæ veteres atque umbræ adeo diſſipatæ ſunt, ut in æternum non ſint rediuuræ. Cum enim Chriſtus novo ſuo mundo, Eccleſiæ ſemper ſit præſens omnibus horis, ſingulis momentis quaſi oriatur tanquam oriens ex altiſſimo, ſtellaque matutina, ita ut nunquam occidat, nunquam radios divinæ præſentiæ nobis ſubtrahat, nec Templum, nec altaria, nec menſæ nec ſacrificia, nec ſacerdotes exſpectandi ſunt amplius. Eſt vana certe Judæorum ſuperſtitio, ſolis eorum carnalibus deſideriis digna, Templum, ſacrificia, ſacerdotes, & perituram gloriam poſtliminio revocatam exſpectare. Nihilominus non eſt inanis labor, ſi quis cærimonias legis, totumque Sacerdotium Aharonis perſcrutetur, ſerio examinet, & nobis explanare ſuſcipiat. Quemadmodum enim neceſſarios putamus labores, eorum qui nobis leges civiles & forenſes explicant, qui hiſtorias a prima creatione uſque ad Chriſti adventum exponunt, qui ritus, qui mores & reliqua omnia myſteria Judæorum, cum politiæ tum Eccleſiæ, nobis ob oculos ponunt, quamvis hodie non obſtricti ſimus ad ea ſervanda, cum jam per Chriſtum vindicem noſtrum a legis ſervitute in libertatem vindicati ſimus; ita ſane magnam quoque adfert utilitatem orbi Chriſtiano, is qui cærimonias Sacerdotii nobis exponit, quamvis ſacerdotium ipſum hodie apud nos nullum habeat locum. Hac ratione clarius perſpectam habemus naturam fœderum quæ Deus cum populo ſuo ab initio creationis pepi-

pigit, variaſque œconomias, ſecundum quas tanquam ſapientiſſimus atque benignus pater familias ſpiritualem ſuam familiam regit, & in æternum recturus eſt. Quicunque recte intellexerit ſacerdotium Aharonis, is intellexerit ſacerdotium Chriſti. At intelligere ſacerdotium Chriſti, Nonne illud eſt intelligere ſumma univerſæ Theologiæ myſteria? Omnes enim promiſſiones Dei, omnes prædictiones Moſis & Prophetarum, omniaque myſteria redemptionis noſtræ per ejuſmodi cærimonias tanquam per tot hieroglyphicas imagines clariſſime depicta fuerunt. Totum enim ſacerdotium veteris Teſtamenti eo unice collineat, ut nos certiſſimo gradu duceret ad Chriſtum, noſtrum ἀρχιερέα & Salvatorem, utque vivis coloribus (quod alias ne ipſius quidem Apellis nec Zeuxidis manu, nec Angelorum arte elegantius exprimi potuiſſet) depingeret ejus naturam divinam atque humanam, ejus munera, Regium ſcilicet, Sacerdotale & Propheticum, ejus paſſiones, plagas, vibices, dolores, ejus ſanguinem & mortem, ejus peccata quibus noſtra cauſa onuſtus fuit; ejus amorem erga electos ſuos, & curam erga Eccleſiam; ejus ſanctitatem, juſtitiam, reſurrectionem, vitam, gloriam, in nos collata beneficia. Ut nemo, mea opinione, utilius in interpretanda S. Scriptura verſari queat, quam qui veram Sacerdotii Dei ſub veteri Teſtamento ex tot cærimoniarum involucris & velamentis evolvit & explicat naturam. In hoc vires intendunt omnes auctores ſacri. Incredibile eſt quam laudabiliter, quanto cum fructu atque utilitate in

hoc operatus ſit magnus gentium Apoſtolus Paulus. Nec mirum, cum à Spiritu Sancto actus egerit. Idéo hanc materiam prę reliquis digniſſimam cenſui, cui indagandę me traderem. Quum autem jam ante aliquot annos varia habuerim quę in publicum ederem, non tantum aliquot Codices Talmudicos, ſed & alia quorum quędam controverſias, alia interpretationem Sacræ Scripturę ſpectabant, nonnulla etiam humaniores litteras, & cum ſatis diu multumque hęſitaverim, quid evulgari, quid ſupprimi a nobis debuerit, ob graviſſimas cauſas, in animum tandem induxi nihil novi tractare, ſed vetuſtiſſima tantum, ea ſcilicet quę ob antiquitatem omnem hominum cognitionem longe fugiſſe videbantur, pręſertim autem ſanctum illud & Auguſtiſſimum כהונת יהוה SACERDOTIUM DEI. *Opus illud in quatuor omnino partes diviſi. Prima pars erit hoc ipſum volumen, quod agit de* Veſtibus ſacris. II. De Tabernaculo in Deſerto, & Templo Salomonis. De vaſis ſacris, *id eſt*, De Tota ſacra ſupellectili. III. De Sacrificiis & oblationibus. *tandem* IV De ipſis Sacerdotibus. De eorum origine, inſtitutione, Familia, Nativitate, Succeſſione, Honore, Muneribus, Juribus, Privilegiis, Prærogativis, & id genus alia. *In his omnibus mihi obſervandam propoſui eandem methodum, quam obſervavi in hac prima parte; ut primum exponam* ſenſum literalem *ex optimis & vetuſtiſſimis ſcriptis, non tantum Hebraeorum, ſed & Graecorum ac Romanorum alio-*

rumque,

rumque, præſertim ex ſacra Scriptura. Deinde examinabo ſenſum Typicum & Myſticum, *inquirendo in myſteria quæ hiſce cærimoniis, quaſi tot involucris velisque involuta ſunt; Chriſtum ſcilicet & ipſius Eccleſiam; Ejus munera ac in nos collata beneficia. Priorem hanc partem in duos iterum diſtinxi Libros, ut prior agat* de Veſtitu in genere, *de veſtium ſacrarum* Origine, numero, genere, *de earum* materia, colore, Textura & ornamentis. *Alter* de veſtibus ſingulis ſeorſum; *De* Brachis, Tunica, Balteo, Pileo *totius ſacerdotum turbæ; De* pallio, Ephodo, Pectorali, Tiara *&* Corona *Pontificis Maximi; De* modo veſtiendi *veſtes ſacras, de earum* Pretio, Uſu; *ultimo de* Typis *&* Significatione. *Continet igitur hoc volumen ampliſſimum Commentarium in capita XXVIII. & XXXIX. Exodi ut & XVI. Levitici, aliaque; Scripturæ loca quam plurima. Incipiendum mihi eſſe exiſtimavi a rebus exterioribus, quæ ſenſibus maxime ſunt obviæ, ideoque a* Veſtitu ſacro, *atque inde pergendum eſſe ad ea quæ intus latent, & quæ Chriſtum manifeſtius exhibent; ſcilicet ad* Templum, ſacra Vaſa, *ad* Sacrificia *&* Sacerdotes. *Quod ſi Deus mihi conceſſerit vitam atque otium, ut hæc obſolvam, omnia myſteria, etiam altiſſima, totam Theologiam Judaicam, Chriſtianam & Gentilem, præcipuamque* Theologiam Typicam *me abſolviſſe credidero. Hoc quoque argumentum præ reliquis eo magis tractandum ſelegi, quod viderem illud hactenus parce admodum examinatum explicatumque fuiſſe.*

 Non

Non quidem inficior, apud viros doctos quædam reperiri De Templo, de Sacrificiis, de Sacerdotibus. de veſtibus ſacris *aliiſque rebus quæ* Sacerdotium Dei *ſpectant: ſed obiter tantum & quaſi per tranſennam ea attigerunt auctores. Nemo enim data opera omnia iſta examinavit ſatis accurrate, ut ex ſacra Scriptura, & ex vetuſtiſſimis ſcriptoribus, Hebræarum rerum peritis, erueret verum ſenſum literalem, multo minus Typicum & Myſticum. Maxime autem neglecta ſunt ea quæ de veſtitu ſacro dicenda erant. Quaſi veſtes ſacræ eſſent res nullius momenti; aut potius quaſi in verbo Dei quicquam revelatum eſſet dignum ut a nobis ſperneretur, intactum præteriretur, oblivioni inſcitiæque in æternum traderetur: cum tamen integra ſacra Scriptura ſit* θεόπνευστος, *a nobis ſedulo perſcrutanda, ut omnia Dei conſilia ſumma cum fidelitate annunciarentur Eccleſiæ. Ingens quidem volumen* De ornatu Aharonis *conſcripſit* Didacus del Caſtellio. *Sed nihilo per iſtum librum doctior evadet lector.* Johannes Hieronymus Sopranis *multa etiam congeſſit* De Veſtitu ſacro. *Sed Tropologiis & Allegoriis unice delectatur. Senſum literalem & verum ſenſum Myſticum vix prioribus attigit digitulis. De iiſdem multa habet* Arias Montanus, *ut &* Lichtfootius *in ſuo Libro Anglico* De Templo & miniſterio Templi. Samuel Lee *etiam Anglus, integrum volumen Anglice edidit:* De Templo & Sacerdotio; *nec non* Leo Judæ *aliique multi, qui priores auctores ſatis*

male

male exſcripſerunt, & multo pejus ediderunt. At quantum nos juvare potuerint omnes iſti auctores, tu, erudite Lector, judicabis ubi omnia examinaveris. Quam miſeſere, quæso, hactenus (ut jam aliquid dicam tantum de veſtibus ſacris) *hallucinati ſunt interpretes, etiam doctiſſimi celeberrimique noſtri ſeculi, in vertenda & exponenda ſacra Scriptura, præſertim ubi de cærimoniis Sacerdotii agitur! Nihil morantur etiam doctiſſimi Viri, ſi ponant* Xylinum *aut* Sericum *pro* Byſſo *&* Lino; Sericum *pro* Lana. Viridem *aut* Flavum *colorem pro* Hyacinthino; Purpureum *pro* Coccino, *&* Coccinum *pro* Purpureo; *immo ſi Moſi obtrudant colores, talemque veſtimentorum materiam, aliaque de quibus Moſes forte nunquam cogitavit, quæ iſtis temporibus ignota fuerunt, ſaltem de quibus Spir. Sanct. nuſquam in verbo ſuo mentionem facit. Quam acriter quæſo hactenus diſceptatum eſt de* Textura veterum? *Quam miſere deſudatum in exponenda ſola Tunica* ἀῤῥάφῳ inconſutili *Salvatoris noſtri? De* Textura veſtium Sacerdotum *quidem non erant ſoliciti, quamvis Moſes docuerit eas fuiſſe textas, non minus quam tunica Chriſti texta dicitur ab Euangeliſtis. Si verba Moſis de ſacro veſtitu ſatis accurate perpendiſſent auctores, ſi intellexiſſent mentem ejus de* Opere Textoris, *proculdubio eorum quæſtiones de* Tunica Chiſti *ceſſaſſent, tam fœde diſputatiunculis ſuis non laceraſſent egregium iſtud veſtimentum, cui etiam milites Romani pepercerunt. Cum autem hactenus nemo verum ſenſum Spiritus Sancti ſuper*

hac

hac materia aſſequutus fuerit, quot ſane capita tot ſententiæ. Magnus Hieronymus, ὁ πάνυ Salmaſius aliique bene multi, plenis buccis affirmare auſi ſunt ἀδύνατον eſſe ut ejuſmodi veſtis in ſola tela per texturam, abſque ſutura, abſque acus opera abſolveretur. Multi, ut ſacram Scripturam ſuo ingenio exponerent, ſatis ingenioſe effinxerunt novas etiam artes, quæ iſtis temporibus in rerum natura non fuerunt. Adeo verum eſt: ἑνὸς ἀτόπου δοθέντος τ' ἄλλα ἕπεται: Immo nonnunquam, ut ſententiam ſuam tuerentur auctores, Sacræ etiam Scripturæ mens detorquenda erat, in ſenſus ab ea alieniſſimos, contra expreſſiſſima verba Spiritus Sancti: Nam tunica Chriſti, cum a Johanne dicatur ἄῤῥαφος inconſutilis, Salmaſio dicitur Tunica conſuta, acus opera ſcilicet per ſuturas concinnata, ſed abſque fibulis. Nihil jam dicam de ſententia Caſauboni, Ferrarii, Rubenii & totius omnium ſcriptorum agminis. Quod autem hactenus nemo intellexit, quod ſummi viri impoſſibile factu pronunciarunt, id nos poſſibile eſſe luculentiſſimis exemplis probavimus. Sed ulterius progreſſi ſumus, & ipſam præterea veterum artem texendi, qua ejuſmodi veſtimenta rotunda, manicata & undique clauſa detexi ſolebant, docuimus. Non quod noſtri quidem ingenii id fuerit fœtus, (tantam enim gloriam nobis non arrogamus) ſed quod optimos vetuſtiſſimosque auctores Hebræos, Græcos alioſque expoſuerimus, iſtamque artem texendi, jam plane deperditam, ex antiquitatis ſpiſſiſſimis tenebris in lucem protraxerimus. Libuit etiam artem

tem iſtam non tantum ex veterum ſcriptis eruere, & noſtris commentariis explicare, ſed eandem ſimul tabulis æneis elegantiſſimis ad oculum demonſtrare, ut in poſterum a nemine amplius ignorari poſſet, niſi ab iis qui omnia ignorare, præclaraque inventa contemnere, ſibi gloriæ ducunt. Addam ipſos etiam artifices, modo certa ſpes lucri non deeſſet, novas jam artes exercere poſſe, antea in Europa ignotas; Et fortaſſis non erit inutile inventum, modo ſocordia atque ignavia non negligatur. De Gemmis ſacris *vix ullus commentatus eſt. Nonnulli de iis quidem mentionem fecerunt: ſed ita ut earum nomina nec noverint plerumque nec recenſuerint. Diceres eos nihil aliud feciſſe, quam quod ſolent rerum pretioſarum ignari & parum curioſi, qui eas manibus quidem cum aliqua voluptate contrectant, colorum elegantiam, ignem & inſignem ſplendorem totamque dotem mirantur, ſed ſtatim e manibus deponunt, nulli ſolliciti de earum nominibus, loco natali, natura, virtute & pretio. Tam arduum hactenus viſum eſt de* Gemmis ſacris *tractari, ut etiam materia iſta recenſita ſit inter iſtas S. Scripturæ res, quæ explicari non poſſe exiſtimantur.* Epiphanius *nonnulla* De Gemmis *commentatus eſt, illiusque commentaria ſummopere laudantur ab Auguſtino, tanquam eruditiſſima & docto Epiſcopo digniſſima. Sed quoties deceptus fuerit doctiſſimus Epiphanius, manifeſtum erit omnibus iis, qui vel parum in iſtis rebus ſunt verſati. Scilicet maluit vir magnus in medium proferre ea quæ habuit, quam plane ni-*

** hil

hil dixiſſe. Nihilominus tanta auctoritate valet apud doctos, ut vix ullus hactenus contra hiſcere auſus fuerit? ideoque ejus expoſitiones avide tanquam indubitatas veritates arripiunt, & magna ſocordia in iis exponendis eum κατὰ πόδας ſequuntur. Ludovicus de Dieu, *vir in linguis Orientalibus verſatiſſimus, laboris indefeſſi, plura & quidem doctiora in lucem edidit de* Gemmis. *Sed librum iſtum nobis non contigit videre, niſi poſtquam noſtra jam typis fuerunt mandata. Immo ſi vel maxime ejus commentaria a nobis lecta fuiſſent, eo tamen non minus dicenda fuiſſent, quæ de iſto argumento diximus. Accuratiorem enim videbantur requirere indaginem & uberiorem expoſitionem.*

Quam male hactenus veram formam veſtium ſacrarum auctores intellexerint, patet ex picturis & tabulis, quas non ſolum Chriſtiani, ſed & ipſi Judæi ediderunt. Nihil jam dicam de vulgo pictorum, quibus non minus quam ipſis Poëtis:

Quidlibet audendi ſemper fuit æqua poteſtas. *Sed inſpiciantur tabulæ quæ auctores habent doctiſſimos viros,* Ariam Montanum, Arnoldum Andillenſem *alioſq; & quæ paſſim in Bibliis occurrunt; præſertim etiam illæ quæ attribuuntur doctiſſimo* Bertramo, *olim Genevæ* Linguæ *Hebrææ Profeſſori celeberrimo. Examinentur tandem* & T*abulæ ipſius* Leonis Judæ, *& quas alii non ita pridem ex eo pejus effingi, multoque ſordidius libris ſuis inferciri curarunt. Sane diceres viros iſtos vetuſtiſſimo-*

morum Judæorum, præſertim Talmudicorum ſcripta, ſine quibus iſtam Corinthum adire nemini datum eſt, vix ſummis deguſtaſſe labris, &, quod imprimis faciendum erat, Sacram Scripturam nunquam cum attentione, & qua oportuit ἀκϱιβείᾳ *legiſſe. Sed & eo uſque audaces fuimus, ut non tantum Sacrarum veſtium novam deſcriptionem concinnare & in publicum edere ſuſceperimus, ſed & erudito orbi ob oculos ponere auſi fuerimus omnia veſtimentorum genera, in tabulis æneis, depicta; ut non tantum verbis, ſed & picturis doceremus, utque ſimul eadem via errores noſtri, ſi forte a nobis erratum eſt, manifeſtius deprehenderentur*

Si hæc, quæ in hoc opere de veſtibus ſacris diximus, bene examinentur, conſtabit parum abeſſe quin pertractaverimus totam rem veſtiariam, de qua fit mentio in ſacra Scriptura. Nam præcipuas veſtes, de quibus verbum Dei loquitur, attigimus: materiam, colores, texturam, ornamenta, formam, & ejuſmodi alia, quæ huc ſpectant, ſub incudem revocavimus. Et quamvis fortaſſis omne punctum non tulerimus, nec rem, uti dici ſolet, acu ſemper tetigerimus, tamen plura, &, niſi vehementer fallor, veriora ex veterum monumentis, præſertim ex Judæorum ſapientia, ac, quod ante omnia fieri debuit, ex Sacra Scriptura, erruimus, quam reliqui auctores qui materiam iſtam hactenus attigerunt. Quid quid eſt, in magnis aliquid voluimus, & forte aliis viam monſtravimus, qua propius ad veritatem accederent.

Modo tu, eruditiſſime Lector, conatibus noſtris annuas;

noſtroſque labores excipias tanta humanitate, quanto a nobis ſunt editi in bonas literas amore atque ſtudio, & modo dignos eos cenſeas, quod in dias exierint auras, facti non pœnitebit. Cenſuram tuam non reformido, immo humaniſſime a te peto, ut ſi quid tua animadverſione dignum obſervaſti, id me latere ne patiaris. Utilitatibus Reipublicæ Litterariæ inſerviet, & ego id mihi gloriæ reputabo, ſi quis ex viris doctis me erroris monere dignatus fuerit, ubi errorem deprehenderit. Errare humanum eſt. Quis in opere ſatis grandi, & in quo tractandæ veniunt tot res, quæ non tantum acre judicium defœcatumque animum, ſed & multiplicem eruditionem poſtulant, ſibi ab errore cavere poſſet? Unicum tantum hoc peto, ut illud fiat eadem modeſtia atque humanitate, qua nos in notandis aliis uſi ſumus. Nam & hoc a nobis ſæpius factum eſſe, negare non poſſumus. Non nunquam noſtri ſæculi lumina, viros incomparabiles, & immortalis gloriæ notare lapſusque monere coacti fuimus. Eorum manibus libentiſſime peperciſſem, niſi exiſtimaſſem ſcripta noſtra erudiendo orbi evulganda eſſe, & niſi crediddiſſem in boni viri officium peccari, ubi quis tacet, quando lector monendus eſt. Quo deinde graviorem auctorem habet error, eo magis monendus eſt lector, cum facilius ſe abripi patiatur a viris magnis, quam a ſemidoctis, qui nullius ſunt famæ inter eruditos. Eandem igitur libertatem, qua nos uſi ſumus, aliis libentiſſime concedimus:

Scimus & hanc veniam petimuſque damuſque viciſſim. *Cæterum faſcino malevolorum hominum depellendo*

mul-

multum præfari, mihi ſemper viſum eſt indicium humilis atque nimis meticuloſi animi, gravioribus ſcriptoribus vix digni. Nihilominus juſtiſſimam habeo cauſam conquerendi, de ſciolorum quorundam invidia atque malevolo animo. Nihil jam moror calumnias nugaciſſimasque nugas quorundam Philoſophaſtrorum & Theologaſtrorum calumniantium, nos hoc opere non Theologum nos probaſſe, ſed Literatorem & criticum tantum; quaſi doctiſſimi etiam Theologi nullam bonarum Literarum & Criticæ ſacræ poſſint & debeant habere notitiam. Sed maxime diſplicet quod iſti homines ſibi ſtolide perſuadeant, omnem ſcaturiginem ſapientiæ, jam eſſe exhauſtam, nihilque in publicum a Theologis proferri debere præter dogmata fidei, ſine quibus ſalus noſtra conſiſtere nequit. Sane diceres Doctiſſimi Philippi Melanchtonis, magni Eraſmi Rotterodami, aliorumque tempora rediiſſe, de quibus viri eruditi toties conqueſti ſunt. Præſertim autem Eraſmus in libello De ratione veræ Theologiæ, *ubi in hæc erumpit verba:* Jam ſi gentium, apud quas res geſta narratur, ſive ad quas ſcribunt Apoſtoli, non ſitum modo, verum etiam originem, mores, inſtituta, cultum, ingenium ex hiſtoricorum litteris didicerimus, dictu mirum, quantum lucis, & ut ita dicam vitæ ſit acceſſurum lectioni, quæ prorſus oſcitabunda mortuaque ſit oportet, quoties non hæc tantum, ſed & omnium pœne rerum ignorantur vocabula. Adeo ut nonnunquam vel

impudenter addivinantes, vel ſordidiſſimos conſulentes dictionarios, ex arbore faciant quadrupedem, e gemma piſcem, e citharœdo fluvium ex oppido fruticem, e ſydere avem, ex braſſica bracam. Abunde dictum videtur iſtis, ſi tantum adjecerint; eſt nomen gemmæ, aut eſt ſpecies arboris; aut eſt genus animantis, aut ſi quid aliud mavis. Atqui non raro ex ipſa rei proprietate pendet intellectus myſterii. *Cum iiſdem plane Lemuribus & Lamiis hodie nobis confligendum eſt. Jam ſæpius audivi ejuſmodi homines, qui labores noſtros ſolita ſua impudentia atque inſcitia, allatrare & traducere auſi ſunt, etiam antequam vel apicem operis noſtri viderint. Uſque adeo ſunt judices iniqui, ut non tantum altera, ſed utraque parte inaudita, judicent. Scilicet de totius operis utilitate atque vanitate judicant ex ſolo argumento, ſcriptioniſque genere. Vanus enim & inutilis viſus eſt labor, ſi quis* De Sacerdotio Dei, *ideoque* De veſtibus ſacris *ſcribat. Cui inquiunt uſui? Cui bono? Nonne hæc tuto ignorare poſſumus abſque ſalutis diſpendio? Quorſum igitur tot volumina? Tam magni libri? Hæc & ejuſmodi alia multa blaterones iſti in vulgus ſpargunt. Sane hujuſmodi hominum maledicentiſſima lingua ſæpe remoras injecit præclaris & piis conatibus virorum doctorum, magno Reipublicæ litterariæ & Eccleſiæ damno. Teſtis nobis eſt noſtri ſæculi* Samuel Bochartus, *qui Librum ſuum* De Paradiſo *non alia de cauſa ſuppreſſit,*

quam

quam ob cavillas ſciolorum , & propter eorum ſiniſtrum judicium. Dici non poteſt quantum inde Eccleſia Chriſti detrimenti capiat. Et quamvis homunciones iſti a viris doctis tanti fieri non debeant, ut propter eorum livorem & inſcitiam Eccleſia optimaque ſtudia laborarent, nihilominus tamen durum eſt, pro tritico lolium, pro ſuavi fructu laudis, & pro gratiarum actione, nihil niſi vituperationis contemptuſque ſpinas atque tribulos metere. An dices, Eruditiſſime Lector, in ejuſmodi hominibus vel micam ineſſe ſapientiæ? vel nomen ſolidæ eruditionis eis unquam innotuiſſe? Si quis forte ſcripſerit ſcombros metuentia & thus. *Si bonas horas perdiderit in vertendis quibuſdam auctoribus, Anglis aut Gallis, & ex iis quidem non optimis & doctioribus, ſi controverſias triviales millies recoctas exſcripſerit, orbique erudito appoſuerit;* Si rancidulum quiddam balbo de nare locutus *fuerit. Si de Patriæ calamitatum cauſis, de pileis altis, de brachis laxioribus aut ſtrictis, de colli loris, de puellularum dentatis fimbriis, & ejuſmodi quiſquiliis aliis multa ridicule effutiverit; ſi caſus conſcientiæ, quibus vetularum puellularumque mentes intricatiores redderentur, angerentur, & ad deſperationem redigerentur, magna ſubtilitate & ſolicitudine effinxerit, ſi lamentabili ſermone propoſuerit: ut ſuſpiria & gemitus infirmiorum pectoribus excuteret; ſi claſſicum cecinerit, aut claſſicum canentes ſequutus fuerit; Si Theologicis diſcordiis, & domeſticis diſsidiis excitandis fovendiſque operam locaverit; ſi fratres otioſis & odio-*

ſis

ſis diſputatiunculis & argutiunculis fatigare, laceſſere proſcindereque noverit; ſi longum Catalogum hæreſium & hæreticorum: etiam eorum qui ſunt fratres, qui eandem habent fidem atque ſtationem, contexuerit, ſi magno gaudeat ſuadere tumultu Hanibalem jam ad portas eſſe; ſi pulmones excercuerit; ſi magna laterum contentione, & importunis clamoribus, ad raucedinem uſque clamitaverit, ut proceribus perſuaderet aliquid monſtri ali, Eccleſiæ & Reipublicæ impendere ingens malum a novatoribus & novaturientibus; ſi impio inhumanoque auſu viros pios, doctos, pacis amantes, verboque Dei unice incumbentes, procerum iræ atque odio exponere omnibus viribus elaboraverit, ut tanquam hæretici proſcriberentur, ex Eccleſia & Patria ejicerentur ac eliminarentur; Tandem ſi turpi inſcitia, aut deteſtanda hyprocriſi politiora ſtudia contemſerit, nugivendorumque quiſquilias laudaverit, οἷος ἀνήρ! Heu quantus vir fuerit! Quantus Theologus! Quantus ſcriptor! Dignus ſane ut ad altiora promoveretur; non tantum ut templum gloriæ conſcenderet, ſed ut in ipſo etiam adyto tanquam inſcitiæ idolum ab imperita plebecula adoraretur. Sed ſcruta ſua laudent ſcrutarii. Veſcantur iſti homines glandibus, & victitent lolio, etiam tam vili tritico. κεῖνός τ᾽ ἐκεῖνα ςεργέτω κἀγὼ τάδε. Sint ingrati hujus ſæculi puſiones Deorumque minorum gentium inferioriſque eruditionis Ganymedes, per me licet. Nihilo tamen ſunt doctiores, nec majorem gloriam conſequuti erunt, niſi gloriam Acherunti. Et ſi

vel

vel maxime ſapientur a vulgo, a doctis tamen nunquam ſapientum in cenſum referentur. Aliter ſane ſues aliter catuli olent. Eorum fortunam non equidem ego invideo, ſed miror magis, viros, qui a parentibus, qui a Republica, qui ab Eccleſia, qui ab ipſo Deo conſecrati videntur bonis literis, ſolidæque eruditioni, ut indies tanquam fidi patres familiarum nova atque vetera ex ditiſſimo S. Scripturæ theſauro, ex Linguarum & Antiquitatis inexhauſto fonte, ex fœcundiſſimo ſanæ rationis horto, aſſidua lectione, ſeria longaque meditatione, ad ædificationem Eccleſiæ, & Reipublicæ tranquillitatem, depromerent, delectari tantum tricis, quiſquiliis, vitilitigiis, eruditionem ſolidioremque Theologiam, ipſum etiam verbum Dei reſpuere, negligere, illiusque amatores atque interpretes cane & angue pejus odiſſe, crudeliterque proſequi importunis ſuis clamoribus, & eriſticis nugis. Miſeros homines! ſe cum fruſtrantur; fruſtrari alios ſtolide exiſtimant. *Sane illi, quibus cor modeſte ſitum eſt, quamvis forte ad interiora ſeverioris eruditionis non penetraverint, veram tamen ſapientiam in aliis venerantur, doctiſque ſuam laudem non præripiunt. Sed quicquid iſti homines, quorum mens tam læva eſt, de noſtris lucubrationibus judicent, ſive eas laudent, ſive vituperent, ne ciccum interduim. Immo gratior nobis erit eorum contemptus, quam laudes. Turpe enim eſt a turpi laudarier. Iſtiuſmodi hominum venenoſis morſibus medela erit ipſa veritas, & eruditorum æquum judicium. Satius mihi erit vel tribus tantum placuiſſe doctis, quam ingenti turbæ imperitorum.*

Modo viri boni officio non defuero, modo conſcientiæ ſatisfecero, næ ego voti compos factus fuero, & ſi bonam famam mihi ſervaſſo ſat ero dives.

Non ſi quid turbida Roma
Elevet, accedas: examenve improbum in illa
Caſtiges trutina: nec te quæſiveris extra

Sed ſi hoc genus ſcriptionis adeo ineptum, adeo inutile eſt, quid dicemus de ſummis totius orbis ingeniis, viris immortalis gloriæ, qui ſunt πρῶτοι ϗ δεύτεροι ϗ τρίτοι! *Quid judicabimus de* Salmaſiis, *de* Lipſiis, *de* Caſaubonis *aliiſque bene multis, qui (ut jam nihil dicam de* Templis, *de* Sacrificiis *&* *de* Sacerdotibus) *multa commentati ſunt,* de veſtimentis Græcorum & Romanorum, *& qui de iiſdem rebus plura edidiſſent, prout id promiſerant, niſi leto abrepti fuiſſent, magno Reipublicæ litterariæ damno. Quid dicemus de* Bayfiis, *de* Manutiis, *de* Ferrariis, *de* Rubeniis, *de* Doniis, *aliis, quorum præclara commentaria* De Toga Romana, *aliiſque* veterum veſtimentis, *hodie omnium doctorum manu verſantur nocturna, verſatur diurna, magna cum voluptate? Nonne* ἐπιφυλλίδες ταῦτ' ἔστι ϗ στωμύλματα! *inanes logi? vanæque cantilenæ, dignæ ut pueris in cunis vagientibus a vetulis præcinerentur? At, inquiunt, Viri iſti non erant Theologi. Sed Theologos Theologica tractare decet. Quid dicent de Magno Bocharto, viro ſtupendæ eruditionis, qui ſcripſit de variis populis & nationibus, ut & de animalibus, de quibus fit mentio in*

Sa-

Sacra Scriptura? Quid juvat noſſe gentium origines & transſmigrationes? Quales populos intellexerit Moſes? utrum Hiſpanos, Gallos, Germanos, Italos, Anglos Græcos, Afros, Pœnos, Ægyptios, Æthiopas, Aſſyrios, Armenos, Schytas, Meſſagetas, Arabas, Indos & Inſulanos, an alios? Qualia animalia memorentur in verbo Dei? Nonne hæc omnia & ſexcenta alia æque poſſumus ignorare abſque ſalutis diſpendio? Ideone indigna ut a Bocharto tractarentur? an Bochartus non fuit Theologus pariter atque vir pius? Tandem quid dicent de ipſo Hieronymo, viro doctiſſimo & ſanctiſſimo? Nonne etiam De veſtibus Sacerdotum ſcribere dignatus eſt, in docta ſua Epiſtola ad Fabiolam? An non vir magnus ille erat Theologus? Nonne Theologica tractamus quoties Sacram Scripturam exponimus, cum hæc ſit unica via, u poſteritas tandem aliquando verbi Dei perfectam habeat verſionem. Eſt autem, uti dixi, totum hoc volumen De Veſtitu Sacro nihil aliud quam Ampliſſimus Commentarius in Capita XXVIII. ac XXXIX. Exodi, & XVI. Levitici, aliaque S. Scripturæ loca quam plurima. Nec eſt quod calumnientur optimorum ſtudiorum iſtæ peſtes, præter critica nihil in hoc opere contineri. Eſto. Nonne cum ſumma laude critica tractantur, præſertim ſacra? Is mihi ſemper viſus eſt Reipublicæ Literariæ utiliſſimus, qui vel ſolis auctoribus profanis illuſtrandis incumbit. Hac enim ratione barbaries diſpellitur, ſcientiæ diſciplinæque eruuntur, optimaque

ingenia excoluntur, quæ ſint utilia Patriæ, utilia agris, belli paciſque rebus agendis. Sed laude mihi ſemper viſus eſt digniſſimus, qui, præter iſta, auctoribus ſacris, qui ipſi Scripturæ facem accendit, aut potius qui lucentem iſtam lucernam ſub modio protrahit, menſæque imponit, ut toti Dei familiæ luceret. Sed an nihil præter Critica tractamus? An is qui verum ſenſum literalem verbi Dei exponit, Critica tantum tractat? Quis, inquam, intelliget myſteria quæ in S. Scriptura latent, nondum explanato vero ſenſu literali? Quomodo ad verum ſenſum, ſive literalem, ſive myſticum perveniemus, niſi hac via? Si iniqui iſti Cenſores, aliam viam faciliorem & breviorem noverint, per omnia Muſarum ſacra eos rogo, ut eam nobis oſtendant. Ipſum ſane ſenſum myſticum expoſuimus, quantum ex Analogia fidei, & ex verbo Dei id fieri poſſe credimus: & proculdubio plura diximus quam reliqui omnes qui hoc argumentum ante nos attigerunt. Oportuit certe homines iſtos præceps ſuum judicium ſuſpendiſſe, atque de opere noſtro non temere judicaſſe, antequam ipſis lectum fuit. Legant tantum ultimum caput, ſi non dignentur reliqua examinare, fatebuntur proculdubio nos etiam tractaſſe ea quæ ſunt maxime Theologica, cum ibi explicaverimus Typos & ſignificationes ſacri veſtitus. *Forte ſuis importunis nugacibuſque interrogatiunculis ſatisfactum animadvertent, nec amplius interrogabunt,* cui uſui? *Agnoſcent non de nihilo fuiſſe, quod Deus ejuſmodi præcepta dederit ſub Vet. Teſtamento. Evaneſcent eorum profana præjudi-*

cia

cia & impiæ cogitationes, quaſi in verbo Dei multa eſſent revelata inutilia, quæ cum majori laude ignorantur quam ſciuntur, & in poſterum de Deo, ejuſque conſiliis nihil cogitabunt, quod non ſit magnificum, quod non ſit altis myſteriis plenum ac Deo dignum. Uno verbo fatebuntur, niſi omnium mortalium ſint pertinaciſſimi, hæc omnia in S. Theologia ad tractandas controverſias, pietatiſque πρᾶξιν, magnum habere uſum. Numquam enim cum majori fructu tractantur controverſiæ & pitatis officia, quam ubi S. Scripturæ verus ſenſus eſt explanatus. Ubi veritas ſe ipſam ultro prodit, ut clare cuilibet pateat, abſque diſputantis argutiis, hominum animis ſeſe facile inſinuat, ut etiam pertinaciſſimi veritatis hoſtes atque nequiſſimi homines ad fidem & pietatem adducantur. Nam ſi operoſa tantum argumentatione adverſariis os obturetur, id propriæ imbecillitati ac diſputantis ſtrophis magis adſcribunt, quam ipſi veritatis vi atque luci. Ubi autem S. Scriptura clare eſt explanata, fit ut non tantum ſolidiſſima argumenta ad probandam veritatem ſeſe ultro offerant, ſed eadem via ſimul infinitæ controverſiæ præſcindantur, &, ſi quædam remaneant ſophiſtarum ſtrophæ, facili negotio deteguntur, contradicentiumque argutiunculæ enervantur, ut etiam adverſarii, antequam campum diſputationis ineant, langueſcant, veritatis Vim ſplendoremque ſuſtinere nequeant, immo plane concidant.

Nihil reſpondebo ad ineptias quas effutire ſolent, ſcilicet illa non eſſe tractanda quæ abſque ſalutis diſpendio igno-

rari poſſunt. Nam nec eorum odia, & in fratres dicteria, & calumniæ, immo nec eorum quidem controverſiæ ſpinoſique caſus conſcientiæ, aliæque nugæ tractari debent. An non omnia iſta abſque diſpendio ſalutis ignorare poſſumus? Immo ſane ad majorem tranquilitatem Eccleſiæ, & ad quietem conſcientiæ pleraque ignorare deberemus. Uno verbo, omnes controverſiæ, omniaque quæ mores, quæ praxim pietatis tractant, etiam doctiſſima, uno jactu ex Eccleſia ejicienda eſſent. Sola enim S. Scriptura, prout hodie vulgi manibus teritur, clare ſatis ſuperque docet cum dogmata fidei, tum pietatis officia. Nec poterunt negare politiorum ſtudiorum peſtes, controverſias aliaque quæ vitæ praxin ſpectant ad ſalutem neceſſaria, jam ante ſæculum abunde eſſe expoſita a viris doctis, ut ſecundum ſiniſtra eorum judicia labores omnium Theologorum, qui hoc ſæculo ſcripſerunt, & qui in poſterum ſcripturi erunt ſint vaniſſimi, dignique ut a toto orbe exſibillarentur. Hoc unicum, ut tritum ita & veriſſimum, addam: Artem non habere inimicum niſi ignorantem, *& homine imperito nihil unquam fuiſſe injuſtius, quia quod ipſe non fecit, nihil rectum putat. Cogita quæſo, eruditiſſime Lector, quinam ſint illi ſtudiorum hoſtes, quorum iras & ſuperba faſtidia patimur? Sane non ſunt illi* quibus ex meliori luto finxit præcordia Titan, *qui pleno pectore ſapiunt, aut qui unquam quidquam viro docto dignum præſtiterunt, ſed qui corticem exterius lambunt, medullam ſolidæ eruditionis nunquam attingunt;*

qui

qui non niſi trivialia, & vix pueris, qui nondum manum ferulæ ſubduxerunt, digna tractare ſolent. Si forte quoſdam ſecum rapiant viros qui ſapiunt ſupra vulgus, &, quod imprimis dolendum eſt, etiam cordatos atque Reipublicæ proceres, quibus optimorum ſtudiorum cura demandata eſt, id in proceribus excuſari poteſt, cum magni viri alus curis atque negotiis diſtracti, ſtudia quæ ædificationi Eccleſiæ maxime inſerviunt; a tritis & vulgi ineptiis diſtinguere nequent. Plerumque ſane fit, ut magni viri de optimis literis, præſertim de ſtudio Theologico, judicare non poſſint, niſi ex aliorum relatu. Beati ſane, terque quaterque beati, ſi incidant in manus virorum qui ſolidam amant eruditionem! Beatæ ſunt Scholæ, Eccleſiæ & Academiæ! Sed infelices ſunt proceres, ſi ſuis conſiliis comites habeant eos qui ſunt optimorum ſtudiorum hoſtes atque pernicies; ſive oderint ſolidam eruditionem per ignorantiam, ſive per invidiam, & propter neſcio quas latentes cauſas, forte ut imperium facilius excercerent in fratres, forte etiam ne aliquid didiciſſe viderentur eo demum tempore, quo omnem eruditionis fontem jam diu exhauſiſſe videri volebant. Infelices ſane ſunt Scholæ, Eccleſiæ & Academiæ. Nam quid ex ejuſmodi Scholis, Eccleſiis & Academiis prodire poterit, præter ingenia inculta, præter barbariem, inſcitiam, & nugas? aut ſi quid inde prodit, quod non plane eſt contemnendum, id nihil faciet ad profectum, ſtudiorumque culturam. ſed talia tantum erunt quæ a doctis jam diu tradita fuerunt, ut non opus

ſit

ſit eadem ab illis iterum recoqui.

Hoc vellem omnes viros cordatos ſerio cogitare: aut ſtudia Theologica plane eſſe negligenda, ideoque Theologos certis quibuſdam tantum capitibus, libris formuliſque alligandos eſſe; aut ſi omnia myſteria quæ in verbo Dei latent eruenda ſint, etiam concedendam eſſe libertatem, ut, adhibitis omnibus adminiculis, quæ Deus ipſe nobis tam benigne ſuggerit, totum Dei conſilium in ſacra Scriptura revelatum, tandem aliquando Eccleſiæ aununcietur.

Miſſum te facerem, Eruditiſſime Lector, niſi crederem rationem paucis reddendam eſſe tam longæ moræ, cum noſtri commentarii ultra ſeptenium ſub prælo ſudaverint. Sane habent ſua fata Libelli. *Habuit hic liber, ſi unquam ullus, ſua fata. Vix initium factum erat impreſſionis, quin in ipſis etiam cunis videretur opprimendus, luctuoſiſſimo ſcilicet hoc ſeptennali bello, quo Europa miſerrime turbata fœdiſſimeque devaſtata eſt. Ut inter arma leges, ita ſane & muſæ ſilere ſolent. Nihil jam dicam quam gravia paſſi ſimus nos, in hoc noſtro Batavorum Oppido, non tantum ab hoſtium ſolita vexatione, & militum inſolentia; ſed & ab ipſorum quorundam noſtrorum civium furore atque inhumano odio. Quo factum eſt, ut omnino alia nobis meditanda agendaque eſſent, quam ut in excudendis libris multum occupati hæreremus. Non enarrabo quoties Bibliothecæ noſtræ uſu nobis interdictum fuerit: cum maximam partem libri noſtri in Hollandia*

(quo deportati fuerunt ob metum hoſtilis deprædationis) laterent, quamdiu res in hac civitate adhuc incertæ erant; ut fere per integrum biennium totum opus oblivioni traditum, & quaſi ad orcum relegatum fuerit. Ab imitibus noſtris hoſpitibus hac civitate jam liberata, ad opus redire ſedulo cogitavi, greſſuſque aliquot jam feci; Sed quot iterum obſtacula? quot remoræ! Dixiſſes omnia conſpiraſſe ut hoc opus æternis traderetur tenebris. Hinc negotia domeſtica, variæ lites cauſæque forenſes, muſarum peſtes, quæ mihi multum temporis ſurripuerunt, non tam meis quam affinium utilitatibus. Illinc miniſterii munera quæ etiam iſto tempore plus ſolito aucta fuerunt, nec non privata Excercitia Theologica & Hebraica, quæ petitioni quorundam denegare non poteram. Nova iterum impedimenta attulerunt illuſtriſſima totoqne terrarum orbe celeberrima comitia, quæ in hac urbe habentur ad conciliandam pacem. Inde ob reficiendas ædes per annum & ſemeſtre Bibliotheca mea iterum carere debui. Nihil jam dicam, quod interea alia qnædam ediderim ad defendendam Patriam contra iniquiſſimas nequiſſimorum hominum calumnias. Nihilominus inter ipſos armorum fragores, inter tot bellorum ſtrepitus, inter militum clamores vexationeſque, inter tot negotia quibus tantum non obrutus fui, a ſuſcepto labore non receſſi, quin omnibus viribus anniſus ſum ut, quod ſemel inceptum fuerat, ad finem perduceretur opus. Ideo nos perpetuo Typographum rogare, monere, hortari, immo orare & obteſtari, ut, omnibus moris ruptis, in

excudendo opere pergeret. Sed lapidi plerumque loquutus fueram. Non plane opus deſeruit, ſed tam lente feſtinavit, ut ſeſe vix movere videretur. Aliquando integro menſe, nonnunquam trimeſtri, immo ſæpe ſemeſtri unicum tantum folium excudebatur: ut etiam amicorum nonnulli vix ſibi perſuadere potuerint nos ſerio agere, in evulgando, hoc opere, quaſi magno hiatu multa tantum promiſiſſemus, ſed nihil fuiſſemus præſtituri. Quæ fata etiam habuerit ipſe Typrographus, & quomodo, neglecta omni librorum & Typographiæ cura, aliis negotiis ſeſe tradiderit, omnibus, qui eum noverunt, maniſeſtum eſt: ut tandem de alio Typographo mihi diſpiciendum eſſet, qui opus perficeret, adeo ut jam per ſemeſtre plus ſit præſtitum quam antea per ſexennium.

Deinde dici non poteſt quam difficilis fuerit ſtructura telæ Textoris, in qua veſtimenta rotunda, undique clauſa & manicata a veteribus detexi ſolebant. Incredibile eſt quantum laboris moleſtiæque præterea nobis creaverint tabulæ æneæ, quibus non tantum iſtam artem texendi, ſed & veſtimentorum ſacrorum formam ad oculum demonſtraremus. Nobis enim non erat datum ea ex aliis depingere, cum eadem forma nuſquam exſtent apud auctores. Omnia de novo erant conficienda, & ad mentem ſpiritus ſancti, vetuſtiſſimorumque auctorum effingenda, ideoque via nobis ineunda erat minime trita, quamque ante nos nemo calcaverat. Nemo tam clare mentem ſuam unquam exprimet pictoribus, quin decies ſint repetenda corrigendaque, ea quæ nobis clariſſima

vi-

videntur, antequam quid intelligamus capiant & ſatis acurate exprimant, Præterea quod pictor utcumque expreſſit, id non ſatis accurate poterat aſſequi ſculptor, præſertim cum tot minutiæ obſervandæ ſint, & cum ſculptoribus non potuerim eſſe præſens, ſed eorum errata non niſi per Epiſtolas corrigere. Ut ſi cogitem quantum ſuperſit difficultatis atque moleſtiæ in depingenda vera ſtructura Tabernaculi, Templi, vaſorum ſacrorum, & quæ ulterius ad Sacerdotium Dei requiruntur, ſola iſta difficultate ab opere fere abſterear. Igitur ſi occurrant quædam in tabulis, quæ non ex aſſe cum noſtra deſcriptione conveniunt, aut quæ ad noſtram mentem non ſatis ſunt expreſſa, id Eruditus & curioſus Lector mecum æqui bonique conſulet; ex noſtra deſcriptione ipſe omnia emendabit: Pictorum enim Sculptorumque errata mihi imputari nolo. Erratorum etiam typographicorum plus ſatis reperies, eo magis cum opus excuſum ſit me abſente. Sane Leopardus citius catulos pariet ſine maculis, quam illiuſmodi homines libros excuderent abſque erratis, præſertim ubi auctor non eſt præſens qui omnia ad unguem caſtigaret, Sub calcem cujuslibet Libri hujus operis graviora errata correximus, leviora conſulto prætermimus. Cætera quæ nos fugerunt tu ipſe corriges. Hiſce fruere, eruditiſſime & humaniſſime lector, ubi animadvertero te noſtris conatibus annuere, currenti calcar addideris, ut, modo Deus nobis vitam & otium concedat, quam primum id fieri poterit, primæ huic parti de Sacerdotio Dei, ſecundam quæ aget de Tabernaculo & de Templo Salomonis ſubjungam. VALE.

Ad

LECTOREM

Eruditum & benevolum altera

PRÆFATIO

HAbes hic, Lector Erudite atque Benevole, alteram hujus operis, jam per aliquot annos tantopere deſideratam atque expetitam editonem, duobus integris Capitibus, (*De Veſtium Sacrarum Textoribus, deque iis qui in Veſtibus Conficiendis operabantur, veſtiumque Sacrarum numero*; Libro ſcilicet primo, Cap. XVIII. Deinde *De* בגדי לבן *Veſtibus albis Sacerdotis vaccam comburentis*, Libro ſecundo, Cap. XXIV.) aliiſque rebus multis, cum quibuſdam tabulis auctam atque emendatam. Solent enim ſecundæ curæ eſſe meliores. Placuiſſe hoc opus viris inter eruditos primi nominis, non eſt quod multis probem. Teſtantur eorum, præter ad me datas Epiſtolas humaniſſimas, omni laude refertiſſimas, opera publica, quibus omnia ſummopere laudant atque approbant. Vel hoc unicum mihi eſt Teſtimonium luculentiſſimum, quod tam brevi temporis ſpatio fuerit diſtractum, tantoque fervore atque deſiderio, ut denuo excuteretur, docti, jam diu petierint. Adde, viros, non populari tantum ſcientia, ſed qui ſolidam amant ſapientiam, cum publice, tum privatim, ſuis calculis me incitare conatos fuiſſe, ut in hoc Scriptionis genere pergerem, ea, quæ de Tabernaculo, de Templo, de Sacrificiis, de Sacerdotibus Totoque Sacerdotio, dum majori, quam ab hinc aliquot annis, fruebar otio, me præſtiturum, præcedente Præfatione promiſi, publici quoque facerem juris. Niſi enim hæc placuiſſent. nihil in quod bonas collocarent horas a me exſpectaſſent. Nihil dicam de pluribus in Germania, in Belgio & alibi, ab eo tempore editis libris, ubi Tabulas ex meis ubique deſumptas videbis, Veteribus quaſi deletis æternæque oblivioni traditis. Teſtantur id Biblia Weimarenſia in Germania, aliaque in Belgio edita. Teſtatur id auctor non contemnendus Belga Goeræus, in ſuo quod

edi-

edidit *De Republica Hebræorum* opere, & altero majori, uti vocat; **De Joodſche Outheeden.** Teſtatur idem doctiſſimus Leuſdenius in *Philologo Hebræo*, ſecundæ Editionis; ac clariſſimus Witzius in *Miſcellaneis Sacris*, qui Tabulas De Summo Pontifice aliiſque Sacerdotibus ex meis depingi ſuaque iis ornari curarunt, quamvis meo, tamquam ſibi prorſus ignoto, ſuppreſſo nomine, quæ cauſa fuit, ut ridiculi quidam ſcioli magna ignorantia atque impudentia effutire auſi fuerint, mea ex illorum virorum operibus Tabuliſque fuiſſe deſumpta, quamvis opus meum lucem, triennio minimum ante eorum Conſcriptiones viderit; notumque ſit omnibus, me primum fuiſſe, qui hanc materiam, data opera, ex ſpiſſis Antiquitatis tenebris erui, demonſtravi, hiſceque Tabulis exhibui. Inficias tamen ire non poſſum, quod valde miror, Clariſſimum *Witzium*, quamquam in *Miſcellaneis*, *Libro* II. *Diſſert.* II. *De Sacerdotio Aharonis & Chriſti.* pag. 484. meas addiderit Tabulas, tamen alibi in eodem opere, exhibuiſſe Sacerdotes minores alio prorſus habitu, nulla ſcilicet *Tunica* תשבץ *teßellata*, nullo *balteo* floribus diſtincto, quales geſtaſſe Sacerdotes a me ample atque clare demonſtratum eſt: immo, quod magis miror, duabus eos induiſſe *tunicis*, altera interiori, altera exteriori, uti videre eſt pag. 412. & 416. Summum quoque Pontificem exhibuiſſe veſtibus לבן *albis*, *balteo* prorſus alio, quam eum habuiſſe, a me probatum eſt. *Goereus* quoque in majori ſuo opere **De Joodſche Outheeden.** lib. III. pag. 270. Summi Pontificis Ephodo dedit *fibulas*, Hebræorum Antiquitati, in veſtitu Sacro, ignotas. Quas autem habuerint viri docti rationes, ut ejuſmodi Sacerdotum habitum fingere placuerit, vellem eos addidiſſe, ut ſolidæ Eruditionis curioſum Orbem melius quam hactenus a me factum eſt, edocuiſſent. Forte tanti non exiſtimabant, ut Sacerdotes vero veſtitu exhibuiſſent. Præſtaret tamen, mea opinione, ut nihil diceretur, quam male; ut nullæ haberentur Tabulæ, quam adulteræ quibus veritatis avidus lector deciperetur. Humaniſſime itaque oro auctores, ut in poſterum, aut rectas, cum veritate accurate convenientes adhibeant Tabulas, quibus lector edoceatur: aut ab iis prorſus abſtineant, ne rerum indagatores, falſis conceptis opinionibus a vero ſe abduci patiantur. Non enim, uti exiſtimo, imagunculæ tabulæque doctorum virorum operibus infarciri debent, ad operis ornatum, vel ad puerorum oblectamenta, vel ad Commendandum ſculptoris ingenium

raramque artem, aut forte ad augendum lucrum, ſed ut veritas clarius eluceret, & ut hac via, mens per ſenſus externos a perverſis abſtrahatur opinionibus.

Plurima variaque porro mihi dicenda forent, ſi omnia, quæ hujus operis prior Editio paſſa eſt, ad incudem revocare liberet. Quanta imperitorum malevolorumque hominum ignorantia, livor & invidia inde mihi creaverint mala, cuilibet notum eſt. Montes quidem, ſi potuiſſent, mali in me ardentes conjeciſſent. Hinc Epiſtolæ clanculum, ſed & impudentes mendaceſque, in me conſcriptæ ſunt. Occulta arte atque aperto Marte potentiores in me concitantur. Nihil tamen mihi accidit non exſpectatum: *πολλὰ διδάσκει γὰρ μ' ὁ πολὺς βίος.* Jam diu novi, & id mihi ſemper fuit ſolatio, natos eſſe, inter mortales, alios qui egregia præſtent Reipublicæ Literariæ; alios qui bonorum diligentiorumque vituperent virtutes, nec non utiliſſimos laudatiſſimoſque labores; hiſce maxime temporibus, ubi non unus Ligurinus *μῶμος*. Perſtringendus depexenduſque mihi eſſet ante omnes obtrectator quidam malevolus, Strigibus Lamiiſque noctu volitantibus, quam honeſto viro ſimilior, qui nativum fœtum parenti, qui eum magna cura atque labore edidit, crudeliter ſuffurari, aliiſque nequiſſime ſupponere impie conatus eſt. Intactas tamen ejus criminationes, furta atque mendacia præteribo; cum propriam habeat conſcientiam ſceleris carnificem: ut non dubitem, quin nequitiæ nunc ipſi diſpliceant auctori. Hoc unicum addam, ineptiſſimum Contemptorem laudes meas atque famam, magis quam vituperium promoviſſe: coactus enim fuit, ipſis nugoſis ſuis accuſationibus, fateri, hoc meum opus doctum habere parentem, dignum eſſe, ut a nobilioribus ingeniis ametur, legatur, ac in pretio habeatur.

Nihil eſt quod huic aliiſque obtrectatoribus magis diſplicuit quam præcedens Epiſtola ap Lectorem. Sed judicent ſolide eruditi, qui non pueriles nugas, non auram popularem, non famam minorum magiſtellorum, ſed ſeveriora ſtudia, opera præclara, ære perenniora amant, & ex animo deſiderant, eaque omnibus viribus commendare ſolent, quid in ea tanta ira atque indignatione dignum contineatur. Ferre non potuerunt, quod adfirmare auſus fuerim (audax facinus!) hoc argumentum hactenus a nemine, data opera, ex imis Antiquitatis latibulis fuiſſe erutum, ſufficienterque pertractatum. Sed & magnum habetur

ſce-

ſcelus quod nugivendulis, qui, ut ſapientes haberentur a vulgo, non ab eruditis, vitam tranſigunt in vertendis libris, non optimis, ſæpe nullius utilitatis, qui crambem centies recoctam denuo recoquunt, ob oculis poſuerim, ſe magno conatu magnas agere nugas. Conſcribendi itaque fuerunt, & in lucem edendi, præter clanculas Epiſtolas ſurdaque verba, Libelli Virulentiſſimi, ad commovendos Deos majorum minorumque Gentium. Flectendi erant Superi & Acherunta movenda, contra tantum nugarum contemptorem, veræque Sapientiæ amatorem, laudatorem ac commendatorem.

Omnium primus qui in hoc meum opus bilem publice evomuit Lucifuga quidam fuit *Chriſtianus Liberius Germanus*, in ſua farragine, quam vocat *Biblophiliam*. Prodiit, poſt editum hoc meum opus, primo anno, octuageſimo nempe hujus ſeculi primo. Scatet libellus, præter injurias intolerandas, mendaciis & maledictis, ut ignorantiæ auctori luculentum reddat teſtimonium. Magna ira atque animi impotentia invehitur in viros primi nominis, auctores celeberrimos, Eccleſiæ & Academiarum Columina, quos in cenſum refert novatorum, quod partibus non ſtudeant, claſſicum canentes non ſequantur, quod malos negligant auctores, bonos ſolos legant atque commendent, quod ſecum nugas pro ſolida eruditione, umbram pro corpore, nubem pro Junone amplecti non ament; quod crambem toties recoctam, recoquere non velint, quod petant doctores, qui veram doceant Sapientiam, quæ hactenus latuit, non ſua auctoritate lectorem puerili credulitate ad quælibet credenda obſtringant, ac ſi vera Eruditio tota eſſet exhauſta, nihilque a nobis poſteriſque ut indies augeretur, in poſterum præſtari poſſet. Quicunque id exiſtimat, neſcit quid ſit ſcire; neſcit in profundiſſimo mari, pretioſiſſimos latere uniones: uno verbo, fundamenta ponit ſolida Scholæ inſcitiæ atque ignorantiæ. Hæc inter alia de me effutire ipſi placuit. *Vix* inquit, *quidquam agit aliud, quam ut ſplendidiſſima Theologorum lumina, Hieronymos, Epiphanios, Didacos Del Caſtellio, Ar. Montanos. Salmaſios, Caſaubonos, Leones Judæ, Lichtfootios &c. intollerando ſupercilio deſpiciat & exagitet*, & quæ ſermone maledicente addidit. At ſi accuſaſſe ſufficiat, quis innocens erit? Splendidiſſima iſta Theologorum lumina me umquam deſpexiſſe, tenebrio in æternum non probaſſet, ſi id probare ſuſcepiſſet. Splendidiſſima ego Lumina ex animo ſemper ſum ve-

ne-

nera'us,eaque venerabor dum Spiritus hos regit artus. Nunquam de iis in meis operibus ſum loquutus, quin debitum ipſis honorem exiſtimationemque teſtatus ſim. A magnis luminibus *Hieronymis*, *Epiphaniis*, *Ar. Montanis*, *Salmaſiis*, *Caſaubonis*, *Lichtfootiis* me multa didiciſſe, atque indies ab eis multa diſcere, lubentiſſime confiteor. Si tamen aliquoties coactus fui ab ipſis recedere, eorumque lapſus indicare, ne in errore ab eis deceptus lector remaneat; ſi dixi, eos de Veſtitu Sacro, data opera, non egiſſe, immo circa iſtam materiam viros magnos aliquoties dormitaſſe, nemo ſanæ mentis id mihi vertet vitio; rem enim ita ſeſe habere, nemo, niſi rerum ignorantiſſimus, negabit. Si tantus fuit vir *Liberius Germanus* lucifuga, cur errores meos non indicavit? cur mundum eruditum non melius edocuit? Facilius fuit carpere, contemnere, ſugillare, furorique imperitorum honeſtum exponere Virum, quam ſolidis rationibus eum erroris convincere. Solet genus imperitorum hominum affectare auctoritatem; eaque lubentius utitur, quam indubitata ratione. Nullus eſt labor ut ſua auctoritate lectorem ignorantem ac credulum aſtringeret; at ut firmiſſimis, ex ſana ratione, Antiquitate obſtruſa, Scripturaque Sacra, deſumptis argumentis edoceret atque convinceret veræ eruditionis avidum, hoc opus, hic labor eſt. Si eſſet in vivis criminator, omnes ejus in me cavillationes recenſerem, atque ad eas κατὰ πόδα reſponderem; ſed cum abierit ad plures, parco ipſius manibus. Non poſſum tamen ſilentio præterire craſſam ipſius ignorantiam, quod inter ſplendidiſſima Theologorum lumina ponat *Didacum Del Caſtellio*. Auſim adfirmare eum nunquam ab eo fuiſſe viſum, multo minus lectum. Non enim mihi poſſum perſuadere, eouſque proceſſiſſe viri inſcitiam, ut ejuſmodi hominem laudaſſet, ſi vel per tranſennam ipſius fabulas vidiſſet. Eſt ſane auctor non niſi ab inſcitiæ amatoribus deſidibuſque ventribus legendus. Unum dabo exemplum. Ubi ipſi agendum eſt de *Pallio S. Pontificis*, tribus verbis, ſatis imperite, abſolvit quæcumque ad rem credit dicenda. Inde illico alio magnis paſſibus excurrit; *De immaculata ſcilicet virginis Conceptione*, ad nauſeam uſque garrit, ut nihil minus quam ſacras Veſtes pertractaſſe credendus ſit. Hunc tamen criminator inter *ſplendidiſſima Theologorum* ponit *lumina*. Oſtendit ſane ſibi placere quicunque ineptias tractat, ſive eum legerit, ſive non legerit.

Ineptiat *Liberius Germanus* quantum poteſt, anſam tamen dedit

dit

dit & alii criminatori, ut & ſuam in me eſſutiverit maledicentiam: is eſt, uti dicitur, *Tenzelius*, auctor Libri cujuſdam Germano ſermone conſcripti, cui Titulus: Monatliche unteredungen / von allerhande Bucheren / und anderen annemlichen Geſchichten. Is, qualiſcunque ſit auctor, Menſe Januario anni CIↃIↃCXC. pag. 14. & 16. opus meum allegat, illud ſummopere laudat, quod & ab eo ſit ad annum CIↃIↃCLXXXIX. Menſe Julio. pag. 741. & 742. & alibi. Eo uſque, ut rotundo ore dixerit, materiam iſtam *tam accurate a me eſſe pertractatam, ut ei nihil addi poſſit.* Tamen incredibili impudentia atque audacia in me invehitur; ſcilicet quod Lutheri aliquot oſtendere auſus ſim errores. Is enim voces quaſdam male vertit. Ex *lino* fecit *ſericum*, ex colore *cæruleo*, *flavum.* Ego vero demonſtravi ſatis ample, temporibus Moſis, ſericum apud Iſraelitas non fuiſſe notum, flavumque colorem, niſi in auro, in toto ſacro veſtitu nullum fuiſſe. Ipſe narrator fateri coactus fuit; me voces illas recte expoſuiſſe, male Lutherum. Non potuit tamen ſibi temperare pecus Arcadicum, quin, ad me reſpiciens rauca voce rudat, *Sus Minervam.* Si peccavi oſtendendo ſphalmata quædam Lutheri, non minus ſane peccavi, quod Calvino aliiſque viris magni nominis lapſus recenſuerim. At non ego ſolus recedo a Lutheri verſione, multi ex ipſis fratribus Lutheranis, fatente ipſo auctore maledico, id diu ante me fecerunt. Grande itaque nefas, ſi quis cum Luthero aut Calvino in omnibus non conſentiat. Quicunque hoc exiſtimat, viam ſternit levi puerilique credulitati, ignorantiæ, inſcitiæ, & tandem lectiſternium facit barbariei. Unde præteritorum ſeculorum ſpiſſæ tenebræ? niſi a ventribus pigris, ab imperitorum levi credulitate qui tamquam tot mancipia adſtricta fuerunt aliorum placitis atque auctoritati. Quis igitur iſti obtrectatori non dicet, ASINUS AD LYRAM.

Idem Narrator, eodem libro, Anno 1689. Menſe Julio. pag. 741. & 742. poſtquam meum opus non leviter laudaſſet; poſtquam dixiſſet, illud hodie ab omnibus approbari, veteres errores inde emendari; Tabulas meas additas eſſe Bibliis Weimarenſibus, & ejuſmodi alia, immo *materiam iſtam tam accurate a me eſſe pertractatam; ut ei nihil addi poſſit*, ut laudes augeat, addit: *Cl. Bynæum libro ſuo De Calcibus Hebræorum, in Titulo poſuiſſe Sum. Pontificem ex meis tabulis.* Ita fari ipſi placuit. Sed iterum vehementer errat. Verum eſt Clariſſ. *Bynæum* in Tituli Tabula ha-

bere Summum Sacerdotem ſtantem ante altare aureum, thymiamata facientem, cum thuribulo in manu dextra. Veſtitus quidem ibi eſt, ex meis tabulis; Sed falſum eſt, me ejuſmodi illi unquam dediſſe thuribulum. Ejuſmodi Pontificem S. cum thuribulo videbis etiam apud *Goeræum*, in opere belgico *de Rep. Hebræorum*, lib. 1. pag. 168. Ex *Goeræo* & ſua habuerunt proculdubio Clar. *Witzius Miſcellan. Sacr. pag.* 485. Et ex eodem Clar. *Leuſdenius in Philologicis Diſſert.* 38. *pag.* 268. De Summo Pontificis Thuribulo, ſive veſtitus fuerit *octo veſtimentis aureis*, ante altare aureum, in loco ſancto, ſive amictus *veſtibus albis*, in loco ſanctiſſimo, a clariſſimis viris *Bynæo*, *Witzio*, *Goeræo*, ac *Leuſdenio*, omnibuſque quos hactenus vidi, toto cœlo diſto. Hoc thuribulum fuiſſe deſumptum ex vulgi tabulis, ut hactenus apud Vilalpandum, Ar. Montanum, apud alios auctores, & n Bibliis, cujuſmodi habere ſolent, adhunc uſque diem in Eccleſia Romana, notum eſt. At tale umquam uſum fuiſſe S. Pontificem, nunquam ſomniavi. Prorſus aliud eum habuiſſe in Templo, in meis ad Septimum ſigillum Excercitationibus, quæ, volente Deo, brevi ſubmittentur prœlo, jam manifeſto, ex Antiquitate Judaica, ac Talmudicis Traditionibus; damonſtravi. Peto itaque ne mihi affingantur quæ nunquam docui.

Quemadmodum *Germanus Liberius* Auctori Der Monatlichen Underredungen / ita hic cavilandi anſam dedit, cuidam *Caſparo Baumio Haſſo*. Is in Libello quem edidit anno CIƆIƆCXCI. Cujus ſolus Titulus horret barbarie, ſcilicet *Actus Reflexus Carteſianorum*. Is, inquam, præter alia quæ hinc inde in me habet, pagina 554. eoſdem *Sermones menſtruos*, ſive Monatliche Underedungen / in meam, (Si Diis placet) allegat perniciem: poſtquam enim inepta multa, pro more, immo plauſtra convitiorum in caput omnium Carteſianorum & Coccejanorum conjeciſſet, præcipue in viros Clariſſimos Theologos, qui noſtri temporis ſunt πρῶτοι, δεύτεροι καὶ τρίτοι, præ quibus cavilator non eſt dignus ut figat palum in parietem, *Wittichios*, *Burmannos*, *Mommam*, *Gulichium*, *Groenewegen*, *Grandium*, *Allingam*, *quidni Coccejum*, *Carteſium*, tandem in me, invehitur: *Conf.* inquit, *Collocutiones Menſtruas*, Monatliche unterredungen / *judicio in D. Brauninm ; ex anno.* 1690. At quid movit lepidum caput, ut *Collocutiones Menſturas* in me alleget, in ſua ineptiarum farrigine? cum ibi ne γρῦ quidem de Carteſianiſmo & Coccejaniſmo adverſus me habeant?

Cum

Cum potius opus meum, uti jam ſupra oſtendi, ſummopere laudibus extollant pluribus in locis, modo excipias ea quæ ſpectant quaſdam Voces Lutheri? Multos, fateor, me legiſſe contra Carteſianos Coccejanoſque jam per quadraginta annos, libellos ridiculos, rixis, nugis, vitilitigiis, craſſis erroribus falſitatibuſque repletiſſimos, tamen barbarum, maledicentem huic ſimilem nunquam reperi. Si quis delectetur ſordibus, fœtore, inſcitia, barbarie, obſcuritate, ineptiis, mendaciis, calumniis, hunc legat. Ex animo doleo juventutem Caſſelanam, traditam eſſe (eſt enim, ut audio, ibi, uti vocatur, Scholæ Conrector) ejuſmodi homini. O! infelices Juvenes, qui incidunt in manus eorum, qui ſtipendia trahunt, non ut rudiores poliant, ad ſolidam Eruditionem, virtutem bonoſque mores forment; ſed ut optima ingenia corrumpant, eaque ab omni elegantia, nitore, politiori ſapientia, a virtute cultioribuſque moribus alienos reddant. Opportet ſane, quod toto corde, in bonum Reip. & Eccleſiæ, opto, ut alios nanciſcantur doctores & Præceptores, qui magno labore atque moleſtia eos tandem doceant, dediſcere nugas, falſitates, obſcuritates, barbariem & calumniandi artem. Nihilominus non ſatis poſſum mirari, ejuſmodi hominem habuiſſe Approbatorem Theologum. Sed & hoc novi, tam malam nullam eſſe cauſam, quæ, non reperiat ſuum Advocatum atque Patronum. Sed miſſum faciamus ejuſmodi chartarum fœdatorem.

Inter viros celeberrimos, quibus placuit nonnulla ex hoc opere carpere, eſt clariſſimus *Vitringa*, Academiæ Franekeranæ S. Theologiæ Profeſſor, amicus integerrimus, quem ideo non minus omni honore, amore atque exiſtimatione perſequar. Licet enim inter amicos aliquando diſſentire; Quæ ad ipſius difficultates reſponderim paucis: leges paragrapho DCXL. Placuit & clariſſimo *Bynæo* me aliquoties convellere, in ſuo *De Calceis Hebræorum libello*. Ad eum quid notaverim, reperies hujus editionis paragraphis. XXXVII. XLVI. XLVIII. CCCXXXIII. Nullus eſt qui majori inhumanitate, ruſticitate majorique criſta & confidentia, data opera, me cavilaverit quam Bernhardus Anglus, vir Momo mordacior, in ſuis ad Joſephum criticis, quæ lucem viderunt ante paucos annos. Ad ejus autem errores, injurias atque convitia meas leges Reſponſiones paragraphis. CCCXXII. CCCXXIII. uſque ad CCCXXVI. Ita & CCCCXXXVII. CCCCXXXVIII. CCCCXCII. DCCXXVI. & ſequentibus.

Antequam finiam te monere debeo, Lector benevole, atque erudite, pagina 393. in Tabula depictum ſtare *Eumenium Rhetorem*, in manu habentem pateram repletam *piſciculis*. Ita ab aliquot annis credebam rem ſe habere. Sed memoria videor deceptus: non enim, ut ab aliis edoceor, niſi *unicus* pateræ impoſitus eſt *piſcis*, carpæ, uti dicitur, ſimilis.

Brevi, uti ſpero, typis aliud tradam opus, ubi varia habebis Philologico-Theologica, plurimam partem, uti puto, hactenus intacta, lectori curioſo, ut exiſtimo, non ingrata. Si Deus, quas hactenus mihi ſua benignitate conceſſit vires, ad aliquot annos conſervet, quæ de Hebræorum Sacerdotio promiſi, quædam me præſtiturum non deſpero. Deus Optimus Maximus vitæ rerumque noſtrarum ſupremus arbiter tibi mihique ad veram ſcientiam, quæ eſt κατ' εὐσέβειαν promovendam, ad hujus vitæ tranquillitatem, æternamque beatitatem cumulate atque clementer omnia largiatur. VALE.

Ad

Ad Reverendum Doctiſſimumque
VIRUM
D. JOANNEM BRAUNUM
Cum ſuos de veſtibus ſacris commentarios in lucem emitteret.

Gallia nunc docti non laudet ſcripta Bayſſi,
Ferrarium ſileat Gens Patavina ſuum.
Schaldis ovans latos Rubeni non jactet honores,
Neſcio quid, Brauni pagina, majus habet.
Hæc gemmis, auroque gravis. byſſoque ſuperbit,
Et nitet innumeris arcula ſynthesibus.
Materiam ſuperavit opus, quo, pollice dextro
Hic rediviva micat Betſaleelis acus.
Non hic Santonicus glomeratur Bardocucullus,
Hic non virgari Gallica burra ſagi.
Non trabea, prætexta, chlamis, non juſſa Lacernæ
Aſſyriam toties evacuare Tyrum.
Non latus clavus, ſignis ingentibus aptus,
Pænula nec canos apta fovere ſenes.
Vana nec Auſoniæ Gentis toga, gloria, nec quæ
Fibula rugoſos mordet adunca ſinus.
Hic nec anaxurides, Scythicæ nec tegmina braccæ,
Quæque tegunt pelles, hiſpida terga, Getas.
Non quæ ciſtiferos, ornavit candida Myſtas
Veſtis, nec Phariæ myſtica palla Deæ.
Tenuia nec Serum, queis cultæ, vellera, lanæ
Oſtentant potius, quam ſua membra tegunt.
Nec torques, manicæ, redimicula, nec Saraballa
Gentis Achemeniæ luxuriantis opus.
Hic mitræ ſublimis apex, veneranda Tiara,
Inſcripta & ſancti nomine Lamna Dei.
Hic Ephod, & ſummi vera internuncia cœli
Urim, fatidicis fulgida Luminibus,
Hic ſtola candenti verrens veſtigia Limbo;
Cujus & in vario mira colore latent.
Pallia, queis cedunt pictorum pallia Regum,
Balteus, & ſtringens zona ſuperba latus,

Qua tibi cultus adeſt, cunctis, Deus Alme, calendis
Thura litans ſacros Grex pius ante focos
Hæc promit Solymis Braunus quaſi natus in ipſis,
Nec procul a Templo, per ſua ſcripta ſumus.
Sunt magni Conclave Dei, quo ſancta ſupellex
Conditur, & ſacri pompa miniſterii.
Scilicet inſanos abhorret Jova Lupercos,
Gutta quibus caſti nulla pudoris ineſt.
Improbat & Salios, & turpia Numina Faunos,
Sacraque Belphegoris propudioſa Dei.
Caſto caſta placent, & puris veſtibus ornat.
Pontifices ſummos, qui ſua ſacra colunt.
Has iterum mira Braunus contexuit arte,
Qua ſibi perpetuum conſuit ipſe decus.
Artis Arachneæ laudatur nomine Dorcas
Idalias, Dorcas quæ ſuperavit acus.
Dorcas, Niliacas quæ torto ſtamine matres,
Et fuſo, Coas vincere docta nurus.
Texturæ ſed Braune tuæ laudeſque, decuſque,
Pollicis & mollis fama volabit, ovans,
In mare purpureum violentus qua ruit Indus,
Quaque Tagus rutilas in mare volvit opes.
Et ſi non falſa fallunt præſagia mentis,
(Nec vero vates fallere Muſa ſolet)
Te manet in docta, veſtis, quæ Virginis arce
Ornat Palladios non temeranda Patres.
Donec nobilior candentes veſtiat armos
Numinis æterna, purpura picta manu.
Angelicis cum tu tandem ſociabere turbis,
Et duces lætos jam ſuper aſtra choros.
Tunc tua cæleſti radiabunt tempora vitta,
Pulſabiſque levi ſydera fulva pede,
Ornabuntque manus, ſanctorum gloria, palmæ,
Palmæ proſtratæ ſymbola certa necis.
Atque toga gemmis, auroque rigente, ſuperba
Obvius in ſponſi brachia ſancta ruens,
Semper Nectareo Divum ſatiabere victu,
Et tua lætitiæ proluet ora liquor.

STEPHANUS LE MOYNE
In Academ. Lugduno Batav. S. S. Theol.
Doct. & Profeſſor.

In pereruditos

JOHANNIS BRAUNII, DE VESTITU Sacerdotum Hebræorum Commentarios.

Qui veterum Grajorum habitùs, veterumque Quiritum
Eruit, & tritum non prius ivit iter,
Rubenius, doctique fuit Ferrarius oris;
Et tenuit palmam victor uterque ſuam.
Defuit Hebræus: laceraque in veſte Sacerdos
Stabat, & antiquus ceſſerat ille nitor.
Non linum, non byſſus, & albi lana coloris.
Illum quæ tegeret, ſordida lana fuit.
Vellera nulla ſuo Libye tingebat aheno
Nulla venenabat vellera priſca Tyros.
Si qua fuit veſtis, nullo reſplenduit auro:
Nulla Semiramia picta nitebat acu.
Pallia pileolique, & qui latus ambit utrumque
Balteus, & tunica, & bracca jacebat humi
Squalidus ex humeris Ephodi pendebat amictus;
Nec, qui munimen pectoris eſſet, erat.
Pectore de medio nullus pendebat iaſpis.
Non hic chryſolithus, non radiabat onyx:
Non adamas, amethyſthus, acre rubens hyacinthus
Quique in honore pari eſt, in pretioque lapis.
Aurea non capiti ſplendebat, ut ante, corona:
Cingebat ſacras nulla tiara comas.
Viderat hoc alacer, quid enim non ille videret,
Braunius, Hæbrææ rore rigatus aquæ?
Ille antiſtitibus veſtes, ſolitumque nitorem
Reddit, & horrentem tergit ab ore ſitum

Fulget

Fulget apex, radiant velamina, ſplendet achates
Puniceuſque nitet, purpureuſque color.
Docta redit Babylon coccumque interluit auro:
Pontificique ſuus continuatur honos.
Quin & de tenebris amiſſam protrahit artem,
Lanificum digitis & moderatur opus.
Quin & ſacrata veſtis myſteria pandit
Omnia, venturi præſcia ſigna Dei.
Veſtibus hoc ſatis eſt. At tu doctiſſime Brauni,
Quæ tibi, quæ tanto palma parata viro?
Non tibi Rubenius, non ſe Ferrarius æquat
Quis tanto ſcriptis major es ipſe tuis,
Hebræus quanto Grajum Latiumque Sacerdos
Anteit, & ornatus vincit honore ſui.

PETRUS FRANCIUS.

EPI-

EPISTOLA

Summi Literatoris, & toto orbe celeberrimi Viri,

JOHANNIS FREDERICI GRONOVII

AD AUCTOREM

Reverendo & Eximio Viro *Johanni Braunio*
Johannes Fredericus Gronovius S.P.D.

E*volvi, & quantum hoc minime nobis vacuum tempus atque hæc inolita mihi ex morbi reliquiis ſtudendi pigritia permiſit, exegi doctas chartas tuas. Legiſti utique materiam tum elegantia &* φιλοκαλίᾳ *tua, tum* humana qua parte locatus es in re, *ut canit Perſius, digniſſimam: & in ea ſic elaboraſti, ut ubique ingenii, eruditionis, induſtriæ micent velut ſtricturæ. Quare propitiam eis Lucinam opto, ut, quæ modo libavi, in ea me mox penitus ingurgitem & quaſi Threicia amyſtide proluam. De Scarlato, quod linguæ vulgares appellant, non poſſum conjecturæ tuæ non diffidere. Non eſt enim purpura, multo minus Tyria. Quod ſi quis magiſtrorum ea voce uſus ſit, is non ex Hebraiſmo eam, ſed ex hodierno tot gentium ſermone vernaculo accepit. Denique mitto ad te, quæ ad Plinium in hanc rem notavi, quibus ſi acquieſces, (me certe nondum illorum pœnitet) bene eſt: ſin, ſalva amicitia, quod cuique placet, tenebimus. Si quid mihi credis, tunicam illam* ἄῤῥαφον *Domini gloriæ. nunquam aliam ſum imaginatus quam totam textilem, ſine ſutura aut acus opera. Memineram enim togas indumentum rotundum, & undique clauſum, textas fuiſſe. Unde apud Titinnium:* quæ inter decem annos nequiſti togam unam detexere. *Horatius lib.* 1. *ep.* 19. Exiguæque togæ ſimulet textore Catonem. *Ideo vix ulla apud melioris ævi ſcriptores Romanos* ſartoris *mentio, quod non ex ſectis lanis, ut hodie, ſuebantur veſtes, ſed totas in tela parabant. Centones & pannuceæ ſuebantur: unde illud,* Sarcinatorem eſſe probum, ſuere centonem optime. *Refrigerabat tamen non nihil, quod videbam ambiguum fieri. an* ἡ ὑφαντικὴ καὶ τὸ ὑφαίνειν καὶ τὸ δῶρον. Ἐρ-

γάνης δαίμονος ad tantum miraculi ſufficerent, legeramque apud primum in litteris virum, a nemine hactenus non deſudatum quærendo & inveſtigando, quanam ratione tale detexi potuerit veſtimentum, quod ſuturam non haberet; non poſſe enim per artem in tela hujuſmodi veſtimentum fieri. Huic terriculamento per te allatum remedium eſt, qui, qua ſagacitate es atque fortuna, eruiſti & inſperantibus ſtupentibuſque tam honeſti, frequentis, docti ſodalitii oculis ſubjeciſti, tunicæ inſtar, induſium egregie manicatum, omne a barbarica tela, omne textorii operis., ſine ullo veſtigio τῆς ῥαφίδος, ſine ſarcinatricis manus ſuſpicione. Cujus ſpectaculi & tunc omnes, qui aderamus, ingentem cepimus voluptatem, & ego nunc quoque libentiſſime recordor. Tam preclari inventi & εὕρετρον & μήνυτρον tibi ſemper debebimus, & hac quæſtio deciſa erit una, haud quaquam diluiiſſima. Ex purpuris, quibus pretioſum polymitum, quod cum maxime artificis radio & pectine properas, cultius & conſpectius habebitur. Vale vir Reverende ac diſertiſſime, & incepta perage feliciter. Lugduni Batavorum a. d. V. Cal. Novembr. a CIↃ IↃ C LXXI.

INDEX

INDEX

locorum S. Scripturæ,

quæ in toto hoc opere citantur & explicantur.

Cap.	Verſ.	Pag.
	Geneſis.	
1	3	616
	21	411
2		784
	12	151. 592. 594. 596
3	21	57
3	7	12
	22	12
4		756
	22	224
6	9	617
10		149. 224
17		766. 788
18	4	43
19	2	43
25		100
	15	62
	18	61
28	31	419
30	35	561
35	37	519
37	3	278
38	1. 2	75. 208
41	14	751
	42	94
	50	702
49		609
	3	475
	13	540
	17	553
	19	562
	21	571
	Exodus.	
1		447
2	16	702
	21	621
3	5	36
	6	792
	22	12
5	3	290
7	19	123
9		333. 517
	31	92
10	13	616
	15	173
12		372
	5	617
	37	100
13	16	53
	20	208
17	3	661
19	4	411
	6	702. 792
	22	749
23	23	766
24		517. 521. 531
	6	211. 658
	10	519. 521. 523
25		109. 138. 140. 172. 177
	3	72
	4	72
	5	72. 92. 212
	7	592
	9	595
	14	632
26		208
	1	270. 272. 264. 284
	31	264. 284.
	35	140

Cap.	Verſ.	Pag.
26	36	264. 269. 272. 277. 284
27		619
	7	595
	[illegible]	284
	16	269
	17	212
	18	284
28		11. 13. 25. 167. 208 294. 316. 474. 537 539. 627. 631. 632 651. 656. 675. 744.
	2	26. 36. 250. 695
	3	293. 709
	4	26. 336. 341. 353 406. 434
	5	13. 26. 78. 79. 82. 150. 167. 264.
	6	433. 439. 440
	8	264. 289. 441
	9	444
	10	447. 592. 594
	11	259. 669
	13	11. 18. 259
	14	460
	15	264. 284. 454
	16	456. 633
	17	470. 471. 633. 635
	18	269. 633
	19	633
	20	*ibid.*
	21	*ibid.*
	22	153. 460. 633
	23	459
	24	461
	28	462
	30	621. 644. 645
	31	406. 409. 422
	33	344
	34	406. 429
	35	709
	36	654. 656. 661. 662. 668
	37	153. 666. 672

Cap.	Verſ.	Pag.
28	39	250. 269. 340. 346 423. 454. 745
	40.	78.97.378.695.792
	42	311. 312. 319.
29		27. 53. 567
	8	27
	8. 9.	28
	10	768
	29	78
	30	27
30	8	284
31		294
	10	294
34		635
3		208
	5	212
	6	212
	9	594
	25	292
	26	292
	27	592
36		270
	28	284
	31	*ibid.*
	35	264
	37	284
37		208
38	15	385
39		97. 167. 208. 218 633.661
	2	264
	3	159. 264. 289.
	6	592. 594
	8	264. 284
	9	353
	13	604
	15	153
	22	218
	24	284. 290. 406
	27	340. 345
	28	312. 353. 378. 383
	29	269
	30	656
	40	353

Le-

Cap.	Verſ.	Pag.
	Leviticus	
6		53
	3	84
	31	12
8		633
	6	406
	7	443
	8	60
	9	656
	13	12
10	11	614
13		304. 792
14		208. 212
	4	770
	6	212
	19	212
15	4	96
16		19. 21. 45. 67. 98. 106 644. 690. 691
	4	340. 719
	6	769
	14	107
	23	718
	49	211
19		37. 73. 77. 80. 81. 136
21	10	27
23		304
25	30	8
	Numer.	
1		628
	60	749
2		468
4		208
	7	173. 174
6	5	425
7	8. 9	639
13	23	422
15		183, 412
	28	411
	38	54

Cap.	Verſ.	Pag.
17	8	778
18		304
19		208. 686. 691
	6	769
	11	475. 478
20	5	422. 785
25		7
26		642
27	21	619. 646. 650
28		304
31	6	647
35	25	733
	Deuteron.	
6	8	53
8	8	422
16	14	126. 304
17	8	614
	9	*ibid.*
18		791
	15	786
19	17	614
21	13	751
22		80
	11	74
	12	411
23		*ibid.*
	8	742
	19	181
25	30	208
27	12. 13	447
28	39	208
29		304
31	9	614
32	35	339
33	10	614
	12	607
	17	600
	19	184
38	17	600
	Ioſua.	
2	4	208

Cap.	Verſ.	Pag.
2	6	92
	18	215.769
	21	769
6		647
7		145
11	21	124
14	16	789

Iudicum.

Cap.	Verſ.	Pag.
2		637
5	22	539
	26	*ibid.*
	30	269
7	12	133
14	12	101
15	14	91
16	2	616
	14	225
17		452
	5	647
18		451

I. *Samuelis.*

Cap.	Verſ.	Pag.
2		59
	4	370
	18	308.451
4		647
3	10	652
	11	*ibid.*
14	11	422
	18	648
	19	627
15	27	412.416
17	7	218.225
	49	745
19	13	649
22	18	263.451
24	4	411
	5	*ibid.*
28	6	647.648.649.
	14	417.619
30	7	646.648
30	8	952

II *Samuelis*

Cap.	Verſ.	Pag.
1		208
	9	271
	10	658
	24	215
6	14	443
	15	451
8	18	702
10	4	781
13	18	278.479.443
15		46
	24	642
	32	349
19	13	139
20	16	702
21	19	218.225
22	40	370

I *Regum.*

Cap.	Verſ.	Pag.
1	1	75
2		734
5	1	789
	2	*ibid.*
	18	778
	32	*ibid.*
	35	*ibid.*
6	7	467
	20	151
7	49	778
8	12	792
10		123
	10	588
	17	151
	18	*ibid.*
	22	588
19	12	639.792
22	49	588

II *Regum.*

Cap.	Verſ.	Pag.
1	8	64.355

Cap.	Verſ.	Pag.
3	21	370
9	5	75
	13	ibid.
	30	509
12		268
	24	124
23	7	308

I Chronic:

Cap.	Verſ.	Pag.
12	32	529
	33	218
15	27	451
18	17	702
19	4	781
20	5	218
24		731
28	18	151
29	2	506.509.592.594

II Chronic.

Cap.	Verſ.	Pag.
1	16	123
3	6	151.169
9	21	588
15	3	614
19	8	614
	10	ibid.
20	26	588
	37	ibid.
24		295
26	15	265
29	4	151

Ezra.

Cap.	Verſ.	Pag.
2	63	723
	69	705

Nehemia.

Cap.	Verſ.	Pag.
7	65	723
	70	705

Cap.	Verſ.	Pag.
8	3	616

Eſtera.

Cap.	Verſ.	Pag.
1		184
	5	597.602
	6	145
	8	126
6		431
	10	424.704
8	15	766
	16	126

Iobus.

Cap.	Verſ.	Pag.
1	3	133
7	6	124.218.226
8	19	779
12	19	702
14	2	659
28	5	516
	6	208.527
	16	516.594.602
	19	485
29	14	792
30	18	344
31	2	65
38		488
39	11	173
42	12	133

Pſalmi.

Cap.	Verſ.	Pag.
2	2	782
	6	792
	19	797
16	7	780
	10	ibid.
18	34	103
19		786
	11	791
	13	ibid.
22		786

Cap.	Verſ.	Pag.
22	6	208
24		36.781
45		158.764
	8	783
	10	775
	14	251.252.258.750
	15	269.750
50	12	797
60	10	44
68		783
	14	411
69	32	61
72	7	779
	27	280
84	12	617
92	8	779
103	15	659.779
	16	779
104	2	766
106		8
110		762
114		787
	15	790
118	22	ibid.
132	9	781
	16	781
133	1	775.785
146	8	392
147		51

Proverbia

Cap.	Verſ.	Pag.
3	19	787
27	26	65
31		308
	13	73
	17	371
	21	212
33	31	478

Canticum.

Cap.	Verſ.	Pag.
1	4	789

Cap.	Verſ.	Pag.
4	1	139
	3	208.215.422
	13	785
5		333
	2	349
	10	771
	11	760
	14	468.478.486.506 509.516.521.524 539.558.568.574 578.586.605.760 768.772.
7	5	770
8	2	785
	6	790

Eſaias

Cap.	Verſ.	Pag.
1	6	755
	18	146.208.209.211 212.215.475.769 770
3	18	256
	23	792
	24	102
5	6	619
6	2	792
7	14	467
9	5	788
10	5	782
	17	467
11	1	778
	12	411
14	2	208
16	5	782
18	8	211
19	9	91.99.118.221
	33	212
22	21	370.371.374.782
27	6	779
28	8.19.33.	212
30	20	435
	22	452

Cap.	Verſ.	Pag.
36	8	212
39	1, 2.	*ibid.*
40	3	793
	6	779
	7	*ibid.*
41	7	539
44	13	480
50	10	616
51	5	784
52	10	*ibid*
53		756. 759
54	11	506, 509, 516. 790.
58	8	778
59	5	220
	17	417
61	10	406. 784
62	1	417
	3	792
63	3	770. 784
65		69

Ieremias.

Cap.	Verſ.	Pag.
3	5	745
4	30	208. 215
10	9	152
11	18	759
13	23	105. 269
15		628
34		59
48	9	659

Lamentatio

Cap.	Verſ.	Pag.
2	20	102. 145
4	7	519

Ezechiel.

Cap.	Verſ.	Pag.
1	16	574
	24	768
	26	521, 523
5	2	616
6	4	8
7	2	411
9	2, 3	758
	11	*ibid.*
10	2	758
	6. 7.	*ibid.*
	9	574
11		517
15	1	758
	19	*ibid.*
16	10	269. 274. 750
	13	269
	16	*ibid.*
	18	*ibid.*
20	25. 26.	785
21	17	791
	21	648. 649
	31	792. 793
23	15	370
26	16	506
27		146
	7	99. 196
	10	495
	16	255
	24	269. 416.
28		579
	13.	472. 474. 475. 485 516. 533. 574. 592 594. 602. 604.
	17	46
30	15	103
34	20	65
40	7	779
	12	*ibid.*
42	14	709
43	13	456
	17	*ibid,*
44	17	80. 91. 131. 709
	18	312. 319
46	17	709
47	13	789

Daniel.

Cap.	Verſ.	Pag.
3		329

Cap.	Verſ.	Pag.
3	21	317.333
7	9	766
6	24	762
10	5	583.758
	6	574.578.579.583
12	6	758

Hoſeas.

Cap.	Verſ.	Pag.
1	7	793
2	9	73
3		433
	4	452
4		9
14	2	797

Ioel.

Cap.	Verſ.	Pag.
1	8	371
	12	422.785

Amos.

Cap.	Verſ.	Pag.
2	6	44
7	7	535
8	6	44

Ionas.

Cap.	Verſ.	Pag.
4	7	208

Nachum.

Cap.	Verſ.	Pag.
2	4	208.209
3	17	661

Hagaus.

Cap.	Verſ.	Pag.
1	8	723
2	19	785

Zacharias.

Cap.	Verſ.	Pag.
1		118
3	4	752
	5	*ibid.*
	8	778
	9	762.773
4	12	764
5	12	467
6	7	778
13	4	64

Malachias

Cap.	Verſ.	Pag.
1	11	783
2	6	791.793
	7	791
4	2	791.797

Libri Apocryphi.

Iuditha.

Cap.	Verſ.	Pag.
4	9	52
16	17	*ibid.*

1 *Macab.*

Cap.	Verſ.	Pag.
1 & 4. & 9. & 14		728
4	23	184
6		729

Lib. II.

Cap.	Verſ.	Pag.
1. & 9.		729
3. & 10. & 11. & 15.		729
14		734

Lib. III.

Cap.	Verſ.	Pag.
5		729

Ex Novo Teſtamento.

Cap.	Verſ.	Pag.
	Matthaus.	
3	4	65. 133
	10	355
	11	44
	16	643
5	18	787
6	20	704
9	16	230. 773
10		786
	9	39
	10	*ibid.*
	14	43
11	27	791
13		76
16		774. 790
	2	511
	18	785
17	5	723
21	7. 8.	75
	42	790
22	11	751
23	24	40
	35	295
26	65	709
27	28	199. 211
28	3	771
	10	786
	Marcus.	
1	3	793
	24	*ibid.*
	38	786
	39	*ibid.*
11	16	716
	21	230
14	51	101
	63	709
15	17	195. 199
16		771
	Lucas	
1	9	749
	10	*ibid.*
	17	65
	33	756
	35	793
2	49	39
3	16	44
5	36	230
9	29	766
10	1	787
	17	*ibid.*
16		54
	19	126
24	19	786
25	22	751
	Iohannes	
1		791
	4	779. 791
	5	791
	9	*ibid.*
	11	756
	14	784
	18	756
	29	759
2	17	792
3	14	768
4	44	789
5	23	792
	32	791
6	23	768
	53	785

Cap.	Verſ.	Pag.
8	12	791
	56	795
9	1	753
	4	791
	23	233
	24	233
	36	773
10	14	788
14	2	775
17		790. 791
	3	779. 792
	6	786
	19	793
20	12	771
21	18	372

Acta.

Cap.	Verſ.	Pag.
1	10	771
2	27	793
4	26	782
5	36	792
	38	773
7		293
10		690
11	47	789
17	31	791
23		709

Ad Romanos.

Cap.	Verſ.	Pag.
5	1	791
8		792
	1	791
	3	756. 790
	4	790
	15	749
	28 & 29	797
	32	781
	33	781. 786. 791
	39	783
10	17	787
	18	786

Cap.	Verſ.	Pag.
12	1	797
	2	*ibid.*
	3	792

I ad Corinth.

Cap.	Verſ.	Pag.
1	21	773
	24	*ibid.*
	29	790
	30	791. 793
2	8	792
3	2	790
	7	785
	10	293
	12	787
4	6	792
6	20	763
11	4	792
	10	*ibid.*
12	12. 13	780
14	40	775
15	47	768
	48	*ibid.*
	49	*ibid.*

II. ad Corinth.

Cap.	Verſ.	Pag.
1	5	765
3	7	779
	8	779
	9	*ibid.*
	10. 11	*ibid.*
	18	792
5	3. 4.	750
	10	791
	17	795
7	13	773
	14	*ibid.*
8	9	764

Ad Galatas.

Cap.	Verſ.	Pag.
3	13	769
	16	779
	18	*ibid.*
	27	797

Cap.	Verſ.	Pag.
4	4	792
	Ad Epheſios.	
1	3	779
	5	754
	8	764
	12	779
	18	764
	20	792
2		757
	6	788
	7	764
	8	794
	13	749
	20	790
3	15	39
4		370
	4	785
5	25	788.796
	26	796
	27	*ibid.*
	32	773
6		372
	14	782
	Ad Philippenſes	
2		756.763
	7.8.	792.796
	9	668.671
	10	792
	11	*ibid.*
	12	776
4	18	797
	Ad Coloſſenſes.	
2	8	784
	9	791
	10	*ibid.*
	20	782
3	3	764
	I *ad Timoth.*	
2	5	756,773.784
3	16	784
4	8	682
6	13	786

Cap.	Verſ.	Pag.
	II *ad Timoth.*	
2	19	788
4	8	754
	13	213
	Ad Hebræos	
1	3	787.791
3	1	749
	2	783
4	14	783
	15	793
	16	*ibid.*
5	2	791
	4	762
	6	*ibid.*
	7	785.786
7		794
	1, 2	762
	8	795
	9.10	*ibid.*
	16.18	785
	23	762
	24	*ibid.*
	26	796
	27	749
	28	791
8	1	749.762
	7	*ibid.*
	26	*ibid.*
9	4	778
	5	792
	8	797
	9	762
	10	762
	12	749.762
	13	763
	14	762.796
	15	762
	19	211.759.769
	23	790
	24	749
	26	796
	37	64.65
10	1	785

Cap.	Verſ.	Pag.
10	5	763
	12	762
11		51
	4	793
	6	*ibid.*
12	10	785
	23	790
	24	749
13	8	766
	15	793.797
	21	793
	Epiſt. Iacobi	
1	17	293.766
4	12	753
	I *Petri.*	
1	5	251
	7	764
	13	372.782
	18	763.790
	19	759.790
	24	779
2	5	783.790.793
	9	80,783
	24	769
4	12	764
	II *Petri*	
1	2	762
	12	773
	18	796
	I *Iohannis.*	
1	7	770
	16	753
2	1	786
	2	790
5	6	521
	Apocalypſis	
1	4	766,770
	6	783
	13	355,372.374.375 749
	14	146

Cap	Verſ.	Pag.
2	7	779
	10	754
3	4	771
	5	*ibid.*
	18	60.80.750,754.763 764.766
	19	785
4		579.584
	3	478.502.584
	4	771
5		759
6		*ibid.*
	8	118
	11	771
7		759
	9	771
	13	*ibid.*
	14	751,770.785
8	2.3	797
	3	795
	4	*ibid.*
9	12	199
13	8	759
15	6	164.372.375.749 758
	8	758
16	15	750
17	4	195.211
	5	671.674
18	12	127.195
	16	211
19		758
	14	758.766
	16	273
21		472,507.534.552.558
	12	789
	18	764.785
	19	790
	20	553.580.790
	27	796
22	11	779

Index omnium Auctorum,

qui in toto hoc opere allegantur, aut notantur, aut explicantur & illuſtrantur.

ABarbanel. 82. 97. 109. 115. 117. 132. 140. 177. 193. 209. 217. 389. 391. 413. 416. 419. 420. 429. 438. 440. 441. 442. 445. 447. 461. 465. 468. 469. 476. 489. 493. 512. 534. 539. 545. 553. 558. 567. 576. 593. 595. 607. 619. 638. 642. 651. 668. 669. 724.
Aben Bitar 201
Aben Ezra. 12. 73. 82. 92. 109. 115. 138. 172. 173. 209. 210. 217. 270. 272. 278. 320. 389. 425. 519. 520. 521. 534. 537. 539. 567. 578. 619. 627. 647. 656. 662
Abraham Ben David, 193. 195. 389. 412. 655. 656
Abraham Scheba 631
Achilles Tatius: Vide Tatius
Ælianus. 67. 135. 139. 144. 147. 182. 205. 220. 229. 230. 231. 268. 355. 359. 513. 532. 549. 618.
Æſchylus 227
Æſchinus 164
Agatarchides Samius. 474. 488. 492. 493
Agrariæ Rei Auctores 394
Agricola 570
Alcmanus 201
Alcoranus 9
Alexander Hieronymus 394. 397
Alexander Aphrodiſienſis 474
Alexander Polyhiſtor 488
Alexius Pedemontanus 519
Altingius Jacobus 412. 545
Ambroſius 175. 177. 311
Anaſtaſius 154
Anaxagoras 474
Angli interpretes 73. 85. 473. 487. 518. 534. 546. 569. 580
Apollonius Rhodius 166. 357
Apollonius Thianæus 94
Appianus 47. 147. 155. 164. 274. 508
Apulejus 94. 164. 285. 37. 373. 397
Aquilas 116. 172. 198. 199. 279. 319. 433. 536. 596. 618
Arabs interpres 65. 88. 96. 177. 185. 198. 199. 210. 218. 239. 264. 269. 278. 184. 311. 333. 353. 378. 406. 433. 454. 473. 517. 533. 593. 613. 616.
Archelaus 474
Arias Montanus 473
Ariſtenetus 270
Ariſtobulus 474
Ariſtophanes 67. 204. 390. 408. 680.
Ejus Scholiaſtes 380. 381. 390
Ariſtoteles 89. 121. 133. 138. 182. 549. 679.
Arnoldus Andillenſis 327. 343. 344. 665. 677
Artemidorus 239. 242. 274. 307
Aſarias 622. 633. 723
Aſterius Lazarus 271. 275
Athenæus 47. 70. 89. 145. 164. 190. 279. 355. 357. 359. 371. 382. 348. 404. 499. 500. 670. 679
Auguſtinus 37. 44. 233. 315. 629. 631. 719. 744
Auſonius 101. 337
Baal Aruch 88. 128. 509
Baal Hatturim 12. 43. 278. 293. 468. 470. 621. 637
Baifius 103. 173. 208
Balduinus 36. 39. 44. 375
Bartenora. 29. 30. 34. 87. 100. 105. 119. 146. 306. 461. 681. 705. 714. 715.
Barſelonius 16. 84. 163. 320. 339. 341. 357. 655. 714

Baſilius Preſbyter 409.
R. Bechai 470. 626, 638. 642.
Beydavus 9.
Belgæ interpretes. 73. 85. 102. 109, 115. 120. 125. 172. 185. 198. 213. 262. 264. 269. 272. 278. 311. 336. 478. 378. 406. 424. 433. 454. 473. 487. 495, 506. 518, 534. 536. 546. 559. 569. 575. 636. 757. 669.
Belunenſis Andteas 140.
Bernhardus Auctor Anglus. 322.
Ejus ineptiæ, 323. & ſeqq. 437. 438. 492. 726. & ſeqq. ad finem capitis.
Ejus error de Urim & Thummim. ib.
Bertramus 357. 719.
Biblia Genevenſia 344. 357. 362.
Biblia Complutenſia 173.
Biblia Regia 509.
Biblia Veneta ibid.
Biblia Hannovienſia 6 5.
Binæus 37. 45. 48. 333.
Bocchus 474.
Bocchartus. 73. 83. 82. 85. 93. 105. 118. 122. 182. 190. 193. 194. 201. 207. 208. 467. 474. 492. 501. 521. 536. 561. 578. 587. 588. 597. 598. 600.
Bodæus 194. 205.
Boetius. 174. 467. 493. 494. 499. 505. 512. 513. 514. 519. 527. 531. 532. 541. 548, 554. 555. 562, 563. 564 568. 572. 590. 591. 608.
Cæcilius 204
Cæſar 45
Calvinus 213. 647. 744.
Caneparius 194
Capellus 122, 208
Caph Nachat 34. 714
Caphtor Liber 621
Capitolinus 110
Cardanus 591
Carolus Cluſius 537
Caſaubonus. 46. 133. 154. 164, 199 229. 231. 232. 234. 236. 238. 341 263. 321. 335. 373. 384
Caſſalius 375
Caſſianus 350
Caſſiodorus 307
Caſtellio 738
Celſus 67
Cenſorinus 255
Cerda 315
Chaldæus interpretes. 91. 96. 98. 102 116. 117. 120. 122. 123. 125. 139 140. 145. 146. 159. 185. 208. 264 269. 270. 272. 280. 384. 286 311. 319. 336. 337. 340. 253. 378 392. 425. 433. 441. 451. 454. 468 473. 455. 478. 486 499 506 509 536. 544. 558. 593. 497. 614. 657 661. 742.
Chariſius 354
Choulius. 9. 47. 49. 373. 386. 394. 402 463
Chriſtophorus caſtri 623. 627
Chronicon Alexandrinum 268
Chriſoſtomus. 239. 241. 244. 308. 390 618. 631.
Ciampinus (Johannes) 249
Cicero. 3. 5. 67. 145. 147. 164. 175 188. 197. 218. 244. 246. 279. 307 308. 316. 321. 351. 371. 385.
Claudianus 67. 161. 362. 701
Clemens Alexandrinus 427. 544.
Clitus 139. 145
Coccejus 214. 521. 575. 579 584.
Codex Juſtinianeus 196. 308
Codex Theodoſianus 196. 255. 374
Codinus 157
Coetius Rhodiginus 67
Columella 146. 176
Columna Trajani 373
Cornelius a Lapide 643
Corpus Juris 704
Corteſius 268
Coſri liber 723
Cotovicus 207
Cragius 208
Cratinus 379.
Cteſias 104. 135

Cunæus 16. 18. 97. 648. 656
Cuperus 274
Curtius 371. 382. 384
Cyrillus 76
Cyrilli Lexicon 200
Dalechampius 86
Dallæus 719
Danæus 487
Delactius 467. 504
Democritus 474
Demoſthenes 233. 680
Demſterus 6
Diodatus 91. 172. 185. 198. 213. 226. 250, 251. 262. 264. 269. 278 336. 406. 433. 473. 507. 534. 546. 569. 576 595. 606.
Diodorus ſiculus 12. 103. 124. 255. 321. 394. 488. 492. 493. 615. 618
Diogenes Laertius 39. 102. 144. 146
Dion Caſſius 110. 111. 112. 147. 175. 196. 231. 274. 374
Dionyſius Halicarnaſſæus 197. 373. 402. 463
Dioſcorides 93. 176. 193. 194. 202. 532
Dodonæus 194. 205
Donius 213
Dorothanus Chaldæus 474
Douſa 50
Durandus 427
Du Dieu 487. 488. 496. 540
Eginhardus 307
R. Elias 509
R. Eliezer 37
Empedocles 474
Ennius 404
Epigrammata vetera Græca 51. 371
Epiphanius 174. 199. 318 427. 472. 475. 478. 482. 487. 494. 502. 505. 507. 508. 510. 513. 526. 527. 529. 533. 546. 547. 549. 552. 554. 556. 559. 562. 569. 570. 576. 580.. 605. 607. 608. 611. 628. 629. 645. 719.
Etymologus 103. 193
Eupolis 197
Euripides 66. 274. 328. 330. 548
Euſebius 508
Euſtathius 182. 193. 268. 352. 362. 370. 387. 526. 661.
Euthymius 234
Faber Tanaquillus 7
Ferarius 47. 82. 154. 234. 236. 263. 326. 339. 350. 373. 375. 407. 408. 410
Feſtus 4. 8. 66. 148. 190. 197. 200. 239. 274. 385. 395. 402. 404
Flavius Vopiſcus 99. 155. 157. 190. 259. 266. 273. 350. 359 360. 408. 671.
Florus 48. 52
Friſius 34. 375. 665. 677
Fronto Conſularis. 168. 169
Fulgentius 403
Fullerus 116. 119. 120. 268
Galenus 219. 227. 228. 234 390
Gallica verſio 102. 115. 185. 213. 226. 250. 252. 264. 269. 271. 278. 284. 286. 311. 336. 341. 353. 378. 406. 507. 518. 424. 433 454. 473. 475. 478. 533 546. 559. 569. 580. 595. 605. 669
R. Levi Ben Gamaliel 344
Garcias ab Horto 513. 514. 531
Gclenius 206. 241. 327. 344. 399. 665. 717
A. Gellius 164. 168. 351. 359. 402
Genadius 57
Germanica verſio 102. 177. 487
Geſnerus 178. 180. 547. 576. 628
Gevartius 386
Gigæus Arabs 235. 389. 454. 501
Gloſſa Baſilicon 267. 661
Gloſſæ veteres Græcæ 200 225 268. 359. 475
Golius 88 135. 201. 536
Gratius 91. 118. 120. 208
Gregorius Nazianzenus 57
Gregorius Nyſſenus 33. 177. 197. 744
Gronovius 206. 237
Grotius 25. 81. 115
Gruteri Inſcriptiones 373

Gualtherus Rudolphus 197. 226. 240
Heydekkerus 57. 82.
Heraclitus Sicyonius 474
Hermogenes 266
Herodianus 47. 266. 352. 360
Herodotus 10. 47. 92. 99. 101. 102 131. 147. 222. 239. 308. 361. 362 379. 382. 402. 602. 625
Heſiodus 239. 244. 307. 380
Heſychius 84. 102. 116. 203. 204. 229. 231. 240. 251. 254. 267. 271 273. 275. 280. 316. 318. 333. 339. 355. 356. 357. 361. 382. 390. 414 421. 436. 528.
Hieronymus 8. 22. 69. 84. 116. 121 162. 167. 172. 175. 177. 185. 195 198. 210. 213. 214 215. 227 231 232. 236. 268. 314. 319 320. 322 326. 339. 340. 341. 345. 353. 361 373. 391. 393. 397. 398. 399. 406 413. 419. 423. 427. 433. 436. 438. 451. 454. 472. 474. 475. 478. 487 495. 507. 508. 518. 520. 533. 536 538. 543. 546. 547. 550. 552. 559 569. 575. 580. 595. 605. 618. 627 697. 744
Hippocrates 230
Homerus 56. 124. 131. 169. 182. 187 213. 233. 239. 242. 307. 355. 357 361. 362. 370. 371. 374. 387. 396 500. 526 661
Horatius 121. 137. 164. 200. 281. 316 359. 370. 373. 392. 475. 697
Hottingerus 635
Huetus 57
Jarchias R. 317. 333. 578
Jalkut 470. 637. 644
Jamblichius 49
Janus Cornarius 427
Japhet R. 172
R. Jarchius 8. 12. 19. 43. 57. 62. 73 80. 82. 91. 92. 96. 98. 100. 104. 105. 106. 107 115. 118. 120. 123 127. 128. 129 138 145. 146. 147 159. 169. 172 173. 176. 194 217 225. 256. 259. 270. 272. 289. 316 319. 327. 328. 341. 342. 391. 392 407. 413. 416. 420. 422. 425. 429 437. 439. 440. 441. 442. 443. 446 460. 461. 465. 469. 509. 536. 614 647. 662. 666. 674. 675. 677. 712 718. 723
R. Jom Tob 105. 391
R. Jona 194
Jonathan 105. 181. 184. 339. 473. 478 506. 507. 509. 517. 519. 533. 539 546. 548. 558. 568. 576. 593. 605 609. 621. 647. 662. 673. 675. 699
Jornandes 402
R. Joſeph 389. 391
Joſeph Ben Gorion 723
Joſephus 14. 19. 23. 25. 28. 45. 52. 79 80. 84. 92. 131. 145. 157. 162. 163 167. 172. 174. 177. 185. 195. 198 207. 210. 215. 231. 236. 241. 245 251. 277. 287. 311. 314. 327. 330 337. 340. 341. 343. 344. 345. 347 353. 356. 357. 358. 359. 361. 362 375. 376. 378. 383. 387. 389. 392 322. 295. 296. 304. 393. 397. 398 399. 403. 406. 413. 414. 418. 420 421. 424. 433. 436. 438. 440. 444 446. 454. 456. 469. 470. 472. 475 477. 487. 517. 533. 546. 558. 568 580. 595. 596. 602. 605. 606. 630 631. 633. 639. 654. 657. 663. 665 666. 667. 675. 677. 681. 682. 696 703. 709. 711. 713. 714. 716. 717 719. 723. 726. 729. 730. 732. 742 744. 751.
Iſidorus Hiſpalenſis 58. 88. 92. 118 121. 122. 127. 175. 176. 199. 204 216. 219. 221. 227. 228. 230. 233 239. 242. 254. 255. 257. 267. 277 315. 339. 341. 350. 362. 370. 373 402. 408. 427. 478. 479. 488. 490 492. 502. 563. 607. 662. 699.
Iſidorus Peluſiota 239
Sepher Juchaſin liber Rab. 688
R. Juda Leo 254
Julius Cæſar 67

Junius & Tremellius 85. 87. 88. 115. 118. 198. 213. 226. 250. 254. 262. 264. 272. 278. 311. 319. 345. 353. 378. 399. 406. 433. 473. 478. 480. 506. 520. 534. 553. 559. 569. 576. 595. 606.
Juſtinus 45. 67. 292. 383
Juſtinus Martyr 46. 427
Juvenalis 34. 45. 46. 94. 139. 190. 213. 255. 308. 318. 334. 398. 410. 602. 697.
Ejus Scholiaſtes 147. 398. 402
R. Joſeph Karo 725
Keſeph Miſna 193. 470
R. Kimchius 80. 115. 119. 120. 1 1 123. 125. 139. 177. 193. 194. 256. 319. 408. 413. 438. 439. 451. 456. 479. 519. 536. 627. 642.
Ælius Lampridius 111. 148. 154. 313. 350. 615. 699. 704
Lactantius 7
De Laetius 174. 483. 488. 499. 505. 512. 519. 527. 529. 541. 599. 609
Lee Samuel Anglus 260. 344. 347
Leo Juda 320. 328
Leuſdenus 18. 23. 97. 254. 320
Lichtfootius 43
Lipſius 87. 121. 364. 614
Livius 4. 32. 59. 148. 395. 463
Lucanus 268
Lucianus 66. 104. 230. 274. 385. 387. 390. 396
Lucilius 230
Lucretius 66. 223.
Lutherus 73. 83. 85. 96. 109. 115. 116. 172. 185. 198. 213. 226. 250. 252. 264. 269. 278. 284. 286. 311. 336. 341. 378. 406. 408. 422. 424. 433. 454. 473. 478. 480. 507. 512. 518. 534. 536. 546. 559. 569. 575. 595. 6 3. 618. 657
Machiavellus 7
Macrobius 288
Magdeburgenſes Centuriæ 712
Magius 34. 424. 426. 719
Manilius 375
Marcellinus Ammianus 67. 88. 275. 285. 385. 386. 387
Marcellus Empiricus 673
Marmora 47. 49. 335. 370. 373. 374. 375. 385. 394
Martialis 44. 101. 103. 116. 139. 169. 175. 190. 191. 200. 207. 216. 258. 268. 271. 272. 332. 335. 374. 386. 438. 503. 602. 699.
Maimonides 89. 15. 16. 18. 21. 22. 23. 25. 27. 29. 30. 33. 34. 35. 37. 44. 53. 55. 74. 75. 77. 87. 9. 96. 97. 119. 131. 133. 137. 138. 143. 144. 146. 217. 245. 260. 262. 272. 286. 289. 306. 310. 314. 319. 320. 328. 332. 341. 342. 343. 345. 357. 388. 391. 392. 412. 418. 4 0. 422. 423. 426. 427. 437. 440. 441. 447. 456. 462. 469. 470. 528. 631. 637. 638. 643. 644. 650. 655. 656. 682. 703. 706. 708. 709. 710. 713. 714. 716. 718. 720. 721. 724. 725.
Maſora 284. 287. 290. 423
Mathenoth Cohanin 57
Mathiolus 194. 205
Meletius 222
R. Menachen 129
Menagius 339. 371
Menander 500
Metrodorus 550
Meurſius 208
Mikotzius 27. 713. 717
Minhagin Libellus 45
Le Moyne 344. 723
Moſchus 9
Moſes Ben Nachman 391. 392. 429
Muretus 371
Nævius 204
Nemeſianus 91. 221. 362
Nicias Malotes 474
Nigronius 39. 335
Nonnius 175. 227. 244. 268. 271. 350. 414
Nummi 47. 49. 361. 370. 373. 375. 386

386. 390. 394. 395. 463
Olaus Magnus 56
Onkeloſius 473. 486. 506. 509. 517 533. 539. 546. 548. 558. 568. 576 593. 607. 609
Oppianus 91. 253. 255. 259. 548
Origenes 7. 57. 177. 488. 709. 743 744. 769
Orpheus 66. 478. 488. 499. 535. 560 565. 607
Ovidius 48. 67. 105. 116. 121. 131 147. 161. 164. 165. 175. 187. 190 191. 197. 215. 225. 226. 240. 271 276. 307. 326. 351. 371. 375. 382 384. 402. 410. 524. 526. 549
Palephatus 190
Palladius 118. 255
Paſchalius 404. 660
Patinus 394
Paulus Juris conſultus 230
Paulus Venetus 135
Pauſanias 66. 90. 118. 147. 200. 203 221. 224. 233. 246. 370. 381
Perſius 34. 147. 156. 184. 602. Ejus Scholiaſtes 431
Petronius 145. 697
Philo Judæus 13. 162. 172. 177. 178 185. 195. 210. 215. 228. 311. 413 417. 424. 430. 433. 522. 594. 631 657. 661. 673. 702. 719. 742. 743 744. 747
Philoſtratus 94. 203
Photius 492
Pierius 394. 396
Pigius 363. &c.
Piſcator 473
Piske Thoſaphoth 716
Plato 164. 246. 307. 360. 271. 374
Plautus 68. 88. 229. 231. 271. 275 308 318. 359. 374. 381. 384. 408. 414 425. 524.
Plinius 9. 10. 12. 36. 45 56. 85. 86. 90 91. 94. 98. 104. 105. 110 112. 113 118. 121. 126. 131. 139. 145. 146. 155. 158. 159. 161. 164. 175. 178 179. 180. 182. 184. 186. 188. 189 190. 191. 192. 193. 196. 197. 199. 200. 202. 203. 207. 214. 216. 217 220. 221. 224. 233. 253. 255. 263 267. 271. 273. 285. 290. 315. 360 384. 396. 475. 479. 481. 487. 488 490 492. 493. 501. 510. 517. 526 527. 528. 529. 535. 538. 541. 547 548. 549. 550. 553. 554. 555. 560 563. 564. 565. 567. 568. 570. 571 573. 576. 577. 581. 587. 588. 590 599. 600. 602. 608. 611. 661. 680 673. 697. 699. 701.
Plutarchus 4. 5. 10. 34. 39. 51. 66. 67 70. 101. 131. 145. 147. 188. 213 220. 233. 274. 355. 373. 396. 401 402. 403. 424. 463. 549. 596. 602 625. 699
Politianus 47
Pollux 67. 85. 86. 88. 89. 92. 100. 102 104. 147. 190. 197. 213. 219. 221 225. 226. 233. 240. 255. 275. 280 281. 287. 316. 355. 356. 357. 379 382. 387. 435. 436
Pomarius 118. 178. 181. 193. 194
Pomponius Fortunatus 176
Pomponius Mela 59. 86. 104. 326
Porta 116. 381
Porphyrius 373
Poſidonius Stoicus 279
Priſcianus 354
Procopius 59. 102. 268. 279
Propertius 66. 67. 121. 409
Proſper 427
Prudentius 6. 49. 375
Pſellus 488. 492. 494. 503. 505. 508 515. 538. 540. 547. 554. 570. 573 591. 600. 607. 608. 611
Publius Syrus 268
Ptolomæus 598
Pythagoras 94
Quintilianus 216. 374
Rabboth 62. 473. 480. 518. 529. 533 538. 545. 577. 637
Rabboth Bereſchith 12. 57. 62. 65. 130 184

184. 278. 279. 699
Rabboth Schemoth 151. 468. 470. 477. 491. 507. 555. 569. 576. 577. 597. 605
Rabboth Bemidbar 468. 478. 489. 501. 502. 511. 529. 540. 553. 562. 571. 600. 609. 647
Ralbag. R. Levi Ben Gerſon 125. 262. 451. 642. 647
Reyneſius 535. 680
Rhodius 230. 444
Rivetus 632. 643
Rogerius 50
Roſinus 6
Rubenius 192. 197. 199. 229. 238. 255. 259. 273. 361. 386. 304. 397. 436
Ruæus (Franciſcus) 483. 527. 541. 591
Ruellius 206
Rufinus 444
Rykius 274
Saadias 109. 332. 474. 576. 579
Samaritanus Interpres 635
Salmaſius 39. 44. 74. 99. 110. 121. 127. 145. 148. 157. 188. 190. 199. 200. 202. 204. 205. 222. 229. 232. 234. 235. 236. 238. 253. 255. 257. 259. 268. 271. 280. 281. 291. 321. 350. 402. 407. 409. 410. 481. 528. 535. 536. 554. 599
Saluſtius 67
R. Samuel fil. Nachmani 57
Sariph 201
Scaliger 339. 354. 571. 671
Schechitoth Uvedikoth Libellus 9
Schefferus 662
Scheringham 16. 18. 97. 99. 103. 105. 169. 715. 716
Schilte Haggiborim liber. Ejus auctor. 304.
Seldenus 8. 16. 27. 28. 79. 296. 697. 715. 716.
Seneca 44. 94. 110. 112. 162. 166. 187. 190. 191. 219. 220. 228. 240. 244. 293. 390. 402. 697
Septuaginta Interpretes 91. 102. 116. 120. 122. 139. 172. 174. 198. 210. 212. 213. 214. 215. 218. 226. 227. 252. 311. 312. 316. 319. 340. 353. 378. 406. 413. 419. 423. 430. 433. 451. 454. 456. 461. 465. 472. 475. 478. 487. 507. 533. 535. 546. 569. 575. 580. 594. 595. 605. 606. 613. 618. 657. 661.
Servius 10
Sidonius Apoll. 9. 94
Sigonius 296
Silius Italicus 84. 94. 98. 148. 352. 383. 385. 402
Simeon ben Lakiſch 62
Siphre Liber Rab. 470. 637. 687
Smetius 673
Solerius 404. 665
Solinus 49. 175. 253. 508. 527. 530. 549. 553. 563. 602. 697
Sotacus 474
Ezechiel Spanheimius 390
Ælius Spartianus 213. 231. 360. 436
Johannes Spencerus 620. 627. 639. 647. 648. 649
Statius 190. 362
Stephanus 90. 119. 122. 333. 384. 420. 488
Stobæus 596
Strabo 7. 45. 49. 56. 69. 99. 102. 103. 122. 145. 155. 361. 383. 390. 492. 493. 547.
Strada 389. 399
Stuckius 38. 338
Sudines 474. 599
Suidas 116. 164. 193. 194. 213. 233. 251. 273. 316. 333. 355. 380. 382. 390. 436. 438. 453
Suetonius 45. 46. 47. 111. 165. 175. 192. 197. 216. 263. 307. 316. 373. 374. 385. 670. 680. 699
Sulpitius Severus 164
Sylburgius 197
Symmachus 116. 172. 198. 326. 495. 535. 575

Syneſius 409
Syrus Interpres 122. 133. 195. 199. 211. 235. 239. 511. 6.7
Tatius Achilles 182
Tacitus 67. 88. 121. 317. 385. 389
Tacitus 155

TALMUD

Illius Codices qui allegantur, cum ex Babylonico, tum ex Jeruſalemitano..

Bava Metzia 93. 697
Bava Batra 182. 642
Bechoroth 136
Berachoth 35. 41. 42. 74. 134. 173 329. 359. 577. 716
Chagiga 128. 129
Cholim 9. 93. 194. 207. 260. 269 303. 467. 697
Erachim 713
Gittim 54. 467
Harajoth 27
Jebamoth 35. 37. 716
Joma 16. 18. 21. 22. 25. 34. 45. 96 98. 101. 102. 105. 106. 107. 151 163. 169. 211. 245. 270. 272. 286 288. 291. 300. 308. 309. 324. 343 345. 357. 375. 391. 4 3. 462. 616 631. 636. 639. 650. 652. 682. 686 696. 697. 707. 7 1. 712. 715. 716 718. 720. 721. 723. 725. 745. 769 796
Kelim 321. 716
Kerithoth 718
Kidduſchim 725
Kilaim 73. 74. 75. 78. 83. 85. 87. 92 127. 128. 131. 133. 136. 194. 698
Maaſer Scheni 716
Maccoth 54
Megillath Eſther 699
Menachoth 145. 177. 181. 184. 678 699
Middoth 306. 706. 716. 769
Moet Katon 118
Nazir 425
Nedarim 169
Negaim 133
Nidda 73. 316. 327. 329. 333. 424
Oholoth 539
Parah 163. 426. 685. 990. 697
Peſachim 126. 194. 207. 711
Pirke Avoth 37. 467. 667. 723
Roſch Haſſchana 716
Sanhedrim 8. 43. 499. 597. 602. 614 621
Schabbath 53. 61. 87. 118. 119. 128 129. 146. 182. 291. 339. 414. 422 424. 720
Schekalim 34. 306. 707
Semachoth 46
Sevachim 27. 29. 30. 33. 53. 55. 92 286. 288. 319. 342. 374. 422. 426 427. 674. 675. 710. 720. 746. 769
Sotah 127. 129. 447. 467. 711. 723 724
Succoth 260. 506. 720
Thaanith 295. 298. 305. 711. 716. 723
Tamid 291. 300. 712. 714. 715
Tanchuma liber 626. 642
Targum Jeruſal. 278. 311. 321. 468 473. 478. 486. 507. 518. 533. 545 558. 568. 576. 593. 605
Targum Scheni 105. 129. 161. 424 431. 704
Tavernerius 493. 514. 542. 590
Terentius 230. 266. 414
Tertullianus 34. 44. 46. 110. 145. 149 161. 165. 180. 202. 213. 216. 220 222. 223. 224. 253. 271. 374. 409 410. 414. 415. 680
Teſſemakerus 363
Theocritus 384
Theodoretus 8. 57. 76. 139. 177
Theodotion 116. 536. 575
Theophanes Cerameus 231. 236. 241
Theophilus 474
Theophraſtus 86. 164. 189. 194. 205

379. 478. 504. 505. 508. 510. 526 527. 529. 547. 551. 555. 563. 564 570. 571.
Titinnius 233. 244
Tollius 514
Thorath Cohanim 16
Thoſaphoth 43. 53. 126. 129. 182. 291 333. 710. 725
Tibullus 9. 121. 190. 233. 307. 697
Trallianus 673
Trebellius Pollio 99. 271. 275. 285 355. 360. 373.
Turnebus 202. 203. 208. 255
Valerius Maximus 3. 165. 385. 387. 414
Varro 75. 118. 122. 138. 146. 271 338. 335. 404. 408. 414
Vartomannus (Lud:) 513
Vilalpandus 409. 665. 677
Virgilius 4. 10. 32. 59. 66. 67. 68. 118 131. 145. 147. 155. 156. 157. 187 190. 197. 199. 213. 219. 242. 262 285. 287. 291. 307. 360. 361. 362 370. 373. 398. 402. 403. 463. 475 488. 524. 548. 680.
Vitringa 640
Vlietius 91. 375
Ulpianus 233
Voſſius (Dionyſius 8
Voſſius (Joh. Gerhardus) 67. 139. 339 356
Voſſius (Iſaacus) 86. 121
Urſinus 394
Vulcatius 370
Vulgatus 116. 120. 122. 172. 174. 174 198. 213. 214. 215. 226. 250. 252 267. 269. 278. 284. 286. 317. 336 341. 353. 378. 420. 424. 433. 454 472. 475. 478. 487. 533. 546. 569 580. 595. 605
Waſerus 696
De *Witte* Erneſtus paſtor apud Indos 247
Wolfius 233
Xenagoras 124
Xenophon 90. 91. 99. 131. 184. 231 273. 379. 382. 390. 699.
Xiphilinus 231. 285
Zacharias 674
Zenothemis 474. 568. 599
Zohar Liber 621. 626. 631

INDEX

INDEX CAPITUM

LIBRI PRIMI.

Caput I. De ORIGINE Veſtium ſacrarum.

Cap. II. De GENERE & NUMERO Veſtium ſacrarum.

Cap. III. De DEFECTU Veſtium ſacrarum, & DE VESTIBUS REDUNDANTIBUS.

Cap. IV De MATERIA Primorum Veſtimentorum.

Cap. V. De MATERIA Veſtium ſacerdotum. Et primo quidem de LANA.

Cap. VI. De שש SCHESCH, LINO. Veſtium ſacrarum.

Cap. VII. De בגדי לבן VESTIBUS ALBIS Pontificis Maximi.

Cap. VIII. De SERICO Veterum.

Cap. IX: De צמר LANA, & ejus variis Generibus.

Cap. X. De זהב AURO in Veſtibus ſacris.

Cap. XI. De COLORIBUS ſacrarum veſtium.

Cap. XII. De COLORE AURI in Veſtibus ſacris.

Cap. XIII. De תכלת COLORE COERULEO.

Cap. XIV. De ארגמן PURPURA TYRIA.

Cap. XV. De תולעת שני COCCINO.

Cap. XVI. De מעשה ארג TEXTURA VETERUM.

Cap. XVII. De שש משזר SCHESCH MOSCHZAR, VARIIS LICIIS in ſacro veſtitu. De תשבץ TASCHBETZ, FUNDIS & TESSELLIS. De מעשה חשב OPERE ARTIFICIOSISSIMO. Et de מעשה רקם OPERE PHRYGIONICO.

Cap. XVIII. De Veſtium ſacrarum TEXTORIBUS, deque iis qui in Conficiendis veſtibus operabantur.

JOHANNIS BRAUNII
PALATINI.
DE
VESTITU
SACERDOTUM HEBRÆORUM
LIBER PRIMUS.
CAPUT PRIMUM.
DE ORIGINE VESTIUM SACRARUM.

Cur homines nudi naſcantur? Cur veſtiantur? Sacra quæ nudo corpore fiebant. Luperci & Lupercalia. Antonii Conſulis ſcelus, libertatem nudi inter Lupercos prodituri. Arcadum Lycæa. Moabitarum & Amonitarum ſacra. Baal Peoris turpitudo. Herculis Lindii & Perſarum ſacra cum execratione. Belphegor Machiavelli fabula. Septuag. βελφεγὼρ. *Priapus. Iupiter Stygius, Saturnus. Arabum ſacra nudo corpore. Baal Peoris cultores ſe detegunt. Fœdus ejus cultus crepitu ventris & ſtercoribus. Dii* גלולים *ſtercorei. Iupiter* βροντιδὺς *&* πορδὺς. *Crepi. Nudi ſacerdotes, popæ & ſacrificantes. Koreiſchitæ nudi ſacra faciebant. Ita & Britanni. Laniones Hebræorum nudo corpore mactare vetitum. Dii veterum nudi. Veſtes ſacerdotales in uſu apud Ethnicos. Cinctus Gabinus: veſtium, quibus utebantur Hebræorum ſacerdotes, origo. De veſtibus Adami è foliis, & pellibus, an ſacerdotales? Veſtes ſacerdotum, cum ipſo Tabernaculo & ſacerdotio Levitico, initium ſumpſerunt.*

I. MIRAMUR ſæpe, cum cætera animantia fere omnia ſquamis, coriis, pilis, lana & plumis veſtita, cornibus, dentibus, unguibuſque armata naſcantur, per quæ tempeſtatum injuriis reſiſtant, hoſteſque procul a ſe depellant, hominem (animal nobiliſſimum juxta & tenerrimum, tot caſi-

bus tot tantiſque inimicis perpetuo agitatum) ſolum inermem & nudum procreari. *Nudi* enim *ex utero matris*, id eſt ex terra, *exeunt, & nudi illuc redibunt*: ut cum Jobo, ſingularis patientiæ viro, loquar. At ſi conſilium ſummi Numinis, atque ſapientiſſimi creatoris propius introſpiciamus, omnis admiratio è cordibus noſtris facile evaneſcit. Θεοῦ γὰρ γένος ἐσμέν. Ad imaginem ejus & ſimilitudinem conditi, perfecta eramus ornati juſtitia & ſanctitate, quam omnes creaturæ venerabundæ ſuſpiciebant, atque ita imperio noſtro tranquille parebant. Nullus ſyderum ardor, nullum frigus, nullus morbus, nullus denique hoſtis nos unquam impugnaſſet, ſi in noſtra perſtitiſſemus integritate, ita ut nec armis ullis, nec veſtibus, ad corporis tutelam, nobis unquam opus fuiſſet. Nec ad ornatum quicquam præterea deſiderabatur, ſive corpus, ſive mentem reſpicias; Quid enim pulchrius corpore humano? Quæ partium concinnitas major? Quæ ſtructura admiratione dignior? Quæ forma elegantior? *Nil non laudabile videmus*, ut in re ſeria, ſerio cum ludibundo tamen Poeta loquar. Nullus ſerici ſplendor, nulla lini & Xylini ſubtilitas atque candor, nulla lanæ mollities, nullus auri atque argenti, gemmarumque fulgor, nulla tandem purpura, ſive arte, ſive natura pretioſa, corpus humanum vel tantillum ornatius reddere potuiſſet. Suum ſibi innatum habebat decus atqne ornamentum. Sed quid mente præſtantius? *divinæ eſt particula auræ*, in qua ipſa divinitas clariſſime relucebat. Cum ergo nihil plane ad mentis corporiſque ornatum & felicitatem deſideraretur, utique mirum nemini videri debet, hominem nudum & inermem à creatore ſuo conditum fuiſſe; conſilio enim & mente ſola, omnia jucunde in profundiſſima pace & tranquillitate regebantur, omni vi atque crudelitate longiſſime remotâ. Peccati ergo luculentiſſimum teſtimonium eſt veſtis pariter & arma. Signum ſceleris & ſervitutis, ut, quotieſcunque veſtes noſtras aſpicimus, rebellionis noſtræ in Deum admoneamur. Inde factum eſt, ut, quoties nos nudos contemplamur, corporis & mentis fœditatem animadvertamus, atque ad omne nefas proni, corpore facile abutamur.

II. Poſtquam igitur peccatum hominum corda tetra labe infeciſſet, ipſa honeſtas, quæ homines non tantum à brutis animantibus, ſed & ab ipſis hominibus ſecernit, corpora hominum certis quibuſdam tegumentis, plantarum & animalium ſpoliis obtegi voluit. Non tantum ut miſerrima corpora, jam ob peccatum mille calamitatibus obnoxia, ab æſtu atque frigore, aliiſque temporum injuriis defende-

derentur, ſed ut ſimul cum corporis nuditate, mentis fœditas aliquo ſaltem modo occultaretur. Ideo politiores populi non minus amictum quam victum ſolicite quæſiverunt. Ab ipſo primo peccatore & in Deum credente Adamo, per continuatam ſeriem, inter omnes populos, nec ſolum apud illam gentem, quæ Dei peculium erat, veſtes ſemper in uſu fuiſſe, conſtat. Vix ad hunc uſque diem ulla reperta eſt gens, tam fera & tam barbara, etiam in calidioribus regionibus, quæ non ſpeciem aliquam veſtium habuerit. Et quamvis inter aliquot nationes, plurima pars hominum, nudi inſtar pecudum pervagentur, nihilominus eorum Reguli & principes veſtibus quibuſdam, ſive avium aut ferarum ſpoliis, tegi ſtudent: uſque adeo verum eſt, omnes mortales cum ipſo Adamo, ſtatim, poſt funeſtiſſimam in Deum rebellionem, didiciſſe, nuditatem mentis & dedecus corporis animadvertere. Quid mirum! cum primus noſter parens, etſi ſolus cum uxore in toto terrarum orbe vixerit, veſtibus ſibi opus eſſe perſpexerit. Hinc in ſacris & profanis rebus veſtibus uti conſuevere omnes populi.

III. Fateor equidem impurum illum Dæmonem ita mentis aciem perſtrinxiſſe quibuſdam gentibus, etiam nobiliſſimis, ut honeſtatem atque decus in rebus ſacris minus quam in ipſis profanis colerent; adeoque ipſam Religionem non tantum falſis opinionibus, ſed & deteſtanda impuritate conſpurcarunt, ſcortis & lupanaribus, magis quam Deo & templo, digno modo. Hinc factum eſt, ut ipſi terrarum principes populi aliquando, etſi alias nefas crediſſent in publicum prodire nudos, tamen cum ſacra faciebant, ut Deos ſuos ſtercoreos honorarent, omnibus veſtimentis ſepoſitis, colere eos, illiſque ſacrificia & victimas offerre, auſi ſint nudo corpore. Et quemadmodum ſummum ſcelus viſum fuiſſet ordinario vitæ curſu nudo corpore incedere, *flagitii enim principium eſt, nudare inter cives corpora*, uti loquitur graviſſimus auctor Cicero *lib.* IV. *Queſt. Tuſcul.* ſic impium factum crediſſent, ſi veſtiti ſacra feciſſent coram Deo. Scilicet ut Deo Opt. Max. mentis & corporis ornatus placet, ita Dæmones omnem impuritatem atque dedecus ſummopere amant.

IV. Hinc plurima ſacra & ſacrificia olim fiebant nudo corpore, nec aliter fieri abſque piaculo potuere. Ejuſmodi fuere *lupercalia*. Nam lupercos nudos per plateas curſitaſſe, plus ſatis notum eſt. *Lupercalium mos*, inquit Val. Max. *lib.* II. *cap.* II. *à Romulo & Remo inchoatus eſt, tunc cum lætitia exultantes, quod his avus Numitor,*

rex Albanorum, eo loco, ubi educati erant, urbem condere permiſerat ſub monte palatino, hortatu Faſtuli educatoris ſui, quem Evander Arcas conſecraverat: facto ſacrificio, cæſiſque capris, epularum hilaritate, ac vino largiore provecti, diviſa paſtorali turba, cincti pellibus immolatarum hoſtiarum, jocantes obvios petiverunt. Ubi notandum eſt, quum Valerius dicit lupercos *immolatarum hoſtiarum pellibus cinctos* fuiſſe, id non eſſe ita intelligendum, ac ſi toto corpore pellibus tecti fuiſſent, ut quidam Veterum pellibus veſtiri conſuevere; ſed ab ilibus tantum, nam ad ilia ſemper fuere nudi. Hæc clarius docet Plutarchus in Romulo, ubi lupercalia ſatis fuſe deſcribit, ad quem etiam lectorem remitto. Ἐκ δὲ τούτου τὰ δέρματα, inquit, τῶν αἰγῶν κατατεμόντες, διαθέουσιν ἐν περιζώμασι γυμνοὶ; τοῖς σκύτεσι τὸν ἐμποδὼν παίοντες. *Poſt hæc diſſectarum caprarum pellibus cincti, nudi currentes ſcuticis obvios cædunt.* Sic etiam in Vita C. Cæſaris, τῶν δ' εὐγενῶν νεανίσκων καὶ ἀρχόντων πολλοὶ διαθέουσιν ἀνὰ τὴν πόλιν γυμνοὶ, σκύτεσιν λασίοις τοὺς ἐμποδὼν ἐπὶ παιδιᾷ καὶ γέλωτι παίοντες. *Multi juvenes nobiles & principes nudi currunt per urbem, hirſutis ſcuticis obvios per jocum & riſum cædentes.* Livius quoque Romanæ hiſtoriæ princeps, ejuſdem turpitudinis mentionem facit. *Lib.* I. *cap.* V. *Ferunt*, inquit, *ibi Evandrum, qui ex eo genere Arcadum multis ante tempeſtatibus ea tenuerat loca, ſolenne allatum ex Arcadia inſtituiſſe, ut nudi juvenes Lycæum Pana venerantes per luſum atque laſciviam currerent.* Virgil. *Æneid. lib.* VIII.

Hinc exultantes Salios, nudoſque Lupercos.

Sic Feſtus in voce *Crepos. Crepos*, inquit, *Romani Lupercos dicebant à crepitu pellicularum, quem faciunt verberantes. Mos enim erat Romanis in lupercalibus nudos diſcurrere, & pellibus obvias quaſque fœminas ferire.*

V. Non tantum ſacrificuli & viles popæ nudi aliquando erant, nec ſolum laſcivi juvenes per urbes vagabantur, ſed ipſi etiam ἄρχοντες *principes*, uti modo ex Plutarcho, *in vita C. Cæſaris*, audivimus. Quid? ipſe Ἀντώνιος, inquit eodem loco, τῶν θεόντων τὸν ἱερὸν δρόμον εἷς ἦν. (καὶ γὰρ ὑπάτευεν) *Antonius, etiam quum conſul eſſet, inter lupercos diſcurrebat.* Pudet ſane hic meminiſſe, quod graviſſimi auctores, Cicero, Suetonius, & Plutarchus de hoc monſtro hominis ad hanc rem tradunt. Nequiſſimum hunc conſulem, infami adultione, Cæſari regium diadema inter lupercos obtrudere conatum fuiſſe, pro concione, nudo corpore. Scilicet inſtar ſalaciſſimi proci in ſtabulo

ad

ad genua impuri ſcorti provolutus erat, & quo facilius venereis artibus amicam in amorem alliceret, ut ſeſe ei manciparet, ſuam populique Romani libertatem promptius peſſundaret, (forſan ut poſtea coram ſua Cleopatra) nudum ſe conſpiciendum præbuit. Nudus etiam hæc ſcelera auſus erat, quaſi Sacro Senatui populoque Romano omnem majeſtatem una cum ueſtibus ſuis detracturus, & conſulatum ſecum ludibrio expoſiturus. Propudium hominis! Reipublicæ peſtem, pacis atque otii omniſque felicitatis hoſtem! Audiamus Reipub. Romanæ libertatis acerrimum vindicem, fideliſſimum Conſulem & tranquilitatis cuſtodem graviſſimum Ciceronem, *Sedebat*, inquit, (*in divina* illa *philippica, volvitur à prima quæ proxima*) *in roſtris collega tuus amictus toga purpurea, in ſella aurea, coronatus, aſcendis accedis, ad ſellam. Ita eras Lupercus, ut te eſſe conſulem meminiſſe deberes, diadema oſtendis. gemitus toto foro. Unde diadema? non enim abjectum ſuſtuleras, ſed attuleras domo meditatum, & cogitatum ſcelus, &c.* & paulo poſt: *O præclaram illam eloqnentiam tuam, cum es nudus concionatus! quid hoc turpius? quid fœdius? quid ſuppliciis omnibus dignius?* Sed de hac infami adulatione & turpi laſcivia, plura vide apud Plutarchum in vita C. Cæſaris, loco jam laudato.

VI. Nefariam iſtam Religionem apud Arcadas olim etiam obtinuiſſe, indequead Romanos allatam, cum Livio, loco citato, docet quoque Plutarchus *in vita C. Cæſaris.* ἦν μὲν γὰρ, inquit, ἡ τῶν Λουπερκαλίων ἑορτὴ, περὶ ἧς πολλοὶ γράφουσιν, ὡς ποιμένων τὸ παλαιὸν εἴη, καί τι καὶ προσήκει τοῖς Ἀρκαδικοῖς λυκαίοις. *Erant enim Lupercalia, de quibus multi tradunt fuiſſe olim feſtum paſtorum, conveniunt etiam cum Arcadicis Lycæis.* Percutiebant autem Luperci pellibus, præcipue fæminas, ut iidem auctores docent, πεπεισμένας πρὸς εὐτοκίαν κυούσαις, ἀγόνοις δὲ πρὸς κύησιν ἀγαθὸν εἶναι, *credentes id multum facere ad facilem partum prægnantibus, & ad conceptum infœcundis.* Ideo etiam principes fœminæ, non tantum avide exſpectabant donec percuterentur, ſed ultro ſeſe obtulerunt, manumque porrigebant, inſtar puerorum, ut à ludimagiſtro plagam acciperent. Et ſane non tantum ſcuticis aut pellibus feriebant, ſed etiam ferula, ſcilicet pellibus inſtar ferulæ plicatis: hinc Plutarchus πολλαὶ δὲ καὶ τῶν ἐν τέλει γυναικῶν ἐπίτηδες ὑπαντῶσαι παρέχουσιν ὥσπερ ἐν διδασκάλου, τὼ χεῖρε ταῖς πληγαῖς. *Multæ principes fœminæ ultro ſeſe offerunt, ac manus ferientibus*

tibus ſicut in ludo literario cædunt. Prudentius lib. II. in Symmach. expreſſe mentionem facit *ferulæ.*

Inde Lupercales ferulæ, nudique petuntur
Diſcurſus juvenum.

Non eſt ergo cur miretur *Demſterus* ad Antiq. Rom. Roſini, lib. III. cap. II. Lupercis à Prudentio ferulas aſſignari, ex Plutarcho quo ſenſu dicatur, & rationem ſatis clare ediſcere potuiſſet, ſi attendiſſet.

VII, At nefanda iſta ſacra non tantum fiebant apud Arcadas & Romanos, ſed etiam apud Moabitas & Midianitas. De hiſce Moſes Num. cap. XXV. *Tum manebat Iſrael Schittimis, ubi cæpit populus ſcortari cum filiabus Moabitarum. Nam invitaverunt populum ad ſacrificia Deorum ſuorum; comedebatque populus, ac incurvabat ſe diis illarum. Sic copulato Iſraele cum Baal-Pehor, accenſa eſt ira Domini in Iſraelem.* Habes hic Baal-Peoris ſacrificia, habes etiam ſcortationem populi Iſraëlitici. Hunc Baal-Peorem fuiſſe omnis turpitudinis Idolum, minime dubito, eo magis, cum tam expreſſe illius occaſione ſcortationis mentionem faciat Moſes. Hinc Iſidorus *Orig. l.* VIII. *Beel-Phegor interpretatur ſimulacrum ignominiæ.* Et Origenes in *Numeros Homil.* XX. *Beel-Phegor idoli nomen eſt, &c. interpretationem nominis ipſius, cum requireremus attentius inter Hebræa nomina hoc tantum invenimus ſcriptum, quod Beel-Phegor ſit ſpecies Turpitudinis.* Sed quale genus turpitudinis fuerit fatetur ſe ignorare. Ego minime dubito fuiſſe ſcortationem; Et forſan talem, quæ prope in publico fiebat, ſacerdotibus & ſacrificantibus nudis in publicum diſcurſitantibus: hiſce enim deliciis dæmones vehementer delectantur. Talia erant etiam ſacrificia Herculis Lindii, quæ maledictis & diris imprecationibus fiebant, teſte Lactantio *lib.* I. *cap.* XX. Et Perſarum ſacra, de quibus ſatis fuſe Strabo lib. XV. nullum enim fit ſine execratione. Ideo exſertis verbis Moſes ſcortationis in Baal-Peoris ſacris meminit. Sic & Hoſeas Propheta cap. IX. com. X. *Venerunt ad Baal-Pehor, & ſepararunt ſe* לבשת *ad turpitudinem, ut committerent abominanda pro amore ſuo.* Baal-Peor igitur patronum libidinis atque ſcortationis fuiſſe, conſtat. Hinc Machiavellus in lepidiſſima illa fabula (quam etiam politiſſimum ingenium, Faber Salmurienſis ſermone gallico elegantiſſime reddidit) in qua dæmon introducitur uxorem ducens in Italia; qua etiam fabula ingenium & importunitatem libidinoſæ, & luxui

luxui deditæ fœminæ vivis ſuis coloribus depingere voluit, quem dæmonem, inquam, *Belphegor* vocat, qua voce nihil aliud ſignificat quam *Baal-peor*, quemadmodnm eum etiam ſeptuaginta Num. xxv. & alibi, βελφεγὼρ reddunt.

VIII. Sed Idololatras ſeſe coram hoc idolo detexiſſe, quum ſacra illi faciebant, Hebræorum magiſtri clare docent. Sic in *Sanhedrin. cap.* vii. *halacha* vi. ubi de vario cultu idolorum, de Baal-peor hæc habent: הפוער עצמו לבעל פעור זו היא עבודתו *Si quis ſe detegat coram Baal-Pehor, nam is illius cultus eſt.* Magnus Moſes Maimonides, qui primus inter verpulos delirare deſiiſſe dicitur, in *More Nevochim parte* iii. *cap.* xlv. idem docet: וכבר ידעת פרסום עבודת פעור בזמנים ההם אשר היתה בגלוי הערוה מפני זה צוה הכהנים לעשות מכנסים לכסות בשר ערוה בעת העבודה ושלא יעלה למזבח עם כל זה במעלות אשר לא תגלה ערותך עליו: *Iam noſti manifeſto cultum peoris illis temporibus poſtulaſſe, ut verenda detegerent; Ideo præcepit Deus ſacerdotibus, ut facerent ſibi brachas ad tegendam nuditatem tempore miniſterii; eadem de cauſa prohibitum fuit ad altare aſcendere per gradus, ne eorum nuditas detegeretur.* Quidam crediderunt hunc Baal-Peor fuiſſe *Priapum*, ut Iſidorus *Origin. libro* viii. Et Hieronym. *ad cap.* iv. *Oſeæ.* Alii *Iovem Stygium*, eo quod Pſalm. cvi. dicatur *& uniti ſunt Baal-peor, & comederunt ſacrificia mortuorum.* ubi per mortuorum ſacrificia intelligunt victimas, quæ mortuorum gratia Jovi ſtygio offerentur. Alii denique, ut Theodoretus, *Saturnum* crediderunt. Videtur idem doceri ab Arabibus. Arabes enim Saturnum dicuntur adoraſſe, cum Amonitis & Moabitis. Sed Horum Deus fuit Baal-Peor. Vidde Hotting, *Hiſtor. Or. l.* i. c. vii. Jam vero Saturnum, ut videre eſt apud eundem pag. clv. adorabant nudi. *Nudi ac tonſis capitibus thura dabant*: hic uero cultus Peoris. Vide etiam eundem Maimonidem, *de Idolatria* cap. iii. ubi reperies eadem ex Miſna Sanhedrim deſumpta. At non ſolum coram Baal-Peor nudos ſe ſiſtebant, ſed, ſi magiſtris credendum, ut ei etiam turpe ſuffimentum, flatu Ventris, facerent, & ſtercoribus eum conſpergerent. Doctor Salomon Jarchi ad Num. xxv. Com. iii. hoc Idolum פעור vocari dicit: על שם שפוערין לפניו פי הטבעת ומוציאין רעי זו היא עבודתו *Quia diſtendunt anum coram eo, & ſtercora emittunt, hic enim ejus cultus eſt.* Si hoc verum eſt (etſi enim à doctiſſimis viris negetur, cur tamen verum eſſe non poſſit, fateor me non videre, nam ut impurus ille ſpiritus imprecationibus, & execrationibus delectatur, ita

forſan

forſan ſtercoribus aliiſque inquinamentis) non mirum, ſi ejuſmodi dii vocantur, גלולים id eſt *ſtercorei*, ut quidam vocem iſtam exponunt. Levit. XXVI. com. XXX. Ezech. VI. verſ. IV. & alibi. Sunt etiam, qui hoc idolum à crepitu (ventris ſcilicet) *Peor* dictum volunt, quaſi eſſet Jupiter βροντῶν *tonans*, aut etiam πορδῶν *pedens*. Sane ut in multis aliis conveniunt *lupercalia* & *ſacra Peoris*, ſic etiam quoad nomen. *Crepos enim Romani Lupercos dicebant a crepitu pellicularum, quem faciunt verberantes.* Vide Feſtum in *Crepos*. De Baal Peore plura qui deſiderat, adeat Eruditiſſimum Seldenum, *de Diis Syris*, *cap.* V. *Synt.* I. & notas elegantiſſimi Juvenis, ſed immatura morte, proh dolor! erepti, Dionyſii Voſſii, *ad Majemon. de Idol.* c. III.

IX. Sed olim popas & ſacrificantes, dum ſacrificabant & victimas immolabant, fuiſſe nudos, manifeſto conſtat, cum ex numiſmatibus, tum ex marmoribus. Videatur nummus æneus Neronis, apud Choulium *pag.* CLXIII. Et conſtantini Claudiique pag. CLXIV. Et Domitani CCLXXXIV. Et Hadriani CCCII. Et columna Trajani, quæ eſt Romæ pag. CCCXXIV. Et pag. CCLXXXIII. Et marmor Romæ repertum apud eundem pag. CCCI. ubique reperies, non tantum popas, ſed & ipſos ſacerdotes & ſacrificantes nudos victimis & altaribus adſtantes. Niſi mavelis, in quibuſdam ex nummis illis, imagines eſſe ipſius dei Genii Auguſti & pop. Romani, aut exercituum potius, quam poparum aut ſacrificantium. Docet etiam doctiſſimus Hottingerus in *Hiſt. Orient. de Religione veterum Arabum lib.* I *cap.* VII. *Koreiſchitas ante Iſlamiſmum ſacra ſua celebraſſe nudos, atque ita Ædem Meccanam circuiviſſe*; quod ex Alcorano & Beidavi probat. Prætereundem non eſt, quod narrat Plinius *libro* XXII. *cap.* I. *Britannorum conjuges nuruſque toto corpore glaſto oblitas quibuſdam in ſacris, & nudas inceſſiſſe, Æthiopum colorem imitantes.* Ergo mos ille nudo corpore ſacrificandi ſatis frequens fuit apud veteres Ethnicos, ubique locorum. Hinc factum eſt, ut Deus non tantum de veſtibus ſacerdotalibus præceperit, ut iſtius moris contrarium fieret, ſed etiam ut vetuerit, & ſacerdotibus & populo, ullum cultum Deo præſtare, vel nudo tantum capite. Prohibent quoque magiſtri precari ad mactationem, aut mactare lanionem nudum, ne videretur cultus idololatricus, quemadmodum nefas etiam pronunciant ſi quis in navi mactaret, ita ut ſanguis in mare defluat, ne Neptuno ſacrificaſſe crederentur, aut in foſſam, ne diis inferiis mactaſſe quis

putet.

putet. De hiſce vide libellum *Schechitoth*, qui agit de ritu mactandi. *Maſſechet Cholim cap.* II. *miſna* IX. De piaculo in mare, fluvios, vaſa, & foſſam mactandi, vide etiam *Majmon: Hilchot Schechitoth, cap.* II. *Halacha* V. Sed non mirum ſpurciſſimos homines gentiles aliquando nudos ſacra feciſſe, cum & ipſos Deos ſæpe nudos, & fœdo admodum more in templis & in publico collocaverint. Ipſum *Iovem conſervatorem, cuſtodem, Statorem, victorem, Saturnum, Neptunum. Apollinem, Martem, Mercurium, Herculem, Æſculapium*, & neſcio quem non. Ante omnes meminiſſe oportuit obſcœni illius *Priapi*, de quo Tibullus *c. I. El.* IV.

Nudus & hybernæ producis frigora brumæ
Nudus & æſtivæ tempora ſua canis.

& *Cupidinis*, de quo Moſchus *Eidyll.* I.

Γυμνὸς μὲν τόγε σῶμα, νόος δὲ οἱ ἐμπεπύκασται.

Et *Veneris.* nam,

Nuda Venus, fœcunda Pales, Pharetrata Diana.

Sidon. Apol. carm. VII. quod clariſſime etiam conſtat, cum ex optimis auctoribus, tum ex innumeris marmoribus atque nummis. Cum igitur ipſi Dii nudos ſe conſpiciendos præbuerint in Templis & ubique locorum, utique mirum non eſt, ſacerdotes eorum & ſacrificantes eadem forma ſacra feciſſe. Et quod alias dicit Dei vates Oſeas cap. IV. כעם ככהן *qualis populus talis ſacerdos*: dicamus & nos, *quales Dii tales ſacerdotes.*

X. Tamen non omnes Sacerdotes nudi ſacra faciebant. Plerumque aliter fiebat. Immo complures non minus videntur fuiſſe ſoliciti, ut ſacerdotes ſimul & ſacrificantes veſtibus quibuſdam ſacris amicirentur, quam ipſi Hebræi. Nonnulli multo magis veſtiti erant. Nam a capite ad calcem, ad ipſas plantas pedum fere, ſemper tecti administrabant, cum Hebræorum Sacerdotes nudis pedibus ſacra ſemper facerent, ut infra clarius demonſtrabitur. Herodotus de Sacerdotibus Ægyptiorum *libro* II. *cap.* XXXVII. ἐσθῆτα, inquit, φορέουσι οἱ ἱρέες λινέην μούνην καὶ ὑποδήματα βύβλινα. *Lineam veſtem tantum geſtant Sacerdotes & calceos papyraceos.* Idem docet Plinius de Ægyptiorum ſacerdotibus *libro* XIX. *c.* I. *Nec ulla*, inquit, *ſunt eis* (loquitur de quibuſdam generibus lini & goſſypii) *candore molliti ave præferenda: veſtes inde ſacerdotibus Ægypti gratiſſimæ.* Sed de veſtitu ſacerdotum multa etiam habet Plutarchus quæſt. Rom. Seneca *Oed.* III. I. *Vates amictu corpus & frontem quatit.* Notus eſt *cinctus*

ctus gabinus : nam a veſtitu Sacerdotum originem trahit. De veſtibus Sacerdotum Romanorum, vide apud Feſtum, in Voce *pura*. Virgilium *Æneid. libro* XII. *verſ. Clxix.* & ad eundem locum Servium. Sed vix ullus reperitur auctor, qui non aliquid de veſtitu Sacerdotum habeat, & vix ullus de ſacrificiis & ſacerdotibus agit, qui non ſimul de veſtibus eorum mentionem faciat. Pleraque igitur ſacrificia apud eos non poterant rite fieri abſque veſtibus, ita ut non levior veſtimentorum quam ſacrificiorum ipſorum cura fuerit. Inſpiciantur nummi & marmora veterum, quæ ſacerdotum & ſacrificantium imagines exhibent, multo plures reperies veſtitos quam nudos. Ne vero lectorem multis teſtimoniis hic ſine cauſa onerem, remittam eum ad illa quæ deinde dicentur. Quicquid eſt, Hebræorum ſacerdotes, expreſſo Dei mandato, adſtrictos fuiſſe veſtibus quibuſdam amiciri, antequam ad ſacra properarent, ex verbo Dei clariſſime conſtat. De hiſce jam agere ſuſcepimus.

XI. Cæterum de origine veſtium ſacerdotalium apud Hebræos, non eſt quod ſolicite quæramus, quandoquidem initium ſumpſere cum ipſo ſacerdotio, uti videre eſt, Exodi XXVIII. Quum enim Deus populum ſuum electum, ſtrictioribus legibus a reliquis populis totius terrarum orbis, ſecernere ſtatuiſſet, ſacerdotium, & tabernaculum, & peculiaria quædam ſacrificia, & vaſa, & inſtrumenta varia, & ſacerdotes & ſacerdotum veſtes, & mirificum cerimoniarum choragium, & ſacrificandi ritus ſimul imperavit, totumque miniſterium certis quibuſdam locis, temporibus, familiis & perſonis aſtringi voluit. Quandoquidem vero omnia iſta, & Tabernaculum, & ſacrificia, & ipſi ſacerdotes ſignificationem rerum ſpiritualium & cæleſtium habuere, veſtes ſimul confici juſſit, quæ eadem ſignificarent; ut ita nihil in toto ſacerdotio reperirietur, quod non eſſet ſpirituale quid, & a rebus mundanis ſegregratum. Nam etſi ante cultum Moſaicum ſacrificia facta fuerint, a certis quibuſdam hominibus, veluti a Patribus familiarum, aut a primis genitis, nuſqnam tamen legimus eos veſtes ſacras geſtaſſe a reliquis diſtinctas, quemadmodum certo alicui loco aut tempori non fuerunt alligati. Sabbatha enim & novilunia & ejuſmodi multa alia, ut initium, ita & finem habuere cum Moſe. Fateor equidem, ut ſacrificia ſine vaſis & inſtrumentis fieri non potuere, ita etiam credibile eſſe, peculiaria quædam, tractu temporis, quamvis ſimpliciſſima, ut lignea & teſtacea, adhibita fuiſſe in Eccleſia patriarcharum, ante tempora Moſis;

atque

atque ita merito aliquem conjecturare poſſe, eoſdem etiam uſos fuiſſe veſtibus ſacris, a profanis, ſcilicet ab iis, quas vulgaris uſus ferebat, diſtinctis, quamvis tamen id hactenus probatum non ſit, nec facile probari poſſit. Sane tam neceſſario Hæbræorum magiſtri veſtes ſacerdotum, cum ipſo ſacerdotio jungunt, ut credant, ne Adamum quidem, Cainum, & Abelem ſine veſtibus ſacerdotum ſacrificaſſe. Docent igitur verpuli, primas illas veſtes, quas Deus Adamo fecit, fuiſſe veſtes ſacerdotales.

XII. Legimus cap. III. Geneſeos com. VII. primos parentes, lege Dei violata, nuditatem agnoviſſe, & ſtatim *conſutis foliis ficulneis ſubligacula ſibi confeciſſe.* Primæ ergo veſtes, quibus mortales unquam uſi ſunt, ex arborum foliis factæ erant, primoſque homines earum inventores atque textores fuiſſe conſtat; ita ut earum originem gentiles fruſtra quærant apud Pelaſgum, aut Mercurium, aut Minervam, aut Arachnem, ut Diodorus *lib.* V. Plinius, & alii. Sed cum hæc nihil ad rem veſtiariam ſacram faciant, de illis hic quæſtionem inſtituere non opus eſt. Ergo Deum ipſum auctorem veſtium credunt Hebræi, eaſque ex pellibus factas fuiſſe tradunt. Legimus enim Geneſ. III. com. XXII. *Fecit dominus Deus Adamo & uxori ejus tunicas pelliceas, quibus veſtivit eos.* Has veſtes ſacerdotales fuiſſe, auctor eſt Baal-Turim, ad hunc locum; quod duplici argumento (ſaltem ſuo more) conatur probare. Primo, quia Moſes eadem phraſi hic utitur ac Levitc. VIII. verſu. XIII. ubi de veſtibus Aaronis & ejus filiorum, nam in utroque loco reperitur verbum וילבישם כתנות *Et veſtivit eos tunicis.* Deinde, quia in hoc verſu XXII. ſcilicet Geneſ III. octo reperiuntur voces (quales ſunt ויעש יהוה אלהים לאדם ולאשתו כתנות עור וילבשם׃ ad indicandum octo veſtus ſacerdotum: octo enim ſunt numero, ut deinde patebit. Sed audiatur ipſe Baal-Turim: וילבישם inquit, שנים במס׳ הכ׳ ואידך גבי אהרן וילבישם כתנות מלמד ששה הקב״ה לאדם הדאשין בגדי כהונה ואיתא הבר שבהן היו עובדין הבכורות וח׳ תיבות בזה הפסוק כנגד שמונה בגדי כהונה׃ *Vox* ילבישם *bis reperitur in Scriptura: hic ſemel, & alibi, quando de Aarone dicitur:* & veſties eos tunicis. (*Levit. viii: xiii.*) *Inde diſcimus Deum Optimum Maximum Adamo, primo homini, feciſſe veſtes ſacerdotales. Docet quoque Bereſchit Rabba, quod primogeniti etiam in iis ſacra fecerint. Octo præterea voces reperiuntur in hoc verſu ad indicandum octo veſtes ſacerdotum.* Plura reperies apud *R. S. I.* & *aben Eſra*, & in *Bereſchit Rabba fol.* XXIV. *a.* unde

Baal - Turim & cæteri commentatores ſua deſumpſerunt. Sed quam ſint mirificæ omnes iſtæ interpretationes, & quam ridiculæ, & quid per pelles iſtas (quibus Deus primos parentes veſtivit) intelligendum ſit; utrum revera veſtes ſacerdotales fuerint, ex pellibus animalium & victimarum, quas Adam poſt peccatum mactavit, ad ſanciendum fœdus gratiæ, quod Deus cum eo pepigit poſt lapſum, uti fere in omnibus fœderibus fieri ſolet; an vero ideo Adam primus ſacerdos fuerit, cui pelles victimarum cedere ſolebant, prout id Deus poſtea expreſſa lege ſanxit Lev. vi. xxxi. atque an hanc ob rationem Deus eum pellibus victimarum illarum veſtire voluerit, ut ſacerdotem, & an ipſa Eva, uxor Adami, ſacerdos fuerit, & ſacerdotali veſte amicta, de hiſce omnibus, inquam, fuſius agemus infra, ubi de materia veſtium noſtrarum. Quicquid eſt, apparet Hebræorum ſaltem doctores in ea fuiſſe ſententia, Deum ipſum eſſe veſtium ſacerdotalium auctorem, primumque hominum ſacerdotem, & veſtibus ſacerdotum veſtitum fuiſſe. Utrum autem hoc verum ſit, an falſum, operoſe non diſputabimus. Et utrum primi geniti ante legem Moſaicam ejuſmodi veſtibus, uti Adamus, uſi fuerint in ſacris, ut *Bereſchit Rabba* & *Baal-Turim* citatis locis docent, an aliis quibuſdam peculiaribus ad hunc uſum deſtinatis ordinaria veſte, jam non diſquiro: cum hæc omnia a clara hominum cognitione ſint longe remotiſſima, nec quicquam certi de iis pronunciare poſſimis, nec de earum numero, materia, forma, figura & colore quicquam conſtet.

XIII. Ergo de veſtibus ſacris, prout a Moſe in deſerto Capite xxviii. Exodi, cum ipſo Tabernaculo, aut potius φορετῷ ἱερῷ *portatili illo templo*, ut Philonis verbis utar, (nam tabernaculum illud cum Templo poſtea a Salomone conſtructo, ſi formam & uſum ſpectes, unum idemque fuiſſe, certum eſt) & toto ſacerdotio ſimul præſcribuntur, quæſtio inſtitui debet. De hiſce igitur veſtibus acturi. Primum de iis quædam in genere commentabimur; deinde de ſingulis, ut & de earum uſu, typis & ſignificatione, quoque dicemus. Ante omnia vero de genere & numero veſtium, poſtea de materia, colore, textura, aliiſque rebus quamplurimis, quæ circa Rem veſtiariam ſacram examinandæ veniunt, agemus.

CA-

Caput, II.

DE GENERE ET NUMERO VESTIUM SACRARUM

Genera veſtium ſacrarum quot? Ioſephus emendatus. Pontificis M. veſtes aureæ. R. Levi Barſelonii & Seldeni error circa numerum veſtium aurearum. Veſtes aureæ cur ita dictæ? Quid בר *&* שש. *Cunæi, Scheringhami, Leusdenii & aliorum error. Pretium veſtium albarum. Linum peluſiacum & Indicum. Majmonides de* בר *&* שש. *Veſtes albæ. Cur ita dictæ? Balteus veſtium albarum. Duplices veſtes albæ, matutinæ & veſpertinæ. Utrum id de Tunica tantum intelligendum ſit, an de omnibus? Tunicæ Iſmaelis & Eleazaris. Veſtes albæ unico die tantum inſerviebant. Quædam de illarum uſu. Veſtes reliquorum ſacerdotum quot? Cur non dicantur aureæ? Leuſdenius notatus. Cur non dicantur albæ? Earum balteus coloratus. Pontificis, M. & reliquorum ſacerdotum veſtes diſtinctæ. Alter alterius induere non poterat. Numerus veſtium ſacerdotum. An novem? an duodecim? an ſedecim? Mitznephet & migbaoth. Octo fuiſſe tantum. Error Grotii de numero ſeptenario. Lex de octo veſtibus ubi extet? Aharon & ejus filii, qui? Nullum ſacerdotium ſine veſtibus ſacris. Conſecratio ſacerdotum, per oleum unctionis, & per veſtes ſacras.* מחוסר בגדים *Veſtibus Carens in Talmude quid?*

XIV. Veſtes ſacerdotum commode quidem diſtribui poſſunt, in tot genera, quot fuerunt ordines ſacerdotum. At duos tantum fuiſſe eorum ordines conſtat, Pontificem M: ſcil. & reliquos Sacerdotes. Ille ab Hebræis vocabatur כהן גדול *Cohen Gadol*. aut Chaldaice כהנא רבא *Chahana Rabba*, *Sacerdos Magnus*. Hi vero כהן הדיוט *Cohen hediot*, quaſi diceres ἱερεὺς ἰδιώτης. *Sacerdos Idiota*, paſſim apud auctores recenſiores, ſacerdos *vulgaris*, & ſacerdos *gregarius*, quod tamen cultior latinitas reſpuit. Chaldaice כהנא ut & Hebraice כהנים *ſacerdotes* tantum dicuntur. In tot genera etiam ſacerdotes & eorum veſtes deſtribuit Joſephus, *Antiquitatum libro* III. *cap.* VIII. γίνονται δὲ inquit, καὶ τοῖς ἱερεῦσιν στολαὶ, πᾶσι τε τοῖς ἄλλοις ἃς χαναίας καλοῦσι, καὶ δὴ καὶ τῷ ἀρχιερεῖ, ὃν ἀναραβάχην

 ϖρο-

ϖεϱσαγοϱϐῦσι. *Faciebant etiam veſtes, tam cæteris ſacerdotibus omnibus, quos Chanæas vocant, quam Pontifici M. quem dicunt Anarabachen.* Silentio hic non eſt prætereundum, ſacerdotes vocari a Joſepho χαναίας, & PontificemM. ἀναϱαϐάχην, ſed voces iſtas eſſe corruptiſſimas, quemadmodum ſunt fere omnes voces Hebrææ per totum illud caput, quibus veſtes ſacras vult deſignare, ut poſtea ad ſingulas voces oſtendemus, ubi eo deventum fuerit. Legendum igitur eſt pro χαναίας, χανάς, ſive χάανας a Chaldæo כהנא *Chabana ſacerdos.* Et pro Ἀναϱαϐάχη lege χαάνα ſive χάνα ῥαϐϐά, Chaldaice כהנא רבא *Chabana Rabba.* i. e. כהן גדול *ſacerdos magnus*, ſive *Pontifex.* M.

XV. Duo igitur ſunt genera ſacerdotum, & duo genera veſtium ſecundum Joſephum. Sed notandum hic eſt, ipſum Pontificem. M. duo genera veſtium habuiſſe. Primum ſcil. genus erant בגרי זהב *veſtes aureæ.* Alterum בגרי לבן *veſtes albæ*, ut ſi duo hæc genera Pontificis M. jungantur cum veſtibus, quæ omnibus ſacerdotibus ſunt communes, tria omnino genera veſtium habituri ſimus. Primum Pontificis M. *aureæ.* Secundum, veſtes S. Pontificis *albæ.* Tertium veſtes *omnibus ſacerdotibus communes.* Hanc diſtinctionem etiam uſurpavit doctiſſimus Maimonides in הלכות כלי המקדש *cap. VIII.* Sic enim ille: בגרי כהונה שלש מינים׃ בדגי כהן הדיוט׃ ובגדי זהב ובגדי לבן בגרי כהן חריוט הם ארבעה כלים כתנת ומכנסים ׃ומגבעוה ואבנט׃ וארבעתן של פשתן לבנים וחוטן כפול ששה והאבנט לבדו רקום בצמר׃ בגדי זהב הן בגדי כהן גדול והם שמנה כלים הארבעה של כל כהן ומעיל ואפוד וחושן וציץ ואבנטו של כהן גדול מעשה רוקם הוא והוא דומה במעשיו לאבנט כהן הדיוט ומצנפת האמורה באהרן היא המגבעות האמורה בבניו אלא שכהן גדול צונף בה כמו שלופף טל השבר ובניו צונפין בה ככובע ולפיכך נקראת מגבעות בגדי לבן הם ארבעה כלים שמשמש בהן כהן גדול ביום הכפורים׃ כתנת׃ ומכנסים ואבנט׃ ומצנפת׃ וארבעתן לבנים וחוטן כפל ששה ומן הפשתן לבדו הם׃ *Veſtium ſacerdotum tria ſunt genera. Veſtes omnibus ſacerdotibus communes Veſtes aureæ & veſtes albæ. veſtes omnibus ſacerdotibus communes, ſunt quatuor. Tunica, Bracchæ, Pileus & Balteus, quæ omnes ſunt ex lino albo, & filo ſextuplo contorto, balteus vero ſolus lana ornatus eſt opere phrygionico. Veſtes aureæ, ſunt veſtes Pontificis M. quarum ſunt octo: quatuor ſcilicet illæ ſacerdotibus omnibus communes, præterea tunica exterior, Ephod, pectorale & lamina. Balteus Pontificis M. etiam factus eſt opere phrygionico, balteo ſacerdotum reliquorum opere non abſimilis. Cidaris vero Aharonis, eſt inſtar pilei filiorum ejus, niſi quod Pontifex M. caput obnubat, quaſi quis membrum aliquod dif-fractum*

diffractum obvolveret. Et filii ejus eo caput obvolvunt inſtar galeæ, ideoque vocatur Migbaot. Veſtes albæ quatuor ſunt, quibus Pontifex Max. miniſterium peragit die expiationum: ſuntque tunica, brachæ, balteus, & cidaris. omnes vero albæ ſunt, filo ſextuplo contorto & ex lino tantum. Ecce tria genera veſtium ſacerdotalium. Duo genera veſtium Pontificis, M. veſtes aureæ, veſtes albæ, & unum genus ſacerdotum reliquorum. Sed de hiſce ſingulis, de quolibet nempe genere ſeorſum, plura.

XVI. Primi ergo generis veſtes, Pontificis Max, בגדי זהב *veſtes aureæ.* Hæ octo ſunt numero, uti modo ex Maimonide audivimus. *Feminalia, tunica, balteus, Cidaris, pallium, Ephod, pectorale & lamina.* Quatuor priores cum reliquis ſacerdotibus habuit communes, cæteræ Pontificem Max. ſolum ornabant. Hæ *veſtes aureæ* בגדי זהב vocantur, proculdubio propter quatuor iſtas veſtes, quas ſibi peculiares habebat Pontifex M. veluti מעיל אפוד חשן וציץ *Pallium, Ephod, pectorale & lamina.* quia vel ſolido auro conſtabant, ut *lamina*; vel aurum ſolidum appenſum habebant, ut *pallium* tintinnabula aurea, vel fila aurea intexta, ut *Ephod & pectorale.* Sed & ipſa cidaris aliquomodo aurea vocari poteſt, cum ob ornamentum Vittarum hiacynthinarum, tum ob auream laminam, quam etiam adnexam habebat. Tandem *aureæ* merito dici poſſunt, ob ingens pretium gemmarum, & aurearum catenularum in pectorali & Ephodi humeralibus. Ob quatuor ergo iſtas veſtes, quas S. pontifex ſolus geſtabat, reliquæ omnes aureæ vocabantur, prout ad hunc uſque diem inter nos nil familiarius, quam dicere: hic totus auro fulget, totus auro veſtitutus eſt, quamvis unica tantum veſte aurea ornatus ſit, veluti pallio aut toga cæteris veſtibus injecta, ut ſpectantium oculos perſtringat. At reliquæ veſtes quatuor *feminalia, tunica, balteus & Cidaris*, ſi ptoprie loqui velimus, neutiquam poſſunt dici aureæ. Hinc eſt, ut quidam auctores graviſſimi per veſtes aureas quatuor ſolummodo intellexerint: inter quos eſt eruditiſſimus Seldenus, libro II. de ſucceſſ. in Pontific. Hebræor. cap. VII. Diſtinguit enim veſtes ſacerdotales nobiſcum, aut potius cum Hebræorum magiſtris, in tria genera, *veſtes ſacerdotis gregarii,* (uti ipſe loquitur, id eſt, in veſtes omnibus ſacerdotibus communes) *in veſtes aureas; & veſtes albas.* Cuilibet generi quatuor veſtes tantum aſſignat. *Primi generis, inquit, quatuor fuere,* כתנת ומכנסים ומגבעות ואבנט *Tunica, Fœmoralia, pileus & Cingulum. Secundi* (ſcilicet veſtes aureæ) *item quatuor,* מעיל ואפוד וחשן וציץ *pal-*

lium

lium cui appenſa tintinnabula & mala punica, *Ephod ſeu Epomis* (*quo nomine tamen tunicæ ſacerdotum etiam & Levitarum interdum denotata, ut alibi monitum eſt*,) *Pectorale ſeu Rationale judicii, in quo ſanctiſſimum illud oraculum. & demum Lamina qua nomen tetragrammaton inſcriptum fronte eminebat*, &c. Ecce quatuor tantum recenſet veſtes aureas. In eadem ſententia fuerunt alii quoque inter verpulos, ut Doctor levi Barſelonius; præcepto XCIX. מצות לבישת בגדי כהנים diſtinguit enim veſtes lineas pontificis Max. Nam antequam agat de בגדי לבן *veſtibus albis* pontificis M. prius de ejus veſtibus loquitur, quibus per totum annum induitur, quas diſtinguit quaſi in duas ſpecies, nempe in *lineas*, quas cum reliquis ſacerdotibus communes habet; deinde in *aureas*, ſic enim ibi ſermocinari pergit: ועוד היו לו ארבעה אחרים של זהב ושמם חשן ואפוד מעיל ציץ id eſt: *Erant præterea quatuor alia aurea, quorum nomina ſunt: Pectorale, Ephod, pallium & Lamina.* Ergo quatuor tantum ſtatuit aureas; expreſſis enim verbis dicit: ארבעה אחרים של זהב *quatuor alia aurea.* Sed errat doctiſſimus Seldenus, cum omnibus Hebræorum magiſtris, a quibus deceptus eſt. Optimo jure ergo a doctiſſimo Scheringhamo ad *Maſſechet Ioma cap.* III. *pag.* *L*IV. & *Lv*. erroris redarguuntur. Nam etſi in quatuor iſtis pretioſis veſtimentis tantum, aurum reperiatur, nihilo minus tamen octo omnes aureæ vocantur. Exſertis enim verbis Maimonides, loco citato, octo numerat: ſic enim ille: בגדי זהב הן בגדי כהן גדול הם שמונה כלים *veſtes aureæ, ſunt veſtes Pontificis Max. & quidem octo.* Sed ne quis dubitet quæ nam ſint illæ octo, ſtatim addit: הארבעה של כל כהן ומעיל ואפוד וחשן וציץ *Quatuor ſcilicet omnibus ſacerdotibus communes, & præter has, Pallium Ephod, pectorale & lamina.* Sed per totum opus Talmudicum, quotieſcunque Pontifex Max. dicitur veſtes aureas induere, id ſemper intelligendum eſt de octo veſtibus, quas omnibus diebus totius anni induit, præter diem expiationum, quoties ingreditur *S.* Sanctorum. Videatur præſertim *codex* Ioma *cap.* III. & Torath Cohanim Paras. *Achare Moth cap. VI.* ubi ſexcenties fere reperies Pontificem Max. mutare veſtimenta aurea cum veſtimentis albis, & veſtimenta alba, cum veſtimentis aureis, ſed per aurea ſemper intelligunt omnes veſtes, quas per totum annum, excepto die expiationis in S. ſanctor. induere ſolebat, cum vero illæ octo fuerint, ſequitur omnes *aureas* vocatas fuiſſe. In eadem fuit ſententia doctiſſimus Cunæus, *de Republica Hebræorum libro* II. *cap.* I. ubi ſe mentem Rabinorum optime aſſecutum (uti ſolet) oſtendit. *Fuere*

autem

autem, inquit *hujus generis* (de *veſtibus aureis* loquitur) *indumenta octo, quibus e quatuor quidem erant communia pontifici cum cæteris ſacerdotibus.* כתנת ומכנסים ואבנט ומגבעות *tunica talaris, brachæ, balteus, & infula: quatuor autem propria pontificis erant.* מעיל ואפד וחשן וציץ *Pallium hyacintinum cum tintinnabulis & malis punicis; item amiculum humerale ſive Ephod; Tum pectorale ſive choſchen; & poſtremo lamina aurea, quæ infulæ apponebatur.*

XVII. Cæterum, ex iis quæ jam a nobis dicta ſunt, ſatis manifeſto apparet, qua de cauſa, veſtes illæ *aureæ* vocentur, nempe ob quatuor illas, quas nemini, præter Pontificem Max. veſtire licuit, *Pallium*, *Ephod*, *Pectorale*, & *Lamina*. Nam revera omnia iſta veſtimenta aurea erant. Nullum erat quod non ex ſolido auro conſtiterit, ut Lamina; aut qnod ſolidum aurum non habuerit appenſum, ut Pallium hyacinthinum tintinnabula aurea; aut intextum, ut Ephod & pectorale, quod ſuo loco clarius demonſtrabimus. Atque hanc ob cauſam, quia pontifex Max. ob quatuor iſtas veſtes totus *aureus* apparebat, omnes illius veſtes aureæ vocabantur. Sunt tamen qui credebant (& viri quidem doctiſſimi) veſtes Pontificis Max. *aureas* vocari, non tantum ob quatuor iſtas auro & gemmis ſplendentes, ſed etiam ob reliquas, quæ illi cum ſacerdotibus cæteris communes erant quales ſunt *bracchæ*, *tunica*, *balteus*, & *cidaris*, ob illarum pretium ſcilicet; putabant enim veſtes pontificis Max. quibus per totum annum veſtitus miniſtrabat, pretioſiores fuiſſe veſtib: albis, quas induebat die Expiationum: quamvis ex lino tantum fuerint, nec quicquam auri admixtum habuerint, tamen aureas vocari ob pretium, quia fuerunt ex שש quod *byſſum* interpretantur, cum veſtes albæ diei expiationum, & cæterorum ſacerdotum dicantur fuiſſe ex בד quod *linum* vulgare, & minus pretioſum fuiſſe exiſtimant.

XVIII. In hac ſententia doctiſſimus fuit Cunæus *de Repub. Hebræor. libro* II. *cap.* I. *Ea*, inquit, *Talmudici* בגדי זהב *veſtimenta aurea vocant, non hercule quod intextum omnibus aurum eſſet. ſed quod ornatiora eſſent.* Et paulo poſt: *Neque vero dicat aliquis, ex octo illis indumentis, priora quatuor videri eadem eſſe cum illis, quorum uſum ante diximus fuiſſe peculiarem in ſancto ſanctorum. Nam & ex precioſiore lino erant, quæ pontifex extra adytum gerebat, & balteus fuit opere phrygiano. Quæ manifeſte cernet, qui contulerit, quæ leguntur in Exodi capite viceſimo octavo, & quæ extant in Levitici capite decimo ſexto. Nam etſi linea ſint, quæ deſcribuntur utrobique, tamen* בד *vulgare*

linum eſt, cum שש *byſſus exquiſitiſſimi generis ſit.* Doctiſſimus Cunæus videtur etiam alios auctores, minime vulgares, decepiſſe, ut Scheringhamum, Leuſdenium *Philol. Heb. pag.* 179. 180. alioſque. Sic enim Scheringham *ad cap.* III. *Jomæ pag.* LV. *Octo autem veſtes iſtæ dicuntur aureæ, non quod ſingulis aurum intextum erat ſed quod cæteris ornatiores & ſplendidiores fuerint.* Sed, pace doctiſſimorum virorum dictum ſit, hi omnes errarunt errorem ſatis craſſum. Nam illas veſtes, quæ aureæ vocantur, & tamen nihil auri admixtum habebant, *cæteris ornatiores & ſplendidiores* fuiſſe nondum probatum eſt. Nec ſcio cur doctiſſimus Cunæus dicat loco citato, veſtes quas pontifex Max. extra adytum gerebat ex pretioſiore lino fuiſſe, quam veſtes albæ, cum contrarium ſit veriſſimum. Nam ſi magiſtris Hebræorum ſtandum eſt, (nec rationem video cur ab eorum ſententia recedamus) adeo verum eſt, veſtes albas diei Expiationum, ex pretioſiore lino fuiſſe, quam linum cæterarum veſtium extra adytum, quam quod eſt veriſſimum. Docent enim doctores Miſnici *Maſſechet Joma cap.* III. *halacha* VII. veſtes albas conſtitiſſe ex lino *Peluſiaco* & *Indico*, quo pretioſius nullum reperitur. Addunt etiam doctores, veſtes albas, quas Pontifex Max. mane induebat, valuiſſe octodecim, veſpere vero duodecim minas, quod pretium etiam in immenſum augent doctores Gemarici, ita quidem, ut pretioſius fuiſſe linum, minime credendum ſit. Sed nil omnino probant, eo quod linum veſtium albarum dicatur בד alterum vero שש, Non enim בד ſemper *linum vulgare* ſignificat, nec שש *byſſum exquiſitiſſimi generis*, uti ſermocinatur doctiſſimus Cunæus, utrumque enim byſſum ſubtiliſſimam ſignificat, ut vel ex ſolo Maimonide conſtat, *Hilch. Kele Hammikdaſch. cap.* VIII. *ſectione* XIII. כל מקום שנאמר בתורה שש או בד הוא הפשתים והוא הבוץ. *Ubicunque in lege dicitur* שש *aut* בד *linum ſignificatur & quidem byſſus.* Ergo nulla differentia eſt inter utrumque. Sed de omnibus clarius & fuſius differemus infra, ubi de materia veſtium.

XIX. Hæc jam ſufficiant ad probandum, veſtes illas *aureas* vocari, non ob ornatum aut pretium lini, ſed propter aurum ſolummodo & pretium gemmarum, & alia ornamenta, ſi quid, præter aurum & gemmas, illarum pretium augere poteſt. Et ſane R. S. I. ad Levitic. cap. XVI. videtur innuere, veſtes aureas, non aliam ob cauſam ita dici, niſi שיש בהן זהב *quia illis aurum inerat*, nempe in quibuſdam ex octo illis, quod ſupra jam oſtendimus: Ideo.

Ideoque veſtes albas diei expiationis Joſephus *libro* VI. *de bello Iudaico cap.*XV. ἐσθῆτα λιτοτέραν (ubi male in Genevenſi editione λιθοτέραν) *veſtem ſimpliciorem* vocat. Manifeſtum igitur jam eſt, cur *aureæ veſtes* illæ vocatæ fuerint, & quot numero. Octo ſcilicet: *Feminalia, tunica interior, balteus, & cidaris*, quas cum reliquis ſacerdotibus communes habuit, præterea *Tunica exterior* ſive *pallium*, *Ephod*, *Pectorale & Lamina aurea*. Hebræis מכנסים׳ כתונת׳ אבנט׳ ומצנפת׳ מעיל׳ אפוד׳ חשן׳ וציץ. Has autem veſtes omnes induere debebat Pontifex Max. per totum annum, nec poterat officio ſuo fungi, ſi vel unica defeciſſet, excepto x. Tiſri, magno die piaculari, quum adytum intrabat.

XX. Veſtes ſecundi generis, ſunt בגדי לבן *veſtes albæ*. Hæ ſunt quatuor tantum numero, tot veſtes gerere ſolebat tota ſacerdotum turba: מכנסים׳ כתונת׳ אבנט׳ ומצנפת: *Feminalia tunica, Balteus & Cidaris*. Hæ veſtes לבן *albæ* vocantur, quia revera albæ erant, ſcilicet ex lino albiſſimo ſimul & tenuiſſimo. Et quamvis veſtes omnium ſacerdotum etiam albæ fuerint, & ex lino albo, ac ſatis tenui, nihilominus *albæ* non vocantur. Sed quotieſcunque magiſtri in Talmude & alibi loquuntur de בגדי לבן *veſtibus albis*, ſemper intelligendæ ſunt veſtes pontificis Max. diei piacularis, non vero veſtes univerſi ordinis. *Albæ* igitur vocantur, quia revera albæ ſunt, ex lino albo. *Albæ* reſpectu cæterarum veſtium Pontificis Max. quæ זהב *aureæ* vocabantur, & propter aurum & colores, albæ minime vocari poterant. Denique *albæ* vocabantur etiam, ſi quis eas contulerit cum ipſis veſtibus lineis Summi pontificis, quas per totum annum gerebat, & quas aureis etiam adnumerant, quamvis nihil auri eis infuerit, & cum veſtibus ſacerdotum turbæ. Multo enim erant illis puriores, vel propter ſolum balteum; nam in omnibus veſtibus ſacerdotalibus, cum S. pontificis, tum toti ordini communibus, balteus ſemper acupictus erat, & duplicis materiæ, ex lino & lana. Sed in veſtibus לבן *albis* Summi pontificis nulla erat omnino lana; nam ex lino tantum conſtabant, & ipſe quidem balteus, ut clarius oſtendemus infra, quando de materia harum veſtium diſſeremus.

XXI. Notantum etiam eſt, Pontificem Max. die expiationum, quum adytum intrabat, duplici veſtimento uſum fuiſſe. Aliis enim veſtibus mane induebatur, aliis vero veſperi, aliæ etiam aliis pretioſiores fuere; matutinæ dicuntur valuiſſe octo minas, veſpertinæ

 vero

vero duodecim, ut docet codex *Ioma cap.* III. *halacha* VII. ubi etiam animadvertendum eſt, miſnicos doctores loqui tantum de veſtibus in genere, ita ut merito inde quis concludere poſſit, omnes veſtes albas eum duplices habuiſſe, id eſt, duas *tunicas*, duo *Feminalia*, duos *balteos*, & duas *Cidares*: בשחר, inquit, היה לובש פלוסין של שנים עשר מנה ובין הערביים הנדויין של שמנה מאות זוז דברי רבי מאיר וחכמים אומרים בשחר היה לובש של שמנה עשר מנה ובין הערביים של שנים עשר מנה הכל שלשים מנה אלו משל צבור ואם רצה להוסיף מוסיף משלו׃ *Mane induebatur Peluſiacis* (veſtibus, nam in præcedenti halacha de בגדי לבן veſtibus albis locutus erat) *quæ duodecim minas. & veſperi Indicis, quæ octingentas dragmas valebant, auctore doctore Meir: ſed ſapientes dicunt, mane induebatur Veſtibus quæ octodecim, & veſperi quæ duodecim minas valebant. tota ſumma triginta minarum erat, quæ populo irogabatur. Si vero quid addere volebat Pontifex Max. de ſuo addebat.* Apparet ergo alias veſtes Summum pontificem habuiſſe mane, alias veſperi, quum adytum ingrediebatur. Sed utrum omnes & ſingulas quatuor iſtas veſtes veſperi mutaverit, an vero tunicam tantum, miſna non exprimit. Maimonides videtur id intelligere de *Tunica* כתונה ac ſi duos tantum habuiſſet tunicas, aliam mane, aliam veſperi, non vero duas *brachas*, duos *balteos*, & duos *pileos*. Sic enim in *Hilch*: *Kele Hammikdaſch cap.* VIII. שתי כתונות אחרות היו לו לכהן גדול ביום הכפורים׃ אחת לובשה בשחר ואחת בין הערביים׃ ושתיהם בשלשים מנה משל הקדש ואם רצה להוסיף משלו ומקדיש התוספת וגו *Duas alias tunicas habuit Summus Pontifex die Expiationnm. Alteram induebat mane, alteram vero veſperi; ambæ autem triginta minas valebant, quod de ſanctuario ſumebatur; ſi vero quid addere volebat, de ſuo addebat* &c. Hæc ex Miſna modo allegata deſumpta eſſe vides. Vides etiam eam duarum *tunicarum* mentionem facere. De duabus *brachis*, duobus *balteis*, duabus *cidaribus* ne verbulum quidem. Fortaſſis Maimonides auctoritate Gemaræ motus hoc de tunica tantum intellexit. Nam illi de *tunica* pretioſa etiam loquuntur, nulla mentione facta de cæteris veſtibus. Solas enim tunicas Iſmaëlis & Eleazaris, quas matres illorum eis faciebant, multo majoris exiſtimabantur, quam octo aut duodecim minarum, ut poſtea fuſius de hiſce agemus, ubi de pretio veſtium ſacrarum. Haſce veſtes albas non niſi ſemel veſtiebat Summus Pontifex, uno ſcilicet die expia-

expiationum. Expiatione autem facta, deponebatur, nec unquam poſtea eas induebat denuo, quemadmodum veſtes aureas eaſdem quotidie reſumebat, uti ſuas etiam ipſi ſacerdotes reliqui. Nec ulli alii uſui inſerviebant, ut cætera veſtimenta trita, quemadmodum id de ſingulis ſuo loco oſtendemus.

XXII. De uſu harum veſtium jam non multa commentabor, donec deventum fuerit ad caput de Uſu Sacerdotum habitus. Lectorem nunc tantum monitum velim, Pontificem Max. haſce veſtes induiſſe die Piaculari, nempe decimo Tiſri, quem vocant יומא id eſt *diem.* Ita dictus eſt hic dies excellentiore ſignificatu, quia erat dies ſane ſingularis inter Hebræos; vel etiam הכפורים *dies expiationum*, ſcilicet quando Pontifex Maximus ſacra adyta intrabat, (Hebræis *Sancta Sanctorum*) ut ſua populique peccata, per totum annum commiſſa, expiaret: nefas enim erat in adyto coram Deo ſeſe ſiſtere aliis veſtimentis, quam hiſce albis, uti videre eſt Levit. cap. XVI. Hæc petractant Talmudici doctores, per totum codicem quem vocant *Ioma*, præcipue cap. III. quæ omnia paucis egregie comprehendit doctiſſimus Maimonides, *Hilchot Kele Hàmmikdaſch*, *cap.* VIII. בגדי לבן הם ארבעה כלים ששמש בהם כהן גדול ביום הכפורים כתנת׳ ומכנסים׳ ואבנט׳ ומצנפת וארבעתן לבנים וחוטן כפול ששה ומן הפשתן לבדו הם *veſtes albæ ſunt quatuor, quibus miniſterium peragit Pontifex Max. die expiationum, Tunica, feminalia, balteus & cidaris. Et omnes quatuor albæ ſunt, filo ſextuplo contorto, & ex lino tantum.*

XXIII. Tertii generis veſtes ſunt, veſtes totius ſacri ordinis, בגדי כהן הדיוט ut verpuli noſtri loquuntur. Hæ fuerunt etiam quatuor, totidem quot fuerunt veſtes albæ Pontificis Max. fere ejuſdem nominis ac formæ, ſcilicet מכנסים · כתונה · אבנט · ומגבעות *Feminalia, tunica, balteus, & pileus.* Sic enim Majmonides *Kele Hammikdaſch. cap.* VIII. בגדי כהן הדיוט הם ארבעה כלים׳ כתנת׳ ומכנסים ומגבעות ואבנט׳ *veſtes ſacerdotibus communes ſunt quatuor: Tunica, Feminalia, Pileus & balteus.* Hæc deſumpta ſunt ex codice *Ioma cap.* VII. *Halach.* V. כהן גדול משמש בשמנה כלים וההדיוט בארבעה בכתנות ומכנסים ומצנפת ואבנט *Pontifex Max. operabatur in octo veſtibus, ſed reliqui ſacerdotes in quatuor, ſcilicet in Tunica, feminalibus, Pileo & balteo.* Hæ veſtes non dicuntur *aureæ*, ut Pontificis M. quia nihil omnino auri intextum habebant; multo minus ex auro ſolido conſtabant,

bant, vel ſolidi auri quicquam appenſum habebant; fuerunt enim ארבעתן של פשתן לבנים *omnes quatuor ex lino, & alba.* ut ait Majmon. citato loco; adeo ut capere non poſſim, quid velit doctiſſimus Leuſdenus, apud Ultrajectinos Hebrææ Linguæ Profeſſor, in ſuo *Philologo Hebræo-mixto pag.* clxxx. ubi veſtes illas *aureas* vocat. *gregarii ſacerdotes*, inquit, *quatuor veſtibus aureis (uti ſupra eas deſcripſimus) munus ſuum obierunt.* Sed nec בגדי לבן *veſtes albæ* dici poterant, ut veſtes Pontificis Max. die expiationum; nam etſi ex *albo lino* factæ fuerint, ut ſacra Scriptura & Hebræorum magiſtri docent, quemadmodum modo ex Majmonide audivimus, & clarius infra demonſtrabimus, quando de materia & colore dicendum erit, nihilo minus tamen balteus ex ſolo lino non conſtabat, ſed ex lana & lino ſimul; erat enim שעטנז ſive כלאים non unius materiæ, nec albus erat; ſed variis coloribus atque figuris opere polymito, inſtar ſerpentis exuviarum variegatus, teſte Joſepho *Antiq. libro* iii. *cap.* viii. Ἄνθη, inquit de balteo loquens, δ' εἰς ἀυτὸν ἐνύφανται φοίνικι καὶ πορφύρᾳ μετὰ ὑακίνθου καὶ βύσσου πεποικιλμένα. *Floribus etiam ornatur, punicis, purpureis, hyacinthinis & byſſinis:* Hoc ipſum eſt quod vult Majm. loco toties jam laudato: והאבנט לבדו רקום בצמר *Et balteus ſolus lana acupictus eſt*, ſive *opere phrygionico ornatus.* Ex Joſepho fere eadem deſcripſit Magnus *Hieronymus*, de veſtitu ſacerdotum, ſive in *Epiſtola ad Fabiolam. Textum eſt autem*, inquit, *cingulum hoc ſubtemine* (male in editione Froben. ſubtegmine) *cocci, purpuræ, hyacinthi, & ſtamine byſſino, ob decorem & fortitudinem: atque ita polymita arte diſtinctum, ut diverſos flores ac gemmas artificis manu non textas, ſed additas arbitreris.* Balteus igitur non erat albus ut cæteræ ſacerdotum veſtes, aut etiam S. Pontificis diei Expiationum, ſed coloratus variis coloribus. Ideo vel ob ſolum balteum, ſacerdotum veſtes לבן *albæ*, ut pontificis Max. quibus intus adminiſtrabat, vocari non poterant; nec *aureæ*, quia nihil auri habebant intextum nec appenſum.

XXIV. Habuit ergo veſtes ſuas diſtinctas Pontifex Max. a veſtibus reliquorum ſacerdotum, ita ut alter alterius veſtes induere non potuerit, ſine piaculo. Et ſi forte accidiſſet, ut Pontifex Max. operatus fuiſſet veſtibus cæterorum ſacerdotum, aut ſacerdos veſtibus Pontificis, Max. ſacrificium illegitimum fuiſſet. Sed de hiſce quoque poſtea. Pontifex Max. ergo ſuas habuit veſtes, & Sacerdos totius ordinis ſibi ſuas. כהן גדול שלבש בגדי כהן הדיוט ועבד עבודתו פסולה׃

פסולה׃ כהן הדיוט שלבש בגדי כהן גדול ועבד עבודתו פסולה *Si Pontifex M. indueret veſtes ſacerdotibus reliquis communes, ut in iis miniſterium perageret, miniſterium ejus illegitimum eſſet. Sacerdos, ſi indueret veſtes Pontificis Maximi ut in iis miniſterium præſtaret, miniſterium ejus illegitimum eſſet.* Vide *Gemaram Babylon. ad Maſſechet Sevachim capit.* II. *fol.* XVIII. Sic etiam *Majmonides Hilch. Kele Hammikd. cap.* x. *ſect.* v. כהן הדיוט שלבש בגדי כהן גדול ועבד הרי זה מחלל העבודה וחיב מיתה בידי השמים *Si Sacerdos ſeſe veſtiret veſtibus Pontificis Max. & in iis operaretur, ecce ille miniſterium profanaret, & dignus eſſet, quem Deus morte puniret.*

XXV. Ex hiſce quilibet facili negótio colligere poterit, quot fuerint veſtes ſacerdotum? *octo* ſcilicet. Verum eſt, ſi nomina ſpectemus, poſſe alicui dubium remanere, an non fuerint novem, immo annon etiam plures. Nam quod nomina attinet, Novem reperiemus Exodi cap. XXVIII. ubi ſacra hæc lex veſtaria extat. Scilicet præter חשן ׳אפוד ׳מעיל ׳ציץ ׳אבנט ׳כתונה ׳ומכנסים *Pectorale, Ephod, Pallium, Laminam, balteum, tunicam & feminalia*, quæ ſunt numero ſeptem. Præterea duarum veſtium fit mentio מצנפת *Cidaris* S. pontificis & מגבעות *pilei* ſacerdotum reliquorum tegumentum erat quamvis nomine & forma diverſum, Itaque hæc duo capitis tegumenta cæteris ſeptem juncta conficiunt *novem*. ſed quia utrumque capitis ut unica tantum veſtis conſiderantur. Quid? Si reſpiciamus ad octo veſtes S. Pontificis, jam ſæpius enumeratas, quas extra adytum induebat, & ad quatuor albas, quibus intus miniſterium præſtabat, *duodecim* Pontificis M. habebimus. Et ſi hiſce jungas quatuor veſtes Sacerdotum univerſi ordinis, *ſedecim* minimum reperies. Eo magis diverſæ veſtes videntur, quoniam illæ pontificis M. hæ vero reliquorum Sacerdotum fuere. Immo ipſius S. Pontificis diverſæ dici poſſunt, pro vario uſu, quia *aureæ* per totum quidem annum inſerviebant, *albæ* vero die piaculiari tantum. Et ſane quandoquidem veſtes illæ omnes genere differunt, non mirum eſſet, ſi quis diceret eas, etiam differre numero. Sed triobolari Logico has diſtinctiones & ſubtilitates excutiendas relinquimus; nihil enim ad noſtrum inſtitutum faciunt: nam quotcunque ſint genera veſtium, quæcunque nomina ſortiantur, & cuicunque uſui deſtinentur, certiſſimum eſt, Pontificem M. nunquam plures quam octo ſimul induiſſe, & ſacerdotes reliquos non plures quam quatuor, & quia omnes

omnes iſtæ veſtes conveniebant, nomine & forma, exceptis ſolis מצנפת ומגבעות *Cidare & pileo*, & quia eaſdem corporis partes tegebant, tam in ſacerdotibus reliquis, quam in Pontifice Max. tam intus, quam extra adytum, optime omnes octo hiſce nominibus comprehenduntur, ideoque optimo jure octo fuiſſe veſtes dicitur. Hinc tritiſſimum illud Talmudicum בגדי כהן גדול הם שמנה בגדי כהן הדיוט ארבעה *veſtes S. Pontificis ſunt octo, & veſtes ſacerdotum reliquorum quatuor.* Sed audiamus Miſnam *Maſſechet Ioma cap.* VII.

כהן גדול משמש בשמנה כלים וההדיוט בארבע בכתונת ומכנסים ומצנפת ואבנט מוסיף עליו כהן גדול חשן ואפוד ומעיל וציץ *Pontifex Maxime operabatur in octo veſtibus, at ſacerdotes reliqui in quatuor; ſcilicet in Tunica, feminalibus, Cidari & balteo, Pontifex Max. hiſce addebat pectorale, Ephod, pallium & Laminam.* Eadem jam audivimus ex *Maimonide Kele Hammikd. cap.* VIII. Sed martius lucus apud Romanos non notior eſt, quam hæc traditio apud Hebræos. Sane *Ioſephus Antiq. libro* III. *cap.* VIII. ubi quædam tractat de ueſtitu Sacerdotum, omnes has octo nominatim recenſet & deſcribit. Idem etiam facit ejus imitator in hac materia *Hieronymus, in Epiſtola ad Fabiolam.* Neſcio igitur quid moverit doctiſſimum Grotium, ad Exodi cap. XXVIII. IV. ut a receptiſſima omnium Hebræorum & Chriſtianorum opinione recedere atque ſtatuere voluerit Pontificis M. veſtes ſeptem tantummodo fuiſſe etiamſi laminam annumeres. Sic enim ille: *Septem veſtimenta, ſi laminam annumeres, pro ſeptem lychnis. Duodecim gemmæ pro duodecim panibus. Cum his autem ornamentis Pontifex ille non procedebat extra urbem, niſi in graviſſimo periculo, ut Alexandri Macedonis temporibus.* Enimuero *ſeptem ſuis lychnis* nihil probabit, nec multum lucis opinioni ſuæ affundet: de veſtium vero ſacrarum ſignificatione, poſtea ſuo loco.

XXVI. Octo illæ veſtes omnes præſcribuntur expreſſa lege Dei per Moſen lata, Exodi cap. XXVIII. hoc quidem ordine: poſt legem hanc generalem verſu II. *Et facies veſtes ſacras Aaroni fratri tuo, ad gloriam & ornamentum. Quapropter tu edicito omnibus peritis artificibus, quorum animum ſpiritu ſapientiæ replevero, ut faciant veſtes Aharonis, ad conſecrandum eum, quo ſacerdotio fungatur mihi.* Et paucis præfloratis de præcipuis veſtibus, & de majore parte, commate IV. hoc inquam ordine ſingulæ præſcribuntur. Primo אפוד *Ephod* verſu VI. *Primum facturi ſunt amiculum*

illud

illud ex auro, hyacinthino, & purpura, & coccino, & lino internexo opere artificioſiſſimo, & quæ ſequuntur uſque ad Comma xv. Secundo חשן ſive *Pectorale* Commate xv. *Item facies pectorale judicii opere artificioſiſſimo, ſicut opus Ephodi facies illud. Ex auro hyacintho, & pur pura, & coccino, & lino internexo facies illud &c.* uſque ad Comma xxxi. Tertio מעיל *Pallium*, verſu xxxi. *Facies pallium ipſius amiculi totum hyacinthinum &c. uſque ad* Comma xxxvi. Quarto ציץ *Aurea lamina* Commate xxxvi. *Facies laminam ex auro puro: & inſculpes ei ſculpturam ſigilli* SANCTITAS DOMINI. &c. uſque ad Comma xxxix. Quinto כתונת *Tunica.* Sexto מצנפת *Cidaris.* Septimo אבנט *ballteus.* Comma. xxxix. *Iaculatam facies tunicam ex lino, facieſque cidarim ex lino: & balteum facies opere phrygionico.* Octavo: מכנסים *feminalia* Comma xlii. *Fac quoque eis feminalia linea ad tegendum carnem nudam, a lumbis uſque ad femina ſunto.* Ergo octo illæ veſtes omnes, nec plures nec pauciores, lege Dei jubentur Sed ipſa diſtinctio etiam inter veſtes S. Pontificis & ſacerdotum alterius ordinis, eodem capite fundata eſt. De Pontificis M. veſtibus intelligendum eſt, quidquid de ſeptem prioribus dictum eſt, a Commate quarto uſque ad trigeſimum nonum. Aharon enim ſolus dicitur eos veſtire. Jam vero Aharonem Pontificem M. fuiſſe, & quoties fit mentio de ejus filiis, intelligendum eſſe ſacerdotes reliquos, in confeſſo eſt. Ergo habes ſeptem veſtes pro S. Pontifice tantum. *Ephod, Pectorale, Pallium, Laminam, Tunicam, Cidarim & balteum.* Sed ut hæ veſtes factæ dicuntur pro Aharone ſive Pontifice Max. ſic etiam jubetur Aharon cum filiis ſuis, id eſt, cum ſacerdotum turba ut indueret *feminalia* Comma xlii. F*ac quoque eis feminalia linea ad tegendam carnem nuditatis, a lumbis uſque ad femina.* Jam vero ſi feminalia addas cæteris veſtimentis ſeptem, habebis octo. Atque hæ ſunt illæ veſtes ſummi Pontificis toties decantatæ apud Hebræorum doctores. בגדי כהן גדול שמנה *veſtes S. Pontificis ſunt octo*, ſexcenties in Talmude occurrit. Sacerdotes quatuor tantum habuiſſe veſtes, nec plures nec pauciores, eodem quoque capite nititur. Primo כתונת *Tunica.* Secundo אבנט *balteus.* Tertio מגבעות *Pileus* præſcribitur Commate xl. *Filiis autem Aharonis* (filius Aharonis ſacerdotum turbam ſignificaſſe, jam indicavimus) *facies tunicas, & balteos & pileos, ad gloriam & ad ornatum.* Ergo tres jam habemus veſtes pro ſacerdotibus, *Tunicam, Balteum,* & *Pileum.* Jam vero hiſce jungunda ſunt *feminalia*:

cum tam ſacerdotes reliqui, quam Pontifex M. jubeantur feminalia induere, quod jam diximus, quod clare conſtat ex verſibus XLII. & XLIII. Igitur quatatuor veſtes habemus deſtinatas ſacerdotibus: id etiam toties ab Hebræorum magiſtris repetitur. בגדי כהן הדיוט ארבעה *veſtes Sacerdotum ſunt quatuor.*

XXVII. Omnia hæc veſtimenta adeo neceſſaria fuere Hebræorum ſacerdotibus, ut abſque illis ſacerdotio fungi nemini licuerit. Immo ne ſacerdotes quidem reputabantur, ſed ut Laici habebantur, quamdiu veſtibus ſacris carebant. Hinc tritiſſimum illud Talmudicum בזמן שבגדיהן עליהן כהונתם עליהן אין בגדיהן עליהן אין כהונתם עליהם. *Quamdiu veſtibus ſuis veſtiti ſunt, ſacerdotes reputantur, quamdiu vero veſtibus carent, pro ſacerdotibus non habentur.* Vide Maſſechet *Sevachim cap.* II. in Gamara. fol. XVII. Hæc eadem ex hac Gemara deſcripſit Maimonides *Kele Hammikd. c.* X. *halacha* IV.

בזמן שבגדיהן עליהן כהונתם עליהן׃ אין בגדיהן עליהן אין כהונתם עליהן אלא הרי הם כזרים ונאמר והזר הקרב יומת׃ *Quo tempore Veſtibus ſuis induti ſunt ſacerdotium eorum ſuper illos eſt, ſed quo tempore Veſtibus non ſunt induti, Sacerdotium eorum non eſt ſuper illos. Sed ecce ſunt inſtar laicorum, dictum etiam eſt: laicus qui appropinquaverit, morietur.* Ergo Sacerdotibus non magis permittebatur ſacerdotio fungi, abſque veſtimentis ſacris, quam laicis, immo mortis, tam illi quam hi, rei fuerunt coràm Deo. Eadem iiſdemque verbis docet *Mikotzius, præcept. affirmat.* CCLXXIII. *fol.* CCXII. Verba ejus, cum ſint eadem quæ Maimonidæ, recenſere ſuperſedeo. Hinc etiam factum eſt, ut Pontifex M. ſub templo ſecundo, alio ritu non fuerit initiatus, quam octo illis Veſtibus indutus. Notum enim eſt, eum ſub primo Templo ungi ſolitum fuiſſe, quum primum ad munus Summi Pontificis reciperetur, ſecundum expreſſam legem Dei, Exodi c. XXIX. com. VIII. *Et accipies oleum unctionis & fundes ſuper caput ejus, ſic unxeris eum.* Ideo etiam כהן המשיח *Sacerdos unctus* vocabatur. Jam vero nemo neſcit, *oleum unctionis* quoq; defeciſſe ſub Templo ſecundo: Sic enim Gemara Hieroſolymitana *Maſſechet Maccoth. fol.* XXXII. *col.* I.

אלו ה׳ דברים שחסר מקדש אחרון ממקדש ראשון ואילו הן אש׳ ארון׃ אורים ותומים׃ שמן המשחה׃ ורוח הקודש׃ *Quinque res defuerunt in Templo ſecundo, quæ fuere in templo primo: ſcilicet Ignis, Arca, Vrim & Thumim, Oleum unctionis, & ſpiritus ſanctus.* Idem etiam traditur, Gemara Hieroſ. *Horajioth Cap.* III. *fol.* XLV. *col.* III. ubi oleum illud

vocatu

vocatur שמן הקודש *oleum ſanctum*, niſi legendum ſit שֶׁמֶן המשחה *Oleum unctionis*, cum doctiſſimo Seldeno, de *Succeſſione in Pont Hebr. Cap* IX. Cum ergo ſub ſecundo Templo oleum unctionis de fuerit, ſacerdoteſque eo ungi & initiari amplius non potuerint, ſolis octo Illis veſtimentis ſummi Pontifices initiari ſolebant. Ita ut Veſtes Pontificis M. induere, fuerit Pontificem Max. creari. Sic docet Maimonides *Hilch: Kele Hammikd. Cap.* I. *Halach.* VIII.

בבית שני שלא היה שם שמן המשחה היה כהן גדול מתרבה בלבישת בגדים· בלבד שהיה לובש בגדי כהונה גדולה: *Sub Templo ſecundo, quia nullum erat oleum unctionis, Pontifex M. initiabatur amictu veſtium; modo veſtiretur veſtibus ſummi ſacerdotii.* Sed hæc clarius exponit *cap.* IV. *Halacha* XII. מושחין אותו בשמן המשחה· ומלבישין אותו בגדי כתונה גדולה שנא׳ והכהן הגדול מאחיו אשר יוצק וגו׳· ואם אין שם שמן המשחה מרבין אותו בבגדי כהונה גדולה בלבד שנא׳ אשר יוצק על ראשו שמן המשחה ומלא את ידו ללבוש את הבגדים· כשם שמתרבה בשמן המשחה כך מתרבה בבגדים· כ׳צד מרבין אותו בבגדים· לובש שמנה בגדים ופושטן וחוזר ולובשן למחר שבעת ימים יום אחר יום שנא׳ ושבעה ימים ילבשם הכהן תחתיו מבניו ·וכשם שרבוי בגדים שבעה כך משיחה בשמן שבעה ויום אחר ואם עבד קודם שיתרבה כבגדים כל שבעה· או קודם שימשח כל שבעה עבודתו כשירה· הואיל ונתרבי או נמשח פעם אחת נעשה כהן גדול לכל דבר: *Ungunt eum*, (Pontificem M. de quo ſermo) *oleo unctionis, & veſtiunt eum veſtibus ſummi ſacerdotii, quia dicitur* (Levit. XXI. X.) Sacerdos Magnus ex fratribus ſuis unctus, &c. *Sed ſi non adſit oleum unctionis, initiantur Veſtibus ſacerdotii ſummi tantum: quia dicitur* (Levit. XXI. X.) Cujus capiti infuſum eſt oleum unctionis, & conſecravit miniſterium ejus Veſtibus. *Quemadmodum initiantur oleo unctionis, ſic etiam initiantur Veſtibus. Sed quomodo initiant eos Veſtibus? Induit octo veſtes, deinde Veſtibus eum denudant, ille iterum induit mane. ſeptem continuis diebus quia dicitur* (Exodi XXIX. XXX.) Septem dies induet eos ſacerdos ex filiis ejus pro eo. *Et quemadmodum Veſtibus ſepties initiatur, ſic unctio olei fit ſeptem diebus conſecuturis. Si tamen miniſterium præſtitiſſet antequam ſepties Veſtibus initiatus fuiſſet, aut antequam ſepties unctus fuiſſet, miniſterium nihilominus legitimum fuiſſet. Nam etſi ſemel tantum Veſtibus conſecratus fuiſſet, aut ſemel tantum unctus, eſſet, tamen ſacerdos M. creatus.* Patet ex locis illis quæ allegavit Maimonides in hac *halacha*, veluti ex Levit. XXI. & XXIX. & Exodi XXIX. aliiſque, Pontificem S. in ſacerdotium ſummum

conſecratum fuiſſe, oleo unctionis & Veſtibus, ex lege Moſaica. Sed cum hoc oleum ſub Templo ſecundo defecerit, id factum fuiſſe ſolo veſtitu.

XXVIII. Ad hæc optime jam obſervavit Eruditiſſimus Seldenus, *de Succeſſ. in Pontif.* inde factum eſſe, quod Jonathan Haſmonæus Pontifex M. deſignatus, Pontificalem ſtolam induerit feſto Tabernaculorum, conſecrationis, ſcilicet ſuo ritu uſus; ut videre eſt apud Joſephum libro XIII. cap. V. & I Maccab. X. XXI. Et cum Agrippa Rex Summum Pontificatum denuo Jonathæ Anani filio reddere vellet, Ἅπαξ, inquit ille renuens, ἐνδῦναι στολισμὸν ἱερὸν ἀρκοῦμαι, *Mihi ſacrum illum amictum ſemel ſumſiſſe ſatis eſt.* Sacrum amictum enim induere, pro Pontificem Max. creari uſurpabatur ſub Templo ſecundo. Sed ipſi etiam ſacerdotes reliqui, ex lege Dei, alio ritu non ſolebant ſacris initiari, quam amictu quatuor veſtium. Lex eſtat Exodi cap. XXIX. verſ. 8, 9. Nam poſtquam de conſecratione Aharonis, id eſt Pontificis M. mox de ejus filiorum, id eſt cæterorum ſacerdotum conſecratione hæc jubet: *Poſtea filios ejus jubens accedere, indues eos tunicis: Et cingens eos balteo, Aharonem & filios ejus, alligabis eis tiaras, ut ſit eis ſacerdotium decreto perpetuo: ſic conſecraverit miniſterium Aharonis, & miniſterium filiorum ejus.* En conſecrationem utriuſque miniſterii. Sed ſolis Veſtibus uterque tam Pontifex Max. quam totus ſacerdotum grex initiatus fuit. Sed ex hiſce omnibus manifeſto patet, quam neceſſariæ veſtes fuerint ad ſacerdotium, & abſque hiſce neminem auſum fuiſſe ſacerdotio fungi.

XXIX. Sed ne unica quidem Veſtis deficere potuit. Si Pontifex M. ſeptem, aut alius ſacerdos tribus tantum operatus fuiſſet, deficiente ſcilicet balteo, aut pileo, aut quavis alia, ſacrificium illegitimum fuiſſet; atque talis ſacerdos vocatus fuiſſet מחוסר בגדים *deficiens Veſtibus.* Hinc Magiſtri, in ſacris ſuis Pandectis, vetant ejuſmodi ſacerdotem ſacra facere. Vide *Maſſechet Sevachim cap.* II. *halach.* I. כל הזבחים׃ קבל דמן זר אונן טבול יום מחוסר בגדים׳ פסל : *Omnia ſacrificia quorum ſanguinem excipit laicus, aut ſacerdos lugens, eodem die lavandus, aut qui veſtibus caret, illegitima ſunt.* Vides igitur מחוסר בגדים *Veſtibus carentem* eodem loco habendum, quo lugens, polutus, & ipſe laicus. Hæc autem verba מחוסר בגדים Bartenora ſic explicat: כהן הדיוט ששמש׃ בפחות· מארבעה בגדים וכהן גדול ששמש בפחות שמנה בגדים : *Sacerdos, qui ſacra facit in pau-*

in paucioribus quam quatuor veſtibus , *& Pontifex Max. qui pauciores habet quam octo veſtes.* Eodem modo locum iſtum etiam exponit Maimonides. Idem repetit *Hilch. Kele Hammikd. cap.* x. *hal.* IV. Hæc jam de genere & numero veſtium ſacrarum ſufficiant.

Caput III.

DE DEFECTU VESTIUM SACRARUM, ET DE VESTIBUS REDUNDANTIBUS.

Veſtibus ſuperfluis Veſtitus , *ſive* יתר בגדים. *Parvulum ligamentum* , *Emplaſtrum. Veſtis id quod tres digitos longum* , *& totidem latum eſt. Hebræorum ſacerdotes nullas habuere Chirothecas. Fidei ſacra albo panno velatis manibus fiebant. Calceos nullos habuere ſacerdotes Hebr. Nudis pedibus in ſanctuario ſtandum erat. Supra nulla alia re. Morbi ſacerdotum. Varicoſus Haruſpex* , *& Varicoſus Centurio. Pontificis Maximi convivium decimo Tiſri. Præfectus ægrotorum. Medicus ſacerdotum. Plutarchi error de* κοθόρνῳ *Pontificis M. Hebræorum. Empedoclis calcei. Friſii* , *aut alterius ſculptoris error. Calcei in Templo laicis vetiti. Moſes jubetur calceos extrahere. Calcei Moſis quales? Suave inventum Spinæ ex quibus corona Chriſti. Vera ratio cur Moſi mandatum* , *calceos extrahere. Templi ſanctitas an congenita? Deſtructo templo locus ſanctus reputatur à Talmudicis. Adamus ibi altare ſtruxiſſe creditur. Eodemque loco Patriarchas ſacrificaſſe docent verpuli. Auguſtini ſententia de nudis pedibus. Morticinia. Calcei ex papyro. Uſus Calceorum. Templum domus Dei* , *& Patris I. C. Chriſtus quomodo in Templo ſediſſe dicatur? Locus Matth.* x. 9, 10. *explicatus. Totus orbis templum Dei. Templum intrari cum baculo* , *calceo* , *crumena* , *pecunia* , *&c. Vetitum. Locus Marci* x. 17. *explicatus. Templum conſpui* , *& pedibus Templo pulverem inferri vetitum.* ἐκτινάξατε τὸν κονιορτὸν *Matth.* x. 14. *quid? Pulvis Idololatricus. Locus Geneſ.* XVIII. 4. *explicatus. Calcei pretioſi veterum & Papæ. Calcei plerumque veſtes*

viles & ſordida. Calceos afferre, coſtodire, ſolvere ſignum ſervitutis. Locus Lucæ III. 16. *explicatus. Nudis pedibus incedere, ſignum ſubmiſſionis & abjecti animi coram Deo. Tempore Iejunii, Decimo Tiſri, Tiſcha beaf. In funeribus & luctu magno. Sabbathum quo ſenſu jejunium apud Hebræos? Iuvenalis defenſus. Auguſti, Strabonis, Iuſtini & aliorum error. Superſtitio veterum nudis pedibus contra erucas. Gentilium ſacerdotes calceati. Ægyptiorum ſacerdotum calcei papyracei. Phœnicum linei. Dialis ſacerdos & Flaviales crepidati. Habitus Domitiani. Atheniensium & Alexandrinorum ſacerdotum calcei albi. Phacaſia. Gentilium ſacerdotes etiam diſcalceati. Herculis & Dianæ ſacerdotes nudis pedibus. Cretenſium, & apud Caſtabala quoque. Sic & vates Cimbrorum. Pythagoræ ſymbolum. Nummi & marmora veterum. Mos calceos exuendi ante templum apud Turcas. Apud Indorum Bramines, ſive Brachmanes. Apud Pontificios. Error Plutarchi de pelle Hinnuli Pontificis Maximi Hebræorum. Sacra Bacchi. Hiſtoria Iuditha de ſacco & cinere ſacerdotum. Ejuſmodi quid apud Ioſephum.* הפלין *Phylacteria ſacerdotibus licita. Manus phylacteria vetita.* צצית *fimbriæ. Longæ. Benzizith Hacciſſath quis? Locus Matthæi* XXIII. 5. *explicatus.* μεγαλύνειν τὰ κράσπεδα *quid? Fimbriæ in Veſtibus ſacerdotum.*

XXX. Manifeſtum igitur jam ſatis eſt, tria fuiſſe genera Veſtium ſacrarum, & Pontificis M. quidem numero octo, cæterorum autem ſacerdotum quatuor. Oſtendimus etiam adeo neceſſe fuiſſe, ſacerdotes omnibus hiſce Veſtibus indui, quum ſacerdotio fungebantur, ut ſine illis ne ſacerdotes quidem dici potuerint, multo minus ut miniſterium peragerent, etiamſi vel unica tantum defuiſſet. Sed quemadmodum tam Pontifici Max. quam reliquis ſacerdotibus, veſte aliqua carere, vetitum erat, ita nec pluribus licuit uti inter miniſtrandum. Non enim defectus tantum, ſed & redundantia fuit prohibita. Diximus eum, qui pauciora veſtimenta habebat, dictum fuiſſe מחוסר בגדים *veſtibus deficientem.* Sic is qui plures induebat vocabatur יותר בגדים *redundans veſtibus.* Sed uterque a ſacris arcendus erat. Quemadmodum enim non licebat ſacerdoti miniſterium obire abſque feminalibus, aut balteo,

aut

aut quacunque alia veſte, ita prohibitum ei fuit, ad altare accedere cum duobus balteis, aut duabus tunicis, aut quovis alio veſtimento duplici. Hoc ſenſu interpretes & gloſſarum auctores explicant Miſnam, quam modo capite præcedenti allegavimus ex codice *Sevachim*, *cap.* II. ubi dicitur vetitum eſſe, מְחוּסר בגדים *deficientem veſtibus*, ſanguinem ſuſcipere; nam idem etiam dictum volunt, ſi quis ſit יתר בגדים *plures habens veſtes*, Sic enim Bartenora ad Miſnam illam. מחוסר בגדים inquit, כהן הדיוט ששמש בפחות מארבעה בגדים וכהן גדול ששמש בפחות משמנה וכשם שמחוסר בגדים פסול כך מיותר בגדים פסול: *Deficiens veſtibus eſt ſacerdos, qui operatur paucioribus quam quatuor veſtibus; aut Pontifex Max. quum operatur paucioribus octo. Et quemadmodum is qui veſtibus deficit illegitimus eſt, ſic & ille qui plures habet.* Idem etiam docet Maimonides, & adhuc clarius: *Kele Hammikd. cap.* x. *Halach* v. כשם שמחוסר בגדים חייב מיתה ופוסל העבודה: כך היתר בגדים כגון שלבש שתי כתנות או שתי אבנטים: *Quemadmodum is, qui veſtibus caret, reus mortis eſt, & miniſterium illegitimum reddit, ita & ille qui plures habet; veluti ſi haberet duas tunicas, aut duos balteos.* Sed hæc omnia. cum Bartenora, tum Maimonides deſumpſerunt ex *Maſſechet Sevachim cap.* II. *in Gemara fol.* XVIII. *b.* לבש שני מכנסים שני אבנטים חסר אחת יתר אחת ועבד עבודתו פסולה: *Si quis induat duo feminalia, aut duos balteos, aut ſi deficiat veſtis, aut ſi plures habeat & miniſtret, miniſterium ejus illegitimum eſt.*

XXXI. Adeo ſoliciti fuerunt verpuli, ne quis ſacerdotio fungeretur pluribus veſtibus amictus, quam lex divina poſtulabat, ut etiam inter veſtes ſuperfluas, minutiſſima quæque reputare viderentur: qualia ſunt *emplaſtra*, *ligamenta* in digitis, aut manu læſa, aut alibi. Ante omnia autem inter veſtes redundantes reputatur, quicquid eſt tres digitos longum & latum. quod dicunt אם היה בו שלש אצבעות. על שלש אצבעות: Sic tradunt in *Maſſechet Sevachim. cap.* II. *in Gemara fol.* XVIII. *b.* loco modo citato: חסר אחת יתר אחת או שהיתה לו רטיה על מכת בשרו תחת בגדו *Si unica* (ex veſtibus) *defuerit, redundaverit, aut ſi detur emplaſtrum ſuper vulnus ſub veſtibus.* id ſcilicet פסולה *illegitimum* erit. Et *folio ſequenti a.* תנן התם כהן שלקה באצבעו כורך עליו גמי במקדש אבל לא במדינה ואם להוציא ממנה דם כאן וכאן אסור אמר רבי יהודה בריה דרבי חייא לא שנו אלא גמי אבל צילצול קטן הוי יתור בגדים ורבי יוחנן אמר לא אמרו ייתור בגדים אלא במקום וגו

בגדים אבל שלא במקום בגדים לא הוי ייתור וגו *Alibi legimus ; Sacerdos , qui digitum percuſſit , junco eum involvit , in ſanctuario , ſed non in Provincia. Si vero id fecerit ut ſanguinem educeret ubique illicitium fuerit. Dixit doctor Iehuda , filius doctoris Chajæ : hoc non traditur niſi de junco , ſed parvulum ligamentum eſt veſtis ſuperflua. Doctor Iohannes dicit ; veſtis ſuperflua non dici poteſt niſi in loco veſtium ; ſed quod non eſt in loco veſtium , non habetur pro veſte ſuperflua.* Hæc eadem etiam docet Maimonides *Kele Hammikd. cap.* x. quæ forſan alibi allegabimus , ubi de rebus illis, quæ veſtes a carne ſeparare creduntur , quod vetitum putant. Notandum hic eſt. Gemaram & Maimonidem in locis hiſce docere ; id quod non eſt in loco veſtis, non eſſe veſtem , quod vero eſt in loco veſtis, eſſe veſtem. Hinc quidam magiſtri concludunt, juncum , emplaſtrum , parvulum ligamentum, & filum inter veſtes & carnem pendens, non eſſe reputanda inter veſtes ſuperfluas , ſed inter res quæ veſtes a carne ſeparant. Quicquid eſt , apparet , nec ſecundum legem Dei, nec ſecundum ſententiam doctorum, licitum fuiſſe ſacerdotibus, præter octo veſtes ſupra recenſitas, quicquam gerere, quod ullo modo pro veſte haberi poterat.

XXXII. Chirothecas igitur nullas habuere , nam præterquam quod veſtes ſuperfluæ fuiſſent, ſeperationem feciſſent inter carnem & ſancta, quod æque vetitum fuit. Sed multo minus licebat illis calceos habere, ob eaſdem rationes, nec tibialia. Igitur veſtimenta manuum & pedum nulla habuere. Legimus tamen Flamines Fidei ſacra feciſſe tectis, & ad digitos involutis manibus. Livius libro I. Cap. XXI. Ubi de Religione Numæ : *Et ſoli Fidei ſollenne inſtituit ad id ſacrarium flamines bigis, curru arcuato vehi juſſit, manuque ad digitos involuta rem divinam facere.* Et Servius *Æn. lib.* I. ad hæc Virgilii : *Cana fides : quod ei albo panno involuta manu ſacrificatur , per quod oſtenditur fidem debere eſſe ſecretam. unde &* Horatius ,

Et albo rara fides colitur velata panno.

vide etiam ad *librum* VII. Sed de manibus non eſt quod multa dicamus, cum in eo nihil fuerit peculiare ſacerdotibus ; vix enim ullum opus tectis manibus homines ſolent præſtare.

XXXIII. Ita non eſt comparatum cum pedibus : plerique enim mortalium pedes tectos atque munitos, fere ubique locorum & in omnibus operibus, habere ſolent. Sed cum ſacerdotibus noſtris res

ſeſe ita non habet; nam nudis pedibus omnia peragebant, a genibus enim, ubi feminalia finiebant, uſque ad calces nudis pedibus incedebant; niſi quod tunica pedes utcunque tecti fuerint, quamvis tamen inter miniſtrandum ad calces uſque non fuerint tecti, tunica enim ſurſum retracta balteo cingebatur, ut expeditiores in miniſterio eſſent, uti ad balteum demonſtrabimus. Igitur ubique locorum in templo, in atrio, & in ſanctuario, quum ſacra faciebant, ſuper pavimento ſemper nudis pedibus ſtandum erat; ita quidem, ut, ſi forte quis inter miniſtrandum ſtetiſſet, etiam ſuper veſtem aliquam aut aliud inſtrumentum, quod forte ibi jacebat, aut ſuper beſtiam, ut agnum, aut tale quid, immo vel ſuper pedes ſocii ſui, totum ſacrificium prohibitum fuiſſet. Sic enim docetur *Codice Sevachim cap.* VII. *miſna* I. עומד על גבי כלים על גבי בהמה על גבי רגלי חבירו פסל: *Si quis ſteterit ſuper inſtrumenta, aut ſuper beſtiam, aut ſuper pedes alterius, illegitimum reddiderit ſacrificium.* *Caph Nachat* hujus traditionis rationem reddit: שצריך inquit, שלא יהיה דבר חוצץ בין רגליו לרצפה: *Quia neceſſe eſt ut nihil reperiatur quod pedes ſacerdotis a pavimento ſeperet.* Debebant igitur ſacerdotes עומדים על הרצפה *ſtare ſuper pavimnto.* vide etiam Maimonidem *Hilch.* ביאת המקדש *cap.* V. *Halach.* XVII. כל העוסק בעבודה מעבודת המקדש צריך שיהיה עומד על הרצפה ואם היה דבר חוצץ בינו ובין הקרקע כגון שעמד על גבי כלים או בהמה או על רגלי חבירו פסל: *Quicunque miniſterium Sanctuarii præſtat, debet in pavimento ſtare, ſi vero aliquid reperiatur quod eum a pavimento ſeparet; veluti ſi ſtet ſuper aliquo inſtrumento, aut beſtia, aut ſuper pedes alterius, ſacrificium illegitimum erit.* Idem quoque videtur docere Gregorius Nyſſenus *Orat. in Cantic. volens hoc ipſum*, inquit, *pedi Sacerdotali cultus pulcherrimi loco eſſe, quod ab omni tegumento nudus ac immunis eſſet, quia ſcilicet iſtis in ſacro conſiſtendum pavimento.*

XXXIV. Atque hinc præcipue cum etiam ob tenues tunicas, quibus leviter tantum veſtiebantur, ſæpiſſime in graves admodum dolores atque morbos incidebant ſacerdotes, quod ipſam etiam Ethnicorum ſacerdotibus accidiſſe docet Juvenales *Satyra* VI. Ubi *Haruſpicem*, i.e. ſacerdotem (erant enim plerumque Sacerdotes Haruſpices, quod etiam de Hebræorum Pontifice Max. aliquo modo dici poteſt) *varicoſum* vocat: cujus rei hanc rationem reddit vetus Scholiaſtes. *Multum ſtando*, inquit, *Dum Deos, aut exta conſulit.* Huc fortaſſis etiam referri poteſt, quod habet Perſius *Satyra*

E *v.* de

v. de *varicoſis centurionibus.* Ob eandem cauſam Pontifex. M. decimo Tiſri die piaculari, quando in pace exierat e Sanctuario, convivium dedit amicis, ut docet *Miſna Maſſechet Ioma cap.* VII. ויום טוב היה עשה לאהוביו בשעת שיצא בשלום מן המקדש׃ *Et convivium fecerat amicis ſuis quo die exiverat in pace ex ſanctuario.* Ideoque inter plurimos Templi præfectos, quos recenſet codex *Schekalim cap.* v. *M.* I. & Maimonides *Kele Hammikdaſch cap.* VII. habuerunt quoque: ממונה על החולים *Præfectum ægrotorum*: id eſt Medicum quendam, aut talem, qui ſanitatis aliquam curam haberet. Sic enim habet Codex *Schekalim cap.* v. *miſna* I. ubi omnes præfectos templi recenſet, & inter cæteros de hoc præfecto hæc tradit: בן אחיה אל חולי מעיים *Filius Achiæ conſtitutus erat, ut curam haberet eorum, qui viſcerum dolore laborant.* Hunc locum optime explicat Bartenora his verbis: לפי שהכהנים הולכים יחפים על הרצפה ואוכלין בשר הרבה ושותים מים היו מעיהן מתקלקלין וצריכין תמיד לרופא לומר להם זה הסם טוב למעים׃ *Quia Sacerdotes ſemper diſcalceati incedunt ſuper pavimentum, multas carnes comedunt, & aquam bibunt, ſæpe viſcerum dolore laborant; Ideo neceſſe eſt, ut ſemper habeant medicum; qui illis dicat: hoc medicamentum bonum eſt viſceribus.* Eodem plane modo explicant *Caph Nachat*, & cæteræ gloſſæ. Eadem fere tradit Maimonides: *Hilch, Kele Hammikd. cap.* VII. *ſect.* XIV. הכהנים מפני שהן עומדים על הרצפה תמיד ואוכלים בשר הרבה ואין עליהן בגדים בשעת העבודה אלא חלוק אחד הם חלין במעיהן׳ לפיכך מעמידין ממונה אחד שהייה מבק׳ אותן ומרפא כל תחלואיהן ועוסק בהן תמיד הוא ואנשיו שתחת ידו׃ *Sacerdotes, quia perpetuo ſtabant ſuper pavimentum, & multas carnes comedebant, nec aliis veſtibus induti erant quam unica tantum tunica, ſæpius viſcerum dolore laborabant: Hanc ob cauſam præfectum aliquem conſtituebant, qui eos perſcrutaretur, eorumque morbis mederetur. Atque in hoc jugiter operabatur ipſe, cum illis, qui ei ſuberant.* Turpiſſime igitur deceptus eſt Plutarchus, libro IV. *Sympoſiacon*, ſub finem libri, quemadmodum ſæpe ei accidit, ubi de rebus Hebræorum differit. Docet enim ibi, Pontificem Max. Hebræorum feſtis diebus κοθόρνοις ſacra feciſſe. Sed de hoc loco plura dicemus ſub finem hujus capitis. Decepit proculdubio magnum virum mos patrius: gentiles enim crediderunt Judæos Bacchum adoraſſe, in quo errore ipſe fuit Plutarchus, uti ex libro citato conſtat: Jam vero,

vero, ſolenne erat Ethnicis, Bacchi ſacra celebrare, æneis crepidis, & tympanis, de quibus plura inferius Theſ. LI. Ejuſmodi calceamenta quoque habuit Empedocles ille Philoſophus, de quo Tertullianus, *de pallio cap.* IV. Pro libertate pictoris etiam factum eſt, quod Friſius, ſive alius, in Opuſculo Magii *de Tintinabulis*, S. Pontifici Hebræorum thymiamata facienti, appinxerit calceos. vide pag. XLV. Eadem alios pictores auſos fuiſſe, alibi etiam reperies.

XXXV. Sed non ſolis ſacerdotibus erat vetitum Templum ingredi cum calceis, at ipſis etiam laicis. Sic enim docet Miſna in *Maſſechet Berachot. cap.* IX. ubi non tantum Sacerdotibus, ſed omnibus Iſraelitis præſcribitur officium circa loca ſacra, atque inter alia hæc habet Miſna ultima iſtius capitis: לא יכנס להר הבית במקלו ובמנעלי ובפונדתו ובאבק שעל רגליו ולא יעשה קפנדריא ורקיקה *Nullus intrabit in montem Templi cum baculo, aut calceo, aut marſupio, aut pulvere ſuper pedes ſuos, nec brevioris viæ gratia, nec ſputo inquinabit illum.* Eadem fere verbotenus repetuntur in *Gemara Bab. Ievamoth c.* I. *fol.* VI. *b.* Et in *Gemara Berachoth cap. citato fol.* LXII. Hæc recitantur quoque a Maimonide *Hilch. Beth Habbechira cap.* VII. additis tantum, quæ etiam leguntur in Gemara *Berachot fol.* LXII. unde Maimonides ea hauſit, his verbis: ובמעות הצרורין לו בסדינו *Et pecunia ligata in linteo.*

XXXVI. Fateor equidem expreſſis verbis calceos Sacerdotibus a Deo non prohiberi; ſed quoniam cum cæteris veſtibus non jubentur, & quia Deus claris verbis dixit: *hiſce veſtibus ſacerdotio fungentur mihi.* Exodi cap. XXVIII. verſ. IV. dubitandum non eſt, quin nullos omnino habuerint calceos; ita ut etiam ſilentio illo, de calceamentis conficiendis, revera vetitum fuerit ſacerdotibus ea facere, ac geſtare inter miniſtrandum. Rationem nihilominus quidam dare conantur hujus rei: Nempe quod Deus Moſi, ad rubum ardentem, ex quo eum compellavit, accedenti juſſerit calceamenta ſolvere: *Solve*, inquit, *calceamentum de pedibus tuis, quia locus in quo ſtas ſanctus eſt*, Exodi III. commate v. Idem juſſum quoque eſt Jehoſchuæ cap. v. verſu ultimo lib. Joſuæ, quum coram principe militiæ Domini ſtaret. Uterque igitur tam Moſes, quam Joſua juſſus eſt calceos extrahere, non tantum ſolvere: verbum enim שלל *ſpoliandi & extrahendi* ſignificationem habet, quum Deus eos alloquebatur. Qualeſnam fuerint illi calcei

Moſis, & qua de cauſa Deus juſſerit eos exui, varia comminiſcuntur paſſim auctores, ſed pleraque vana & falſa. Dicere enim calceamenta Moſis fuiſſe ſtraminea, aut ex junco, aut ſparto, quales etiam fuerunt calcei paſtorum Ægyptiorum, inter quos Moſes numerari poterat, & ruſticorum apud Hiſpanos, & alibi, de quibus Plinius *Hiſt. Nat. lib.* XIX. *cap.* 11. ideoque deponendos fuiſſe ne forte igne, ad quem Moſes accedebat, conſumerentur, plane ridiculum eſt. Nec magis probare poſſum ingenioſum illud inventum, quod lepidiſſimus quidam, etſi doctiſſimus, ut eum vocat Balduinus *de Calceo Antiquo cap.* III. pro concione effutiit; calceos ſcilicet Moſis ex eodem junco compactos fuiſſe, ex quo poſtea Chriſti corona ſpinea facta eſt: ideoque juſſiſſe Deum, ut Moſes calceos exueret, *quod indignum videretur ſervum pedibus calcare, quo ipſius dominus aliquando eſſet coronandus.* Spinoſum ſane plus ſatis eſt hoc commentum. Sic ſolent hi homines ὑπερφρονεῖν παρ᾽ ὃ δεῖ φρονεῖν. Cur ejuſmodi ſpinoſas rationes tam longe peteremus, cum ſacra Scriptura nos melius edoceat? Ob inſignem namque loci iſtius ſanctitatem Deus voluit id fieri. Exſertis enim verbis utrique, tam Moſi quam Joſuæ dicitur: כי המקום אשר אהה עומד עליו אדמת קדש הוא *Quia terra iſtius loci, in quo ſtas, ſancta eſt.* Non quod terra illa ſanctior fuerit, cæteris partibus terræ, eſt enim totius terræ una eademque materia, ejuſdem dignitatis & ſanctitatis, cum eundem Deum habeat Creatorem & dominum; *Tota enim terra Domini eſt, & tota plenitudo ejus. Pſalmo* XXIV. Sed ſancta dicitur terra illa in qua ſtabant Moſes & Joſua, ob ſingularem præſentiam Dei, qui ſanctiſſimus eſt, & qui in illis locis ſe manifeſtans, ſanctitatem ſuam certis quibuſdam operibus voluit declarare, ut non niſi cum timore & ſanctitate homines illum accederent: eodem plane modo, quo Tabernaculum, & Templum, & ſacra vaſa, & Sacerdotes, & Sabbatha, & Novilunia, & omnia quæ ad Dei cultum deſtinabantur, ſancta dicta erant.

XXXVIII. Nec fingenda nobis eſt ejuſmodi, qualem ſibi fingunt Judæi ſanctitatem Templi, quaſi Mons Moriah innatam aliquam haberet, præ cæteris locis totius univerſi, ſanctitatem: adeo etiam ut locus ille Templi, ad hunc uſque diem, ſanctus ſit, idem etiam honor ac reverentia ei debeatur, ac olim quum Templum illæſum ſteterat: ut ne hodie quidem ulli permiſſum ſit, per locum iſtum,

in

in quo olim ſanctiſſimum illud ædificium ſteterat, ambulare cum calceis, aut baculo, aut pecunia, aut caput ibi detegere, aut ſcreare, ſpuere & facere ejuſmodi ſexenta alia, quæ ſtante æde a magiſtris vetita erant. Hæc *credat Iudæus Apella, non ego.* Dicunt nihilominus, ut ſunt audaculi, *Codice Iebamoth. cap.* I. *fol.* 6. *b.* לא יכנס אדם בהר הבית במקלו במנעל בפנדתו ובאבק שעל רגליו ולא יעשנו קפנדריא ורקיק׳ מק״ו ואין לי אלא בזמן שבית המקדש קיים בזמן שאין בית המקדש קיים מניין תלמוד לומר את שבתותי תשמורו ומקדשי תיראו מה שמיר׳ בשבת לעולם אף מיריא האמורה במקדש לעולם: *Nemo intrabit montem ædis cum calceo, cum baculo, cum crumena, & cum cinere ſuper pedibus nec viæ brevioris cauſa, nec ſcreabit. Sed hoc mihi non videtur habere locum, niſi ſtante Templo, Templo deſtructo, quomodo id probabitur? Scriptura dicit: Sabbata mea cuſtodies, & Templum meum honorabis.* (Lev. XIX.) *Sed quemadmodum id intelligendum eſt, de cuſtodia Sabbati in æternum, ſic etiam de reverentia Templi in æternum.* Hæc eadem docet Maim. in *Beth Habbechira cap.* VII. *Halach.* VII. & clarius quam Gemara. Nec mirum loco illi talem ſanctitatem quaſi congenitam aſcribi, cum in eo creatus fuerit (ſi diis placet,) Adamus, altare ibi ſtruxerit, in quo ſacrificaverit, quod etiam poſteris eodem fine inſerviebat, ut Caino, Habeli, Noacho, Abrahamo, Davidi, Salomoni &c. donec tandem ibi Templum ædificatum fuerit a Salomone, de quibus vide R. Eliezer in *Pirke cap.* XXXI. Maimon. *Beth Habbechira cap.* I. *Hal.* I. II. Et in *More Nevochim par.* III. *cap.* XLVI. Sed liræ, liræ, gerræ germanæ. Non tamen rejiciendam puto rationem, quam quidam dant viri docti, nempe Moſen juſſum fuiſſe calceamenta ſolvere, ut diſceret peccata & mentis inquinamenta eſſe rejicienda, & mortuis operibus renunciandum, ut eleganter D. Auguſtinus *Serm.* XLII. *de ſanct. cap.* VI. *Quid tam terra ſancta*, inquit, *quam Eccleſia? In illa ergo ſtemus & calceamenta ſolvamus, id eſt, mortuis operibus renunciemus.* Igitur ob loci ſanctitatem Deus calceos ſolvi voluit a Moſe & Joſua.

Hæc & ſequentia, per totam hanc Theſin, diſplicent doctiſſimo Binæo, in opuſculo De Calceis Hebræorum. lib. II. cap. III. § V. *ubi criſin ſuam excercet, quod hanc ſententiam Auguſtini aliorumque non omnino improbaverim: quare verba mea allegat, eaque improbat atque carpit, ut opuſculum creſceret. Sed Lector B. judicet, an ideo, quod non fuerim audaculus, ut e veſtigio omnia operoſe refutarem, quæ a mea ſententia recedunt, cenſura vexandus ſim?*

ſim? Si ita eſt, ignoſcat peccanti. Certiſſimum tamen eſt, me in præcedentibus, & in ſequentibus oſtendiſſe veram cauſam, cur ſacerdotes in Templo diſcalceati fuerint, fuiſſe loci ſanctitatem, *quod hic exſertis verbis dixi, & toties repetii. Lege ſequentem paragr.* XLVII. Ut, quid virum doctum, ut me tam libere carpat, moverit, capere neutiquam poſſim.

XXXVIII. Sed an ob eandem cauſſam Sacerdotibus quoque calcei prohibiti fuerint, merito quis dubitare poteſt, cum Scriptura id non doceat claris verbis. Sane de calceis, eorum ſignificatione, nudiſque pedibus varii varia fingunt, quæ jam non libet recenſere. Non opus eſt ad *Tropologias*, *Allegorias*, & *Anagogias* recurrere, cum ſacræ Scripturæ ejuſmodi ſenſus non ſit atribuendus, niſi Spiritus Sanctus ipſe id indicet, quod ſæpius factum conſtat. Sacerdotibus calceos fuiſſe prohibitos, ideo quia ex cadaverum pellibus conſtabant, *quæ ſecundum legem immundæ haberi poterant*, quod videtur innuere Stukius *de Conviviis cap.* XXVII. *lib.* II. non probo, nam de pellibus cadaverum Hebræis non interdictum fuit, quod ſciam. Docet quidem Servius: *non licuiſſe Flaminicas, nec calceos neque ſoleas morticinas habere*, ut obſervat Salmaſius in notis ſuis *ad Tertullianum de Pallio*. Sed hæc nihil plane ad pelles cadaverum, multo minus ad calceos Sacerdotum Hebræorum. Eadem lex de morticiniis, quæ Hebræorum Sacerdotibus, ipſis quoque laicis data fuit. Deinde ex alia materia quam ex corio calceos geſtare potuiſſent, veluti ex ligno, ſubere, lino aut papyro, ut Sacerdotes Ægyptiorum, quemadmodum docet Herodotus & gentiles alii.

XXXIX. Improbare tamen omnino non poſſum, rationem quam quidam reddunt: ſc. nullos fuiſſe calceos Sacerdotibus, ut in Templo moram, & abſtinentiam ab extraneis negotiis ſic imperatam ſcirent: quoniam domeſtica opera nudis pedibus, forenſia calceati curabant. Enimvero milites aliosque, qui rebus forenſibus operam dabant, calceatos, domi vero plerumque diſcalceatos fuiſſe antiquos, ex Balduino, Nigronio, Salmaſio, aliiſque Auctoribus, qui *de calceo* tractarunt, conſtat. Quid? nonne & nos hodie, quam diu domi latitamus, ſive viri, ſive feminæ, diſcalceati ſolemus incedere, aut, ſi quid pedes munit, ſoleis, ſive mulleis, aut *Pantoufflis*, uti vocamus, quæ inter calceos hodie numerare non ſolemus, utimur; cum calceos induamus, quamprimum foras exſpa-

exſpaciamur. Cum vero Sacerdotes, quamdiu in Templo occupati erant, reputarentur domi eſſe, rem patris cœleſtis, & ſanctæ iſtius familiæ, cujus πατρία ἐν οὐρανοῖς καὶ ἐπὶ γῆς ὀνομάζεται. *Tota patria nominatur in cœlis & in terra.* Epheſ. cap. III. XV. curare, unde etiam Chriſtus, (quod obiter notare velim) quum in Templo ſedebat inter doctores (id eſt in porticu ſubdialis Iſraelitarum, ut quidam id explicant, aut potius in Synagoga, quæ erat in ipſo circuitu Templi, ut poſtea clarius demonſtrabimus; nam in ipſo Templo ſedere non licebat) dixit, ἐν τοῖς τοῦ πατρός μου δεῖ εἶναί με. *Oportet me eſſe in iis quæ ſunt Patris mei,* id eſt, in ܒܝܬ ܐܒܝ *domo Patris mei,* ut optime id vertit Syrus, Lucæ II. XLIX calceos geſtare non debebant, ut nulli alii negotio intricati. Hinc non tantum calceos deponere jubentur, ſed & baculum, quo inter perigrinandum per vias uterentur; nec pecuniam involverent, ſecum ferre licebat; his enim uti ſolebant iter facientes, & ii qui negotiis urbanis inhærebant. Unde etiam Chriſtus Matth. x. verſ. IX. x. Diſcipulis ſuis, poſtquam eos per totum terrarum urbem, ad prædicandum Euangelium, miſiſſet, vetuit ne more ſolito facerent. Μὴ κλήσεσθε χρυσὸν, μηδὲ ἄργυρον, μηδὲ χαλκὸν εἰς τὰς ζώνας ὑμῶν μὴ πήραν εἰς ὁδὸν, μεδὲ δύο χιτῶνας, μηδὲ ὑποδήματα, μεδὲ ῥάβδον. *Ne poſſideatis aurum, neque argentum, neque æs in zonis veſtris. neque peram ad iter. neque duas tunicas, neque calceos, neque baculum.* Eodem igitur habitu eos voluit, quaſi ituros ad Templum rem divinam facturos, quia revera totus orbis, ſi officium ſpectes, iis quaſi domus Dei, atque ſanctiſſimum aliquod Templum fuit, prout ipſe Diogenes id olim agnovit, ad ſuperbientem & delicatulum iſtum juvenem Lacedæmonicum, de quo alibi apud Plutarchum. Ubique enim locorum ſupremi δησπότου Chriſti, æternitatis Patris, rem faciebant. Hæc fortaſſis etiam cauſa fuit, ob quam verpulorum magiſtri tam expreſſe vetuerint populo, Templum ingredi: במקלו ובמנעלו ובפונדתו ובאבק שעל רגליו ולא יעשה קפנדריא ולא במעות הצרורין לו בסדינו: *cum baculo, aut calceo, aut marſupio, aut pulvere ſuper pedes, nec compendii cauſa, nec pecunia ligata linteo.* Ut ſupra demonſtravimus, paragrapho XXXV. Ad quam traditionem etiam videtur reſpexiſſe ipſe Salvatur apud Marcum cap. XI. Commate XVI. Καὶ οὐκ ἤφιεν ἵνα τὶς διενέγκῃ σκεῦος διὰ τοῦ ἱεροῦ *Et non permiſit inſtrumentum, aut vaſa per Templum deportari.*

Sane

XL. Sane non poſſum hic non animadverte, quam appoſite, & quam ſcite Chriſtus, ſummus ille doctor, prohibuerit vaſa deportari per Templum, quemadmodum id a Marco notatur. Marcus poſtquam narraſſet verſu præcedenti, Jeſum ingreſſum in Templum, cæpiſſe ejicere eos, qui vendebant & emebant ſancto illo in loco menſaſque numulariorum, & cathedras vendentium ſubvertiſſe: mox addit; *& non permiſit inſtrumentum ullum per Templum deportari.* Vix dubito, quin Chriſtus exſertis verbis allegarit traditionem iſtam patrum, qua prohibentur intrare Templum cum *baculo*, aut *calceo*, aut *crumena*, aut *pecunia ligata in linteo.* Argumentum enim fecit Salvator ad hominem, ut cum Logicis loquar; nam quia ipſi tam ſevere prohibuerunt populo *montem Templi ingredi cum baculo, cum marſupio, aut cum pecunia in linteo*: nonne ſummæ impietatis fuit, eos ipſos videre in Templo *vendentes & ementes?* Nonne eadem lex multo magis prohibere debuiſſet *menſas numulariorum, & cathedras vendentium*; uſque adeo verum eſt, quod Chriſtus cœcis iſtis ducibus exprobarat, Matthæi cap. XXIII. verſ. XXIV. fuiſſe eos διϋλίζοντες τὸν κώνωπα, τὸν δὲ κάμελον καταπίνοντες. Hic verus ſenſus eſt, mea opinione, iſtorum verborum: καὶ οὐκ ἤφιεν ἵνα τὶς διενέγκῃ σκεῦος διὰ τοῦ ἱεροῦ, quod eruditus lector mecum judicabit. Sed hæc in tranſitu dicta ſunto, e diverticulo in viam redeamus, ad Sacerdotes noſtros diſcalceatos.

XLI. Quamvis igitur ſolum ſilentium de conficiendis calceis, ſufficiat ad diſcalceandos ſacerdotes, nec ulla alia lex data fuerit, quæ claris verbis calceamenta Sacerdotibus prohibuerit, non tamen vana erit conjectura, mea quidem ſententententia, ſi quis dicat eaſdem rationes nudis pedibus operandum fuiſſe Sacerdotibus, ob quas & Moſes & Joſua juſſi ſunt calceos detrahere, quum coram Deo ſtabant: nempe ob ſingularem præſentiam Dei qui ſanctiſſimus eſt, & qui omnia ſanctitate ſua replet. Sane, ſi iſta loca, in quibus ſtabant Moſes & Joſua, ſancta fuerunt reputata ob præſentiam Dei, quis non videt multo ſanctius fuiſſe Templum, cum Deus ibi præſentiam ſuam atque ſanctitatem auguſtiori modo manifeſtaverit? Hinc ædes Dei בירת המקרש *ſanctuarium,* ſive *Ædes ſanctæ* vocantur. Quid? nonne in eodem Templo קרש הקרשים *ſanctum ſanctorum* fuit? Sane Hebræorum doctores hanc præcipuam dant rationem; quia ſcilicet Deus Moſi dixit: *Hic locus in quo ſtas ſanctus eſt.* Argumentantur igitur מקל וחומר uti loquuntur, *a minori ad majus.* Nempe quia

locus

locus in quo ſtabat Moſes ſanctus fuit, atque ideo calcei extrahendi erant: multo magis in Templo, quod multo ſanctius. Sic Gemara Babyl. ad hæc verba, *capitis* IX. *Berachot fol* LXII. *b.* לא יכנס אדם להר הבית וכו *nemo ingreditur montem ædis* &c. probant calceis in Templo non fuiſſe utendum, eo quod dixerit Moſi Exodi III. *ſolve calceamenta tua de pedibus tuis.* Addunt præterea vetitum ipſis fuiſſe, calceos gerere in Templo, non vero in Synagoga, uti etiam vetitum fuit ſpuere aut ſcreare in Templo. Spuere vetitum fuiſſe ob contemptum, calceos vero ob mandatum; tandem ſic de calceo concludunt: ומה מנעל שאין בו דרך בזיון אמרה תורה של נעליך מעל רגלך : *Sed quid cenſes de calceamentis cum in iis nullus ſit contemptus? Dixit lex, ſolve calceamenta de pedibus tuis.*

XLII. Sed propter eandem ſanctitatem loci, vetitum fuit populo non tantum Templum ingredi cum calceis, ſed etiam Templum conſpuere, aut pulverem ſuper pedibus inferre; aut quicquam facere, quod contemptum ſignificare, aut munditiem minuere, aut ſancta polluere inter homines, & ſanctitati repugnare per legem cenſeretur. Hæc omnia ex locis ſæpius jam laudatis, ſatis conſtant; ibi enim non tantum prohibentur, montem ædis ingredi cum calceis, ſed etiam in Templo ſpuere, aut inferre pulverem ſuper pedibus. Jam vero ſpuere ſummum contemptum fuiſſe, apparet, vel ex ſolo ritu circa jus leviratus, cum in faciem recuſantis ſpueretur; unde etiam Chriſtus a petulantibus militibus conſpuitur. Hinc Gemarici ad *Maſſechet Berachot fol.* LXII. *b.* notant in Templo ſpuere vetitum fuiſſe שהיא דרך בזיון *quia eſt aliquis contemptus.* Et mox addit: שהיא מאוסה לפני מלך מלכי המלכים *quia eſt contemptus coram Rege Regum.*

XLIII. Pulverem vero ſuper pedibus immunditiem & contemptum quoque denotaſſe, præſertim apud Hebræos, vel inde conſtat, quod Chriſtus juſſerit, Apoſtolos, contra civitates & domos, quæ illorum ſermonem non eſſent recepturæ ſatis digne, ἐκτινάξειν τὸν κονιορτὸν τῶν ποδῶν αὐτῶν. *pulverem excutere de pedibus ſuis.* Matthæi cap. x. commate XIV. Ideo toties manus & pedes lavare debebant Sacerdotes. Non tamen ignoro apud Hebræos, moris fuiſſe ſollicite cavere, ne pulverem inferrent Templo ſuper pedibus: quia timebant ſcilicet, ne pulvis ſepulcri, aut ex Terra Ethnica & Idololatrica eſſet; ideo non tantum in Templum, ſed in totam quidem terram Iſraeliticam non inferendus erat. Prohibuerunt itaque Talmudici etiam olera e terra ethnica inferi terræ Iſraeliticæ. *Maſſechet*

Sanhedrin fol. xii. *a.* אין מביאין ירק מחוצה לארץ ורבותינו התירו מאי בינייהו אמר ר׳ ירמיה חוששין לגושיהן איכא בינייהו : *Non afferunt olera* (quæ ſunt) *extra terram in terram* (Iſraelitarum) *Sed doctores noſtri id permiſerunt. Sed in quanam re differunt? dixit doctor Ieremiah, timent ne ſit gleba terræ,* (pulvis) *inter* olera *iſta.* Hæc gloſſa ita exponit: חוששין לגושייהו שמא יביא עמה מגוש ארץ העמים שמטמא באהל ויטמא טהרות של ארץ ישר׳ *Timent ne afferetur cum eo* (id eſt olere) *gleba terræ Ethnicorum, quæ polluat tentorium, atque ita ne pollueretur mundities terræ Iſraelis.* Ejuſmodi quid reperitur in codice אהלות Et שבת, de quibus vide *Thoſephoth* ad hunc locum. Sed hæc omnia, meo judicio, deſumpta ſunt ex capite xviii. Geneſeos, commate iv. ubi Abraham tribus iſtis viris, qui ei epparuerunt in planitie Mamræ, dixit: *Sumetur jam parum aquæ, inde lavate pedes veſtros.* Ad hæc verba obſervant Doctor Salomon Jarchi, & Baal Hatturim: Abrahamum timuiſſe viros iſtos Arabas, ideoque idololatras, fuiſſe, atque ſic eos rogaſſe, ut pedes lavarent, antequam tentorium ſuum intrarent, ne forte inferrent pulverem ſuper pedibus, cui ſeſe incurvaſſent, atque ſic ne Idololatriam aſportarent. Secus autem feciſſe Lot, quum illi apparuerunt duo angeli ad portam Sodomi, Geneſeos cap. xix. verſ. ii.; rogavit enim ut pernoctarent ſecum, antequam pedes lavarent, quia eadem cura ſcilicet eum non ſollicitavit. Sic enim ſermocinatur Baal-Hatturim ורחצו רגליכם ב׳ במסורה הכא ואידך בהאי פרשתא גבי לוט · מהכא ילפינן שחשש לע״ז מדלוט הקדים לינה לרחיצה ואברהם הקדים רחיצה ללינה מלמד שהיה חושש שמא ערביים הם ויכניסו עבודה זרה לתוך ביתו : *Hæc verba: Et lavate pedes veſtros, bis reperiuntur in Scriptura: hic atque alibi in hac ſectione, ubi de Lot ſermo fit,* (Gen. xix.) *Ex hoc loco diſcimus timendam fuiſſe idololatriam, cum Lot ante ſollicitus fuerit de pernoctatione, quam de lotione, Sed Abraham curam habuit lotionis ante pernoctationem: unde diſcimus eum timuiſſe, ne eſſent Arabes, atque idololatriam domui ſuæ inferrent.* Eadem fere reperies apud R. S. I. quem conſule. De hiſce etiam quædam reperies erudite obſervata a doctiſſimo Lichtfootio, ad cap. x. Matthæi v. xvv.

XLIV. Notandum etiam eſt calceamentum viliſſimum veſtimenti genus fuiſſe: Nam etſi alias veteres etiam luxum non mediocrem in calceis ponerent, plerumque tamen viles erant. Reperies ſane calceos aureos, argenteos, margaritis aliiſque gemmis diſtinctos,

ctos, apud Curtium, Senecam, Plinium, Lampridium & alios Scriptores, immo & ſoleas aureas jumentorum, de quibus ſatis fuſe egit Balduinus de Calceo Antiquo cap. IV. Qualia etiam ſunt calceamenta Imperatoris Diocletiani & Pontificis Romani. Pretioſiſſimi etiam fuerunt colores, purpurei ſcilicet & coccinei, punicei & albi &c. Quid? inſignes fuerunt calcei mullei triumphantium, & inſignis cultus priſcorum Regum Romanorum. Noti ſunt calcei lunati, ſignum Senatoriæ dignitatis. Diebus feſtis, in honorem Deorum, Julius Cæſar, & alii pretioſis calceis, etiam aliquando luxuriabantur. Nihilominus tamen vix ullum veſtimenti genus fuit, quod vilius haberetur calceo, adeo etiam ut *immundiſſimam pedum tutelam* dixerit Tertulianus de pallio, ſcilicet cum ob pedum ſudorem odoremque, (quia in calceis pedes ſordidi olidique aura non exſpirante, ut quidam id explicant, quod tamen Salmaſius ineptiſſimum cenſet) tum ob pulveris & luti ſorditatem; unde Martialis:

Quam vetus a craſſa calceus udus aqua.

& Querolus non Plautinus:

Sume laneos cothurnos, ſemper refluos calceos,
Quos pluvia ſolvat, pulvis compleat,
Cænum & ſudor glutinet.
Sume calceos humili fluxos tegmine.
Quos terra revocet, fraudet limus concolor.

Vide Salmaſii notas ad Pallium Tertull. Ad hæc etiam reſpexit Tertullianus de *cultu fœminarum* Cap. VII. Ubi mulierum luxum perſtringit his verbis: *Et peronibus uniones emergere de luto cupiunt.* Nota quod dicat: *cupiunt de luto emergere*, quia perones ſive calcei plerumque in luto hærere ſolent. Ideo maximam partem ex craſſo corio, ligno & alia materia vili fiebant, vili ſane pretio, ut quatuor etiam denariis empta fuerint Philoſophorum phæcaſia, ut auctor eſt Seneca libro VII. de beneficiis, Cap. XXI. ubi de quodam Pythagorico. Sane viliori pretio ullum veſtimentum apud Judæos conſtitiſſe, quam calceos, vix credebile eſt: ideo quæritur Deus apud prophetam Amoſum, quod *egentem pari calceorum vendiderint, aut emerint*; quaſi homines viliſſimos, de lapide emptos, & nullius pretii, Amoſ. II. VI. & VIII. VI. Inde factum eſſe, ut alicui calceos afferre, aut ſolvere, aut extrahere, inter viliſſima miniſteria recenſeretur; ideo moris fuit inter Judæos, cum aliquem ſervum emerant, non alia oppigneratione uti, ut conſtaret eum

jam in alterius domini poteſtatem migraſſe, quam ut ei (novo domino, aut emptori) calceos ſolveret ſervus, aut indueret; adeo ut alicui calceamenta ſolvere, aut ligare, ſignificaret in ejus poteſtatem redactum, aut ejus ſervum eſſe. Hæc docet Gemara Babylonica. *Maſſechet Kidduſchim*, *cap.* I. *fol.* XXII. *b.* עבד קטן כבהמה דמי תנו רבנן כיצד בחזקה התיר לו מנעלו או הוליך כליו אחריו לבית המרחץ הפשיטו הרחיצו סכו גרדו הלבישו הנעילו הגביהו: *Parvus ſervus eſt veluti jumentum, tradunt Magiſtri noſtri. Quomodo poſſidetur ſervus apprehenſione? Si ſolvat* (emptori) *calceos, aut ſi portet aliquod inſtrumentum ad balneum, ſi veſtem illi extrahat, ſi eum lavet, ungat, fricet, ſi veſtiat eum, calceum induat, aut tollat.* Eadem docet etiam Maimonides in מכירה *cap.* II. Nullus dubito, quin Johannes ad hæc reſpexerit apud Lucam cap. III. verſ. XVI. οὗ οὐκ εἰμὶ ἱκανὸς λῦσαι τὸν ἱμάντα τῶν ὑποδημάτων αὐτοῦ. *Cujus*, nempe Chriſti, *non ſum dignus, ut ſolvam corrigiam calceorum.* Idem habes apud Marcum & Johannem: ſed apud Matth. cap. III. verſ. XI. reperies ὑποδήματα βαστάσαι, *calceos portare*, pro λῦσαι τὸν ἱμάντα τῶν ὑποδημάτων. *Solvere corrigiam calceorum*; ſed ſenſus idem eſt. utrumque igitur idem ſignificat; ac ſi Johannes dixiſſet: *Non ſum dignus, ut ſim ſervus ejus.* Hic ſane genuinus ſenſus eſt hujus loci; nam quod quidam veterum, ut Gregorius, Auguſtinus & alii, id de incarnationis myſterio, aut prædicatione Euangelii explicare conati fuerint, animadverſione vix dignum eſt. Viliſſimum igitur omnium veſtimentorum eſt calceus; Hoc vel inde patet, quod calceos in aliquem projicere ſit ſignum extremi contemptus. Hinc Pſalmo LX. verſ. X. *Super Edomæum projiciam calceum meum*: id eſt; nihili eum facio, calceum meum ei projiciam, ut vili ſervo, quem mihi, ut domino ſuo curet, & cuſtodiet, atque ſic ſub poteſtate mea erit ſervus, & ego ipſius dominus & herus ero.

XLV. Hiſce addi poteſt, diaſcalceatum incedere apud Hebræos, ſignum fuiſſe ſubmiſſionis & abjectiſſimi animi coram Deo, cui miniſtrabant. Hinc non tantum ſacerdotes, ſed totus populus diſcalceatus incedebat diebus jejunii, quod maxime obſervabant magno illo die expiationum, quem vocant יומא, id eſt *diem*, κατ᾽ ἐξοχὴν, vel etiam יום הכפורים *diem expiationum*, ut conſtat ex *Maſſechet Ioma cap.* VIII. Idem etiam fiebat in *Tiſcha beAf*-
de

de quo vide eorum *Minhagin*, id eſt ritus. In Germanica editione hæc reperies : מן דארף קיין שויך אן טון Man darf kein ſchuh an thun. *Non licet calceis uti.* Vide *Minhagin* in תשע' באב *fol.* xxxv. *b.* de quo vide etiam Buxtorfii *Synag. Iud. cap.* xxx. Ad hæc videtur alluſiſſe Juvenalis *Satyra* vi. ubi de hoc Judæorum ritu, & fortaſſis de ipſa Berenice Regis Agrippæ ſorore, uti quidam exiſtimant, de qua Joſeph. *de Bello Iud. l. cap.* II. xv.

Obſervant ubi feſta mero pede Sabbata Reges.

Ergo nudo pede obſervant *Sabbata*, id eſt *jejunia*, præſertim diem expiationum, qui vocatur שבת שבתון, quaſi diceres, *Sabbathum quietis.* Levit. cap. xvi. quod velim criticos obſervaſſe, ne Juvenalem impoſterum inſcitæ accuſarent, quaſi per Sabbata intellexiſſet, diem illum, qui ſingulis hebdomadibus recurrit, id eſt, diem Saturni, quo die ſane non jejunabant, nec etiam nudo pede incedebant: mallent enim, ſi ipſis facultas daretur, potius aurum eo die calcare quam corium, immo pretioſioribus calceis uterentur, credo, quam ipſe Julius Cæſar, Popæa, Diocletianus, aut Papa R. cum ſit magnum מצוה *meritum*, hunc diem gula & veſtium luxu honorare. Auguſtum tamen, ut ex Suetonio conſtat, Strabonem lib. xvi. & Juſtinum libro xxxvi. in illo errore fuiſſe, Judæos Sabbatum, id eſt, ſeptimum diem obſervaſſe, ut diem jejunii, certum eſt. Alii inter Ethnicos de ritibus Judæorum melius edocti fuerunt.

Hiſce adnumero Iuvenalem, virum excellentem, qui Religinis Iudaicæ ignarus eſſe non poterat; eo minus, cum in Ægypto, ubi non pauciores Iudæi quam Gentiles, militiæ præfectus fuerit. Iuvenalem adeo rerum Iudaicarum fuiſſe ignorantem, ut ſcire non potuerit eſſe aliquod Jejunium, *quod Iudæis* Sabbathum *dicitur, Clariſſ. Bynæus, qui hæc mea perſtringit,* De calceis Hebræorum, *lib.* 2. *cap.* 4. *nondum probavit. Eruditus judicet lector, utrum contradicendum ſit, niſi evidentiſſime contrarium probetur.*

XLVI. Hoc feciſſe in luctu & diebus jejunii creduntur, ad exemplum Davidis, II *Sam. cap.* xv. ubi eum, in magno mœrore legimus *aſcendiſſe per montem olivarum, flentem, capite operto, & diſcalceatum.* Idem etiam obſervarunt in funeribus, ubi diſcalceari oportere lugentes ob mortuum diſcimus, prout id ſatis fuſe docet Buxtorfius in *Synag. Iudaica cap.* XLIX. quæ doctiſſimus vir hauſit, cum ex aliis ritualibus, tum ex *Maſſechet Semachot.* Sic

enim *cap.* I. אין קורעין ואין חולצין וכו׳ עד שעת שימות *Non lacerabunt veſtes, nec calceos extrahent antequam obierit.* Et in *Minhagin* Germanicis *Hilchot Avaloth*, hæc quoque leges: ווען דער מת נוך ניט צו קבורה איז קומן טאר דער אבל ניט דיא שוך אויש וטון wen der Meth noch nit zu Keburah is kommen tar der abel nit die ſchuch auſz tun. *Non opus eſt ut lugens calceos exuat, antequam mortuus ad ſepulcrum delatus fuerit.* Et hoc obſervatum fuiſſe jam a temporibus Prophetarum, patet ex Ezechiele cap. XXIV. verſ. XVII. *clamare deſiſte, mortuorum luctum ne facito; tiaram tuam alliga tibi: & calceos tuos apponito pedibus tuis.* Ergo in mortuorum luctu *calceos exuebant*, in lætitia ſecus fiebat. Id ipſum etiam ſæpiſſime ſi non ſemper, obſervatum fuiſſe a Romanis, ut in funeribus nudis pedibus incederent, teſtatur Suetonius, *in vita Auguſti cap.* C. *Reliquias legerunt primores equeſtris ordinis, tunicati & diſcincti pedibuſque nudis, ac in Mauſoleo condiderunt.* Elegans apud Caſalium *De urbe & imperio Romano, part.* II. *cap.* XXI. exſtat marmor in quo nudis incedunt pedibus funus deducentes. Sed in publicis calamitatibus gentiles nudis pedibus ſolitos fuiſſe incedere, docet Tertullianus: *cum ſtupet cœlum & aret annus, nudipedalia denunciantur.* Et Juvenalis *Satyra* VI.

——— *inde ſuperbi*
Totum regis agrum, nuda ac tremebunda cruentis
Erepet genibus.

Memoranda eſt etiam ſuperſtitio, de qua Plinius libro XVIII. *Privatim autem contra erucas ambiri arbores ſingulas, a muliere incitati menſis nudis pedibus recincta.* Hunc ritum gentiles didiciſſe a Moſe ſcribit Juſtinus in *Apologia ſecunda.* Vide Caſaubonum *ad Suetonium in vita Aug. cap. c.* Nudis pedibus & hodie videre eſt Judæos currere ad Synagogam die piaculari, decimo *Tiſri*, & die *Tiſcha beaf*, aut laneis vel lineis ſoccis.

XLVII. Apud gentiles Sacerdotes & ſacrificantes, aliquando calceati, aliquando diſcalceati ſacrificabant. Sæpiſſime calceatos ſacra feciſſe, manifeſtum eſt. Sacerdotes apud Ægyptios geſtaſſe ὑποδήματα βύβλινα *calceos papyraceos*, teſtatur Herodotus. *libro* II. *cap.* VII. Phœnicum Sacerdotes *lineos* habuere, auctore Herodiano, *libro* V. ubi de quodam ſacrificio *cap.* XIII. τὰ δὲ σπλάγχνα τῶν ἱερουργηθέντων, τάτε ἀρώματα ἐν χρυσοῖς σκεύεσιν ὑπὲρ κεφαλῆς. οὐκ

οἰκέται

οἰκέται δέ τινες, ἢ εὐτελεῖς ἄνθρωποι ἔφερον ἀλλ' οἵτε ἔπαρχοι τῶν στρατοπέδων, καὶ οἱ ἐν ταῖς μεγίσταις πράξεσιν: ἀνεζωσμένοι οἱ μὲν χιτῶνας ποδήρεις καὶ χειριδωτοὺς, νόμῳ Φοινίκων, ἐν μέσῳ φέροντες μίαν πορφύραν: ὑποδήμασί τε λίνου πεποιημένοις ἐχρῶντο, ὥσπερ οἱ καὶ ἐκεῖνα τὰ χωρία προφητεύοντες. *Exta vero victimarum , & aromata , vaſis aureis capiti impoſita , geſtabant ; Non quidem famuli aliqui , & viles ſed primi inter milites , & ii qui rebus maximis incumbebant : Induti tunica talari & manuleata , Phœnicum more ,* (quæ verba νόμῳ Φοινίκων, doctiſſimus Politianus non expreſſit) *unamque in medio purpuram ferentes ; lineis autem calceamentis utebantur , ut vates in illis regionibus ſolent.* Dialis Sacerdos & Flaviales crepidati erant , ſaltem tempore Domitiani , & forte ejus juſſu , eodem enim habitu quo Domitianus amicti fuerunt, teſte Suetonio *in vita Domitiani , cap.* IV. *Certamini* , ait , *præſedit crepidatus , purpureaque amictus toga Germanica , capite geſtans coronam auream cum effigie Iovis , ac Iunonis , Minervæque : aſſidentibus Diali ſacerdote & collegio Flavialium pari habitu : niſi quod illorum coronis inerat & ipſius imago.* Larenſium Pontificem calceatum tradit Athenæus *libro* VII. ἐσθῆτάς τε , inquit , ἔχομεν καὶ ὑποδέσεις εὐτελεῖς. Appianus *de bello civili , libro* V. docet : Athenienſium & Alexandrinorum Sacerdotes calceamenta alba geſtaſſe , quæ phæcaſia vocabant. Καὶ στολὴν εἶχε, loquitur de Antonio , τετράγωνον Ἑλληνικὴν ἀντὶ τῆς πατρίου, καὶ ὑπόδημα ἦν αὐτῷ λευκὸν Ἀττικὸν, ᾧ καὶ Ἀθηναίων ἔχρουσιν ἱερεῖς καὶ Ἀλεξανδρέων, καὶ καλοῦσι φαικάσιον. *Habuit autem ſtolam quadratam græcanicam , pro patria , & calceum induit album Atticum. quibus Athenienſium & Alexandrinorum ſacerdotes utuntur , & quos phæcaſia vocant.* Sed phæcaſia calceamenta fuiſſe Philoſophorum & Sacerdotum , jam diu demonſtratum eſt a doctiſſimo Balduino *de calceo , cap.* XIX. Plurimos Sacerdotes & ſacrificantes reperies in nummis antiquis calceatos : ut in nummis Heliogabali , aut potius Algabali , Antonini Pii , Aurelii & aliorum. vide Choulium *de Religione antiquorum Romanorum pag.* LXXVII. & CCXVII. & CCLXXIX. Et in marmore Romæ reperto , apud eundem *pag.* CCXCVIII. Ejuſmodi ſacrificulum calceatum vide apud Ferarium , *de Re veſt. lib.* I. *cap.* X.

XLVIII. Sed quamvis plurimum calceati , ſæpiſſime tamen diſcalceati , operabantur gentilium Sacerdotes. Silius Italicus *de bello Punico libro* III, Herculis ſacerdotem nudis pedibus introducit. Sic enim de toto illius veſtitu : *nec*

——— nec diſcolor ulli
Ante aras cultus; velantur corpora lino,
Et Peluſiaco præfulget ſtamine-vertex.
Diſcinctis mos thura dare, atque e lege parentum.
Sacrificam lato veſtem diſtinguere clavo.
Pes nudus, tonſaque comæ, caſtumque cubile,
In reſtincta focis ſervant altaria flammæ.

Sane virgines veſtales nudis ſacrificaſſe pedibus, patet ex Floro, *libro* I. I. *cap.* XIII. ubi narrans ob Gallos imminens periculum, inter alia autem hæc habet: *virgines ſimul ex ſacerdotio Veſtæ, nudo pede fugientia ſacra comitantur.* Ovidius *libro* VI. *Faſtor*: tradit, matronas Romanas ædes veſtæ Deæ nudis pedibus adiiſſe.

Hac pede matronam nudo deſcendere vidi.

Virgines veſtales ſacra feciſſe, nudis pedibus, non approbat doctiſſimus Bynæus. De calceis Hebr. lib. 2. cap. 5. *Putat ſcilicet, id quod Florus habet, de veſtalibus, nudo incedentibus pede, intelligendum eſſe de fuga, ob imminens a Gallis periculum, & quod apud Ovidium legatur, factum eſſe certo Religionis & ſuperſtitionis ritu. Eadem ab alio viro docto mihi jam fuere propoſita. Cum tamen talia apud auctores legantur, quemadmodum oſtendi, & cum omnes imagines, non ſolum veſtæ Deæ, ſed & ipſarum veſtalium virginum, hactenus a me aliter conſpectæ non ſint, quam nudis pedibus, in mea perſtabo ſententia, donec contrarium demonſtratum fuerit. Notandum eſt, Florum exſertis verbis dixiſſe*: Virgines ſimul ex ſacerdotio veſtæ, nudo pede fugientia ſacra comitantur. *Sunt verba Flori. Inde colligo, Virgines nudo pede ſacra feciſſe Veſtæ jam ante fugam, ut non opus habuerint, nudare pedes ad fugam. Sed & calceatæ multo commodius fugiſſent, quam nudis pedibus. Si forte dicas: calceos eas exuiſſe, ut honore afficerent ſacra: reſpondeo eadem ſacra eundem exegiſſe honorem, in faciendis ſacrificiis. Adde non admodum eſſe veriſimile, inſtans periculum multum conceſſiſſe temporis ad denudandos pedes. Tandem, ſi vel maxime ego peccaſſem, inde conjiciendo, virgines veſtales nudis pedibus ſacra feciſſe, quid peccaverunt Caſaubonus & Balduinus? qui nihil habent, niſi gentiles* pleriſque religionis ſuperſtitioniſve ritibus obeundis calceos poſuiſſe. *Sunt verba Caſauboni ad* Aug. cap. c. *Vellem doctiſſimus Bynæus tantis ſaltem viris pepercisſet, cum iis contradicendum non ſit, niſi rationes habeamus clariſſimas atque indubitatas, quæ lectorem penitus convincant.*

Tales

XLIX. Tales quoque fuiſſe poſtea Auguſtales, patet ex nummo Caligulæ æneo Choulii pag. CCLXVIII. Dianæ ſacra nudis pedibus facta fuiſſe, colligere quis poteſt ex Solino *Polyhiſtore cap.* XVII. *Cretes*, inquit, *Dianam religioſiſſime venerantur*, Βριτόμαρτιν *gentiliter nominantes, quod ſermone noſtro ſonat virginem dulcem. Ædem numinis præterquam nudus veſtigia nullus licito ingreditur.* De iiſdem Dianæ ſacerdotibus diſcalceatis mentionem quoque facit Strabo *libro* XII. Εν τοῖς Καστα6άλοις, inquit, ἐστὶ τὸ τῆς Περασίας Ἀρτέμιδος ἱερὸν, ὅπου φασὶ τὰς ἱερείας γυμνοῖς τοῖς ποσὶ δι᾽ ἀνθρακίας βαδίζειν ἀπαθεῖς. *Apud Caſtabala Paraſiæ Dianæ fanum eſt, ubi narrant ſacrificulas nudis pedibus, per prunas ambulare, illæſas*; ubi notandum eſt, interpretem Latinum, non ſatis mentem auctoris aſſequutum fuiſſe, quum dicit, *illæſis pedibus* tantum, non vero *nudis pedibus*, quod tamen textus Græcus, & religio Dianæ poſtulat. Idem Strabo *lib* VII. loquitur etiam de muliercculis quibuſbam vatibus canis, apud Cimbros, quæ caſtra ſequebantur, ζῶσμα χαλκοῦν ἔχουσαι. *Cinctu æreo & diſcalceatæ.* Notatur etiam Triumphales coronatos & nudis pedibus ſacra feciſſe. Nihil jam addam de nudipedalibus. Notiſſimum etiam eſt Symbolum illud Pythagoræ: ἀνυπόδητος θύε καὶ προσκύνει. *Diſcalceatus ſacrifica & adora.* vide Jamblichium de vita Pythagoræ, *Symb.* III. Hoc ſibi etiam vult Prudentius, *Periſteph. hym.* XIV.

Nudare plantas ante carpentum ſcio
Proceres togatos matris Idææ ſacris, &c.

In antiquis marmoribus atque nummis reperies multos popas, & ſacerdotes quoſdam, imo genios & Deos, toto corpore nudos, de quibus capite primo egimus: alios etiam nudis pedibus tantum; veluti Claudii, Marci Antonii, Domitiani, in Græco Hadriani, Veſpaſiani, Juliæ piæ, Clodii, Fauſtinæ & aliorum. vide Choulium de *Relig. Antiquorum Rom. pag.* CLXIV. & CLII. CCXXXV. & CCXXXVII. & CCLXXXIV. vide etiam marmora apud eundem *Pag.* CCLXXXIII. CCCI. CCCXII. CCCXV. CCCXXXIV. CCXXXVI. CCCXXXIX. & alibi. Sed multi alii diſcalceati fuerunt, veluti veneficæ in ſacris magicis, quæ altero pede nudæ erant. Virgilius *Æneid lib.* IV.

Unum exuta pedem vinclis in veſte recincta.

Et Ovidius; *metam. lib.* VII. Ubi de Medea.

Tectis egreditur veſtes induta recinctas,
Nuda pedem. nudos humeros infuſa capillos.

Et Seneca de eadem Medea, *in Medea. Act.* IV. *Sc.* II.

Tibi more gentis vinclo ſolvens comam,
Secreto nudo nemora luſtravi pede.

De hiſce plura vide apud Balduinum, *de Calceo Antiquo.*

L. Igitur non ſolum Hebræorum ſacerdotes nudis pedibus ſacra faciebant in Templo, ob inſignem loci ſanctitatem, ſed ne laicis quidem calceatis templum ingredi licuit. Atque id ipſum etiam obſervatum fuit apud gentiles, eadem de cauſa. Quid? apud Turcas crimen eſſet morte piandum, propter eandem ſanctitatem, ſi diis placet, loci. Vide Georg. Douſæ Iter Conſtantinop. pag. XXXVI Ubi ſemetipſum calceos extrahere coactum fuiſſe, ante Templum Sophiæ, ut intrare ipſi liceret, fatetur. Ipſi etiam Brachmanes apud Indos eadem ſuperſtitione hodie laborare, docet Rogerius, olim paſtor Societatis Indiæ apud iſtos populos, in libro ſane non contemnendo, quem de Braminum, aut Brachmanum ritibus & Relig. conſcripſit. Narrat enim eos *pagoda*, id eſt Templa aut Deorum ſuorum delubra non ingredi, niſi detractis calceis ob ſanctitatem. *Libro* II. *cap.* X. Sed quis neſcit id ipſum, ad hunc uſque diem, aliquando obſervari a Pontificiis? Hinc non tantum maxima pars monachorum nudis pedibus, aut unica tantum ſolea pedibus aligata, incedunt, nec vulgus ſolum in ſacris publicis, quas proceſſiones vocant, calceos negligunt, ſed ipſi etiam Epiſcopi & antiſtites calceos exuere jubentur, ſi cum Pontifice R. ſacellum ad adorandam crucem intrare velint. Sane non poſſum hic ſilentio præterire, quod hoc ipſo die IV. Cal. Mai. anni CIↃ IↃ CLXXI. legi, in *novellis*, quas vocant, aut etiam *currantibus* Harlemenſibus. Narratur ibi, die Veneris ante feſtum Paſchatis, Epiſcopos, qui Romæ erant, cum Pontifice ſacellum intraſſe, ut crucem, patrio ritu, venerarentur, relictis Epiſcoporum calceis ante fores ſacelli: proculdubio, quia locus ſanctus reputabatur. Sed de calceo ſatis.

LI. Inter veſtes ſuperfluas, poſſumus etiam numerare: quæ ſummo Pontifici Hebræorum falſo attribuit Plutarchus, loco ſupra jam a nobis laudato, *lib.* IV. *Sympoſiacon*; ubi, præter calceos, ſive cothurnos, docet eum tectum fuiſſe pelle hinnuli auro contecta. Nam ut probaret Judæos Baccho ſacrificaſſe, ſic ſermocinatur:

cinatur: πρῶτον μὲν ὁ ἀρχιερεὺς ἐλέγχει, μιτροφόρος τε προϊὼν ἐν ταῖς ἑορταῖς, καὶ νεβρίδα χρυσόπαστον ἐνημμένος, χιτῶνα δὲ ποδήρη φορῶν καὶ κοθόρνους. κώδωνες δὲ πολλοὶ κατακρέμανται τῆς ἐσθῆτος, ὑποκομποῦντες ἐν τῷ βαδίζειν (ὡς καὶ παρ' ἡμῖν ψόφοις χρῶνται περὶ τὰ νῦν τέλεια) καὶ χαλκοδρυτὰς τοῦ θεοῦ τιθήνας προσαγορεύουσι. καὶ ὁ δεικνύμενος ἐν τοῖς ἐναντίοις τοῦ μετεώρου θύρσος ἐντετυπωμένος καὶ τύμπανα. ταῦτα γὰρ οὐδενὶ δήπουθεν ἄλλα θεῷ ἢ Διονύσῳ προσήκειν. *Primum enim hoc arguit Pontifex Max. qui diebus feſtis mitratus ingreditur, hinnuli pellem auro contectam indutus, tunicamque talarem & cothurnos geſtans: multa autem tintinnabula dependent de veſte, quæ inter ambulandum ſtrepitum edunt (ut & apud nos ſonitibus nunc utuntur in ſacris) & æratas Dei nutrices appellant, monſtraturque in adverſis ſublimi thyrſus expreſſus, & tympana, quæ ſane non alii Deo, quam Baccho conveniunt.* En totum fere veſtitum Summi Hebræor. Pontificis, ſecundum Plutarchum. Baccho quidem omnia conveniunt iſta, ut optime ipſe teſtatur. Non quod adfirmen Sacerdotes Bacchi aut Bacchantes tintinnabula veſtibus habuiſſe appenſa; quamvis in Regum Perſarum veſtibus, non minus quam in Iudæorum S. Pontificis pallio, appenderentur, ut ex *Targum Scheni* Eſteris cap. VI. X. infra lib. II. cap. V. docemus; ſed quod uterentur cymbaliſ & tympanis, quocuneque id factum fuerit modo, in pedibus, variiſque aliis modis. Bacchantes, Galantes & Corybantes multis in ſuis ritibus, uſos fuiſſe ſonitibus tympanis & tintinnabulis, luculenter teſtatur Strabo *lib.* XV. *Geogr.* Διονυσιακὸν δὲ, καὶ τὸ σινδονοφορεῖν, καὶ τὸ μιτροῦσθαι καὶ μυροῦσθαι καὶ βάπτεσθαι ἄνθινα, καὶ τοὺς βασιλέας κωδωνοφορεῖσθαι καὶ τυμπανίζεσθαι κατὰ τὰς διεξόδους. *Bacchicum eſt, ſindonem & mitras geſtare, & ungui, & floribus tingi,* & *Reges, quando exeundum, ferre tintinnabula & tympana* aut, ut vertit Xylander, *tympana ac tintinnabula exeuntem Regem præcedere.* Nuſquam clarius, quam apud eundem Strabonem *Geogr. libro* X. ὡς δὲ τύπῳ εἰπεῖν, καὶ κατὰ τὸ πλέον ἅπαντας ἐνθουσιαστικοὺς τινας καὶ βακχικοὺς, καὶ ἐνοπλίῳ κινήσει, μετὰ θορύβου, καὶ Ψόφου, καὶ κυμβάλων, καὶ τυμπάνων, καὶ ὅπλων, ἔτι δ' αὐλοῦ καὶ βοῆς ἐκπληττόντας κατὰ τὰς ἱερουργίας. *Ut paucis dicam, omnes enthuſiaſtici & Bacchantes armata ſaltatione, cum tumultu & ſtrepitu, tintinnabulis, tympanis, armis tibia, & clamore in ſacrificiis perterreat homines.* Paulo poſt citat carmina Pindari de Bacchicis, ubi iterum fit mentio de *Cymbalis* atque *crepitaculis.* Et Æſchyli verſus: ubi de iiſdem. Baccho itaque tintinnabula,

 tym.

tympana, & ejuſmodi inſtrumentorum ſonitus fuit familiaris, ut apud Plutarchum. Vehementer tamen deceptus eſt magnus vir, religionis Hebræorum minime intelligens, Deus enim ipſi ſtatuta ſua non revelavit, ut populo ſuo electo ſoli, Pſalmo CXLVII. Sed & alium errat errorem, nempe quod Judæorum religioni adſcribat *Thyrſum*, qui in Bacchi ritibus vix abeſſe poterat, ut ubique teſtantur Poetæ; & ipſe etiam Strabo, loco modo citato. Decepti ſunt Plutarchus aliique ex Gentilibus, ut eſt admodum veriſimile, quod in feſto Tabernaculorum obſervaverint, Judæos magna frequentia ſumere, non procul a civitate Hieroſolomitana, in loco dicto מוצא *Moze*, ſalicum ramices prælongas, eaſque magno ritu atque gaudio deferre per civitatem in Templum, quas altari appoſuerunt, ita ut cuſpides in altare inclinarentur. De quo legatur Codex *Succah*, *cap.* 1. *&* 4. Forte quod viderint Judæos in templo, & in Synagogis, eodem feſto, circumferre & agitare ad quatuor plagas mundi לולב *Lulaf*, faſciculum. De quo in eodem codice. Duo igitur veſtimenta Pontifici M. attribuit, quæ ille tamen nunquam gerebat, *cothurnos*, & *pellem hinnuli*. De cothurnis ſupra. Figmentum fuiſſe ſatis apparet, cum ſacerdotes Hebr. nullum calceamenti genus habuerint. De pelle hinnuli idem plane judicandum eſt. Nam ex falſiſſimo præjudicio S. Pontifici utrumque adſcribit: Putavit enim Hebræos Baccho ſacrificaſſe, iiſdemque ritibus, quibus ipſi Ethnici ſolebant, adeoque ipſe addit: ὡς ϗ παρ' ἡμῖν: *ut & apud nos*. Moris etiam fuiſſe, Bacchum & Bacchantes pelle hinnuli veſtiri, certum eſt. Hinc ipſe Bacchus Νεβρώδης, id eſt, *pelle hinnuli veſtitus*, vocatur in veter. Epigram. εἰς Βάκχον, ubi fere omnia epitheta ejus recenſentur. Et in Orphei hymnis vocatur, νεβριδόστολος. vide τελετηρικοῦ θυμίαμα ἀρώματα. Nec prætereundum, veteres Hebræorum pellibus veſtitos fuiſſe, ut teſtatur Apoſtolus Epiſtola ad Hebræos cap. XI. forſan antiquiſſimus ille mos Plutarchum in errorem induxit. Miſeri enim Ethnici religionis Hebræorum non valde periti, fortaſſis colligebant, eorum etiam Sacerdotes ejuſmodi pellibus indutos ſacra feciſſe. Interim Plutarchus hic verba facit, non de quavis pelle hinnuli, aut Leopardi, ut in ſacris Bacchi fieri ſolebat, ſed pelle χρυσοπάστῳ *auro tecta*.

LII. Tandem circa hunc numerum veſtium non tantum gentiles errarunt, ſed ipſi quoque Judæi, ſi tamen Judæi fuerunt, qui hiſtoriam

ſtoriam Judithæ concinnarunt. Legimus *capite* IV. *verſ.* IX. & XVI. XVII. *Et Iojakim Sacerdos magnus, omneſque qui aſtabant coram Domino Sacerdotes, & qui miniſtrabant Domino, ciliciis accincti lumbos ſuos offerrent holocauſtum juge, & vota, & voluntaria dona populi. Et verſante cinere ſuper ipſorum cidares, inclamarent Dominum omnibus viribus, ut benigne reſpiceret in totam domum Iſraelis.* Sed quam ſuſpecta ſit hiſtoria iſta, doctis notum eſt. Miror ſane, ſi non omnia a Græculo quodam, rerum Hebræarum neſcio, prolata fuerint. Hebræi ejuſmodi exempla omnia ignorant. Et præterquam quod inquinamenta cinerum cum ſanctitate & munditie ſacerdotii, templique non conveniant, ſaccus apud eos eſſet יתר בגדים *redundantia veſtium.* Si tamen hæc vera eſt hiſtoria, non fabularis Philoſophia, quod multo veriſimilius, id tum factum fuit procul dubio præter morem, in ſumma calamitate, & fortaſſis expreſſo mandato Dei: quemadmodmm ejuſmodi quid factum eſt, a Pontifice M. Jaddo, ſive Symeone Juſto, tempore Alexandri Magni, de quo infra plura dicemus, nbi de veſtibus ſacris extra templum diſſeremus. Reperio tamen apud Joſephum hiſtoriam, quæ non multum a Judithæ diſcrepat. *Libro* II. *De bello Iudaico cap.* XV. Pontificem M. & reliquos Sacerdotes, poſtquam omnia tentaſſenr, ut Judæos moverent, militibus Cæſarea venientibus, obviam ut irent, prout Florus id poſtulavit, quo tandem a furore ac ſævitia deſiſteret: tandem, ubi viderunt ſe nihil profeciſſe, ſparſis cineribus capitibus, & pectora, diſruptis veſtibus, nuda monſtraſſe. Τοὺς δὲ, inquit, ἀρχιερεῖς αὐτοὺς ἦν ἰδεῖν καταμωμένους μὲν τῆς κεφαλῆς κόνιν, γυμνοὺς δὲ τὰ στέρνα τῶν ἐσθήτων περιερρηγμένων. *Erat autem videre ipſos principes ſacerdotum, ſparſis cinere capitibus, & laceratis veſtibus pectora nuda oſtendere.* Hæc in ipſo Templo facta eſſe, ex antecedentibus ſatis liquido conſtat. Sacerdotes enim εἰς τὸ ἱερὸν τὴν πληθὺν συναγάγοντες, *multitudine in Templo convocata* hæc fecerunt. *Omnes etiam Sacerdotes, omneſque Levitæ ſacra vaſa proferentes ornatumque Templi* (Græce καὶ τὸν κόσμον ἐν ᾧ λειτουργεῖν ἔθος, id eſt, *veſtes* in quibus fiebat עבודה λειτουργία miniſterium) *cithariſtæ etiam & cantores cum Muſicis organis procidebant ante multitudinem, ut illum Templi honorem cuſtoditum eſſe vellent, neque ad direptionem vaſorum ſacrorum Romanos contumeliis incitarent.*

LIII. Cæterum etſi Hebr. Sapientes ſolicite admodum caverint,

ne ſacerdos יתר בגדים eſſet, id eſt, plures haberet veſtes quam lex permiſit, docent nihilominus eos etiam inter miniſtrandum תפלין ſive phylacteria geſtaſſe, quemadmodum & ipſi faciunt laici. Nota ſunt verba Moſis Exodi C. XIII. verſ. XVI. והיה לאות על ידכה ולטוטפות בין עיניך: *Et erit pro ſigno ſuper manu tua, & pro totaphoth inter oculos tuos*. Et Deuter. cap. VI. VIII. וקשרתם לאות על ידך והיו לטוטפת בין עיניך: *Et ligabis ea pro ſigno ad manum tuam, & erunt pro totaphot inter oculos tuos*. Nolo jam operoſe diſputare de ſignificatione vocis *Totaphot*, utrum ſignificet ἀσάλευτα ut volunt ſeniores; an *mobilia*, ut potius velle videtur vulgatus. An *conſpicilla*, an *frontallia*, ut alii. Dicam tantum Talmudicos, ut ſunt ingenioſi, phylacteria inde expiſcatos eſſe. Quatuor ſcilicet ſchedulas, quibus inſcriptæ ſunt ſectiones quædam, ſive verſiculi ex libris Moſis, quas quatuor ex corio cellulis includunt inſtar amuleti, (unde etiam in *Gemara Schabath*, c. I. *fol.* LIV. *b*. dicuntur *totaphoth*. חומרתא דקטפיתא *alligamenta ad abſcindendum*, ſc. pepericulum ab hoſte, vel invido, quomodo etiam tradunt recutiti, neceſſe eſſe ut phylacteria in precibus adhibeantur, בשביל להבריח את המזיקין: *ad fugandos nocentes*. *Tal. Hieroſ. fol.* II.) ex hac voce probari putant. Dicunt enim טט in Kaſpe ſignificare *duo*, & פת in Aphrica totidem, ut טטפת ſit quaſi *duo duo*, aut *bis duo*, i.e. *quatuor*, ob quatuor ſchedulas. Duo etiam habent phylacteria, quorum quædam manui ſiniſtræ, quædam vero fronti alligant, ideo quia dicitur: erunt pro ſignis *ſuper manus*, & *inter oculos*. Chaldæus תפלין habet: unde & hodie non aliter vocantur à Judæis. Diſtinguunt igitur inter תפלין של יד *phylacteria manus*. & תפלין של ראש *phylacteria capitis*. illa manui ſiniſtræ, ut diximus, hæc fronti applicant. vide *Menachot. fol.* XXXIV. *b*. R. S. J. ad Exodi cap. XIII. & Deut. VI. Et Buxtorfii Lexicon, ad vocem טטפות. Ex hiſce locis igitur ſibi fabricarunt (quo jure qua injuria, jam non diſquiro) ejuſmodi amuleta, quæ manui & capiti alliganda ſint Sacerdotibus, Levitis & Iſraelitis, de quo vide etiam *Toſephoth. ad Gemaram cap.* VI. *Schabath*. Hiſce hodie non utuntur, niſi quando ſtatas ſuas preces deblaterant; ſed olim ſanctiores ſemper fronti annexa habuere, ideo magno faſtu atque ſuperbia iis ornati in publicum exſpatiabantur, quo exactiores legis & traditionum obſervatores a vulgo haberentur. Quod jam inde a Chriſti temporibus obſervatum fuiſſe a Scribis & pharizæis, ex Euangelio Matth. cap. XXIII.

V.

v. conſtat, quam ſuperſtitionem & hypocriſin etiam ipſe Salvator iis exprobavit his verbis: *πλατύνουσι δὲ τὰ φυλακτήρια αὐτῶν.* Tradunt igitur Hebr. Doctores, Sacerdotes potuiſſe etiam inter miniſtrandum fronti applicare ejuſmodi phylacteria תפלין של ראש *phylacteria capitis*, Sed non תפלין של יד *phylacteria manus*, quia manibus operandum erat: Sed tunc phylacteria res ſanctas a manibus ſeparaſſent, cum tamen nulla חציצה *ſeparatio* eſſe debuerit inter ſacerdotis carnem & ſancta. De his vide Gemaram Babyl. *Maſſechet Sevachim*, *cap.* II. *fol.* XIX. Ubi docent ſacerdotem liberum eſſe a phylacteriis, id eſt, poſſe eum illa gerere tempore miniſterii, ſi velit, exceptis tamen phylacteriis manus, quæ tunc neceſſario debent deponere, propter ſeparationem, tandem ſic concludunt: מאי שנא
דיד דכתב ילבש על בשרו שלא יהא דבר חוצע בינו לבשרו דראש נמי כתיב
ושמת המצנפת על ראשו תנא שערו היה נר' בין ציץ למצנפת ששם מניחין תפלין׃
Sed quid manus differt? (a capite) *quia ſcriptum eſt*: Et veſtiet ſuper carnem ſuam. Lev. VI. & Exodi XXIX. *Ne quid ſeparet veſtes a carne. Sed de capite etiam dictum eſt:* Et pones cidarim ſuper caput ejus. *Docent capillos Pontificis M. conſpici inter laminam & cidarim, ubi ponunt phylacteria.* Hinc etiam Maimonides *Hilch. Kele. Hammikdas. cap.* X. VI. אין הכהן יכול
לעבוד בתפלין של יד שהרי חוצצת · אבל של ראש אינה חוצצת · ואם רצה
להניחם בשעת העבודה להניחם: *Pontifici non licet miniſterium peragere cum phylacteriis manus, quia daretur ſeparatio. Sed capitis phylacteria non ſeparant, ideo, ſi ea applicare fronti voluerit, tempore miniſterii, licitum erit. Et Hilch. Thephillin cap.* IV. *Hal.* XIII: כהנים בשעת העבודה והלוים כשעה שאומרים השיר על הדוכן וישראל בשעה שעומדים במקדש פטורין מן התפלה ומן התפלין: *Sacerdotes tempore miniſterii, & Levitæ quum recitant canticum e ſuggeſtu, & Iſraelitæ quando ſtant in ſanctuario, liberi ſunt a precatione & a phylacteriis.* Quomodo Pontifex M. phlacteria fronti alligaverit, infra docebimus, ubi de lamina aurea & cidari verba faciemus.

LIV. Hebræorum doctores fere ſemper eodem loco habent ציצית *peniculamenta*, quo phylacteria. Ideo Sacerdotes ea gerere debuiſſe, etiam tempore miniſterii, non minus ac cæteros Judæorum, videtur. Quid ſint ציצית videre eſt Numer. c. XV. v. XXXVIII.
ועשו להם ציצית על כנפי בגדיהם לדורתם ונתנו על ציצת הכנף פתיל תכלת׃

Et

Facient ſibi peniculamentum in oris veſtimentorum ſuorum per generationes ſuas; & adhibebunt peniculamenta ipſius oræ filum hiacinthinum. Non dicam quanto ſtudio & quam ingenioſe fieri ſoleant, quanta ſubtilitate iis ſignificent ſexcenta tredecim præcepta, quæ תרי״ג ſolent vocari; quorum CCXLVIII. ſunt מעשה *jubentia*, quot numerant membra in corpore humano, quia homo omnibus membris mandata Dei præſtare debet. Et CCLXV. לא מעשה præcepta *prohibentia*, pro numero dierum anni; quia Deus jubet ne ullo die homo a ſuis mandatis recedat. Sic igitur habent præcepta jubentia & prohibentia DCXIII. Tot autem debent eſſe præcepta, quia תורה Lex, totidem ſignificat בגימטריא, geometrice uti ajunt, in *Maſſechet Maccoth*, *Gemara fol.* XXIII. *b.* & alibi. Magnum igitur myſterium ſub his fimbriis, ſive peniculamentis, latet, nec minor religio & ſanctitas, ſi diis placet, quam in phylacteriis; Ideo pallio ſemper adnexa eſſe debebant. Hinc non minori faſtu ac hypocriſi hiſce utebantur, quam illis. Fimbrias etiam producebant, quemadmodum philacteria dilatabant, id eſt, longas fimbrias geſtabant, ſive ipſæ fimbriæ revera longæ fuerint, & longiores quam hodie (nam hodiernæ quindecim digitorum longitudinem non excedunt) ſive in longa veſte, qualem divites & viri honorati geſtare ſolebant, longiores propenderint, quo ſanctiores & devotiores viderentur apud vulgus. Ut videre eſt vel in ſolo illo בן ציצית הכסת *Ben zizit Hacciſſah.* qui ita vocabatur שהיתה ציצתו נגררת על גבי כסתו: *quia peniculamenta ejus trahebantur ſuper pulvinaribus.* Nempe ditiſſimus civis erat Jeruſalemitanus, qui non niſi tapetibus ſubſtratis inambulabat; forte inſtar divitis illius epulonis, de quo Chriſtus Lucæ cap. XVI. Sed de longis illis & ſuperbis fimbriis vide Gemaram *Codicis Gittim*, *fol.* LVI. *a.* Ad ejuſmodi etiam fimbrias reſpexiſſe Salvatorem, apud Matthæum cap. XXII. verſ. V. Nullus dubito. *μεγαλύνουσι τὰ κράσπεδα τῶν ἱματίων αὐτῶν producunt fimbrias palliorum ſuorum.* Hunc morem fuiſſe Scribarum ac Phariſæorum, atque hoc illis exprobraſſe Chriſtum, audacter adfirmo. *μεγαλύνουσι* enim *κράσπεδα αὐτῶν*, id eſt, ſecundum Gemaram, admodum longas fecerunt fimbrias illas, שהיתה ציצתו נגררת על גבי כסתו ut *traherentur fimbriæ ejus uſque ad ſolium aut ad pulvinaria ejus.*

L V. Cum vero tanta religione verpuli hiſce uterentur, mirum non eſſet; ſi quis conjecturaret, ipſos ſacerdotes, qui ſancti-

ſanctitate nemini cedere volebant, idem quoque feciſſe. Sane id factum fuiſſe colligi poſſe videtur ex Moſe Maimonide, *Hilch. Kele Hammikd. cap.* x. *Hal. ultima.* כהנים שלבשו בגדי כהונה שלא בשעת עבודה אפילו במקדש לוקין מפני האבנט שהוא כלאים ולא הותרו בו אלא בשעת עבודה שהיא מצוה עשה כציצית : *Sacerdotes, qui induti erant veſtibus ſacerdotii extra tempus miniſterii, etiamſi factum fuerit in Sanctuario, vapulabant, propter balteum, quia ex materia duplici conſtabat, nec permittebatur niſi tempore miniſterii, quia eſt præceptum jubens, ut & fimbriæ.* Videtur igitur Maimonides ſacerdotibus ſimbrias attribuere, non minus quam balteum, & ſtatuere, licitas fuiſſe tempore miniſterii, etſi in iis etiam mixti quid fuerit. Sed forte alia fuit mens Maimonidæ. Docent etiam recutiti מצוה לא דוחה מצוה *mandatum mandato non deſtrui.* Cum igitur ſimbriæ mandentur, non minus quam ipſæ veſtes ſacræ, veriſimile eſt, ſacerdotes perinde ad illas quam ad has obligatos fuiſſe. Nec ulla ratio dari poſſe videtur, ob quam magis prohibitæ fuerint ſimbriæ quam phylacteria. Verum: מצוה פוטר מן המצוה *mandatum a mandato liberat.* ut Gemara *Maſſechet Sevachim cap.* 11. ad phylacteria tradit. Sed illud tantum ita intelligendum eſt: alterum alteri contrarium eſt, aut alterum ab altero liberat, cum ſimul conſiſtere non poſſint; veluti phylacteria manus ſacerdos, gerere non poteſt, quia ſepararent res ſacras a carne, id eſt a manu ſacerdotis, ut modo docuimus; ideo magiſtri remonent phylacteria manus a ſacerdote, non vero capitis, quia nihil impediunt. Sed utrum revera habuerint fimbrias ſacerdotes, & utrum fimbriæ appenſæ fuerint in ipſis בבגדי כהונה *veſtibus ſacerdotalibus*, & cui parti veſtium, an alio modo id factum fuerit, fateor me neſcire, cum hactenus ejuſmodi quid in Judæorum pandectis, me legiſſe, non meminerim, nec ſat otii jam detur, illa ulterius inquirendi.

Caput IV.

DE MATERIA PRIMORUM VESTIMENTORUM.

Primæ veſtes e foliis ficulneis. Ulyſſes foliis veſtitus apud Homerum. Veſtes Americanæ. Septentrionales. Veſtes ex avium ſpoliis e freto Davis. folia ficulnea maxima & umbroſa. Veſtes pelliceæ primorum parentum. Veſtes e foliis חגרת *cujus formæ? utrum* περιζώματα, *ſuccinctoria?* כתנות *Tunicæ pelliceæ cujus formæ? Inſtar turris, flammæ candelæ ardentis, aut paſtinacæ. Locus Mathnoth Cohanim tentatus. Ex quanam materia veſtes pelliceæ? Quid* עור *apud Moſen. An legendum* אור*? Senſus Bereſchith Rabba. Quo ſenſu veſtes pellis. Rabinorum ſententiæ. Origenis, Gregorii Nazianſeni, Genadii, Theodoreti & aliorum. Ex pedibus animalium. Corium ab Hebræo* עור. *Gomorrha à* עמרה *& Corvus a* ערב. *Pellis, vellus, vel* fel / vlies / velſ / pels / *pelliſſon & peletier, apud Germanos, Belgas & Gallos. Scorteum. Hinc ſcortum, Belgice,* een Vel / *pro meretrice. Pelles veſtium Adami unde. Utrum creatæ? an ab Adamo animalibus detractæ? Fuerunt pelles victimarum ad fœdus gratiæ. Signa notabilia in fœderibus.* כרת ברית *fœdus ferire & ſecare. Fœda porca. Fœdus & fides a* πείθω. *Mos porcum ſaxo ſilice percutiendi. Sancire fœdus. Utrum a ſanctitate an a ſanguine? Sanctum a ſanguine victimarum. Sanguis fœderis Chriſti. Pelles primarum victimarum Adamo relictæ, ut Sacerdoti. Lex Levitici cap.* VIII. VIII. *veſtes pelliceæ ſignum gratiæ Dei. Prima victimæ utrum hirci? an boves? Bos quem Adamus primum mactavit, unicum cornu habuit. Veſtes Adami ex pellibus hircorum. Eiſdem in ſacris uſi ſunt Abel, Noachus, Abrahamus, Iſaacus, Iacobus, Ioſephus & omnes primigeniti ad Aharonem uſque. Earum veſtium vis. Venerunt in manus Nimrodi. Eſavus, Nimrodo occiſo, eas abſtulit,* בגדי החמדות *Geneſeos* XXVII. *quo ſenſu dicantur. Eiſdem Rebecca Iacobum veſtivit. Earum odor Geneſ.* XXVII. *Odor Paradiſi. Alium odorem ſuper Iacobum quam ſuper Eſavum habuere. Ioſephus*

eas

eas dono recepit a patre Iacobo. Tunica Evæ nuper e Cœlo miſſa ad uxorem novi illius impoſtoris Sabbathi Zebi. Vera ſententia de earum odore. Typus ſuavi odoris Chriſti. Veſtes pelliceas ſacerdotales fuiſſe ridiculum. Eva utrum ſacerdos? Fœminæ ſacerdotes nullæ apud Hebræos. Veſtis pellicea naturæ congruens. Veterum Hebræorum veſtes ex pellibus. Locus ad Hebræos XI. XXXVII. *Prophetarum habitus. Eliæ* II. *Reg.* I. VIII. *Veſtes Iohannis Baptiſtæ Matthæi* III. IV. *Hebræi in ædificiis & victu lautiores quam in veſtitu. Veſtes ex pilis Camelorum in uſu apud Hebræos. Priſcorum Heroum veſtes pelliceæ. Bacchi, Palladis, Herculis, Niſi, Camillæ, Primorum Senatorum Romanorum, Ruſticorum Græciæ, Comicorum, Scytharum, Germanorum, Getarum, Hunnorum, Hungarorum. Lorica* θώρηκα. *Tabernacula militum pellicea, & lecti ſub pellibus hyemare. Scuta ſcortea. Scutum* σκῦτος. *hinc cutis. Ægis* αἰγὸς *galea &c. Fabula de pelle hiana. Suppellex. Gentiles pellibus in ſacris etiam utebantur. Falſorum Prophetarum habitus toga villoſa. Pellibus victimarum incubare ad capienda ſomnia. Iovi incubare. Dermire pro dormire a* δέρμα *pelle. Hieronymi expoſitio loci Eſaiæ cap.* LXV. *Ritus pellibus incubandi falſo Strabo Moſi attribuit. Fons erroris pelles Tabernaculo in deſerto adhibitæ. Nefas Carmentæ ſacello pellem inferre. Larenſii Pontificis pileus ex ovilla pelle. Homines pellibus tecti in marmoribus. Pelles in Lupercalibus. Error Plutarchi Pontificem M. Hebræorum Hinnuli pelle auro tecta veſtitum fuiſſe. Poſt exitum ex Ægypto nullæ veſtes pelliceæ in uſu, apud Sacerdotes Hebræorum.*

LVI. HActenus egimus de veſtium ſacerdotalium origine, de earum defectu, & redundantia. Ordo, quem nobis in hoc opere propoſuimus, poſtulat, ut jam de earum materia agamus. Et primo quidem de materia veſtimentorum ſacrorum in genere quædam dicemus; Deinde de materia veſtimentorum Pontificis M. ſub examen revocabitur. Jam primo capite monuimus, primas veſtes, quarum memoria exſtat inter mortales, factas fuiſſe ex arborum foliis. Enimvero nulla materia paratior eſt ad conficiendas veſtes, ſiquidem nulla Arachne, nulla Minerva, nulloque textore indigent folia, natura ipſa omnia pulcherrime concinnante. Folia illa fuiſſe ficulnea do-

cet Moſes; Ex eadem quoque arbore folia ſumpſiſſe Adamum, tradunt Hebræorum Magiſtri, ex qua fructum vetitum decerpſit Eva. Quod utrum verum an falſum, nolo propius examinare. Interim non mirum, Adamum in medio Paradiſi, inter arbores latitantem, folia ſibi aptaſſe ad tegendum corpus, cum obvia fuerint. Eodem plane modo, quo legimus apud Homerum *Odyſſeæ libro* VI. Ulyſſem nudum errantem inter arbores in denſa ſylva, ne nudus deprehenderetur a Nymphis, aut quæcunque illæ fuerint mulieres, quarum clamores audiverat, ramum & folia decerpſiſſe, quibus corporis pudenda tegeret.

——— θάμνων ὑπεδύσετο δῖος Ὀδυσσεύς,
Ἐκ πυκινῆς δ' ὕλης πτόρθον κλάσε χειρὶ παχείῃ
Φύλλων, ὡς ῥύσαιτο περὶ χροῒ μήδεα φωτός.
——— *Arbuſtis clam egreditur divus Ulyſſes,*
Ex denſa autem ſylva ramum fregit manu craſſa
Foliis ut tegeret circa corpus pudenda viri.

Quo quælibet res paratu facilior eſt, & magis obvia, eo illius uſus communior frequentiorque. Cum in America infinita, omnis generis avium multitudo ſit, ejuſdem terræ incolæ ex avium plumis & ſpoliis, veſtes quam maxime ſibi conficiunt. Indiæ populi Ichtiophagi, ædificia, naves & id genus alia, conſtruunt ex cetorum, quorum ibi eſt magna copia, oſſibus, auctore Strabone libro XV. Quod idem de extremæ Septentrionalis plagæ incolis teſtatur Olaus Magnus *libro* XXI. *cap.* XXII. Ejuſmodi veſtes elegantes, & cymbas ex freto Davis, magna copia, Fliſſingam allatas, aliquando vidimus, & quaſdam etiam poſſidemus. Ficulnea autem folia ſumpſit Adamus præ ceteris, aut quia magis obvia erant, illiſque propius adſtabant, aut quia aptiora videbantur. Solent enim calidioribus regionibus magis apud nos luxuriare, ut etiam aliquando inſtar panni, non exigui, fruſti, ſe conſpicienda præbeant. Plinius *libro* XVI. *cap.* XXVI. *Fico folium maximum umbroſiſſimumque.* Quicquid eſt, folia arborum, materiam præbuiſſe primis omnium, quæ inter homines memorantur, veſtibus, certum eſt. Sed hæc non cenſentur ſacerdotalia. Deinde cum in iis parum præſidii contra tempeſtatum inclementiam fuerit, ea non diu geſtabant primi noſtri parentes: mox enim, illis detractis, aliis amiciebantur, ab ipſo Deo O. M. ſapientiſſimoque, qui multo melius quam

Illi

illi, quæ inter mortales ad victum & veſtitum neceſſaria futura eſſent, novit.

LVII. Primæ igitur veſtes, quæ revera nomen veſtium merentur, & quas Deus O. M. ipſe Adamo & Evæ concinavit, ex pellibus factæ erant; ut prima omnium veſtium materia pelles fuerint animalium. Sic enim Moſes Geneſ. III. XXI. *Et fecit Dominus Deus Adamo & uxori ejus tunicas pelliceas, & veſtivit eos.* Sed hæc ab Interpretibus varie explicantur. Tunicas fuiſſe conſtat. Iſidorus Orig. libro XIX. cap. XXII. *Primum autem fuere pelliceæ tunicæ quibus offenſam & ejectionem de Paradiſo Adam & Eva induti ſunt.* Textus habet כתנות *chetuna, tunicas.* Septuaginta χιτῶνας, quod eſt ipſum כתנות & Latinum *tunica*: Nam *Tunicam* & χιτὼν originem habere ab Hebræo כתונה dubitare nemo ſanus poteſt, quod ſuo loco clarius demonſtrabimus. Quidam tamen *feminalia*, alii *ſuccinctoria* expoſuere. Veſtes fuiſſe ad tegendum corpus conſtat, eo magis, quod Moſes ſtatim addiderit, וילבשם *Et veſtivit eos.* Sed utrum femina tantum velaverint, ut feminalia & ſuccinctoria ſolent, qualem habitum etiam aliquando reperimus apud veteres popas & ſacerdotes, non facile crediderim. Id fortaſſis inde quis colliget, quod Moſes antea commate VII. dixerit Adamum & Evam ſumpſiſſe folia ficuum, & tegumentum inde ſibi confeciſſe; ubi habetur vox חגרת quam *ſuccinctoria* reddiderunt Interpretes. Seniores habent περιζώματα. Quid autem fuerint perizomata docet Origenes, *libro* XIX. *cap.* XXII. *Perizomatum*, inquit, *id eſt ſuccinctorium, quo tantum genitalia conteguntur. Hoc primum primi mortales e foliis arborum ſibi fecerunt, quando poſt prævaricationem erubeſcentes pudenda velabant. Cujus uſum quædam barbaræ gentes, dum ſunt nudæ, uſque hodie tenent*: ideo Belgæ **Schorten** exponunt. Quidam igitur credebant כתונות *Chetunoth* tunicas pelliceas ſuccinctoria fuiſſe, quaſi Deus poſtea pellicea ſuccinctoria illis ſubſtituiſſet, loco priorum, quæ ex foliis facta erant. Sed pelliceas tunicas veſtes fuiſſe, quæ totum corpus tegerent, non eſt quod dubitemus, hac enim plerumque ſignificatione venit vox כתונה *Chetunah*, ut & χιτὼν *tunica. Bereſchit Rabbah fol.* XXIV. formam ejus etiam explicare conatur שהם דומין לפיגם רחבים מלמטה וצרין מל מעלה: *Similes ſunt turri inferne amplæ, & ſuperne anguſtæ.* Et in Mathnoth Cohanim comparantur cum ardente candela, & cum forma herbæ, quæ in Aruch vocatur רוטא *Ruta*. Quid ſit רוטא

 fateor

fateor me ignorare, nam de *ruta* herba, id dici non poteſt. Suſpicor igitur ſcribendum eſſe כרוטא *Carotte*, & Belgice **Crooten** aut Germanice רובא Rübe quod paſtinacam ſignificat, aut רפא *Rapa*, quæ omnia figuram turris revera habent. Jarchius, ut Mathnoth Cohanim quoque docet, habet פנס' *pinſah*, *tuniculam*. Sed præcipua quæſtio eſt de materia, ex quanam conſtiterit illa tunica? Moſes quidem habet עור *ghor*, *pellem*. Bereſchit Rabbah ex mente Doctoris Meir, docet legendum eſſe כתנות אור *Tunicæ lucis*. Atque hinc etiam colligit qua fuerit forma: nempe (ut explicat ibi *Mathnoth Cohanim*) inſtar candelæ quæ flammam habet, inferne ampliorem, ſuperne vero acuminatam, inſtar turris, ut modo audivimus. Putant igitur, ut ſunt faceti, veſtes Adami primo ex luce fuiſſe, deinde lucem אור à Deo mutatam in עור *pellem*. Vide ibi *Mathnoth Cohanim*. Alii aliter. יצחק רביא אומר חלוקים היו כצפורן ונאים כמרגלים : *Iſaac Rabia dicit glabras fuiſſe, ut ungulas, & elegantes, ut margaritas*. Dixit etiam Doctor Iſaac, fuiſſe: ככלי פשתן הרקים הבאים מבית שאן : *Inſtar veſtimentorum, ex lino ſubtiliſſimo, quæ afferuntur ex Bethſchan*. Docetur etiam ibi, iſtas כתונות עור *tunicas pelliceas* ita vocari שהן דבוקין לעור *quia pelli adhærent*; talis eſt quælibet tunica interior. Doctor Samuel filius Nachman putat quod: צמר גמלים וצמר ארנבים היו כתנות עור· *Lanæ Camelorum & lana Leporum fuerint veſtes pellium*. Quare? שהן באין מעור *quia cum pellibus creſcunt*, aut *e pellibus proveniunt*. Hæc ſunt præcipuæ ſententiæ Judæorum de tunicis pelliceis Adami, prout a Rabboth recenſentur. Sed nolo nugas illas diutius proſequi, adeat ipſam Rabboth cui datum eſt. Utrum igitur illæ veſtes revera ex animalium pellibus factæ fuerint, non facile quis inde colliget. Sed nec inter Chriſtianos ſemper fuit eadem opinio. Origenes *tunicas pelliceas*, mortalia & caduca corpora interpretatur. Indignum enim putat ex Deo facere alutarium. Hæc ſententia quoque fuit ridiculi Præadamitarum auctoris. Gregorius Nazianzenus corporis nuditate exprimi vult, immortale prius, & nullis obnoxium morbis, Adami corpus; veſtibus vero, mortalitatem, gravitatem, ac infirmitatem, quæ corpus illud invaſerunt. De hiſce vide *Origeniana* doctiſſimi Huetii, *libro* II. *Quæſt.* XII. Heidegerum *de vita Patriarcharum*, *parte* I. *pag.* CLVIII. Genadius arborum *cortices* fuiſſe putat, quaſi Deus pro prioribus foliis, cortices arborum dediſſet. Sed a Theodoreto docte refutatur. Sane

ne עור *ghor* nunquam corticem arborum ſignificaſſe, cum aliis non auſim adfirmare. Saltem apud Rabinos pro cortice aliquando ſumi, notiſſimum eſt.

LVIII. Sed quicquid alii nugentur, עור plerumque pelles ſignificare in ſacra Scriptura, certum eſt. Derivatur enim a radice : ערה *gharah*, quod *nudandi* habet ſignificationem. Hinc quia pelles ab animalibus, & cortices ab arboribus detractæ, ea nudant, עורות *ghoroth*, vocantur. Forte ipſa vox *cortex* nihil aliud eſt quam *corium*. Iſidorus *libro* XVII. *cap.* VI. *Corticem Veteres corucem vocabant. Dictus autem cortex, quod corio lignum tegat.* Igitur *cortex* quaſi *corio tegens*. Sed utrumque Hebræum eſt. *Corium* enim fluxiſſe ab Hebræo עור; *ghor*, nullus dubito, mutato ſolummodo *ע* in G. ut in עמרה *Gomorha*, aut potius in C. ut ערב *Corvus*. Atque ſic *corium* eſt ipſiſſimum עור nam a *caro* derivatum eſſe *corium*, ut vult Iſidorus, minime credo. Non tamen æſtimandum eſt, Hebræum עור ſignificare id, quod proprie *corium* dicere ſolemus, pellem ſcil. arte alutaria ſubactam, pilis detractis; unde nobis calcei & ejuſmodi alia, quod Galli *cuire* vocant, Germanice leder / & Belgice leer. Habet autem vox עור ſignificationem generalem, quamlibet pellem denotans, quemadmodum Latinorum *pellis*, quæ nihil aliud ſignificat, quam exuvias alicujus animalis, ſive pelles crudas, quales ab animalibus detrahuntur, ſive arte alutaria præparatas, ſive glabras, detractis pilis, ſive villoſas. Talem ſignificationem etiam obtinet Germanorum & Belgarum fel / vel & vlies / quæ omnia a *pelle* originem habere dubitandum non eſt, levi mutatione *p.* in *f.* & *u*, quod inſolens non eſſe norunt ii, qui in auctoribus vel parum verſati ſunt. Ipſum etiam Latinorum *vellus* nihil aliud eſt, quam *pellis*, nam *vellus* a *vellendo* dici, ut vult Iſidorus, nequeo credere. Sæpius pellis ut & עור ſignificant pellem crudam recenter ab animali detractam. Sæpiſſime tamen pellem arte alutaria ſubactam, ab omni corruptione præſervatam, quo eſſet gratior, & uſu diuturnior. Et inter ſubactas, quædam pilis nudatæ præparantur, undique glabræ, quod proprie *corium*, *cuire* & leeder dicimus. Inter quas duriores & craſſiores calceis conficiendis deſtinantur, aliæ veſtibus, chirothecis. Quædam auro etiam, argento, aliiſque pigmentis & coloribus, ornantur, quas Græci χρυσοπάστυς vocarunt, unde hodie nobis magna ſupellex, & parietibus contegendis ornandiſque, magna copia adhi-

adhibentur. Has pelles plerumque dicere ſolemus *corium*, aut etiam *ſcorteum*, unde *ſcortum* ſive meretrix, ut & Belgice **een vel**. Sed non rarius עור & pellis ſumitur pro pelle villoſa, arte alutaria ita concinnata, ut pili aut lana firmius & ornatius adhæreant, qualem Germani cum ſuperiores, tum inferiores **beltz** & **pels** vocant, Galli *peliſſon*. Hinc & *pelletier*, alutarius, qui ejuſmodi pelles præparat, quæ omnia etiam a *pelle* ita dicuntur. Ejuſmodi pelles villoſas fuiſſe, ex quibus factæ erant tunicæ primorum parentum, vix ego dubito. Nec ab hac opinione alieni ſunt Judæi: ſtatuunt enim fuiſſe ipſas illas veſtes Eſavi, quibus mater Rebecca filium Jacobum amicivit, ad fallendum patrem Iſacum, de quo poſtea plura dicemus; Sed Jacobus villoſis pellibus veſtitum fuiſſe, ut parentem tutius, ſub perſona Eſavi, adiret, ſacer textus docet.

LIX. Quales autem pelles, & unde deſumptæ fuerint, ſacra Scriptura non clare exprimit. Ex nihilo creatas fuiſſe teſtatur Procopius. Quidam id factum credebant Angelis adminiſtrantibus. Sed cum Spiritus Sanctus de hiſce ſileat, nihil temere affirmandum eſt. Quid abſurdi ſi quis diceret, ipſum Adamum, animalibus prius mactatis, detraxiſſe pelles, Deo Optimo Maximo, pro paterna ſua cura, ipſi hoc monſtrante & jubente; adeo ut Adamus veſtes pelliceas feciſſe diceretur, quia ei mandatum erat animalia mactare, illiſque pelles detrahere, quibus pro veſtibus uteretur, eo modo quo honeſtas, neceſſitas & tempeſtatum inclementia id maxime requirebat? Quicquid enim de creatione iſtarum pellium, aut de miniſterio Angelorum circa eas, in medium proferant, eadem facilitate, qua dicitur, a nobis negari poteſt. Pedibus igitur eo in ſententiam illorum, qui ſtatuunt fuiſſe pelles victimarum, quas Adamus mactaverat, quum Deus cum eo fœdus gratiæ pepigerat. Conſtat ſiquidem in pleriſque fœderibus intercedere ſigna quædam notabilia, quæ habent aptitudinem aliquam commonefaciendi, vel generalem de fœdere & ſanctione ejus, vel ſpecialem per ſimilitudinem rei promiſſæ. Sic, ut Deus imperium & jus ſuum teſtaretur in peccatores, quibuſcum fœdus facit, ut oſtenderet, inquam, ſe jus & poteſtatem habere, igne, fulminibus cæteriſque ſuppliciis puniendi fœdifragos & peccatores, ignes etiam & fulmina & tonitrua, cum horribili fragore & coruſcatione, emiſit e monte Sinai. Exodi XIX. Quo fortaſſis reſpexit Virgilius Æn. libro XII.

Audiat hæc genitor, qui fœdera fulmine ſancit.
Sic plerumque in fœderibus ſacrificatum, & animalia immolata ſunt, quo ſignificaretur, Deo idem jus eſſe in peccatores ac in victimas, peccatorem eadem morte dignum eſſe, mortiſque reum, ſi legem tranſgreſſus fuerit. Hinc Hebræorum כרת ברית *carath berith*, *ferire* vel *ſecare fœdus*, qua locutione ipſi etiam Ethnici utuntur, in pangendis fœderibus & victimis immolandis: de qua vide Briſſonium *de formulis*. Ideo quidam etiam *fœdus* a *feriendo*, ſcilicet a ferienda victima, dictum volebant, aut etiam a *fœda porca*, quia, ſecundum ſententiam Servii & Pomponii, *fœde & crudeliter in fœderibus occidi ſolebat.* Hinc Virgilius *Æn. libro* III. *Cæſa pangebant fœdera porca.* Sed quo ritu Tullus Rex Romanorum fœdus cum Albanis pepigerit, porcum ſaxo ſilice percutiendo, notum eſt ex Livio *libro* I *cap.* CXXIV. Non tamen dubito, quin *fœdus*, & *fides*, & *fido*, a Græco πείθω derivata fuerint. Idem etiam ſignificare videtur *ſancire fœdera*: *Sanctionem* enim a ſanguine victimarum dictam putant, niſi cum quibuſdam mavelis a ſancto, quia fœdera ſancta ſunt. Sed ipſum ſanctum a ſanguine dici vix dubito. De comminatione, in ſanciendis fœderibus, per occiſa animalia, vide etiam Jeremiam XXXIV. & I Sam. II. In fœderibus Dei, immolatæ victimæ præterea ſignificant ſanguinem fœderis, J. Chriſti ſponſoris & ſalvatoris noſtri, quo ab ira Dei, & morte liberantur.

LX. Quando igitur Deus cum Adamo ſtatim poſt peccatum fœdus gratiæ pepigit, non eſſet abſurdum, ſi quis diceret, eodem etiam momento victimas mactaſſe Adamum, quibus admoneretur mortis, quam meruerat, ſimulque ſanguinis promiſſi ſeminis, Jeſu Chriſti, qui, ut illius vindex & גואל *goel* ſerpenti quidem caput eſſet contriturus, ſed ita tamen, ut calcaneum ipſi quoque contereret ſerpens, nempe ut Romanos & Judæos ad ſanguinem fundendum incitaret. Interim has victimas Adamus non poterat rite offerre, niſi expreſſo mandato Dei edoctus; fide namque offerre debuit, non minus quam Abel, omneſque credentes, at fides nititur mandato Dei. Deus igitur primum Adamo de mactandis victimis, ad ſacrificia, præcepit. Victimis autem mactatis, pelles ceſſit Adamo ut ſacerdoti, quod etiam originem dediſſe legi quæ extat Levit. VII. VIII. *Sacerdos, qui offert holocauſti victimam, habebit ejus pellem,* veriſimile eſt: nam Adamum primum

fuiſſe Sacerdotem, veſteſque illas pelliceas ſacerdotales fuiſſe, Hebræorum magiſtros docuiſſe ſupra capite primo, ex Baal Hatturim & Rabboth, demonſtravimus. Addi poteſt, Deum pelles, ut paratiſſima veſtimenta poſt peccatum ſtatim dediſſe Adamo, ut externis illis veſtimentis ipſi ſtatim teſtaretur gratiam ſuam, qua ipſius peccata tecturus eſſet, ne ob ſenſum peccati & mœrorem animus labaſceret; veſtes enim gratiæ Dei quoque Symbolum eſſe apparet ex Apocalypſeos capite III. commate XVIII. prout & præteritio peccatorum in veteri Teſtamento exprimitur per verbum כפר *Kiper*, peccata *obducere*, aut *tegere*.

LXI. Hactenus tamen nondum conſtat cujuſnam generis fuerint animalia illa, ex quibus Adamus primas victimas obtulit Deo? ut merito quis quærere poſſet, ex quo genere animalium pelles illæ deſumptæ fuerint, quæ materiam primi parentis veſtibus præbuerunt? Fuerunt ex verpulis, qui crediderunt Adamum bovem Deo primum ſacrificaſſe, & bovem quidem, qui unicum tantum cornu habuerit. Sic enim Gemara ad *Codicem Schabath folio* XXVIII. *b*.

ר׳ יהודה שור שהקריב אדם הראשון קרן אחת היתה לו במצחו שני ותיטב לה׳ משור רפ מקרין ומפריס : *Doctor Iehuda dixit: Bos, quem obtulit Adam primus, cornu unicum habuit in fronte, ſicut dicitur*, Gratius erit Domino, quam bos aut vitulus, cornu habens & ungulas ſciſſas, Pſalmo LXIX. XXXII. Hircum tamen fuiſſe multo veriſimilius eſt. Eo magis id colligi poſſe videtur, quod frequentiora ſacrificia non fuerint, quam ex capris & hircis, adeoque Deum Opt. Max. ſtatim Adamo adumbrare voluiſſe ſemen promiſſum, Chriſtum veram victimam, qui toties ſub lege per hircos repræſentatur, præſertim magno die piaculari x. Tiſri; unde etiam agnus Dei ſub Novo Teſtamento vocatur, qui tollit peccata mundi, & agnus mactatus ante jacta fundamenta mundi. Quicquid eſt, ſi veſtes primorum parentum factæ fuerunt ex pellibus victimarum, quas Adamus primum obtulit, hœdos, vel hircos fuiſſe dicendum eſt, ſecundum ſententiam migiſtrorum. Nam veſtes illius pelliceæ ex pellibus hircorum fuerunt; ſi quidem veſtes Eſavi, Jacobi &c. (ut mox oſtendemus) ex ejuſmodi pellibus erant. Adde quod Geneſeos cap. XXVII. verſu XVIII. legamus Rebeccam quum filium Jacobum veſtiret (veſtibus ſcilicet Adami) ut patrem falleret *pellibus hœdorum lactentium induiſſe manus ejus, & glabritiem colli ejus*.

LXII. Parum igitur eſſet recutitis, docere veſtes Adami pelliceas fuiſſe ſacerdotales, ſed & ad alias fabulas lepidiſſimas inde delabuntur. Docent enim in iiſdem veſtibus ſacrificaſſe Abelem, Noachum, Abrahamum, Iſaacum, Eſavum, Jacobum, immo omnes primos genitos ad Aharonem, uſque. Bereſchit Rabba loco jam ſæpius laudato, *folio* XXIV. Inter multas & vanas opiniones doctorum, quas recenſet, addit ſententiam Doctoris Simeonis Ben Lakiſch: ſcilicet : ובהן היו בכרות משתמשים *Et in iis miniſtrabant primi geniti.* Docent præterea veſtibus illis tantam fuiſſe vim, ut omnes feræ & beſtiæ, quamvis truculentiſſimæ, ad earum conſpectum exhorruerint, & ſeſe ſubjecerint. Tandem veniſſe in Manus Nimrodi, celeberrimi iſtius venatoris, quarum virtute etiam feliciſſime venatus eſſet? Eſavum vero eas deſideraſſe, Nimrodo occiſo, ſuas feciſſe. Hinc vocatas credunt בגדי החמדוה *veſtes deſideratiſſimas.* Geneſ. XXVII. com. XV. שחמד אותן מן נמרוד *quoniam eas deſideravit a Nimrodo*, ut explicat Jarchius, & Raſche in *Paraſcha Tholdoth fol.* LXXIII. שחמד מנמרוד והרגו ונטלן *Quia deſideravit eas a Nimrodo, & occidit eum, & arripuit eas.* Hac via igitur ad manus Eſavi pervenerunt. Eadem fuiſſe veſtimenta, quibus Rebecca Jacobum filium amicuit, ut fraude, Deo tamen divina ſuo providentia, ex æterno decreto omnia ſic dirigente, vota, quibus Iſaacus Eſavum beare voluit, interciperet. Odorem autem gratiſſimum illum, qui patrem exhilerabat, ſumpſiſſe in ipſo Paradiſo, atque inde cónſervatum ad tempora uſque Eſavi & Jacobi. Nam ad verba illa Gen. XXVII. verſu XXVII. וירח את ריח בגדיו *Et odoratus eſt odorem veſtimentorum ejus*, interrogat Rabboth in *Paraſcha Tholdoth fol.* LXXIV. Quomodo id fieri potuerit, ut tam gratum haberent odorem, quandoquidem odor hircorum eſt naribus moleſtiſſimus. (veluti Latine *hircum olet.* Et *hircum ab aliis*) Reſpondent ſapientes, id inde factum eſſe, quod eſſet odor Paradiſi.

אמר רבי יוחנן אין לן דבר שריחו קשה מן השטף הזה של עזים וארת אמרת וירח את ריח בגדיו ויברכהו׃ אלא בשעת שנכנס יעקב אבינו׃ אצל אביו נכנס עמו גן עדן הדרה דא״ל ראה ריח בני כירח שדה ובשעה שנכנס עשו אצל אביו נכנס עמו גהינם היך מה דאת אמר בא זדון ויבא קלון : *Doctor Iohannes docet, nihil reperies quod graviorem odorem emittat, odore hircorum. Quando igitur dicitur* (Gen. XXVII.) Et odoratus eſt odorem veſtimentorum ejus, & fauſta illi præcatus eſt, *id intelligendum eſt: Quod, quando pater noſter Iacobus ingreſſus eſt, ad patrem ſuum ſimul*

ſimul cum eo ingreſſus fuerit hortus Eden. Et hoc quidem illud eſt quod dicitur. Et odoratus eſt odorem filii ſui, ut odorem agri: *Sed quum Eſavus ad patrem ingreſſus eſt, ingreſſa ſimul cum eo fuerit Gehenna, quia dicitur* (Prov. XI. II.) *Si advenerit ſuperbus, advenerit ignominia.* Idem ſenſit Jarchius ad Geneſeos locum citatum. והלא אין אין ריח רע יותר משטף העזים אלא מלמד שנכנסה עמו ריח גן עדן: *Nonne verum eſt, pejorem non eſſe odorem, odore hircorum? Sed docemur quod cum eo ingreſſus fuerit odor horti Edenis.* Et ad hæc verba quæ mox addit Iſaacus: ריח בני כריח שדה אשר ברכו יהוה *Odor filii mei eſt inſtar odoris agri, quem Deus beavit.* ſic commentatur: שנתן בו ריח טוב וזהו שדה התפוחים כך דרשו רז"ל *Quia Deus illis indidit gratum odorem, & hic quidem eſt ager pomorum, ſic enim exponunt doctores noſtri beatæ memoriæ.* Hæc valeant quantum poterunt. Mea quidem ſententia, per odorem illum, nihil aliud intelligi voluit Spiritus ſanctus, quam in regionibus illis moris fuiſſe, ſuaviſſimis odoribus veſtes condiri, non tantum, ut adverſus corruptiones tutiores eſſent, ſed ut & cerebrum corroboraretur: ſtultos ideoque eſſe eos, qui odores gratos, aut quævis alia dona Dei, quæ pro paterna ſua bonitate mortalibus largitus eſt, faſtidioſe ſimul & ſuperſtitioſe ſpernere ſolent. Sed & typus erat ſuaviſſimi illius odoris Chriſti, fratris noſtri primi geniti, cujus juſtitia, tanquam pretioſis veſtimentis, ſuaviſſimum odorem ſpirantibus, amicti, grati eſſemus Deo patri, quem accedere nobis liceret cum omni fiducia, ad impetranda omnia bona ſpirtitualia in Cœlis: Epheſ. I. Sed has veſtes pelliceas primi parentis, tandem perveniſſe ad manus Joſephi in Ægypto, docet Targum Jeruſalemitanum, in paraſcha ויחי ſive capite XLVIII. Geneſeos, ubi de precibus Jacobi, quibus vota concepit pro Joſepho, inter alia Jacobus promittere dicitur Joſepho veſtem, quam geſtavit Adamus, ut rem quæ pretio ſuperat, etiam ea quæ cariſſima & deſideratiſſima ſunt mortalibus. ואנא יהתיב לך חולק חד יתיר על אחך לבושיה דאדם קדמאה נסיב יתיה אברהם אבוי דאבא מן ידוי דנמרוד רשיעא ויהב יתיה ליצחק אבא ויצחק אבא יהב יתיה לעשו ואנא נסבית יתיה מן ידוי דעשו אחי לא בחרבי ולא בקשתי אלאהין בזכותי ובעובדי טביא: *Ego autem dabo tibi partem aliquam ſupra fratres tuos, veſtem Adami primi noſtri parentis, quam accepit avus meus, e manibus Nimrodi impii. & dedit Iſaaco patri meo, & Iſaac dedit Eſavo. Ego vero accepi eam ex manibus*

nibus Eſavi fratris mei non quidem gladio aut arcu meo, ſed meritis meis & bonis operibus.

LXIII. Toti terrarum orbi notam eſſe credo, putidam fabulam, quæ & hodie inter Judæos, qui quaſcunque fabulas credunt, pro vera hiſtoria narratur; ante paucos annos, uxorem, novi iſtius impoſtoris *Sabbathi zebi*, tunicam pelliceam, quam Eva ante ſere ſex M. annos gerebat, e cœlo dimiſſam nactam fuiſſe, plurimis ſanctorum & Patriarcharum nominibus depictam, & aureis literis ornatam, in quodam campo, in quem a parentis genio, qui Judæus fuerat, ea tamen non aliter ſciente quin Chriſtiana nata fuerit, nuda deducta erat, ſtupendo plane miraculo. Utrum vero cœleſte illud veſtimentum illæſum, a nova illa nupta, novi Meſſiæ, in arca ſervatum fuerit, an detritum & jam lacerum alicubi in angulo, inter ſordidos verpulos jaceat, & cui uſui hodie inſerviat, fateor me neſcire. Sane nænias illas, dignas ut a vetula pueris in cunis vagientibus præcinantur, a recutitis, ſibi pulchre de novo ſuo Meſſia blandientibus, narratas accepi. Sed veſtes illas Adami pelliceas, ſacerdotalem habitum fuiſſe Adamo & poſteris ejus, ut verpuli garriunt, ridiculum eſſe non vereor dicere. Saltem primo ſacrificio inſervire non poterant, ſi verum eſt, eas ipſis primis victimis fuiſſe detractas, nam a Deo creatas fuiſſe ex nihilo, ſupra jam refutatum eſt. Igitur quidquid dicant, oportet, ut Adamus ſacrificium iſtud nudus, aut ſi quod veſtimentum habuit, arborum tantum foliis tectus, fecerit; atque ſic non niſi cæteris ſacrificiis, quæ ſequebantur, adhiberi poterant. Deinde nunquam ſacerdotales fuiſſe, ſatis manifeſto probari poſſe exiſtimo: cum Deus non tantum Adamum veſtiverit, ſed ipſam etiam Evam. Ejuſdem igitur naturæ fuerunt veſtimenta Evæ ac Adami. Dicendum itaque eſt, veſtes Adami non fuiſſe ſacerdotales, aut Evæ tunicam quoque fuiſſe ſacerdotalem, Evamque ſacerdotem, & ſacerdotio functam fuiſse; quod tam eſt abſurdum, quam quod eſt abſurdiſſimum. Fœminas enim ſacerdotes, populus Dei, nec ante legem in Eccleſia Patriarcharum, nec ſub lege unquam, agnovit, etſi apud reliquas gentes illud fuerit frequentiſſimum. Ex claris igitur verbis Moſis aliud nihil colligi poteſt, quam Deum primos noſtros parentes pellibus veſtiviſſe, detractis ex foliis ſuccinctoriis, ad tutamen corporis, contra tempeſtatum inclementiam, ad velandam nuditatem. Cætera vero, quæ diximus de typo & ſignificatione rerum ſpiritua-

lium, non niſi ex analogia fidei, prout bona temporalia plerumque beneficia ſpiritualia credentibus ob oculos ponere ſolent, colligi poſſunt.

LXIV. Interim mos ille pelliceas veſtes geſtandi, ſimpliciſſimus, & naturæ maxime congruens fuit. Hinc plerique veterum, ſive exemplum Adami primi parentis (nam *premimus veſtigia patrum*) ſecuti, ſive natura ipſa hoc poſtea monſtrante, pelliceis veſtimentis amictos fuiſſe, conſtat. Patriarchis nulla materia, in re veſtiaria magis nota, nec frequentior fuit, quam pelles: plerique enim pellibus tecti incedebant, quod paucis verbis etiam nos docet Apoſtolus ad Hebræos Capite XI com. XXXVII. Ubi tradit veteres (de ſanctis loquitur) ambulaſſe *ἐν μηλωταῖς, ἐν αἰγαίοις, in ovillis & caprinis pellibus.* Hunc prophetarum habitum fere ordinarium fuiſſe, quibuſdam creditur. Plerumque villoſa etiam eorum veſtimenta fuerunt. Sane Elias II. Regum cap. I. VIII. dicitur: איש בעל שׂער ואזור.עור אזור במתניו *vir piloſus, & cingulo pelliceo accinctus lumbos ſuos.* Zacharias etiam ita ſermonem inſtituit de prophetis, præcipue ubi de falſis prophetis loquitur, ac ſi extra villoſam veſtem non prophetaſſent, ſed veſtes illas expreſſe induiſſent, ut in iis prophetarent. *Ita*, ait, *erit die illo, ut erubeſcant iſti prophetæ, quiſque a viſione ſua, quam prophetaverit, neque induant* אדרת שער למען כחש *togam villoſam ad mentiendum.* Zachariæ cap. XIII. com. IV. Hunc habitum non fuiſſe rarum apud gentilium vates, infra patebit.

LXV. Eodem fere habitu creditur quoque amictus Johannes Baptiſta, quo & Elias: atque id non abſque ſingulari Dei providentia factum fuiſſe, quidam autumant. Nam quandoquidem cum ſpiritu & virtute Eliæ venerat Lucæ I. XVII. etiam habitu aliquo exteriori Eliam referre debuiſſe credunt. Hinc Mathæus capite III. commate IV. *εἶχε τὸ ἔνδυμα αὐτοῦ ἀπὸ τριχῶν καμήλου, καὶ ζώνην δερματίνην περὶ τὴν ὀσφὺν αὐτοῦ. Habuit veſtimentum ex pilis cameli, & Zonam pelliceam circa lumbos ſuos.* Sed utrum hæc veſtimenta fuerint ex camelorum pellibus, an ex pannis craſſioribus, qui ex eorum pilis, ſive lana, fieri ſolebant, (veſtes enim ex lana camelorum, non adeo raras fuiſſe apud Judæos, tempore Chriſti, poſtea patebit) jam non diſputo. Sanè molles fuiſſe veſtes, prout auctores etiam mentionem faciunt de lana camelorum, quæ vel mileſias lanas mollitie æquet, non puto: Nam parum id coveniſ-

ſet

ſet cum ejus victu, qui erat parcus & agreſtis, quamvis alias Hebræi in ædificiis & in victu multo lautiores eſſe debuerint, quemadmodum id docet Bereſchit Rabba, *fol.* XXIV. ſect. XX. Pelliceam tamen zonam circa lumbos habuiſſe, atque ſic habitum Prophetarum aliquomodo imitatum fuiſſe, certum eſt. Tamen non conſtat, utrum zona villoſa, an vero, pilis arte alutaria detractis, corium fuerit. Ex Syri verbis nihil quoque colligi poteſt; nam ſequitur fere κατὰ πόδα textum Græcum. ܗܘܐ ܠܒܘܫܗ ܕܣܥܪܐ ܕܓܡܠܐ ܘܐܣܪ ܗܘܐ ܙܪܙܐ ܕܡܫܟܐ ܥܠ ܚܨܘܗܝ *Erat veſtimentum pilorum Camelorum, & cingulum pelliceum, ſuper lumbos ejus.* Vox ܡܫܟܐ proculdubio eſt ipſiſſimum Græcum μέσκος. Eadem voce etiam Paulus utitur in Epiſtola ad Hebræos cap. XI. commate XXXVII. ubi tamen Apoſtolum loqui de villis, multi credunt. Nec aliter locum Matthæi vertit Arabs quam Syrus: *Erant autem veſtimenta Iohannis ex pilis Cameli, & zona corii ſuper lumbos.* Quidquid eſt, veſtimenta pellicea uſitatiſſima fuiſſe apud Hebræos, neutiquam dubitandum eſt. Huc quidam referunt verba Jobi XXXI. verſu II. *De vellere agnorum meorum incaluit.* Ezechielis XXXIV. XX. *Adipem comeditis & lanam induitis.* Et Prov. XXVII. verſu XXVI. *Agni erunt ad veſtimentum tuum*; quamvis loca illa intelligi poſſint etiam de pannis ex lana confectis, non minus quam de integris pellibus.

LXVI. Ejuſmodi veſtimenta uſitatiſſima fuiſſe apud cæteras gentes manifeſto conſtat. Priſci Heroes (quorum maximam partem ipſos Hebræorum Patriarchas fuiſſe, ab aliis jam eſt demonſtratum) apri, tigridis, leonis aut hinnuli exuviis, aut Lybiſtidis urſæ, aut nebride, id eſt hinnuli, aut baſſari, id eſt vulpis pelle tecti per orbem vagabantur. Hinc Apolonii Rhodii *Scholiaſtes libro.* I. συνηθὲς τοῖς ἥρωσι τὸ δερματοφορεῖν. *Solenne eſt Heroibus pelles geſtare.* De Baccho, pelle hinnuli veſtito (unde etiam Νεβρώδης & νεβριδόστολος) ex Plutarcho, *veteribus Epigrammatis,* & *Orphei hymnis*, ſupra capite III. quædam diximus. Herculem pelle Leonis veſtitum, neminem ignorare credo. Euripides in *Hercule inſano.*

> Στολήν τε θηρὸς ἀμφέβαλες σῷ κάρᾳ
> Λέοντος, ἧπερ αὐτὸς ἐξωπλίζετο.

Hinc

Hinc eſt, quod Lucianus in *Necyomantia*, Menippum ad inferos mittat, pelle Leonis veſtitum, ipſique mandet, ut ſe Herculem diceret. Καὶ ἐνεσκεύασε τῷ πίλῳ καὶ τῇ λεοντῇ καὶ προσέτι τῇ λύρᾳ καὶ παρεκαλεύσατο ἢν καὶ λέγειν Ἡρακλέα δ' ἢ ὀδυσσέα ἢ Ὀρφέα. *Et ornavit pileo, & leonis Exuviis & inſuper lyra, juſſit etiam, ut ſi quis nomen roget, me non Menippum quidem, ſed Herculem, aut Ulyſſem, aut Orpheum dicerem.* Hanc veſtem etiam Lucianus μηδικὴν *Medorum* vocat. Feſtus: *Pellem habere Hercules fingitur, ut homines cultus antiqui admoneantur. Lugentes quoque diebus luctus in pellibus ſunt.* Ubique fere in nummis reperies Herculem, Leonis pelle veſtitum. Sed ipſæ quoque Heroinæ pellibus tectæ erant. Ut Juno Sospita, quæ pelle caprina ſemper veſtita fuit, Cicero *De Natura Deorum libro* I. Neomagi anno CIↃIↃCLXXIII. a Gallis elegantiſſimus efoſsus eſt nummus argenteus L. ROSCI FABATI, ubi Juno Soſpita hædina pelle egregie veſtita eſt. Ejuſmodi & apud Urſinum conſpicitur huic valde ſimilis. Videtur & Pallas ita veſtita, tecta enim erat ægide, id eſt pelle caprina; quamvis non negem & arma ſæpe notaſse, quo ſenſu & ipſi Jovi *ægis* adſcribitur, quare & *munimentum pectoris æreum* dicitur, idemque eſt ac *lorica* ut habet Servius, ad virgil, Æn. VIII. At ſive ex pelle, ſive ex ære fuerit *ægis*, certum tamen eſt, antiquiſſimis temporibus ex pelle caprina fuiſse indeque ortum habuiſse; veterum enim arma æque ac veſtes, plerumque ante bellum Gallicum, fuiſſe ex pellibus, nullus doctorum dubitabit. De hiſce mox plura. Virgilius Æn. VIII.

Ægidaque horrificam, turbatæ Palladis arma,
Certatim ſquamis ſerpentum auroque polibant,
Connexoſque angues.

Idem etiam de Camilla, libro XI.

———*pro magnæ tegmine pallæ*
Tigridis exuviæ per dorſum a vertice pendent

Primos homines pelles geſtaſse ex Feſto, loco jam modo allegato patet, quum dicit: *Pellem habere Hercules fingitur, ut homines cultus antiqui admoneantur.* Clarius Lucretius lib. V

Nec dum res igni ſcibant tractare, neque uti
Pellibus, & ſpoliis corpus veſtire ferarum.

Et mox:

Tunc

Tunc igitur pelles nunc aurum & purpura curis
Exercent hominum vitam belloque fatigant.
Quo magis in nobis (ut opinor) culpa reſidit.
Frigus enim nudos ſine pellibus excruciabat
Terrigenas.

Pauſanias in Phocicis, ubi de agro Locrorum. Λέγεται δὲ καὶ οἱ πρῶτοι τῶν ἐνταῦθα ἀνθρώπων ἦσαν αὐτόχθονες. ἐσθῆτα δὲ οὐκ ἐπιστάμενοί πως ὑφαίνεσθαι, σκέπην πρὸς τὸ ῥῖγος θηρίων δέρματα ἐποιοῦντο ἀδέψητα, τὸ δασὺ τῶν δερμάτων ἐς τὸ ἐκτὸς ὑπὲρ εὐπρεπείας τρέποντες. *Dicitur autem homines illos indigenas fuiſſe : Eoſque quum nondum noverant veſtem texere, ſolitos fuiſſe corpora amicuiſſe ferarum pellibus crudis, pilis extrorſum converſis, ob decorem.* Idem fuit habitus priſcorum Senatorum Romanorum, ut videre eſt apud Propertium *Eleg. lib.* I. IV.

Curia prætexto quæ nunc nitet alta ſenatu
Pellitos habuit, ruſtica corda patres.

Hinc Lucanus :

pretioſaque veſtis
Hirtam membra ſuper Romani morte Quiritis.
Induxiſſe togam.

LXVII. Media in græcia ruſticos ſenes ab Ariſtophane in Νεφέλαις *act.* I. *ſcena* I. & Polluce *libro* IV. *cap.* XIX. comicis dici διφθερίας, pelle veſtitos, Seneca *Epiſtola* XC. *Frigus intolerabile eſt corpori nudo. Quid ergo? Nunquid non pelles ferarum & aliorum animalium a frigore ſatis abundeque defendere queunt? non corticibus arborum pleræque gentes tegunt corpora? Non avium plumæ in uſum veſtium conferuntur? Non hodieque magna Schytharum pars tergis vulpium induitur ac murium? quæ tactu mollia, & impenetrabilia ventis ſunt?* Videatur etiam Juſtinus *libro* II. *cap.* II. Saluſtius auctor eſt, *Germanos intectum rhenonibus*, id eſt, agninis pellibus, *corpus habere* ; Et Tacitus de Moribus German. *Gerunt*, inquit, *ferarum pelles, proximi ripæ negligentius, ulteriores exquiſitius.* Et Julius Cæſar *de Bello Gallico libro* VI. *Pellibus aut parvis rhenonum tegumentis utuntur, magna corporis parte nuda. Getas* etiam *pellitos* vocat Ovidius, de Ponto & alibi. Et Claudianus Getarum *Curiam pellitam* dicit, libro de bello Getico.

Crinigeri ſedere patres, pellita Getarum
Curia.

De Hunnis & Hungaris idem teſtantur Ammianus Marcellinus, Jornandes, & alii. Hodieque illis gentibus, ut & Schytis Moſcovitis, nihil familiarius. Lectis, Tegumentis, Tabernaculis, armis & ſexcentis aliis rebus pelles adhibebantur. Juvenalis *ſat.* VI.

Sylveſtrem montana thorum cum ſterneret uxor.
Frondibus, & culmis, vicinarumque ferarum
Pellibus.

Propertius:

Atque hinnuli pellis totos operibat amantes
Altaque natiuo creuerat herba thoro.

Et Ælianus *libro* XIII. *Hiſt. cap.* I. *de Atalanta*: ἦν δὲ ἄρα τῇ Ἀταλάντῃ στρωμναὶ μὲν αἱ δοραὶ τῶν τεθηραμένων. *Stratis autem lectoque utebantur ferinis pellibus.* Venatoribus quoque ſolenne erat cervorum aliarumque ferarum exuviis ſeſe tegere, qua fraude facilius feras deciperent. Vide Plutarchum *de Fortuna Alexandri.* Et Ovidium *Metam. libro* I. ubi de Nympha Peneide. Cicero *Orat. pro L. Murena*: *Tubero ille homo eruditiſſimus & ſtoicus, in funere Scipionis Africani, cum epulum populo Romano nomine Q. Maximi daret, ſtravit pelliculis hadinis lectulos punicanos, & expoſuit vaſa ſamia.* Tabernacula militum pellibus tecti erant. Ideo & milites ſub pellibus hyemare dicebantur antiquitus. Vide Cæſarem *de bello civili libro* III. & Taciti *Annales lib.* XIII. Et Curtium *lib.* VII. Nihil etiam uſitatius militibus, quam habere arma, ſcuta ſcortea & pellicea. Hinc Maro *libro* XI. de Ornyto.

Cui pellis latos humeros exempla juvenco
Pugnatori operit.

Hinc *lorica* a *loro*, niſi ita dicatur *lorica* quaſi θώρηκα, littera θ in λ abeunte, ut monet Magnus Voſſius de *Idol. libro* III. *cap.* LXX. Hinc *Scutum* σκύτος *cutis* germanice & belgice, *haut*, *huit*. *Ægis* quia e pelle αἰγὸς *capræ*. Et galea γαλῆ, quia e corio *muſtelæ*, & κυνέην dicunt ex pelle *canis* & λυκέην, quia ex *lupinis*. & ſic de cæteris. Notum etiam eſt Ægyptiorum commentum, vulnerari non poſſe eum qui indutus ſit pelle hyænæ. Sed de hiſce vide Voſſium de *Idol. libro* III. *cap.* LXX. Tandem omnibus fere rebus inſerviebant pelles apud veteres; hinc etiam factum eſt, ut fere omnia vaſa & inſtrumenta, quibus domi forique uti ſolebant, *ſupellex* vocarentur: quod etiam animadvertit Celſus juriſconſultus

tus, *Digeſtis de ſupellectili legata.* Vide Cælium Rhodiginum libro XXVII. cap. XIV. & alios bene multos.

LXVIII. Non tantum rebus prophanis, ſed & ſacris inſerviebant pelles. Diximus jam ſupra, Hebræorum prophetis in more poſitum fuiſse veſtes pelliceas, & quidem villoſas gerere, quod exemplo Eliæ demonſtratur, & exemplo falſorum prophetarum, de quibus Zacharias cap. XIII. Commate IV. ubi Deus minatur: *Eos non amplius indui toga villoſa ad mentiendum*, ſcilicet ad prophetanda falſa pro more ſuo. Unde non ſine cauſa colligi quidam putant, togam villoſam falſis prophetis propriam fuiſſe. Fortaſſis reſpexit propheta ad morem adeo receptum inter prophetas idololatras, qui pellibus victimarum tegebantur iiſque in fanis, in Templis, aut ſepulcris ſubſtratis incubabant, ut futura prædicerent. Pauſanias in Atticis, ubi de Amphiarao, cui arietem immolant. Καὶ inquit, τὸ δέρμα ὑποστρωσάμενοι, καθεύδουσιν ἀναμένοντες δήλωσιν ὀνείρατος *Subſtratæ pelli incubantes, per ſomnia exſpectant interpretamenta.* Virgilius *Æn. libro* VII.

Hinc Italæ gentes omniſque Oenotria tellus
In dubiis reſponſa petunt: huc dona ſacerdos
Quum tulit, & cæſarum ovium ſub nocte ſilenti
Pellibus incubuit ſtratis, ſomnoſque petivit
Multa modis ſimulacra videt volitantia miris,
Et varias audit voces, fruiturque Deorum
Colloquio, atque imis Acheronta affatur avernis,
Hic & tum pater ipſe petens reſponſa Latinus
Centum lanigeras mactabat rite bidentes,
Atque harum effultus tergo, ſtratiſque jacebat
Velleribus.

Hinc *Deo* alicui, ut *Iovi*, *Æſculapio* &c. *incubare* dixerunt veteres, pro incubare victimarum pellibus, in Deorum illorum Templis aut Fanis. De quo vide Servium ad hunc locum Virgilii, Plautum in *Curculione*, & Ciceronem *de divinatione libro* I. Strabo *libro* XI. mentionem quoque facit quorundam μαντεῖου ἐγκοιμωμένων *oraculi incubantium* in urbe Ναβάρκῃ prope mare Caſpium.

LXIX. A vetuſtiſſimo illo ritu verbum *dormire* initium ſumpſiſſe, docti non dubitant, niſi tamen ab Hebræo דרם. Nam a δέρμα *pelle* fit *dermire*, i. e. pelli incubare. *Dermire* etiam antiqui dixere, pro *dormire*, ut *benus*, *bonus*: *hemo*, *homo*, Hunc ritum

non ignoravit B. Hieronymus Eſaiæ cap. LXV. ad hæc verba prophetæ: *Qui habitant in ſepulchris, & in delubris idolorum. Nihil*, ait, *fuit ſacrilegii, quod Iſrael populus prætermitteret; non ſolum in hortis immolans, & ſuper lateres thura ſuccendens: ſed ſedens quoque, vel habitans in ſepulchris, & in delubris idolorum dormiens; ubi ſtratis pellibus hoſtiarum incubare ſoliti erant, ut ſomniis futura cognoſcerent. Quod in fano Æſculapii uſque hodie error celebrat Ethnicorum, multorumque aliorum, quæ non ſunt alia, niſi tumuli mortuorum* Stultum iſtum ritum pellibus victimarum incubandi, & ad interpretanda oracula, Moſi & Hebræis inſulſe adſcribere auſus eſt Strabo, *libro* XVI. ubi tradit, Moſen inter alia multa præcepta docuiſſe: Eos qui caſte vivunt, pro ſe & pro aliis dormituros in templo, ut bona ſomnia haberent. Ἐγκοιμᾶσθαι, ait, δὲ καὶ αὐτοὺς ὑπὲρ ἑαυτῶν τε, καὶ ὑπὲρ τῶν ἄλλων, ἄλλους τοὺς εὐονείρους. καὶ προσδοκᾶν δεῖν παρὰ τοῦ Θεοῦ, καὶ δῶρον ἀεί τε, καὶ σημεῖον τοὺς σωφρόνως ζῶντας καὶ μετὰ δικαιοσύνης. τοὺς δ᾽ ἄλλους μὴ προσδοκᾶν. *Dormiendum illis eſſe, pro ſe & aliis, quin bonis ſomniis capiendis apti eſſent; Et exſpectandum a Deo aliquod donum, aut ſignum, ſi juſte vivant: cæteris autem nihil exſpectandum eſſe.* Sed miſer in hunc errorem abductus eſt proculdubio, quia audiverat Sacerdotibus & Levitis in templo dormiendum fuiſſe, ſecundum ſuas cuſtodias. Aut forſan quia ipſi narratum fuerat, aut in Hebræorum monumentis legerat: Tabernaculum, & menſam, & vaſa ſacra pellibus tecta fuiſſe.

LXX. Nec eorum prophetæ & vates ſoli, ſed & ipſi ſacerdotes pellibus aliquando tecti erant. Scio equidem, nefas fuiſſe ſacello Carmentæ pellem inferi, quemadmodum canit Ovidius *Faſtorum libro* I.

Scortea non illi fas eſt inferre ſacello,
Ne violent puros exanimata focos.

Sed hoc aut intelligendum eſt, de morticiniis, non de pellibus quæ ab animalibus mactatis trahebantur, aut dicendum eſt, id ſacra Carmentæ tantum poſtulaſſe, non vero cæterorum Deorum: contrarium enim, ex iis quæ modo diximus, ſatis apparet. Sane Larenſius Pontifex cum ſuis apud Athenæum *libro* VII. pileum habuit ex ovilla pelle. Ἐσθῆτάς τε ἔχομεν καὶ ὑποδέσεις, εὐτελεῖς, πίλους τε ταῖς κεφαλαῖς περικείμεθα προβατίων δερμάτων δασεῖς. *Exigui pretii amictus calceatuſque nobis eſt: pileo caput opertum ex ovium pelle villoſa.* Reperies etiam in marmoribus homines ab

ilibus

ilibus pelle tectos, qui, victimam ducunt immolandam. De uſu pellium in ſacris lupercalibus, ſupra capite primo ex Plutarcho, valerio Maximo & aliis ſatis diximus.

LXXI. Quidquid eſt, Hebræorum ſacerdotes pelliceas veſtes nullas agnoverunt. Putidiſſimam igitur fabulam orbi obtrudere conatus fuit Plutarchus, *ſympoſiacon libro* v. (de quo vide ſupra capite III.) ubi, ut ſuis perſuaderet, Judæos Bachum adoraſſe, multis argumentis, quæ quidem ſpeciem aliquam habebant, quamvis ipſe, eorum quæ in medium profert, veritatem ac fontem, ob ignorantiam linguæ hebrææ, & imperitiam in Religione Judaica, aſſequi non potuerit, pueriliter adfirmat, Pontificem Max. apud Judæos veſtitum fuiſſe νεβρῖδα χρυσόπαστον. *hinnuli pellem auro contectam.* Sed næning illas ſupra jam plus ſatis refutavimus. Ideoque ſi veſtibus quibuſdam pelliceis uſi ſunt Hebræi, dum ſacerdotio fungebantur, id factum fuiſſe ſolummodo in Eccleſia Patriarcharum, ante legem Moſaicam, ſed non poſt exitum ex Ægypto, dicendum eſt. Sed ſatis fuſe jam docuimus ex magiſtrorum placitis, Adami veſtes pelliceas fuiſſe ſacerdotales, inque illis primos genitos ſacra feciſse. Sed hæc valeant quantum poterunt. Quæſtio nobis eſt, de veſtimentis ſacris tantum, prout a Deo per Moſen præſcribuntur Aharoni & filiis ejus, & quatenus in Republica Judaica, inde a tabernaculo ad uſque tempora Chriſti, obſervatum fuit.

Caput V.

DE MATERIA VESTIUM SACERDOTUM, ET PRIMO DE LANA.

Tabernaculi in deſerto & ſacrarum veſtium eadem materia Eodem tempore initium ſumpſerunt. Lana & linum apud Hebræos & alios vulgatiſſima materia. Levit. 19. כלאים & שעטנז *quid? Levigare*, Carminare, Kammen, hekelen, nere, texere. *Sententia Talmudicorum.* Tirentay. *Filo lineo non ſunt conſuenda veſtimenta lanea. Cannabum, Bocharti ſententia de Etymo* Schaatnez *Quid proprie ſit Schaatnez? Ex lana & lino mixtum,*

tum, non ex ſerico, goſſipio &c. Schaatnez quale vetitum ex ſententia patrum ad evitandas offenſas. כלך, *pinna &* πιννικόν. בגד *ſive* veſtis *quid? David quo ſenſu veſtibus tectus. Locus* I. *Reg.* I. *explicatus. Delirium Iudæorum de pœna Davidis ob laceratum pallium Saulis. Veſtis* ἐσθής, *vox generalis. Locus Mathæi cap.* XXI. *explicatus. Et* II. *Reg.* IX. *verſ.* XIII. *Quouſque licuerit Iudæis commercium habere cum Schaatnez? Cui à Deo vetitum? In Zizith fuiſſe ſchaatnez. Cuilibet permiſſum fuit veſtem ſchaatnez publice lacerare. Veſtimenta ſacerdotum an fuerint ſchaatnez? Regula Talmudica Veſtes ſacerdotum nullæ ex ſerico, goſſipio, lana camelorum, leporum, aut caprarum. Balteus erat ſchaatnez, ut & Ephod & pectorale. Ioſephi ſententia de veſtibus duplicis materiæ. Seldeni explicatio hujus loci. Ejus error.* רקם *&* חשב *differunt. Quo ſenſu balteus dicatur* רקם. *Bocharti error. Ioſephus explicatus & vindicatus. Cur ſacerdotibus V. T. juſſum Veſtem aliquam duplicis materiæ ſacerdotum, ſignum rerum mundanarum ſub V. T. Iudæorum & Ethnicorum uniendorum per Chriſtum. Signum peccati veterum. Flaminicæ tunicam laneam lino conſutum habere vetitum.*

LXXII. VEſtes igitur ſacerdotales, de quibus hic quæſtio inſtituitur, initium cum ipſo Tabernaculo in deſerto, poſt exitum ex Ægypto, ſumpſiſſe, ſupra capite primo diximus. Sed ejuſdem quoque materiæ fuiſſe, ex capite XXVIII. Exodi, cum capite XXV. collato, conſtat. Excipio tantum, præter lignum, quod in re veſtiaria uſum commodum nullum habere poteſt, argentum, æs & pelles. Materia Tabernaculi deſcribitur Exodi capite XXV. verſſ. III. IV. V. זאת התרומה אשר תקחו מאתם זהב וכסף ונחשת ׃ ותכלת וארגמן ותולעת שני ושש ועזים ׃ ועורות אלים מאדמים וערת תחשים ועצי שטים ׃ *Hæc autem eſt oblatio illa, quam accipietis ab iis; aurum & argentum, & æs, & hyacinthina, purpuram, & coccinum, & byſſum, & caprarum lanas; Et pelles arietum rubras, & pelles Tachſchim, & ligna Schittim.* En totam materiam Tabernaculi. Eadem eſt materia veſtium ſacerdotalium Hæc enim leges eodem libro capite XXVIII. commate V. והם יקחו את הזהב ואת התכלת ואת הארגמן ואת תולעת השני ואת השש ׃ *Et illi acceperunt, aurum & hyacinthinum, & purpuram & coccinum & byſſum.* En materiam

materiam veſtium ſacerdotalium: additis tantum lapidibus pretioſis in pectorali & humeralibus Ephodi Pontificis Maximi, qui tamen plus ad ornatum, quam ad veſtes ipſas, contulerunt, de quibus ſuo loco plura. Apparet igitur ut initium, ſic & eandem fere habuiſſe materiam veſtes ſacras & Tabernaculum. Sed de materia Tabernaculi alibi fuſius, ſi Deus longiorem vitam & otium nobis concedat, in noſtro Opere de Tabernaculo, & templo, cum ſacra ſupellectili. Notandum etiam eſt, in his verbis capitis XXVIII. materiam omnium veſtium, tam Pontificis Max. quem cæterorum ſacerdotum ſimul comprehendi; Alias varie examinari poſſe materiam veſtium, pro vario ordine ſacerdotum. Aliter enim veſtitus erat כהן גדול. Pontifex Max. qui & ipſe duo genera veſtium habuit, albas ſcilicet, quibus die Expiationum ſacra faciebat, & aureas, quibus cæteris diebus totius anni operabatur, ut a nobis jam demonſtratum eſt; Aliter כהנים הדיוטים *ſacerdotum turba.* Sane quantum Regum ornatus ſubditorum centones & panuceas ſuperare ſolet, tantum habitus Pontificis Max: pretioſior, ſplendidior & cultior erat, quam veſtes totius ſacerdotum cœtus.

LXXIII. Nihil majorem uſum unquam habuit in re veſtiaria, quam *lana* & *linum.* Utrumque autem valde abundaſſe in terra Iſraelis, ad conficiendas veſtes, manifeſto conſtat ex ſacra ſcriptura. Hanc ob cauſam lana & linum fere ſemper junguntur, ut videre eſt Levit. XIII. LIX. Prover. XXXI. XIII. Oſeæ II. IX. & alibi pluribus in locis. Adeo quidem ut lana & linum ſæpiſſime ſumantur pro ipſis veſtimentis, quæ ex iis confici ſolent. Sed hic ſilentio non eſt prætereundem, omnes veſtes Hebræorum laneas & lineas ex ſola lana aut ex ſolo lino conſtitiſſe, non autem ex utroque ſimul. Nota eſt lex veſtiaria, quæ extat Levit. c. XIX. de non conficiendis veſtibus ex materia duplici, id eſt ex lana & lino, quam barbari, philoſophico ſtilo, *heterogeneam* vocare ſolent. בגדי כלאים שעטנז לא יעלה עליך *veſtimentum mixtum, duplicis materiæ non erit ſuper te.* Quid hic intelligendum ſit per vocem כלאים *Kilaim*, non eſt quod operoſe inquiramus, eſt enim in confeſſo, nihil aliud quam mixtum ſignificare. Sic explicat Aben Ezra ad iſtum locum. כלאים inquit, שני מנים *Kilaim eſt id, quod conſtat ex duabus ſpeciebus.* Ideo Chaldæus pro כלאים habet עירובין *Eruvim, mixta.* Seniores ἐκ δύο ὑφασμένον quaſi diceret *ex duabus ſpeciebus textum.*

Hac

Hac voce etiam utitur Moſes, non tantum in re veſtiaria, ſed etiam in omnibus rebus, quas Deus miſceri vetuit, ut præſertim ex lege agraria patet, eodem loco. Majorem difficultatem peperit vox quæ additur שעטנז *Schatnez*. Chaldæus eandem vocem retinet, Septuaginta id exprimere videntur per κίβδηλον. Lutherus, Von wollen vnde leinen geweben. Belgæ, **tweederley ſtoffe door een vermengt.** Sic fere & Angli. Quod autem Etymologiam שעטנז *Schaatnez* attinet. Jarchius animadvertit, quoſdam crediſſe, dici שעטנז ſcilicet: שהוא שוע טווי ונוז *quia eſt levigata, neta & texta.* שוע enim *lævigare carminare*, belgice **ſtammen** & **heeckelen/** ſignificat. טוה autem *Nere*, & נוז *Texere*, ut *Schaatnez* ſit id, quod ex diverſis ſpeciebus eſt carminatum, netum & textum, id eſt mixti quid. Hoc Jarchius hauſit ex *Codice Kilaim cap. ultimo*: שעטנז דבר שהוא שוע טווי ונוז *Schatnez eſt res, quæ eſt carminata, neta & texta.* Vide etiam *maſſechet Nidda fol.* LXI. Ex tribus iſtis vocibus concludunt, rem etiam tribus modis, in re veſtiaria fieri poſſe *Schaatnez*, ſive mixtam. Primo per שעיעות *carminationes*: ut ſi linum & lana in unum lævigentur, aut carminentur. Deinde טויה *Nendo*: ut ſi quis linum & lanam in unum neret, aut ejuſmodi duo fila in unum torqueret: quod Germani gezwirnt dicunt. Tandem per נוז *Texturam* ut ſi lana & linum in unam telam texerentur, quod hodie vocamus *Tyrentay*, quando ſcilicet ſtamen eſt ex lino, & ſubtemen ex lana. Sed pro *Schaatnez* etiam habetur omne id, in quo netum ſive filum cum texto jungitur. videatur Codex *Kilaim cap. ultimo*: אין אסור משום כלאים אלא טווי וארוג *Nihil eſt prohibitum propter mixturam, niſi netum & textum.* Hinc etiam vetitum eſt filum lineum ducere per laneam telam, & lanea conſuere filis lineis, id Judæi inter פשתים *piſtim*, *lina* non reputant, unde etiam hodie magna mercatura fili cannabei, Judæis Metenſibus cum Amſtelodamenſibus & Francofurtenſibus. Aliam tamen hujus vocis originem dat celeberrimus Bochartus de *Animalibus. libro* I. *cap.* XLV. Putat enim vocem illam hybridam eſſe ex arabico ſive שאט *ſata, miſcere*, pro שוט litera *v* in א permutata, ut in Syro ܫܐܛ pro ܫܘܛ & ex hæbræo נז *nez, textum.*

LXXIV. Sed non omne mixtum eſt *Schaatnez*. Apparet enim ex Magiſtrorum interpretatione, aut potius ex ipſis verbis Moſis Deut. XXII. XI. id proprie in re veſtiaria mixtûm, ſive *Schaatnez* eſſe,

eſſe, quod conſtat ex lana & lino. Ideo lex non tantum prohibet τὸ *Schaatnez*, ſed ſtatim addit, *Ex lino & lana*, quaſi clarius exponeret, quid pro *Schatnez* habendum ſit: ſcilicet omne id quod ex lino, & lana mixtum eſt, non quæ ex aliis materiis miſcentur. Igitur *Schaatnez* plus ſignificat quam *kilaim*, non quidem quodlibet כלאים *Kilaim mixtum*, ſed illud ſpeciatim quod conſtat ex lana & lino, ut ſpecies ſimul exprimerentur, quæ in re veſtiaria miſceri non poſſunt. Sic enim Moſes Deuteron. cap. XXII. commate XI. לא תלבש שעטנז צמר ופשתים יחדו: *Non indues Schaatnez, lanam & linum juncta.* Itaque quamvis plures aliæ ſpecies poſſent miſceri præter lanam & linum, ut goſſypium, ſericum, & id genus alia, ſive cum aliis miſcerentur, ſive cum lana, aut cum lino, nihilominus pro *Schaatnez* non haberentur; ſola enim mixtura lini & lanæ *Schaatnez* dicitur. Hoc etiam exſertis verbis docet *Maſſechet Kilaim cap.* IX: אין אסור משום כלאים אלא צמר ופשתן *Nihil vetitum eſt propter mixturam, niſſi lana & linum.* Et per lanam iſtam ſpeciatim intelligenda eſt lana ovilla, non autem camelorum, caprarum &c. quemadmodum ex *codice Berachot*, Maimonide & aliis poſtea, ubi de lana in ſacris veſtibus, docebimus. Sane ex lege nihil aliud mixtum vocari in re veſtiaria poteſt, ideoque vetitum dici non debet. Nihilominus propter externam ſpeciem, & quia offendunt infirmos, multa alia pro mixtis & vetitis habentur, non ex lege quidem, ſed ex doctrina magiſtrorum. Si linum & goſſypium texerentur in unam telam, quod hodie quidam *bombacium & bombaſijn* vocant, etſi id ex diverſis ſpeciebus conſtaret, tamen *Schaatnez* non eſſet, ſecundum legem, ſed ſanctiores eo veſtiri non deberent, propter externam ſpeciem, quia infirmiores forſan crederent, id eſſe ex lana & lino contextum. Idem manifeſto docet de ſercio & pinna *codex Kilaim, Capite* IX. *halacha* II. השריים והכלך אין בהם משום כלאים אבל אסורים מפני מראית העין: *Sericum & pinna non prohibentur ob mixturam, ſed tantum propter externam ſpeciem.* Hæc eadem etiam obſervavit, & clarius expoſuit Maimonides, *Hilch. Kilaim capite X. halach.* I. ויש בכרכי הים כמו צמר שגדל על האבנים שבים המלח תבניתו כתבנית הזהב והוא רך ביותר וכלך שמו ואסור עם הפשתן מפני מראית העין שהוא דומה לצמר רחלים וכן השירים והכלך אסור מפני מראית העין: *Eſt in urbibus maritimis quædam lana, quæ naſcitur in lapidibus, in mari ſalſo, aurei coloris & tenerrima, nomine calach: Illam cum*

 lino

lino miſceri vetitum eſt, propter externam ſpeciem, quia ſimilis eſt lanæ agnorum. Sic etiam ſericum & calach non licet miſceri propter externam ſpeciem. De calach כלך *pinna* πιννικὸν, ſive *lana marina*, (quod in tranſitu lectorem monitum velim) plura qui deſiderat, adeat Magnum Salmaſium, *ad Tertullianum de pallio, pagina* CCXVVIII. *Ejuſmodi lana mihi miſſa eſt, a Clariſſimo meo Collega* Gouſſetio, *Dordraco, cum inter exules ibi eſſet paſtor, anno* CIƆIƆCXC.

LXXV. Hic etiam notandum eſt, Hebræos per בגד ſolere intelligere non tantum veſtimenta ſic proprie dicta, ſed quæcumque quibus ad tegendum corpus utimur, aut etiam quæ delitiis & luxui inſerviunt, quibus ſubſtratis lautiores ſolent inſedere, incubare & inambulare, qualia ſunt pulvinaria, lecti, ſtragula, tapetes, & id genus alia. Sic David, I. Regum cap. I. com. I. dicitur in ſenectute tectus, etiam בבגדים *veſtibus*. Non quidem veſtimentis ſic proprie dictis, quemadmodum pauperiores, tempore intenſioris frigoris, pannuceis & centonibus ſuis, tunicis, brachis, palliis & aliis veſtibus, ſeſe tegere non raro coguntur, ſed ſtragulis, pulvinaribus & ejuſmodi rebus, quæ ſenem fovere poſſent. Nam potentiſſimum Regem veſtibus opus habuiſſe, ad tegendum corpus, quemadmodum homines tenuioris fortunæ, ridiculum foret, ſi quis cogitaret. Quod etiam quidam dicant, Davidem veſtimentis proprie dictis tectum fuiſſe, nec tamen iis calefieri potuiſſe, eo quod pallium Saulis laceraverit, quemadmodum magiſtri verpulorum docent, id eſt ſuaviter delirare. Sed veſtis eſt vox generalis, quodlibet tegumentum, & quæ ad ornatum faciunt, ſignificans. Hoc ſenſu & a Græcis, præſertim in novo Teſtamento, ſumitur, vox ἐσθὴς *veſtis*. Mathæi XXI. VII. VIII. *Plurima turba ſtraverunt veſtimenta ſua in via* &c. *& turba quæ ſequebatur clamabat, Hoſanna filio Davidis.* Utrum autem veſtes revera in ipſa terra, aut ſemita ſtratæ fuerint, prout mos eſt & hodie apud Europæos, pedibus Regum & Imperatorum, quo die coronantur, tapetes ſubſternere, an vero juxta viam tentoria & tabernacula ex veſtibus arborum ramis impoſitis, confecerint, ad morem feſti ſcenopegiæ, ut quidam id explicant, non auſim adfirmare. Utrumque enim, mea ſententia fieri poterat, abſque equitantis periculo, & ſæpe ita factum fuiſſe conſtat. Fere ejuſmodi quid factum fuiſſe legimus II. Reg. IX. v. XIII. Docemur ibi populum, *Iehu*

Regi

Regi ſuppoſuiſſe veſtes in faſtigio graduum, & clangentes buccina dixiſſe: regnat Iehu. Ubi per veſtes iterum nihil aliud intelliges, quam ſtragula, tapetes & ejuſmodi alia. Sed & apud ipſos ſcriptores Romanos veſtis lato admodum ſenſu ſumitur, pro qualibet re, quæ tegendi & ſubſternendi uſum habet; *veſtis* enim *generaliter dicitur, ut ſtragula, forenſis, muliebris* &c. ut auctor eſt Terentius Varro. Sed quando in lege Dei *Schaatnez*, ſive duplex materia ex lino & lana prohibetur, id intelligendum eſt de veſtibus ita proprie dictis, ſive de corporis tegumentis, quæ confici ſolent ad tempeſtatum inclementiam, frigus, ardorem & pluviam arcendam, non de quacunque ſupellectili, quæ ex lana & lino confici poteſt: quod ſatis fuſe docetur, *codice Kilaim capite ultimo*, & Maim. *Hilch. Kele Hammikdaſch capite* x. *hal.* xi. & xii. Multa tamen præterea ex traditione patrum vetita ſunt, quæ lege permittuntur, ut magiſtri ibidem docent. Nec prohibitum volunt ſibi, quo minus ejuſmodi veſtimenta conficerent, emerent & divenderent, & ex uno loco in alium portarent; modo id fieret abſque intentione, ut in iis calefierent, aut ut iis uterentur tanquam veſtimentis, ut ibidem ſatis fuſe docetur.

LXXVI. Patet igitur quid Judæi intelligant per כלאים *Kilaim* & שעטנז *Schatnez*, nempe mixtum in veſtimentis ex lino & lana. Rationem autem, ob quam ſapientiſſimus legiſlator hanc legem populo ſuo tulerit, operoſe inveſtigare ſuperſedeo. Non tamen vanos puto, eos qui credunt, id factum fuiſſe eadem de cauſa, qua eodem capite xix. Lev. Deus omnem mixturam in agris, in ſatis, in animalibus, prohibuit. Scil. ut, quemadmodum Deus omnes opiniones monſtroſas, & hæreſes, omnem hypocriſin, omnemque mixturam veri & falſi, boni & mali, impiorum & piorum, in agro ſuo ſpirituali, id eſt in Eccleſia, prout Eccleſia ibi per agrum repræſentatur, quod etiam ab ipſo Salvatore factum fuiſſe conſtat, Mathæi capite xiii. ferre non poteſt; ita etiam eum magnopere cupere, ut unuſquiſque omnes vires intendat, ne mens vitia contrahat, & impietatem cum virtutibus copulet. Ne animus ſit duplex, aut deteſtanda hypocriſi tanquam veſte duplicis materiæ tectus, ſed ut omnia ſint ſimplicia ſincera & nuda ante oculos Dei. Veram charitatem ſiquidem Deus, cum ſimplicitate & integritate, erga Deum & proximum, amat. Hanc etiam fuiſſe ſententiam veterum, ex Theodoreto *in Levit. quæſtione* xxvii. Cyrillo & aliis, apparet.

 LXXVII.

LXXVII. Tradunt tamen Judæi, etiam lege ſibi permiſſum fuiſſe, ut aliquo ſaltem modo geſtarent *Schaatnez* duplicem materiam, nempe ציצית *Zizith*, ſive *ſacras fimbrias*, quas Deus populo ſuo mandavit eodem capite decimo nono Levitici: *Zizith* enim ſive fimbriæ laneæ adnecti poſſunt veſtimento lineo, quod illis eſt *Schaatnez*, & in cæteris rebus fieri non poteſt. Animadvertunt etiam, Deum Levit. xix. poſtquam prohibuiſſet *Schaatnez*, ſtatim adjeciſſe præceptum illud de *zizith*, *fimbriis*, quaſi dixiſſet; Etſi vetitum vobis ſit, ne veſtem duplicis materiæ gereretis, licet tamen habere ſacras fimbrias, ita veſtimentis adnexas, ut ſit *Schaatnez*. De hiſce vide Talmudicos. Sed præcipue Maimonidem *Hilchoth Zizith cap.* III. *Sectione* VI. & albi. Sed præter has zizith, *Schaatnez* ſive veſte duplicis materiæ populo plane interdictum fuit, nec ſine piaculo quiſquam, cujuſcunque fuerit conditionis aut dignitatis, eam gerere potuit. Adeo quidem, ut, ſi quis judæum vidiſſet tali veſte amictum in publico ambulantem, præſertim ſi fuiſſet *Schaatnez* ſecundum legem, & non tantum ſecundum traditiones patrum, integrum illi fuiſſit, talem virum aggredi, veſtem ei detrahere, illamque lacerare, uti docet Gemara *Berachot capite tertio*, *folio* XIX. Sed clarius Maimonides *Hilch. Kilaim capite ultimo*, *ſect.* XXIX. הרואה כלאים של תורה על חברו אפילו היה מהלך בשוק קופץ לו וקורעו עליו מידי אפילו היה רבו שלמדו חכמה׃ *Si quis videret veſtem duplicis materiæ ſuper aliquem, etiamſi ambularet in foro, eum aggrederetur, & veſtem ſuper eum laceraret, etiamſi eſſet ipſius magiſter, qui ſapientiam eum docet.* Videatur etiam ſectio ultima ejuſdem capitis, ubi idem docetur de ſacerdote, ſi ejuſmodi veſtimento indutus eſſet extra tempus miniſterii. Nam extra miniſterium eidem legi adſtricti fuerunt ſacerdotes, nec eorum veſtes a veſtimentis vulgi diſcernebantur, ut ſuo loco clarius demonſtrabimus, tunc enim ut זרים *privati* tantum conſiderabantur.

LXXVIII. Jam vero operæ pretium erit hic inquirere, utrum Sacerdotibus noſtris, qua ſacerdotibus, & tempore miniſterii, id non permiſſum fuerit? Id eſt utrum veſtimenta ſacerdotalia non fuerint *Schaatnez*, *duplicis materiæ*? Infra manifeſtius oſtendemus, ſacro veſtitui lanam & linum tantum præbuiſſe materiam, (de auro & gemmis jam nihil dico, cum magis ornamento quam materiæ inſervierint) ſericum & goſſypium nullum uſum habuiſſe: ſecundum

dum generalem iſtam regulam Talmudicam , quæ extat Maſſechet *Kilaim cap.* IX. : אין הכהנים לובשים לשמש בבית המקדש אלא צמר ופשתים *Sacerdotes non veſtiuntur , ad miniſtrandum in ſanctuario, niſi lino & lana.* Quod non ita intelligendum eſt : quaſi omnes veſtes ſacerdotales conſtiterint ex lino & lana mixtis & contextis, atque ita quod omnes fuerint *Schaatnez duplicis materiæ*, aut ex lino tantum, aut ex ſola lana. Sed hoc ſenſu accipiendum eſt : omnes veſtes ſacerdotales conſtitiſse ex ſola lana & lino , ut non conſtiterint ex ulla alia quoque materia , nec ex ſerico , nec goſſypio , nec lana camelorum, caprarum & ejuſmodi rebus aliis. Sed quaſdam ex ſola lana factas fuiſſe, ut pallium Pontificis Maximi , aut ex ſolo lino, ut omnes veſtes Pontificis Maximi die piaculari , & cæterorum ſacerdotum feminalia, tunicam & cidarim : aut etiam ex lana & lino, ut fuit Balteus , Ephod & pectorale , quæ erant veſtimenta duplicis materiæ. Ita etiam Miſnam illam explicat gloſſa R.M. ואמר בבגדי כחונה כלם שלא יהו אלא מתכלת וארגמן ותולעת שני ושש משזר או מכלם או מאחת מהם : *Dicitur etiam de veſtibus ſacerdotalibus , quod nullæ fuerint , niſi ex hyacintho , ex purpura , coccino , & lino retorto ; ſcilicet conſtabant ex hiſce omnibus , aut ex uno eorum.* Quæ ex uno illorum tantum conſtabant non erant quidem *Schaatnez*, ſed quæ ex illis omnibus fiebant, *Schaatnez* fuere proculdubio. Ex hiſce omnibus autem , id eſt ex lana & lino, conſtabant primum *balteus*, tam Pontificis Maximi (excepto tantum x. Tiſri) quam cæterorum ſacerdotum. Deinde *Ephod & pectorale* Pontificis Maximi Balteum *Schaatnez* ſive ex lana et lino fuiſſe, Hebræi in Talmude, et alibi ſexcentis in locis, clamant. Nec mirum cum id ſacra ſcriptura clare doceat. Exodi XXVIII.XL. :ואבנט תעשה מעשה רקם *Et facies balteum opus Rokem.* Ubi talmudici docent *Rokem* ſignificare opus phrygionicum ex lino & lana. Clarius cap. vigeſimo nono: com. XXIX. ואת האבנט שש משזר ותכלת וארגמן ותולעת שני מעשה רקם כאשר צוה יהוה את משה : *Fecit etiam balteum ex lino retorto , ex hyacinthino & coccino , opere phrygionico , quemadmodum Deus mandavit Moſi.* Idem dicitur de Ephod & Pectorali. De Ephod vide cap. XXVIII. commate VI.: ועשו את האפוד זהב תכלת וארגמן תולעת שני ושש משזר מעשה חשב *Facies autem Ephod ex auro hyacinthino , purpura , coccino , & lino retorto, opere artificioſiſſimo.* De pectorali com. XV. ועשית חשן משפט מעשה חשב כמעשה אפוד תעשנו זהב תכלת וארגמן ותולעת שני ושש משזר תעשה אתו : *Facies etiam pectorale judicii opere artificioſiſſimo , ſicut opus Ephod facies*

facies illud, ex auro, hyacinthino, purpura, coccino & lino retorto. Tria igitur illa veſtimenta, *Baltheus, Ephod & pectorale* ex lino & lana (hyacinthinum enim, purpuram & coccinum lanam eſſe poſtea docebimus) conſtabant, erant itaque *Schaatnez.* Hoc etiam manifeſtius fiet Libro ſecundo, ubi de qualibet veſte ſeorſum agemus.

LXXIX. Omnes igitur ſacerdotes veſtem aliquam geſtaſſe duplicis materiæ, tam manifeſtum eſt, quam quod manifeſtiſſimum. Huc reſpexiſſe credo Joſephum *Antiquitatum Libro* IV. *cap.* VIII. ubi de lege veſtiaria, de non geſtandis veſtibus duplicis materiæ, quæ extat Levit. XIX. *μηδεὶς*, inquit, ἐξ ὑμῶν καλῶς τὴν ἐξ ἐρίων καὶ λίνου στολὴν φορείτω. Τοῖς γὰρ ἱερεῦσι μόνοις ταύτην ἀποδέχεσθαι. *Nullus ex vobis veſte ex lana & lino utatur: Hæc enim ſolis ſacerdotibus eſt conceſſa.* Sane ſolus Pontifex Max. balteum, Ephod & pectorale ex lino & lana geſtabat, et ſoli ſacerdotes cæteri balteum ejuſdem materiæ habuere. Id præter eos nemini conceſſum erat. *Hunc locum Ioſephi*, ait doctiſſimus Seldenus *De Synedriis libro* III. *capite* II. *Genebrardus ſic dictum innuere videtur, Tunicas, ſtolas & indumenta ſacerdotum reliqua fuiſſe ex lino & lana confecta.* quibus mox addit: *Nec forte ex ipſo ſermone ſacro aliud rite eliciendum,* ad quod probandum citat Exodi cap. XXVIII. v. et XI. Et cap. XXXIX. II. etc. Sed non capio quomodo id ex verbis Genebrardi aut etiam Gelenii, quos citat auctores, elici poſſit. Deinde nec ex ſacro ſermone, quem laudat. Ex ſacro ſiquidem ſermone Exodi cap. XXVIII. et XXXIX. nihil aliud concludi poteſt, quam id ipſum quod jam docuimus: nempe balteum omnium ſacerdotum, ut et Ephod cum Pectorali Pontificis Max: duplicis fuiſſe materiæ, non autem, ut ait vir doctiſſimus, *Tunicas, ſtolas, & indumenta ſacerdotum reliqua.* Non poſſum etiam ſilentio præterire, quod ibidem doceat, Talmudicos credidiſſe balteum ſolum fuiſſe Schaatnez, reliqua autem indumenta omnia fuiſſe linea. *Sed Talmudici*, inquit, *reliqua ajunt fuiſſe ex lino puro* ואבנט לבדו רקם בצמר צבוע : *Cingulum autem ſolum acupictum eſſe lana colorata.* Nam hiſce verbis Talmudici non intelligunt ſolum balteum *Schaatnez* fuiſſe, quaſi illud negarent de Ephod & Pectorali, ſed tantum ſolum balteum fuiſſe רקם בצמר *lana acupictum.* Diſtinguunt enim recutiti inter מעשה רקם *opus acupictum,* & מעשה חשב *opus artificioſiſſimum*, quod nos fuſius exponemus, ubi de textura

ſacro-

ſacrorum veſtimentorum : utrumque tamen fuit *Schaatnez* , quia in utroque fuit lana & linum , ut ex locis ſupra laudatis conſtat. Deinde quum etiam Talmudici alicubi dicunt, balteum ſolum eſſe acupictum, aut duplicis fuiſse materiæ, id intelligunt proculdubio tantum de veſtibus totius Sacerdotum turbæ, qui revera nullam aliam veſtem Schaatnez habent, quam balteum ſolum, nam Tunica, feminalia & Inſulæ ex lino tantum conſtabant. Sed de veſtimentis Pontificis Maximi idem dici non poteſt, cum præter *Balteum* habuerit *Ephod* & *Pectorale* duplicis materiæ.

LXXX. Non ſatis poſſum mirari, quod reperio apud Magnum Bochartum, *De Animalibus Libro* II. cap. XLV. ubi hæc verba Joſephi ita explicat, ac ſi docuiſſet, legem Levit. XIX. et Deut. XXII. *ubi veſtis heterogenea uſus interdicitur*, (ſunt ipſiſſima illius verba) *non tam Sacerdotes & Levitas reſpexiſſe , quam reliquas Judæorum tribus.* Ideo eum dicit, *legum interpretem quandoque peſſimum.* Sane Joſephus ex regia ſtirpe, ipſe ſacerdos, & iſtarum rerum oculatus teſtis, illiſque veſtibus ſæpius indutus, uſque adeo fungus non erat, ut tam apperte falſa orbi obtrudere conatus fuerit. Non enim illius mens fuit, Sacerdotibus licuiſſe extra tempus miniſterii veſtes duplicis materiæ geſtare, quum per urbem, aut per Provinciam ambulabant ut privati. Nec etiam reliquos Sacerdotes, præter Pontificem Max. in ipſo miniſtetio veſte duplicis materiæ amictos fuiſſe, alia præter balteum. Ipſe enim *libro* III. *cap.* VIII. ubi de veſtitu ſacro ex profeſſo agit, & ubi ſingulas veſtes ſeorſum deſcribit, ſatis manifeſto docet; nullas veſtes ſacerdotales, totius ſcilicet ſacerdotum turbæ, conſtitiſſe ex lino et lana præter balteum. Quum igitur dicit. *Solis ſacerdotibus fuiſſe conceſſum, veſtem ex lino & lana gerere,* id tantum intelligendum cenſeo, de balteo omnibus Sacerdotibus commune, & de Ephod & Pectorali Pont. Max. tempore miniſterii, atque ſic Sacerdotes revera diſtinguebantur a reliquis Iſraelitis, cum his nunquam conceſſum fuerit, id quod ſacerdotibus tempore miniſterii permittebatur. Quando etiam loquitur περὶ στολῆς de *Stola* , hinc concludendum non eſt, ipſius mentem fuiſſe, omnibus Sacerdotibus conceſſam fuiſſe *tunicam* , quæ ſæpe per *ſtolam* deſignatur, aut togam ex duplici materia. Utitur tantum hac voce στολῆ, ut ſignificaret Ephod & Pectorale Pontificis Max. aut etiam metonymice, ut cum Rhetoribus & Philoſophis loquar, ſpecie pro genere, ad ſigni-

ſignificandam quamlibet veſtem; ut perinde fuerit, ac ſi dixiſſet: *Sacerdotibus conceſſum fuiſſe, aliquam veſtem ex lino & lana geſtare.* Sed admirationem fere in ſtuporem vertit, quod mox addit Eruditiſſimus vir. *Et vero*, inquit, *licet Sacerdoti variæ veſtes aſſignentur, byſſinæ, purpureæ, coccineæ, hyacinthinæ; tamen illarum nulla pars ex tali miſtura conſtitit; Quem certi miniſterii tempore lanearum veſtium uſus Sacerdotibus prorſus fuit interdictus.* *Ezech.* XLIV. XVII. *Cum ingredientur portas interiores atrii, veſtes lineas induent, nec laneum indumentum gerent.* Ad verbum, *Non aſcendet ſuper eos lana, cum miniſtrabunt in portis interioris atrii.* Hæc eruditiſſimus Bochartus. Sed vellem hæc non dixiſſet, cum ſacra ſcriptura expreſſis verbis contrarium doceat, uti jam ſupra a nobis demonſtratum eſt. Fallitur doctiſſimus vir, quum dicit: *illarum veſtium nulla pars ex tali miſtura conſtitit.* Nonne *balteus* ex tali miſtura conſtitit? Nonne Ephod & Pectorale ejuſdem fuerunt materiæ? Nunquam miniſtrarunt ſacerdotes quin aliquam veſtem habuerint duplicis materiæ. Nec intelligo quodnam fuerit illud miniſterii tempus, quo *lanearum veſtium uſus ſacerdotibus prorſus fuerit interdictus*, ut loquitur vir doctiſſimus, niſi intelligat ſolum diem piacularem, x. Tiſri. Illo enim die Pontifex Max. lineis veſtibus tantum indutus fuit, adeo quidem ut ipſe balteus etiam ex lino tantum fuerit. His lineis veſtibus tamen non toto die, nec in omnibus miniſteriis illo die, utebatur; ſed tantum quum ſacra faciebat, quæ dies ille pro expiatione requirebat, quum ſancta ſanctorum ingrediebatur, nam quum ſacrificia jugia faciebat eodem die, veſtibus ordinariis indutus fuit, ut ſuo loco clarius patebit. Ita etiam locum illum Ezechielis exponunt Jarchius & Kimchius. Sed locus ille myſtice intelligi debet proculdubio. Et per lineas illas veſtes nihil aliud deſignare voluit propheta, quam ſanctitatem & munditiem credentium ſub novo Teſtamento, qui, ut ſacerdotes *βασιλείου ἱερατεύματος* *Regii* illius *Sacerdotii*, de quo Petrus prioris Epiſtolæ Capite II. com. IX. puri & ſancti eſſe debent, tanquam Chriſti ſponſoris & ſummi ſacerdotis toga juſtitiæ, quæ eſt candidiſſima et ab omni labe pura, veſtiti: quo etiam reſpexiſſe videtur locus Apocalypſeos capite III. verſ. XVIII. *conſulo tibi ut emas a me veſtimenta, alba, ut induatis, nec appareat dedecus nuditatis tuæ.* Ita quidem ut nulla lana, nullus color et miſtura in veſtimentis noſtris ſpiritualibus appareat, quemadmodum in veſtimento ſacerdotum veteris Teſta-

Teſtamenti, quæ ſigna erant rerum mundanarum, et peccati quo adhuc poluti erant veteres, vera expiatione nondum facta; de quibus plura dicemus libro II. ubi de uſu & ſignificatione veſtium. Stat igitur ſententia Joſephi noſtraque: *conceſſum fuiſſe ſacerdotibus ſolis, veſtes duplicis materiæ gerere, non vero privatis.*

LXXXI. Rationes autem inveſtigare, ob quas Deus Sacerdotibus veteris Teſtamenti, non tantum permiſerit, ſed etiam juſſerit veſtes duplicis materiæ, non magni laboris erit, modo cogitemus, tempore cultus Levitici, Judæos omnes, tam Sacerdotes, quam privatos, adhuc ſub pœdagogia fuiſſe, & elementis mundi implicitos, variam igitur iſtam materiam in ſacerdotum veſtibus argumentum fuiſſe, duorum populorum, Judæorum & Ethnicorum, per ſolum Chriſtum, ſummum Pontificem & Internuncium, Deo conciliandorum, vero illo ſacrificio, quod Chriſtus oblaturus eſſet præſtituto tempore. Deinde miſturam aliquam legalem etiam ſignificaſſe, dici poteſt: ſcilicet Judæos, pro quorum peccatis ſacerdotes illis veſtibus quotidie ſacrificabant, nunquam perfecte fuiſſe purificatos a peccatis, ſed ſemper illis aliquam adhæſiſſe labem, quemadmodum veſtes non ex puro lino, albo & nitido, ſed coloribus & diverſa materia variegatæ fuerunt, ut hac ratione peccatorum ſuorum ſemper eſſent memores, & ad verum ſacerdotem ſacrificiumque mentem dirigerent. Sed nec prætereundum cenſeo, quod docet Servius, *ad ultimum Æneidos*, citante Grotio, ad caput XIX. Levit. *Romanos credidiſſe, ſi Flaminica inventa eſſet, tunicam laneam lino habuiſſe conſutam, ob eam cauſam piaculum eſſe commiſſum.* Sane ſi hoc verum eſt, apud gentiles ſacerdotibus quibuſdam prohibitum fuiſſe veſtem duplicis materiæ habere, mirum utique non eſt, ſi Deus hoc Sacerdotibus ſuis permiſerit, immo mandaverit; cum D. O. M. in Religionis negotio plerumque ſoleat, jubere, ea quæ Idololatrarum ritibus plane contraria eſſent, quo mentem magis ab omni idololatria abſtraherent, & ad verum Deum converterent. Sed hæc de materia in genere ſufficiant.

CAPUT VI.

DE שש SCHESCH, LINO VESTIUM SACRARUM.

Lex de Materia veſtium ſacerdotum Exodi XXVIII. Thechelet, Argaman & Tholaath Schani, *utrum materiam an colorem ſignificent?* בוץ byſſus *aliquando color. Quid ſit color? Lana tincta per* Thechelet *&c. intelligitur. In veſtibus ſacris nulla materia præter lanam & linum. Lex Talmudica. Cannabum, goſſipium, Xylinum, Sericum, pili camelorum, caprarum & leporum &c: non adhibentur. Lutherus, Iunius & alii notati. Veſtes totius cœtus ſacerdotum lineæ.* מרו בר *Levit.* VI. III. *quid?* מרו *Græcorum* μανδύας, *Sententia Ioſephi, Hieronymi. Quale linum* שש *&* בר. *Male legitur* בר *pro* בר. *Error Lutheri qui* שש *ſericum putat. Verſio Belgica. Iunii, Scheringhami & aliorum error de* Xylino. *Veſtes Sacerdotum Ægypti ex Xylino. Plinius Reprehenſus ab Ulitio. Ægyptus Xylini ferax. Et Iudæa. Locus Talmudis male intellectus a Bocharto.* ἔριον. *verus ſenſus.* צמר גפן lana vitis Baum-wol. ἐριόφοροι & lanigeræ *arborem ſignificat. Pro* שש *&* בוי *Arabs* Caton. *Gallice, Belgice, Italice.* Coton, Catone, Catoen. Merketon *pro* melicoton, *& malum cotoneum.* מוך molle קוטן Bombaggio, bombace, βαμβαξ & βαμπάτζι. **bombaſyn.** *Error Lypſii diſtinguentis* bombycina *a* ſericis. *bombycum vermium netum. Erucæ. Cea & Coa differunt. Iſidorus defenſus contra Lypſium. Conjectura de* קוטן caton. *an idem quod* כתן *&* כתנא. linum. βύσσος, בוץ & בוצא. πιννικὸν, *βύσσος & βυσσὸς differunt. Byſſus an ſericum aut goſſipium? Pollux de Byſſinis. Byſſus eſt linum. Byſſus Eliaca.* κεκρύφαλος. *Plagæ, retia &c. ex lino. Et funes Simſonis. Lino multum firmitatis. Plagæ cumanæ. Auctores Rei venaticæ de lino ad conficienda retia. Locus Eſaiæ* XIX. IX. *explicatus.* שריקות *&* חורי *quid? Iarchius, Opianus, Kimchius, Diodatus.* Verba byſſina. שש *&* בר *Hebræis* פשתן. *Locus Ezechielis* XLIV. XVII. *laudatus. Quid piſchtim Talmudicis?* קנבוס Κάναβις. cannabum. קנבוס פשתים λίνυ κανάβεως *Polluci. Littera* ק *K. C. H. permutantur ut* halm, culmus, *aut* calamus.

Cutis

Cutis Haut, Hes, Katz, Catti & Heſſen. κάναβις קנבוס *Hanf. Henep. chanvre, Caneſas. Flachs, Filace. Iſidorus notatus.* ὀθόνη. *Veſtes Sacerdotum ex lino optimo. Chald.* כתנא *Ioſephi* χεθόν. כתנא רומיא *Linum Romanum. Afris & Pœnis linum* פשתן. *Dioſcoridis* ζεραφοῖς. *Locus ille emendatus* ζεραφιστά. זרע פשתה *ſemen lini. Gentilium Sacerdotes lino veſtiuntur. Goſſipio Brachmannes in India. Et amianto ſive Asbeſtino. Herculis Sacerdotes. An Pythagoras lini inventor. Linum in uſu tempore Moſis.*

LXXXII. OMnis ſacrorum veſtimentorum materia comprehenditur Exodi capite XXVIII. com. v. his verbis; והם יקחו את הזהב ואת תכלת ואת הארגמן ואת תולעת השני ואת השש׃ quæ verba ſic reddunt ſeniores: Καὶ αὐτοὶ λήψονται τὸ χρυσίον, ϗ τὴν ὑάκινθον, ϗ τὴν πορφύραν, ϗ τὸ κόκκινον, ϗ τὴν βύσσον. *Ipſi autem accipient aurum, hyacinthinum, purpuram, coccinum, & byſſum.* Quæritur autem, utrum hæc omnia colorem tantum, an vero materiam ſignificent? Materiam, non autem colorem, eſſe intelligendum, videtur innuere vox זהב *aurum*, cum aurum ſit materia, non color. Idem judicium eſto de שש, quod *linum*, ſive βύσσον & בוץ, ut habet Chaldæus, ſignificat, non colorem. Non tamen ignoro, ſecundum quoſdam, illud שש βύσσον, & בוץ, non ſemper apud auctores, præſertim in ſacra ſcriptura, denotare linum, ſed etiam colorem aliquem, puta purpuram, ut ex Heſychio & Suida probare conatur ὁ πάνυ Bochartus *in ſuo Phaleg libro* III. *cap.* IV. quamvis de eo dubitare videatur doctiſſimus Ferarius de *Re veſt. parte* II. *lib.* IV. *cap.* XII. Sane aliquando colorem ſignificaſſe, aut ſaltem byſſum colore purpureo infectam, negare non auſim. Nequeo tamen probare quod quidam in ſacra ſcriptura שש וארגמן toties repetitum exponant, per *byſſum purpuream*, quæ etiam eſt opinio, poſt Bochartum, Summi Theologi, & in Hebraicis verſatiſſimi viri, Heidegeri. *Hiſt. Patr. parte* II. *Exercit* XX. duæ enim res, mea quidem ſententia, ſemper ſignificant *byſſum* & *purpuram.* Sed hoc *lanam*, illud *linum.* Utramque tamen pretioſiſſimum, quale viros honoratos & divites decet. Certiſſimum quidem eſt, & infra clarius patebit, omnes iſtas voces, quæ in dubium revocari poſſunt, coloremne ſignificent, an materiam, ut ארגמן תכלת תולעת השני colorem ſignificare. Cum tamen omnis color me-

merum ſit accidens, ut Philoſophi vulgares loquuntur, aut, ſi mavis, cum colores nihil aliud ſint, quam certæ quædam figuræ, iſtarum particularum, ex quibus corpora conſtant, unde fit ut aer, aut potius globuli cœleſtes, pro variis figuris, quæ in particulis ejuſmodi corporis reperiuntur, nervós opticos moveant vario modo, quos varios motus varios colores vocamus, dicendum neceſſario eſt, illud accidens, ſive illas figuras eſſe in aliquo corpore aut materia, cum revera ab ipſa materia ſeparari non poſſint. Materiam igitur & colorem ſimul ſignificant, aut, ſi mavis, materiam quandam coloratam, quæ etiam mens eſt Hebræorum, dicunt enim iſta omnia ארגמן תכלת תולעת שני eſſe צמר צבוע *lanam tinctam.* Videantur Jarchius & Aben Eſra, *in commentariis ad Exodi caput* XXV. *com.* IV. & Abarbanel *ſuper legem fol.* CXC. Igitur circa voces illas, examinanda primum eſt materia, deinde colores.

LXXXIII. Nullam aliam materiam veſtimentorum ſacerdotum doctores noſtri agnoverunt, quam *linum & lanam*: cætera enim ut aurum & gemmæ plus faciunt ad ornatum Pontificis Max. quam ad ipſam veſtium materiam. Optime itaque Hebræorum magiſtri, *codice Kilaim capite* IX. *miſna prima*: אין כהנים לובשים לשמש בבית המקדש אלא צמר ופשתים : *Sacerdotes non veſtiuntur ad miniſtrandum in Templo, niſi lana & lino*, quæ verba apud Maimonidam & alios ſæpius repetuntur. Ergo nec canabum, nec goſſipium ſive Xylinum, nec ſericum, nec pili camelorum, leporum, aliorumque ullum prorſus uſum habuerunt in veſtimentis ſacris, etſi alias non raro in re veſtiaria, iis uterentur Hebræi. Ideoque turpiſſime aliquando decepti ſunt auctores alias non contemnendi, ut Lutherus, Junius, cæterique In interpretanda S. Scriptura, ubi ponunt *Xylinum*, *ſericum*, & ejuſmodi alia quæ ſacer textus non agnovit; Sed de hiſce ſuis locis plura dicemus. Linum igitur & lanam tantum adhibuere Hebræor. ſacerdotes in veſtibus ſacris, nec quicquam præterea ex verbis illis Exodi XXVIII. modo allegatis, erui poteſt. *Linum* quidem denotatur voce שש. *Lana* cæteris תכלת ארגמן תולעת שני: quæ nihil aliud ſignificant quam צמר צבוע, *lanam tinctam*, ut optime magiſtri. Ex his quidem contexuntur omnes veſtes ſacræ, cum totius turbæ, tum Pontificis Maximi. De lineis primum diſſeremus, deinde de laneis.

LXXXIV. Supra jam docuimus plura dari genera veſtimentorum, ut plura genera Sacerdotum. Alius enim totus cœtus Sacerdo-

dotum, alius Pontifex maximus. Ita aliæ ſunt veſtes illorum, quam hujus. Veſtes totius cœtus lineæ erant præter balteum, qui ex lana & lino mixtus. Capite XXVIII. Exodi, materia illarum veſtium quidem non exprimitur, niſi feminalium tantum, quæ מכנסי בד *feminalia linea* dicitur. At capite XXXIX. com. XXVII. & ſequentibus, exſertis verbis omnes veſtes filiorum Aharonis, id eſt totius turbæ pontificum, dicuntur lineæ. ויעשו את הכתנות שש מעשה ארג לאהרן ולבניו׃ ואת המצנפת שש ואת פארי המגבעות שש ואת המכנסי הבד שש משזר׃ ואת האבנט שש משזר וגו׳ *Fecerunt tunicas illas ex lino, opere textili: Aharoni & filiis ejus. Et cidarim illam ex lino, & tiaras illas ex lino internexo. Et balteum illum ex lino internexo* &c. habes igitur omnes quatuor veſtes ſacerdotum ex lino. Idem docetur Levitici capite VI. III. ubi mentio fit non ſolum מכנסי בד *feminalium linearum*, ſed מדו בד quoque, i. e. *tunicæ*, aut *veſtimenti linei*: vocem enim explicat, & rationem ſimul reddit cur ita vocentur שהוא כמדתו *quia* tunica *eſt quaſi menſura ejus*, id eſt ad menſuram corporis compoſita. Hinc proculdubio Græcorum *μανδύας* quod eſt *εἶδος ἱματίȣ περσῶν πολεμικὸν ἢ μαντείας*, *genus veſtimenti quo Perſæ utuntur in bello, aut in vaticiniis*, ut ait Heſychius; niſi legendum ſit *ἢ μάντυας* pro *ἢ μαντείας*; tunc quod hic de vaticiniis poſitum eſt, delendum eſſet: aut *λωρίκιον*, ut explicat Suidas. Barſelonius *præcepto* XCIC., poſtquam de quatuor veſtibus ſacerdotum egiſſet, ita tandem concludit: וארבעות כלים אלא של פשתן היו לבנים *Et quatuor iſtæ veſtes ex lino erant albo.* In eadem ſententia fuerunt cæteri Hæbræorum doctores omnes. Joſephus, qui ob antiquitatem, & tanquam teſtis oculatus, primus allegandus fuit, *libro* III. *Antiq. cap.* VIII. *feminalia* vocat *διάζωμα ἐκ βύσσȣ κλωστῆς*. *Tunicam* *λινᾶον ἔνδυμα διπλῆς σινδόνος βυσσίνης*. *Cidarim*, *λινᾶιον* quoque & *σίνδωνα* dicit. *Balteum* etiam floribus byſſinis conſtitiſſe docet, immo *στήμων* ait *ἐστὶ μόνη βύσσος*. Hieronymus Joſephum ſecutus, ut ſolet, omnes iſtas veſtes lineas vocat: loquitur enim de *linteis feminalibus*, de *tunica ex lino*. De *Balteo* cujus *ſtamen linum dicit*, & de *pileo byſſino*. Vide ejus *Epiſtolam ad Fabiolam.*

LXXXV. Sed quæritur cujuſnam generis fuerit linum illud, ex quo factæ erant veſtes ſacerdotales? Et ſane non immerito; cum multa paſſim reperiantur apud auctores, quæ linum vocantur, nec eodem ſenſu exponantur voces illæ ab interpretibus. Textus He-

bræus quidem habet שש & בד, *Bad*, pro quo nonnulli peſſime legerunt בר *bar*, ut animadvertit Hieronymus ad Fabiolam. Lutherus vocem illam שש Exodi XXVIII. Verſu V. Et capite XXXIX. verſ. XXVII. & ſequentibus, exponit per weiſſe ſeyde / *ſericum album*; ſic etiam habet vetus verſio Belgica. Sed accuratius verſio anni CIↃ IↃC XVIII, ubi fijn linnen leges, quemadmodum in Anglica. Sed de ſerico nos fuſius infra, ubi oſtendemus ſericum apud Hebræos, tempore Moſis, non fuiſſe notum, multo minus uſum habuiſſe in veſtibus ſacris. Junius & Tremellius fere ſemper habent *Xylinum*, & ab his decepti Scheringham in ſuo Opere Joma aliique multi. *Xylinum* goſſipion eſſe optime docet Plinius *Libro* XIX. *capite* I. Inde etiam factas fuiſſe veſtes ſacerdotum Ægyptiorum ibidem tradit. *Superior pars Ægypti*, inquit, *in Arabiam vergens, gignit fruticem, quem aliqui goſſipion vocant, plures Xylon, & ideo lina inde facta Xylina. Parvus eſt, ſimilemque barbatæ nucis defert fructum, cujus ex interiore bombyce lanugo netur. Nec ulla ſunt eis candore mollitiave præferenda. Veſtes inde Sacerdotibus Ægypti gratiſſimæ.* Putat tamen doctiſſimus Ulitius in ſuis notis ad auctores Rei venaticæ, Plinium falli in hoc loco; eum hæc deſumpſiſſe ex Herodoto, qui de lino intelligit ea quæ Plinius de goſſipio habet. Sed Plinii verba ſatis ſunt clara, & fortaſſis ſacerdotes Ægypti tam ſcrupuloſe non diſtinguebant goſſipium a lino, ut utroque uterentur in veſtibus. Deinde Ægyptum ſatis feracem fuiſſe ejuſmodi lini, ſive Xylini, non tantum ex Plinio, ſed & ex Polluce aliiſque auctoribus conſtat. Hinc vicina loca, ut ipſa Judæa, ejuſmodi arboribus lanigeris conſita erant, quod patet vel ex ſolo codice *Kilaim capite* VII. ubi Magiſtri diſputant an liceat ſerere ejuſmodi arbores lanigeras inter vites, unde uvæ colliguntur. Quem locum (ut & hoc in tranſitu notarem) male intellexit doctiſſimus Bochartus, in ſua *Phœnicia libro* I. *cap.* XLV. Putat enim ibi diſputari an goſſipium poſſit adhiberi ad uſum veſtimentorum, quaſi ibi ageretur de miſtura in veſtibus, cum quæſtio ſit tantum de ſeminibus mixtis in agris; de miſtura autem in veſtibus poſtea capite nono agitur. Talmudicis dicto loco & alibi Xylinum vocatur צמר גפן *lana vitis*, quia revera lanæ ſpeciem refert, hinc & Germanis Baum-wol / *lana arboris*. Ideo & Græcis ἔϱιον, & arbores in quibus naſcitur ἐϱιόφοϱοι, Latinis *lanigeræ*. Fortaſſis *Xylinum* & *Xylum* dicitur, quia ξύλον etiam arborem

borem ſignificat, ut hæbræum γυ, Ez' quod utrumque, cum lignum tum arborem denotat.

LXXXVI. Nec mirum ab Hebræis vocari צמר גפן *lanam vitis*, cum arbores illæ, in quibus naſcitur, viti non admodum ſint abſimiles. Hinc Theophraſtus *libro* IV. *capite* IX. ταῦτα δὲ φύλλον μὲν ἔχειν (loquitur enim de arboribus illis laniferis) ὅμοιον τῇ ἀμπέλῳ πλὴν μικρόν. quæ verba ſic vertit Plinius *libro* XII. *capite* X. *His folia infœcunda, quæ ni minora eſſent, vitium poterant videri.* Et Idem Theophraſtus ejuſdem libri *capite* IV. πόῤῥωθεν ἀφορῶσιν ἄμπελοι φαίνονται. quæ Plinius iterum *libro* XII. capite VI. *nec eſt gratior villarum aſpectus.* Audiamus Plinium: *Sed unde veſtes lineas faciunt, foliis, moro ſimilis, calyce pomi cynorrhodo. Serunt eam in campis: nec eſt gratior ullarum aſpectus.* Doctiſſimus Voſſius ad Pomponium Melam *libro* III. *cap.* VII. hunc locum optime emendavit, ſcribendo *villarum* pro *ullarum*; *villa enim*, inquit, *diminutivum vineæ.* Ideo etiam Plinius ejuſmodi arbores inter Aminæarum vitium genera recenſet, *libro* XIV. *capite* II. *Quintum genus lanatæ, ne Seres miremur aut Indos, adeo lanugo eam veſtit.* Ad quem locum optime Dalechampius: *Frutex eſt humilis, foliis latis, altius inciſis, viti aut alceæ quadantenus ſimilibus ſed minoribus.* Non mirum igitur goſſypion ab Hebræis vocari צמר גפן *lanam vitium.* Non tamen omnes iſtæ arbores lanigeræ plane eædem fuere, ſed quaſi diverſæ ſpecies, ut ex Plinio & aliis conſtat, quod etiam ab oculatis teſtibus confirmatur. Quædam lanuginem circa fruticem habebant: Quas Plinius vocat Goſſampinos, *libro* XII. *cap.* XI. *Arbores vocant goſſampinos, fertiliore etiam Tylo minore, quæ diſtat X. M. paſ. Iuba circa fruticem lanugines eſſe tradit, linteaque ea Indicis præſtantiora.* Aliæ vero *fructum ferunt ſimilem barbatæ nucis, ex cujus interiore bombyce lanugo netur.* Plinius *Libro* XIX. *capite* I. Pollux. *Libro* VII. *cap.* XVII. quod caput quidam male inſcripſerunt. περὶ βυσσίνων, cum etiam de aliis rebus agat. τῷ δένδρῳ καρπὸς ἐπιφύεται, καρύῳ μάλιστα προσεοικὼς, τριπλῷ τὴν διάφυσιν, ἧς διαστήσης, ἐπειδὰν ἐυανθῇ τὸ ὥσπερ κάρυον, ἔνδοθεν ἐξαιρεῖται, τό ὥσπερ ἔριον *Arbori fructus enaſcitur, nuci ſimilis, triplici cortice munitus, qua dirempta poſtquam inſtar nucis floruerit, interius quid inſtar lanæ reperitur, quod eximitur.* Quædam *ferunt contonei mali amplitudine cucurbitas, quæ maturitate ruptæ oſtendunt lanuginis pilas.* Libro XII. *cap.* X. Nec mirum, cum

cum vix ullum genus fructuum reperiatur, quod non plures habeat quaſi ſpecies. Quot obſecro ſunt ſpecies pomorum, pyrorum, nucum, avalenarum, ficuum, immo vitium &c?

LXXXVII. Fortaſſis Junius, Tremellius & alii, qui has voces שש & בר reddiderunt per *Xylinum*, decepti ſunt ab Arabe: Is enim fere ubique locorum, præſertim Exodi cap. XXVIII & XXXIX. habet *Coton*, ſive *cotnon*. Sane etſi omnibus fere linguis notum ſit *coton*, dicimus enim gallice *du coton*, Italice *cotone*, belgice **Catoen** (inde fortaſſis etiam *malum cotoneum*, ita dictum ſcilicet a lanugine, quæ pelliculæ adhærere ſolet, & noſtrum *Merketon*, pro *melicoton*, aut *malum cotoneum*) certum tamen eſt vocem eſſe arabicam, & ex Arabia forſan primum ad Hiſpanos, deinde ad cæteras gentes in Europa delatam. Hæc ſententia eſt Maimonidæ, in lingua Arabica viri peritiſſimi, ad *Maſſechet Kilaim capite* VII. ad hunc locum modo a nobis laudatum: רבי מאיר אומר אף צמר גפן אסור *Rabbi meier dicit, etiam lana vitium prohibita eſt.* Sic enim ad hæc verba Maimonides: וצמר גפן יקרא בלשון ערב קוטון *Lana vitis arabice dicitur coton.* Cæteri tamen omnes fere Gloſſatores habent בלעז׳ *barbare.* Bartenora *ad caput* VII. *Kilaim* צמר גפן *lanam vitis*, exponit per מוך *Much.* צמר גפן מוך שקורין קוטון׳ *Lana vitis eſt much, quod vocant Coton.* Sed notum eſt מוך Hebræis eſſe, omne id quod eſt molle, ut docet gloſſa in Maſsechet Schabath, capite IV. כל דבר רך קרוי מוכין *Omnis res mollis vocatur Much.* Cum vero *goſſipion*, ſive *Xylinum* ſit molliſſimum (nihil enim ei *candore molitiave præferendum*, uti ſupra ex Plinio audivimus) mirum non eſt, מוך ſive *molle* vocari.

LXXXVIII. Quicquid eſt, *Koton* nihil aliud ſignificat quam *goſſypium*, ſive *Xylinum.* Hinc Golius in ſuo Lexico *Italice Cotone.* Id ipſum Italis etiam *bombaggio* & *bombace* dicitur. Hinc Baal Aruch vocem קוטון dicit ſignificare: מוך ובלעז בנבצי *Much & barbare Bombace.* Ideo Græcis & Græco-barbare *βάμβαξ* & *βαμβάτξι.* Germanis & Belgis **bombaſijn**/ quamvis per ſuum **bombaſijn** plerumque intelligant id cujus ſtamen eſt linum, & ſubtemen goſſipium, quale eſt id de quo Pollux *libro* VII. *capite* XVII. *unde* (nempe ex arborum lana) *ſubtemen conficitur, ſtamen autem illi ſubtendunt lineum.* Et fortaſſis ita vocatur *bombace*, & **bombaſijn** quia e nuce, tanquam ex *bombyce erumpit*, ut habet Plinius, loco ſupra laudato. Alias non ſine magno errore goſſipium ita vocari

cari poterit, cum bombycina revera ſint *ſerica*, ita dicta a bombyce verme, a quo ſericum netur. Ideoque male admodum diſtinguit Lipſius inter *bombycina* & *Serica*. Ad Taciti *Anal.* 11. *Nolim*, inquit *erres, diſtincta genera veſtium olim Byſſina, ſerica. Byſſina e lino, Bombycina e verme, Serica ex arborum lana confecta. Bombycina eadem eſt cum Cea ſive Coa (nihil enim intereſt) manetque hodie: reliquorum nihil ſupereſt) niſi nomen, Byſſum cum ſerico imperite confundit Philoſtratus lib.* 11. *& vult ex arbore Indica naſci, qua altitudine quidem populos æquet, foliis ſalici non abſimiles. Sericum debuiſſet dicere. Nam byſſus e terra gignitur ut linum, circa Elidem præcipue Achaiæ urbem. Eadem imperitia Bombycinam, Sericum facit Iſidorus lib.* XIX. *Si tamen imperitia eſt, & non opinio inferioris ævi.* Sed craſſum errorem & multiplicem (pace magni viri dictum ſit) erravit Lipſius. Dum alios erroris ſatis libere inſimulat, ipſe turpiter lapſus eſt. Fallitur quando diſtincta genera facit veſtium olim, *bombycina & Serica*: nam ſericum non minus eſt opus vermium, ſive βομβύκων quam id quod *Bombycinum* vocat. Et quamvis de ſerico loquantur auctores, tanquam de fœtu, aut etiam lana arborum, prout Virgilius ea vocat *vellera Serum*, id non obſtat, quo minus ſint texturæ quædam vermium: a vermibus enim in illis Regionibus netur. Si quidem arbores aſcendunt & penſa ſua abſolvunt abſque cultura, ſola enim natura miniſtra earundem arborum folio nutriuntur, donec ſeſe contra frigus munire & veſtes conficere conentur, atque ſic molliſſima juxta & gratiſſima lana involvant. Plane eodem modo, quo apud nos erucæ, nequam illæ & damnificæ beſtiæ, (ut cum Plauto noſtro loquar) quæ arbores quoque ultro invadunt, tamquam tot coloni vi omnia occupantes, ubi eas conficere nidos, non quidem tanto lucro ut apud Seres, ſed mala quadam peſte, folia, flores et fructus depaſcere, triſtes plus ſatis videmus, ut non ſine magno labore eas inde detrudere cogamur, niſi arborum proventu nos plane privari patiamur, pro vana & ſordida inſecti quadam ſaliva. Nec eſt quod quis miretur veteres, Plinium, Marcellinum & alios dixiſse, frondium canitiem aqua debuiſse perfundi, ut vellera depecti poſsent. Nam id ſane cum fœtu bombycum etiam convenit. Norunt enim artifices, qui hodie ſerico texendo dant operam, non niſi aqua ſuffuſos nidos & glomeres poſſe redordiri. Errat Lipſius quum confundit *Cea &*

Coa. Toto enim cœlo diſtant illæ Inſulæ. *Cea* eſt Inſula Europæ circa Euboeam, *Co* ſive Κῶ Aſiatica, prope cariam, ut norunt ii, qui norunt patriam Hypocratis. Non eſt igitur imperitia Iſidori, nec *opinio inferioris ævi*, quod Bombycinum Sericum fecerit. Quicquid dicatur, noſtrum שש & בד non eſt *Xylinum*, ſive *goſſipium*, non magis quam *Sericum*, atque ideo male Arabs, Junius & alii *Koton* & *Xylinum* reddiderunt. Quid tamen? ſi dicamus, falli eos qui קוטן K*oton* vocem arabicam, atque ideo *Xylinum* ſignificare volunt. An adeo abſurda eſset conjectura, ſi quis diceret קוטן nihil aliud eſse quam Chaldæorum כתן & כתנא K*itan* & K*itna*, quod denotat linum; Atque ſic ferri poſset verſio Arabica pro שש & בד *lino*.

LXXXIX. Optime Septuaginta, qui βύσσον *Byſſum*, ut & verſio vulgata. Sed hi proculdubio ſecuti ſunt Chaldæum, qui etiam habet בוץ *buz* & בוצא *buza*, quod nihil aliud eſt quam ipſiſſima *byſſus*, ut vel ex ſolis literis & ſono vocis patet, ita ut Græcum βύσσος derivatum ſit a Chaldæo בוץ *buz*. Quid autem ſit *byſſus* iterum quæritur. Sunt qui lanam etiam Byſsum vocatam crediderunt, alii πιννικὸν, quia lanæ valde eſt ſimilis. Atque id conantur probare ex Ariſtotele, quod dicat αἱ πίνναι φύονται ἐκ τοῦ βυσσοῦ. Sed locum illum male intellexerunt, non animadvertentes differentiam inter βύσσον & βυσσὸν. Illud enim ὀξυτόνως genus lini aut colorem, hoc vero βαρυτόνως *profunditatem*, ſignificat, ut Suidas animadvertit. Ariſtoteles de hoc, non de illo loquitur; revera enim ex profundo mari extrahitur pinna, ut ſuo loco oſtendemus. Ideo Athenæus habuit ἐκ τοῦ βυθοῦ, pro βυσσοῦ. Nam βυθὸς & βυσσὸς idem ſignificant. Alii putabant communiter nomine byſſi venire etiam bombycinum ſive goſſipium & ſericum, & auctorem allegant Pollucem; ideo quod *libro* VII. *cap.* XVII. goſsypium & ſericum comprehendat ſub byſso. Caput enim inſcripſit *de byſſinis*, & ſimul agit de goſſipio & ſerico. Sed inſcriptio illa eſt à neſcio quo ſciolo, non autem ab ipſo Polluce. Sed eodem capite hæc opinio refellitur, cum Pollux non tantum clare diſtinguat inter βύσσον, ἔριον ξύλον & Bombycinum ſive ſericum, ſed inſuper expreſſe addat βύσσον *eſſe ſpeciem lini Indici*. καὶ ἡ βύσσος λίνου τι εἶδος παρ' Ἰνδοῖς.

XC. Linum igitur eſt byſſus, & non omne quidem linum, ſed certa quædam ſpecies βύσσος λίνου τι εἶδος, ait Pollux. Nulla byſ-

ſus

ſus magis ab auctoribus celebratur, quam illa quæ circa Elim naſcitur. Ideo inter pretioſa lina eam numerat Plinius, & poſt linum asbeſton, primum ei dat locum, *Libro* XIX. *cap.* I. *Huic lino* (asbeſtino) *principatus in tote orbe. Proximus byſſino, mulierum maxime deliciis circa Elim in Achaia genito.* Fuſius Pauſanias *Eliacor. Prior. ſive libro* I. Θαυμάσαι δ᾽ ἄντις ἐν τῇ Ἠλείᾳ τήν τε βύσσον, ὅτι ἐν ταῦθα μόνον, ἑτέρωθι δὲ οὐδαμοῦ τῆς Ἑλλάδος φύεται. Et paulo poſt. Ἡ δὲ βύσσος ἡ ἐν τῇ Ἤλει, λεπτότητος μὲν εἵνεκα οὐκ ἀποδεῖ τῆς Ἑβραίων, ἔστι δὲ οὐχ ὁμοίως ξανθή. *Inter Elei Miracula etiam byſſus eſt. Hic tantum, nuſpiam alibi in Græcia naſcitur. Byſſus Elei eſt tenuiſſima. non cedit Hebræorum, non tamen eſt æque flava.* Vide eundem libro ſexto & ſeptimo. Byſſus Indica tamen etiam eſt celebris, teſtante Polluce, loco modo à nobis laudato. Ἡ βύσσος, inquit λίνου τι εἶδος παρ᾽ Ἰνδοῖς. *Byſſus eſt ſpecies lini ex india.* Sed apud Hebræos optima byſſus erat, ut ex eodem Pauſania apparet; comparat enim Eliacam cum Hebraica: tamen huic illam præfert. *Byſſus enim Eliaca eſt teniſſima, Hebræorum byſſo non cedit, ſed minus flava eſt.* Sed omnis byſſus, & Eliaca, & Hebræa & Indica linum eſt ſubtiliſſimum & pretioſiſſimum, etſi alii id etiam de ſerico & goſſipio explicent. Sane Pauſanias *Eliacor. poſter. ſive lib.* VI. byſſum Eliacam dicit ſeri ut canabum, & ex ſtirpe provenire. Ἡ δὲ Ἠλεία χώρα τὰ δὲ ἄλλα ἐστιν ἐς καρποὺς καὶ τὴν βύσσον οὐχ ἥκιστα ἐκτρέφειν ἀγαθή. τὴν μὴν δὴ καναβίδα καὶ λίνον καὶ τὴν βύσσον σπείρουσιν. *Eſt autem ager Eliacus ut & cæterarum rerum, ita & byſſi ferax. Cannabem quidem, linum & byſſum ſerunt.* Linum & Cannabem ſeri manifeſtiſſimum eſt. Sed & opera, quæ inde conficiuntur, id docent: Non enim veſtibus tantum præbet materiam, quod etiam facit ſericum, lana & goſſipium, ſed & retibus: ut idem Pauſanias docet *in Achaicis.* Βιός δὲ, inquit, αὐτῶν ταῖς πολλαῖς ἐστιν ἀπὸ τῆς ἐν Ἤλιδι φυομένης κεκρυφάλους τε γὰρ ἀπ᾽ αὐτῆς καὶ ἐσθῆτα ὑφαίνουσι τὴν ἄλλην. *Earum plures Eliacæ byſſo dant operam, texentes reticula & alias veſtes.* Ubi notandum, quamvis vox κεκρύφαλος ſignificet reticulum, quo mulieres compeſcunt crines, tamen etiam ſæpiſſime ſumi pro plaga, ſive reti venatorio, in quod feræ incidunt, ut Stephanus ex Xenophonte optime notavit.

XCI. Retia autem, ſive ejuſmodi plagas ex lino fieri, non ex goſſipio (quod parum habeat firmitatis, ut quotidiana experientia plus ſatis docet) certum eſt. Debent enim plagæ eſſe tenaces

& fir-

& firmæ, ad retinendas feras. Nihil autem plus habet firmitatis quam linum. Ideo funes, quibus ligabatur Simſon Judic. xv. xiv. fuerunt ex פשתים *lino*: ſcilicet credebant Philiſtæi iſtam materiam firmiſſimam tenaciſſimamque eſſe, ideoque funibus conficiendis aptiſſimam. Audiatur Plinius oculatus teſtis, qui *plagas ſe vidiſſe* adfirmat, *tantæ tenuitatis, ut annulum hominis cum epidromis tranſirent, uno portante multitudinem quæ ſaltus cingeretur. Nec id maxime mirum, ſed ſingula earum ſtamina centeno quinquageno filo conſtare.* Sic de plaga Cumana. *Sed Cumanæ plagæ concidunt apros, & hæ caſſeſve ferri aciem vincunt. Libro* xix. *capite* i. Has plagas auctores rei venaticæ ex lino fieri jubent. M. A. Ol. Nemeſianus, in Cynogetico ſuo: & Gratius, qui *linum tenax* vocant. Vide etiam Opianum & alios, ac Ulitii doctiſſima commentaria. Xenophon *lib. de venatione.* τὰς ἢ, inquit, ἄρκυας φασιανȣ̃ ἢ καρχηδονίȣ λεπ]ȣ̃ λίνȣ *Retia ex phaſiano aut Carthaginienſi lino tenui fieri debent.* Id ipſum & Hebræis notum erat. Eſaias capite xix. commate ix. Egyptios retia ſua ex *lino* feciſſe docet. : ובשו עובדי פשתים שריקות ואורגים חורי *Et pudefient opifices linorum ſubtilium & textores retium.* Ita locum iſtum interpretor; Non enim placet verſio Junii & aliorum, qui habent *lineorum generoſorumque, & textores alborum operum.* שריקות enim non ſignificat *generoſa*, ut ille interpretatur. Quid ſibi vult τὸ *generoſa*? Nec חורי *alba opera*: ſed *retia*, ut ex ipſo contextu facile colligi poteſt. Nam verſu precedenti, mentione facta de piſcatoribus, mox addit: *Textores retium* perituros. Id eſt merces iſtæ cum toto linificio, unde Egyptiis magnus quæſtus, peribunt. Sic exponunt optimi auctores. Jarchius שריקות inquit, פשתים שסורקין אותן ואורגין מהם : מצודות דגים שהן עשויות חורין חורין Scherikoth *eſt linum quod pectunt, & ex quo conficiunt retia piſcium, quæ ita facta ſunt ut habeant multa foramina.* חורי exponunt per *foramen* a חרר *perforare*, non vero a חור *albeſcere*: quia retia revera multa habent foramina; Ideo Opianus *lib.* i. ea vocat πολύστεμα δέσμα (aut ſi aliam lectionem retinere velis πολυστομαδεσμά) *multiforatile textum.* Ita etiam locum iſtum exponit Kimchius, ubi docet, *Ægyptios pectere linum pectine, optimum autem pulcherrimumque adhibere ad conficienda retia*, dictumque eſſe a propheta ואורגים חורי quia : הרשתות הן עשויות נקבים נקבים *retia facta ſunt cum multis foraminibus.* Qui אורגים חורי *texentes alba opera* expoſuerunt, proculdubio decepti ſunt a ſeptuaginta,

ginta, qui ἐργαζομένυς τὴν βύσσον *operantes byſſum* reddidere: byſſus ſcilicet natura eſt alba & candidiſſima. A quibus etiam deceptus eſt Diodatus, qui *fine toile blanche* poſuit. Sed hunc locum fuſius exponemus infra, capite VIII. ubi de ſerico aliquid dicendum nobis erit. Igitur Chaldæi בוץ & Græcorum vulgatique βύσσος *byſſus*, nihil aliud eſt quam *linum*, ſed linum ſubtiliſſimum pretioſiſſimumque: hinc mollia byſſina vocari ſolent, unde & *verba byſſina*, id eſt *molliſſima*, qualia poſtulat Regina Pariſatis, in Regum alloquio. Cum vero noſtrum שש & בד interpretentur בוץ βύσσος *byſſus*, patet eos per voces iſtas intellexiſſe *linum*.

XCII. Sed Hebræorum magiſtrorum doctiſſimi illud שש & בד nunquam aliter exponunt quam פשתים aut פשתן Idcirco Exodi XXV. V. שש הוא הפשתן Scheſch *eſt linum* ſive *piſtan*. Aben Ezra שש׳ הוא הבד מין ממיני פשתים ימצא במצרים לבדו רק הוא לבן ואינו צבוע: Scheſch *idem eſt quod* bad, *ſpecies quædam lini*, *quod naſcitur in Ægypto tantum*, *tenue eſt*, & *album*, & *non tingitur*. Sed in opere Talmudico nunquam aliter vertitur בד & שש quam per פשתן. Vide Maimonidem cum in Jad Chaſakah, tum in notis ad *Kilaim*, & alibi. Imprimis videatur *Hilchoth Kele Hammikd. capite* VIII. בכל מקום שנאמר בתורה שש או בד הוא הפשתן והוא הבוץ *ubicunque in lege dicitur* Scheſch *aut* bad, *intelligitur* piſchtan, *id eſt byſſus*. Nec mirum, cum auctorem & doctorem habeant ipſum Prophetam Ezechielem capite XLIV. verſ. XVII. & ſeq. ubi loquitur de ſacris veſtimentis, quæ omnia dicit fuiſſe פשתים loco בד & שש uti habet Moſes. והיה בבואם אל שערי החצר הפנימית בגדי פשתים ילבשו ולא יעלה עליהם צמר בשרתם וגו׳ פארי פשתים יהיו על ראשם ומכנסי פשתים יהיו על מתניהם *Et erit quum intrabunt atrium interius ut veſtiantur veſtibus piſchtim, nec lana tegentur inter miniſtrandum. Pileos Piſchtim habebunt ſuper caput, & feminalia piſchtim circa lumbos.* Quid *piſchtim* ſit explicant Talmudici, in Gemara babylonica, *Maſſechet Sevachim, capite ſecundo*: Nempe cujus ſemen unicum tantum fert culmum. אמר רב יוסף בר׳ חנינה דבר העולה מן הקרקע בד בבד: *Dixit Doctor Ioſeph, verbis doctoris Chaninæ, bad eſt quod ſeorſum ſurgit ex terra.* Quod Jarchius ita exponit: קנה יחידי מכל אחד מגזע עולים קנים ב׳ ואין גיזעי *Culmus unicus ex quolibet trunco, nec duo culmi ſurgunt ex trunco uno.* Vide etiam Gloſſam ad *caput* IX. *Maßechet Kilaim.* בד שעולה יחידי קנה יחידי מכל גרגר ואין שני קנים עולים מגרעין אחד: Bad *eſt id quod habet ex quo-*

libet

libet grano ſeminis unicum culmum, nec ſurgunt duo culmi ex grano uno. Jam vero פשתים linum ſignificare Hebræis, certiſſimum eſt: Nam in culmum creſcit, & ſtipulas habet. Exodi IX. verſu XXXI. & Joſuæ capite II. verſu VI. Verum quidem eſt, idem dici poſſe de *canabo*, ideo & inter ſpecies *piſchtim* קנבוס *Kanbos* cenſetur: ſed magnam ponunt differentiam inter utrumque. Nec *piſchtim* abſolute vocatur *Canabum*, ſed פשתים קנבוס *Piſchtim canabum*, ut Herodotus apud Pollucem *Lib.* VII. *c.* XVII. λίνου κανάβεως. Hinc proculdubio (quod in tranſitu etiam dictum volo) noſtrum κάναβις *canabum*, ſive *canabis*, Germanice, Belgice & Gallice, hanf / **hennep** / *Chanvre*, & *Cannefas*, mutata tantum littera p K. aut C. in H. ut Germanis halm / pro *culmus* aut *calamus*, haut pro *cutis*. *Hes* pro katz / *felis*, unde & *Catti* & *Heßen* dicti ſunt: ut male Iſidorus *cannabum* dictum voluerit *a ſimilitudine cannæ*: ſive a Græca Etymologia, Græcorum enim κάναβις eſt ipſum Hebræum קנבוס. At ejuſmodi linum non fuit noſtrum בד & שש ſed optimum & ſubtiliſſimum, quod flachs & *filace* dicimus, Græce proprie ὀθόνην & βύσσον aut בוצא *buza* Chaldaice; debebat enim eſſe מן המובחר *ex ſelecto*, ut cætera omnia quæ templo & ſacerdotio conſecrabantur. Talmudicis *Gemara Bab. Maſſechet Sevachim capite* II. non tantum exponitur בוץ ſive βύσσος, ſed etiam כיתנא. Hoc vero *linum* ſignificare vel Joſephus docet *Antiq. libro tertio cap. octavo.* χεθὸν γὰρ τὸ λίνον ἡμεῖς καλοῦμεν. *Nos autem linum chethon vocamus.* Sexcentis in locis apud paraphraſtas habebis כתנא pro פשתים.

XCIII. Inter pretioſiſſimas veſtes etiam recenſentur כלי פשתן כתנא רומיתא *Veſtes lini*, ſive ex *lino Romano.* vide Gemaram bab. Maſſechet Bava Metzia capite II. אמר רבי יוחנן מי שהניח לו אביו מעות הרבה ורוצה לאבדן ילבש בגדי פשתן: *Doctor Iohannes dicit ſi alicui pater, magnam pecuniam reliquerit, & ſi eam cito dilapidare voluerit, veſtiat ſe veſtibus piſchtan.* Et mox additur: ילבש בכלי פשתן בכתנא רומיתא *veſtiatur veſtibus piſchtan, id eſt lino Romano.* Eadem reperies codice *cholin capite* VI. atque ſic פשתן *piſtan* illis ſemper eſt *linum*. Supra jam demonſtravimus funes fortiſſimos & retia, quæ ex lino fieri ſolent, ex פשתן fuiſſe facta: cujus rei exemplum habemus in funibus Simſonis, & in operibus mercibuſque Ægyptiorum. Sed ipſis quoque Afris *linum* פשתן vocatum fuiſſe, videtur poſſe probari ex Dioſcoride. Nam in iis quæ notha cenſentur, mentione fa-

cta

ﬅa de quodam lino quod λινοκαλαμὶν vocant, dicit Afros illud vocare ζερχφοῖς, quam vocem optime eruditiſſimus Bochartus reſtituit per ζερχφοιστὰ quaſi זרע פשתה *Zera phiſchtah*, id eſt, *ſemen lini*. Vide Bocharti *Phœniciam libro* II. *capite* XV. Sane cum plurima in nothis illis Dioſcoridis corruptiſſima reperiantur, non mirum eſſet ſi quis diceret, librarios imperitos, præſertim in rebus exoticis, quales ſunt voces Afræ aut Pœnæ, ſcripſiſſe ζερχφοῖς pro ζερχφοιστὰ, aut potius ζερχφιστά. Notandum etiam eſt, *capite* CXXV. *libri* II. unde notha illa deſumpta ſunt, quæſtionem eſſe, non tam de *lino* ipſo quam de *ſemine lini*: cum ibi agatur de medicamentis, quibus ſemen lini adhibetur. vides ergo quid ſibi velit ζερχφιστὰ זרע פשתה *ſemen lini*? Stat igitur ſententia noſtra שש *ſcheſch* & בד *bad* nihil aliud eſſe quam *linum* tenuiſſimum & pretioſum, atque ita veſtes Sacerdotum noſtrorum lineas fuiſſe.

XCIV. Ejuſdem quoque materiæ plerumque fuerunt Ethnicorum veſtimenta ſacra. Supra jam audivimus ex Herodoto, Sacerdotes Ægyptios lino fuiſſe veſtitos. Hinc *linigeri* dicti ſunt, & *grex liniger*. Vide *Iuvenalem* & *Lucanum*. Apulejus teſtatur quoque *libro Metam. Antiſtites ſacrorum proceres, candido linteamine injectos fuiſſe*. Et *libro* XI. in Pompa Iſidis *viros feminaſque*, ait, *fuiſſe linteæ veſtis candore luminoſas* Hanc ob cauſam *Otho ſacra Iſidis in lintea religioſaque veſte propalam celebraſſe fertur*. Vide Suetonium in *vita Othonis*. Plinium tamen *libro* XIX. *cap.* I. docere eos Xylino ſive Goſſypio uſos fuiſſe, ſupra memoravimus. Sed aut fallitur Plinius, aut utroque uſi ſunt. Lineæ tamen veſtes magis fuerunt in uſu apud Sacrificulos. Seneca de *brevitate vitæ*, ſacerdotem quendam *linteatum ſenem* vocat. Sic Apollonius Thianæus, quum illi objectum fuerat, ſe præter morem linea veſte uti, exemplo Pythagoræ & ſacrificantium, ſeſe defendit, quod ſcilicet ſibi *communis veſtis fuerit, cum Pythagora & cum ſacrificantibus*. Vide Philoſtratum *libro* VIII. *cap.* III. Tales etiam fuiſſe veſtes Brachmanum in india, quarum ſcilicet *materia fuerit linum*, teſtatur idem Philoſtratus *libro* II. *cap.* IX. Eoſdem tamen Brachmanes veſtes geſtaſſe ex lapide amianto, (quod Plinius asbeſtinum vocat, inter lini genera ponit) reperies apud Hieroclem, χρῶνται δὲ, inquit, ἐσθῆτι λινῆ τῆ ἐκ πετρῶν. λίθων τὰ μηρύματα μαλακὰ καὶ δέρματα, ὃ δὴ συνυφαίνουσιν, ἐξ ὧν ὑφάσματα γίγνεται, μήτε πυρὶ καιόμενα, μήτε ὕδατι καθαιρόμενα ἀλλ' ἐπειδὰν ῥύπου καὶ κηλῖδος ἐμπλησθῇ, ἐμβλήθεντα εἰς φλόγα,

γα, λευκὰ ϗ διαφανῆ γίνεται. *Utuntur veſte linea ex lapidibus. Quod quidem texunt. Mollia ſunt lapidum ſtamina, & membrana ex quibus panni fiunt, qui neque igne exuruntur, neque aqua expurgantur, ſed cum ſordes & maculas contraxerunt, in flammam injecti albeſcunt.* Herculis Sacerdotes apud Silium Italicum, *libro* III. *de Bello Punico*, lino veſtiti erant.

——— velantur corpora lino,
Et Peluſiaco præfulget ſtamine vertex.

Coronidis loco hic addam, turpiter deceptos fuiſſe Gentiles, Plinium, & Apolonium apud Philoſtratum, qui crediderunt, Pythagoram lini inventorem fuiſſe, vide Plinium *libro* VII. *capite* LVI. & Philoſtratum, loco modo a nobis citato, cum jam ante tempora Moſis fuerit in uſu apud Ægyptios: nam ipſum Joſephum, Jacobi filium, byſſo tectum fuiſſe legimus, Geneſeos capite XLI. verſu XLII. Sed fortaſſis Pythagoras primus lino uſus eſt inter Græcos.

Caput VII.

DE בגדי לבן VESTIBUS ALBIS PONTIFICIS MAXIMI.

Pontificis Max. veſtium aurearum quædam lineæ. בגדי לבן veſtes albæ *P. M. Balteus diei expiationis totus lineus, non* Schaatnez *Quale linum illo die adhibitum? variæ ſententiæ. Error Cunæi, Scheringhami, Leuſdenii & aliorum de* שש *&* בד. *Nulla differentia inter* שש *&* בד *ratione materiæ. Utrumque* בוץ / פשתן *&* βύσσος *vocatur.* linum *cur dicatur* בד*? cur* שש. Bad *textum unius fili.* Scheſch *ſextuplicis fili.* Scheſch. *linum Ægyptiacum linum die piaculari pretioſiſſimum.* בד *Chaldæo* בוצא *Sententia Talmudicorum. Peluſium a* πήλε, *Hebr.* סין *a* luto L*inum peluſiacum. Plinius, Silius Italicus de lino Peluſiaco. Error Scheringhami.* Lin*um Peluſiacum non eſt Xylinum. Plinius explicatus & contra Scheringham vindicatus. Terra pinguis, rigua & humida lino ferendo apta. Palladius, Gratus & Xenophon. Ægyptus optimi lini ferax. Ægyptii* Linyphones linitextores. *Sententia Hebr. de lino Peluſiaco* רמסס Ramſes Peluſii *:* שש *&* בד *Ægypto tantum.* Sindon Ægyptiaca *Pollucis.* Sindon *ſæpe pro*

pro veſte. Locus *Marci* xlv. li. *explicatus, & Mathæi* xxviii lix. סדינים *Iudic.* xiv. xii. Sindon *aliquando materiam ſignificat ſæpe craſſam & vilem. Olitor Sindone veſtitus* Ein Kittel. *Martialis de* Endromide. *Sindon lanea, Mileſia, Tyria. Sericum,* Satin. *goſſipium. Sindon linum Peluſiacum. Crates Sindone amictus. Bacchantes Sindone veſtiuntur. Ita & Brachmanes. Sindon mulieribus propria. Sindon male ab urbe Zidone. Error Baifii & magni Etymologia. Conjectura de Sindone, an* סין *urbe Peluſio? Peluſium monumentum Ægypti. Ezech.* xxx. viii. xv. *Linum* הנדויין *Indicum. Errat Scheringham id de Xylino explicans. Cteſias explicatus & vindicatus. Indicum linum in Talmude quid?* ὀθόνη *linum proprie dictum. In Bengala multum Goſſipii. India olim lini ferax. India. AEthiopa, Arabia. Iope urbs Indica dicta. Linum die expiationis pretioſiſſimum. Ejus pretium ingens. Xylinum ſatis vile. Linum in veſtibus albis diei Expiationum pretioſius quam cæteris diebus. Rationes Hebræor. doctorum. Hodie pretioſiſſima lina Cameracenſia & Harlemenſia. Eorum pretium. Humilitas diei expiationis vilius linum non poſtulabat. Illo die omnia ſumptuoſius fiebant. Velum byſſinum diei expiationis inter populum & Pontificem Maximum.*

XCV. Non tantum Sacerdotes minores, ſed & ipſe Pontifex Maximus, linea habuit veſtimenta. Alias quidem habuit *veſtes aureas*, alias *albas.* Inter *aureas* numerantur lineæ quædam, ut *feminalia, tunica interior,* & *Cidaris.* Sed ſupra jam demonſtravimus, has veſtes Pontifici Maximo cum cæteris communes fuiſſe. Idem enim præceptum datum eſt Aharoni, quod filiis ejus, id eſt Pontifici M. quod toti pontificum turbæ, ut ſcilicet omnes haberent veſtes lineas. מכנסי כתונה ומצנפת *feminalia, tunicam* & *cidarim* בד & שש ex *lino*, ſive *byſſo* tenuiſſima. Cur hæ veſtes Pontificis Maximi aureæ vocentur, ſupra monuimus. Et de earum materia poſtea plura dicemus. Quicquid eſt, eaſdem veſtes lineas habuit Pontifex Maximus ſingulis diebus totius anni, quas habuere cæteri Sacerdotes. Sed præter has veſtes quibus ſingulis diebus veſtitus erat, & quæ aureæ etiam dicebantur, habuit & alias, quas ſemel tantum in anno induebat, decimo ſcilicet Tiſri, magno die expiationis.

XCVI. Atque hæ vocantur בגדי לבן *veſtes albæ.* Hoc die Pon-

tifex Maximus lino tantum veſtitus erat, immo multo magis quam ipſi Pontifices minores: nam cum totus ſacerdotum cœtus habuerit balteum, cui lana ineſt, ſummus Sacerdos balteum habuit ex lino tantum, ut non fuerit שעטנז *Schaatnez mixta materia*, nec quicquam intermixtum habuerit. Expreſſis verbis hoc docetur, Gemara Jeruſalemitana *Maſſechet Ioma, capite ſeptimo, Halacha* IV. תנו לא נחלקו ר׳ ורבי אליעזר בי ר״ש על אבנטו של כהן ביום הכפורים שהוא של בוץ ועל שאר ימות השנה שיש בו כלאים וגו׳: *Traditur: quæſtionem non eſſe inter doctores noſtros, & doctorem Eliezarem nomine doctoris Simeonis, ſuper balteo Pontificis Maximi, die expiationis, quia eſt ex byſſo, & balteo cæterarum dierum anni, qui mixtæ eſt materiæ? &c.* Balteus igitur Summi Pontificis diei expiationum eſt ex byſſo tantum, non vero mixtæ materiæ. Atque ſic die illo, totus lineus eſt Pontifex Maximus. Ita Maimonides Hilch. Kele Hammikd. capite VIII. בגדי לבן הם ארבע כלים ששמש בהם כ״ג ביום הכפורים וארבעתן לבנים ומן הפשתן לבדיהם: *veſtes albæ ſunt quatuor veſtimenta, quibus Pontifex Maximus operatur die expiationum, & omnes quatuor albæ ſunt, & ex lino tantum.* Barſelonius præcepto XCIX. ubi de veſtibus albis: וארבעתן inquit, של פשתן לבנים לבדו *Quatuor iſtæ ſunt ex lino albo tantum.* Sed hæc ſexcenties in Talmude & alibi apud magiſtros reperies. Nec mirum, cum Deus ipſe ita fieri mandaverit. Levit. XV. IV. כתונת בד קדש ילבש ומכנסי בד יהיו על בשרו ואבנט בד יחגר ובמצנפת בד יצנוף׃ *Tunica ſancta linea veſtitus erit, & feminalia linea erunt ſuper carnem ejus, & balteo lineo cingetur, & Cidari linea caput obvolvet.* Ad hunc locum optime obſervat Jarchius, Pontificem M. in ſanctuario, non niſi quatuor veſtimentis tantum operari, ut Sacerdotes minores, & addit: וכלן של בוץ *Et illæ omnes ſunt ex byſſo.* Seniores in hoc loco ubique habent λίνον. vulgatus *lineum.* Et Lutherus ipſe, leinen. Chaldæus iterum בוצא *byſſus.* Atque ſic omnes fere interpretes *linum* interpretantur. Solus Arabs retinet vocem *Coton*; ut fere dubitem, utrum Arabs per ſuum *coton* non intelligat linum, ſive byſſum; nam cum adeo recepta fuerit ſententia, ut apparet, veſtes iſtas lineas fuiſſe, vix credibile eſt ſolum Arabem id ignoraſſe, & eum ſolum crediſſe *Xylinum* ſive *Goſſypium* fuiſſe.

XCVII. Sed merito quæri poteſt, quale linum fuerit veſtium diei expiationis, ſunt enim qui credunt magnam differentiam fuiſſe inter linum illud, & linum totius anni, alterum altero fuiſſe ſubti-

ſubtilius & pretioſius. Plurimi ex auctoribus recentioribus ſibi aliiſque perſuadere conabantur, linum illud, quo induebatur Pontifex Maximus die piaculari, vilius fuiſſe eo, quod gerebat cum veſtibus aureis, per totum annum. Atque hanc ob cauſam, linum veſtium albarum dictum fuiſſ בד ut, Levitici capite XVI. videre eſt, ſed linum aurearum veſtium שש, ut Exodi XXVIII. & alibi. בד autem vulgare linum putant, & שש linum ſubtile & prætioſiſſimum, qualis eſt *byſſus*. In hoc errore fuerunt Cunæus de Republica Hebræorum libro I. cap. I. Leuſdenius Philol. Hebr. pag. CLXXIX. & ſeq. Scheringham ad Jomæ caput III. & alii quam plurimi, ut jam oſtendimus ſupra capite II. Sunt etiam qui putant debuiſſe Pontificem Maximum viliori lino veſtiri die expiationum, quam cæteris diebus, ob animi ſubmiſſionem: quoniam ſcilicet illo die extraordinarie ſeſe coram Deo debebant ſubmittere, cum pro ſe & pro populo precari debuerit, ut peccata expiarentur. Nihilominus omnes falluntur. Certiſſimum enim eſt, nullam dari differentiam inter בד & שש ratione materiæ; nec vilioris fuiſſe materiæ veſtes quas Pontifex Max. intra adytum gerebat, quam eas quibus extra veſtiebatur. Utrumque; tam בד quam שש non tantum a Judæis פשתן *linum* vocatur, ſed & a Chaldæo בוץ, a Græcis βύσσος, & vulgato *byſſus* dicitur. Sine diſcrimine & eodem ſenſu ſumuntur voces בד & שש, nam quod in uno loco בד vocatur, alibi dicitur שש. Hinc מכנסי בד dicuntur quoque שש משזר Exodi XXXIX. verſu XXVIII. quod optime reddidit vulgatus: *feminalia linea, byſſina*. Utrumque Hebræorum Magiſtri *byſſum* vocant, ut patet ex eorum commentariis, a nobis ſupra allegatis. Sed imprimis repetere lubet expoſitionem Maimonidæ, *Hilch*: *Kele Hamikd*- *capite* VIII. בכל מקום שנאמר בתורה שש או בד הוא הפשתים והוא הבוץ. *ubicunque in lege occurrit* Scheſch *aut* bad, *intelligitur linum, & quidem byſſus.* Non auſim tamen adfirmare nullam omnino differentiam fuiſſe inter בד & שש. Sane voces illas aliqua in re differre, docent magiſtri. Non ratione quidem materiæ, aut pretii, ſed tantum ratione texturæ. בד enim tradunt eſſe linum unius fili, aut cujus textura ſit ex ſimplici filo. Dictum enim ſic volunt a בדד id eſt *ſolum*, tum quod ſolum ex terra creſcat, ex quolibet grano ſeminis ſcilicet unicus tantum culmus, ut ſupra docuimus, tum quod non retorto, nec bilici, nec trilici filo, ſed ſimplici, texatur. שש autem ita dictum volunt, quod texa-

tur ex filo retorto, & quidem *ſextuplo*, nempe ex ſex filis, prout שש *ſex* ſignificat. Ideo aliquando additur משזר *retortum.* Audiamus Maimonidam *Hilch. Kele Hammikd. capite* VIII. כל מקום שנאמר בתורה שש או שש משזר צריך שיהיה החוט כפול ששה׳ ומקום שנאמר בד אם היה חוט אחד לבדו כשר: *Ubicunque in lege dicitur* Scheſch, *aut* Scheſch Moſchſar, *neceſſe eſt ut ſit ex filo ſex duplici. Sed ubicunque dicitur* bad, *ſi unius tantum ſit fili, legitima erit* veſtis. Et Abarbanel ſuper *legem* c. XXV. Gen. שש הוא פשתן מצרי שהוא משובח מאד במינו וכשהוא כפול ששה חוטים ביחיד נקרא שש או שש משזר וכשהוא חוט אהד לבדו נקרא בד כי בד מורה על היחידים כמו שש שמורה על ששה ושם הדבר בעצמו הוא הפשתים או בוץ Scheſch *eſt linum Ægyptiacum, quod eſt pretioſiſſimum inter ſpecies lini. Quum vero retortum eſt ſex filis in unum, vocatur* Scheſch aut Scheſch Moſchſar, *Sin ex unico filo tantum, dicitur* bad: *cum* bad *referatur ad ſingulare, quemadmodum* Scheſch Moſchſar, *ad ſex. Nomen autem ipſius materiæ vocatur* Piſchtim *aut* butz, *linum aut byſſus.* Aliam differentiam inter שש & בד magiſtri non agnoſcunt. Error igitur eſt בד *bad*, vulgare linum ſignificare, שש *Scheſch*, autem pretioſiſſimam byſſum.

XCVIII. Sed veſtes albæ die piaculari etiam ex ſubtiliſſimo lino, aut pretioſiſſima byſſo factas fuiſſe, non minus verum eſt. Omnes enim Magiſtri uno fere ore fatentur, eas fuiſſ בוץ *byſſinas.* Jarchius ad locum Levitici capite XVI. וכלן של בוץ *Et illæ omnes ex byſſo erant.* Sane hæc mens fuit quoque Chaldæi, nam pro בד in iſto loco ſemper habet בוצא Ubi Hebræus habet: כתנת בד מכנסי בד אבנט בד ומצנפת בד Chaldæus ponit כתנא דבוצא מכנסין דבוץ המינא דבוץ ומצנפתא דבוץ: *Tunicam byſſinam, feminalia byſſina, balteum byſſinum, & Cidarim byſſinam*, ſed ſupra jam oſtendimus ipſum בד *bad*, non minus byſſum & pretioſum linum ſignificare quam שש *Scheſch*, Quid? veſtes albas non ſolum ex pretioſo lino, ſed ex optimo, fuiſſe, & quidem ex pretioſiori, quam cæteris diebus anni, ſatis manifeſto docent Talmudici, *Maſſechet joma capite* III. *halach.* VII. Ubi tradunt ex lino Peluſiaco & Indico, ac non niſi ingenti pretio emi ſolitas fuiſſe. בשחר ait Miſna, היה לובש פלוסין של שנים עשר מנה ובין הערבים הנדויין של שמנה מאות זוז דברי רבי מאיר וחכמים אומרים בשחר היה לובש של שמנה עשר מנה ובין הערביים של שנים עשר מנת הכל שלשים מנה אלו משל צבור ואם רצה להוסיף מוסיף משלו

Mane

Mane induebat veſtes Peluſiacas, quæ duodecim minas; veſperi Indicas, quæ octingentas drachmas valebant, teſte Doctore Meir. Sed ſapientes tradunt, mane induebat veſtes quæ octodecim, & veſperi, quæ duodecim minas valebant; tota igitur ſumma triginta minarum erat, quæ populo quidem irrogabatur; ſi vero ipſe quid addere volebat de ſuo, addebat. Peluſium urbem fuiſſe Ægyptiam ad Nili oſtium Peluſiacum verſus Orientem, conſtat. Ita dictum, non quidem a Rege *Peleo*, ſed ἀπὸ ꙋ πηλꙋ *a luto*, & Hebræis טִּין quod etiam *lutum* ſignificat. Sed hanc urbem, cum ob antiquitatem, munitionem, & alia multa, tum ob elegantiſſimum linum, celeberrimam fuiſſe, non minus certum eſt. Plinius *Libro* XIX. *capite* I. *Ægyptio lino minimum firmitatis*, inquit, *plurimum lucri. Quatuor ibi genera: Taniticum, ac Peluſiacum; Buticum, Tentyriticum, cum regionum nominibus in quibus naſcuntur.* De hoc lino mentionem facit Silius Italicus, loco ſupra a nobis laudato:

——— *Velantur corpora lino.*
Et Peluſiaco præfulget ſtamine vertex.

XCIX. Hoc linum Peluſiacum doctiſſimus Scheringham ad *Ioma cap.* III. *Miſnam* VII. *goſſipium*, ſive *Xylinum* contendit; & ad hoc probandum adducit locum iſtum Plinii. *Ex lino illo*, inquit, *veſtes quædam ſacerdotis Magni, quibus ad ſacra proceſſit; concinnatæ erant, & propterea Peluſiacæ veſtes vocabantur. Linum hoc ex Goſſipii ſive Xili arboris lana factum fuiſſe, tradidit Plinius iſtis quæ in loco citato ſequuntur.* Sed fallitur doctiſſimus vir. Nec id ex Plinio probari poteſt. Mentionem quidem facit in illis quæ ſequuntur de *Xylino*, cui nulla lanugo *candore mollitiave præferenda ſit*, & ex quo *Ægypti ſacerdotibus veſtes gratiſſimæ fuerint.* At ſupra jam oſtendimus Plinium forſan erraſſe, quum dixerat, Ægypti ſacerdotibus veſtes fuiſſe *Xylinas:* Id de lino potius intelligendum eſſe, ut ex Herodoto videtur poſſe probari. Quicquid eſt, Plinius magnam ponit differentiam inter linum Peluſiacum, & Xylinum, ſive goſſipium, ex quo Ægypti ſacerdotibus veſtes tradit. Toto ſane cœlo differunt *Peluſiacum*, & *Xylinum*, cum ob naturam, tum ob agrum in quo naſcitur. Goſſipion enim *in ſuperiori parte Ægypti in Arabiam vergente, gigni* ait: cum Peluſiacum linum gignatur circa urbem Peluſium, verſus mare ad oſtium Nili, Peluſiacum quoque dictum. Ex quonam auctore probaverit Scheringham, circa Peluſium naſci

Xylinum, neſcio. Sed agrum illum feraciſſimum eſſe lini, novi: Aptiſſimus enim fuit lino, non autem ligno, aut arboribus, quia paludoſus erat: inde Peluſium ἀπὸ τοῦ πηλοῦ *a luto* aut *paludibus* dictum eſſe, docet Strabo *Libro* XVII. Καὶ αὐτὸ δὲ τὸ Πηλούσιον κύκλῳ περικείμενα ἔχει ἕλη, ἅτινες Βάραθρα καλοῦσι, καὶ τέλματα. *Ipſum Peluſium autem cinctum eſt lacubus, quæ nonnulli Barathra vocant, & paludibus.* Ὠνομάσται, addit, ἀπὸ τοῦ πηλοῦ. *Nomen habet a luto.* Jam vero in locis paludoſis & riguis naſcitur linum. Ideo Palladius de cannabo, quod eſt ſpecies lini; *Menſe februario ultimo cannabum ſeres, terra pingui, ſtercorata, rigua atque humida.* in *Cyneget*:

———— ———— Ne quid cunctere paludes
Lina dabunt.

Nec hoc ignoravit Xenophon de Athenienſi Rep. οὐδεμία, ait, πόλις δύο τούτων ἔχει οὐδ' ἔστι τῇ αὐτῇ ξύλα καὶ λίνον. ἀλλ' ὅπου λίνόν ἐστι πλεῖστον λεία χώρα, καὶ ἄξυλος. *Nulla utrumque habet, nec ſuppetunt eadem ligna & linum. Sed ubi maxima lini eſt copia, ibi regio plana eſt, & lignis caret* Nota *linum* & *lignum* non creſcere in eodem loco; ergo nec *Xylinum* ubi *linum*, quia X*ylinum* in arboribus creſcit. Nullum igitur Xylinum Peluſium ferebat, ſed linum, Græcis proprie ὀθόνη dictum, Hebræis פשתים & Gallis *Filace*, Germanice Flachs. Nulla ſane merx frequentior celebriorque fuit in Ægypto, quam linum & Stupæ. vide Flavium Vopiſcum in D. Aureliano. Hinc optimum linum Ægyptiacum dicitur apud Trebellium Pollionem in Gallieno. *Quid? ſine lino AEgytiaco eſſe non poſſumus?* Et AEgyptii *Linyphones linitextores*, ut exponit Salmaſius in *Flav. Vopiſc.* Herodotus quoque tradit libro ſecundo: in AEgypto linum fieri, ut in Colchide. Sed nec a Prophetis id ſilentio præteritur: Eſaias. XIX. IX. quem locum jam citavimus; *Et erubeſcunt opifices linorum, & textores retium.* Hic non agi de *generoſis*, nec de *albis operibus*, ſed de *lino*, & retibus, ſupra jam demonſtravimus, ut demonſtraturi ſumus, de *ſerico* quoque non agi. Et Ezechiel cap. XXVII. VII. mentionem facit שש ברקמה ממצרים *Lini & opere phrygiano ex AEgypto.* Et Proverb. cap. VI. verſ. XVI. mentio fit אטון מצרים *funiculi ſive lintei ex AEgypto.* AEgyptum etiam mercatura lini celebrem fuiſſe, patet ex I Reg. X. XXVIII. II. Chron. I. XVI. de quo plura infra cap. VIII. Et inter ea quibus maxime damna illata ſunt, famoſis

moſis illis plagis in AEgypto, tempore Moſis, etiam פשתה *linum* recenſetur. Exodi ix. xxxi. Lini igitur imprimis ferax fuit AEgyptus, præſertim circa Peluſium.

C. Ejuſmodi itaque linum fuit illud peluſiacum, non *Xylinum*. Et ſane Hebræorum magiſtri ad Miſnam illam Jomæ, nunquam aliter explicant, quam פשתן id eſt *linum*, & בוץ *byſſum* Jarchius: זו היה פשתן של מדינות פילוסים שהוא חשיב ומעולה : *Linum ex provincia Peluſiaca, quod eſt optimum & laudatiſſimum.* Et Bartenora in ſuis gloſſis: פלוסין inquit, בוץ דק ויפה הבא מארץ רעמסס תרגום ירוש׳ רעמסס פולוסא : *Peluſiacum, eſt byſſus tenuis & elegans, quæ adfertur ex terra Ramſes. Targum Ieruſalemitanum id vocat Ramſes peluſii.* Ramſes autem urbem fuiſſe Ægypti, ex qua profecti ſunt Iſraelitæ, cum tyrannidem Pharaonis effugerent, Exodi xi. xxxvii. plus ſatis notum eſt. Sane ſi Ramſes non fuit ipſa urbs Peluſium, ſaltem non multum ab ea diſtabat. Sed omne linum quod Sanctuario adhibebatur, שש a Moſe dictum, AEgyptiacum fuiſſe tradit Abarbanel. Ad Legem, capite xxv. Geneſeos. שש הוא פשתן מצרי שהוא משובח מאד במינו : Scheſch *eſt linum AEgyptiacum, præſtantiſſimum omnis generis lini.* Quod videtur didiciſſe a Jarchio, qui fere eodem modo ad locum iſtum, Exod. xxv. שש׳ הוא הבד מין ממיני פשתים ימצא במצרים לבדו Scheſch, *eſt* bad, *ſive linum, ſpecies quædam lini: Reperitur autem in AEgypto tantum.* Nota quod dicat: *Reperitur in Ægypto tantum*, quaſi alibi tam pretioſum non fuerit. Unde etiam colligi poteſt, in toto ſanctuario Judæos nunquam in rebus ſacris alio lino uſos fuiſſe, quam AEgyptiaco, non Judaico, non Eliaco, aut alio. Sed falluntur cum etiam Indico uſi fuerint, ut Talmudici, in Miſna ſupra allegata, docent. Fortaſſis ejuſdem generis linum intelligit Pollux, libro vii. capite xvi. ubi de *Sindone Ægyptiaca* ſermonem facit, Sed operæ pretium erit, de *Sindone* etiam aliquid hic memoraſſe.

CI. Verum quidem eſt, *Sindonem* ſæpius ſumi, pro veſte potius, quam pro certa quadam materia. Hoc ſenſu videtur uſurpari a Polluce: σινδὼν, ἔστιν Αἰγυπτία μὲν, περιβόλαιον δ᾽ ἂν εἴη τὸ νῦν δίκροσσον καλούμενον. *Sindon eſt Ægyptiaca, eſtque amiculum, quod jam utrinque fimbriatum vocatur.* Igitur Polluci *Sindon* veſtis eſt. Eodem modo, quo apud Marcum, Capite xiv. verſ. li. legimus; *Sindonem*, quam habuit Juvenis ille, qui noctu aufugiebat. περιβόλαιον *veſtem* fuiſſe: Dicit enim eum περιβεβλημένον σινδόνα fuiſſe

ami-

amictum Sindone. Ideo σινδὼν Matthæi capite XXVIII. verſ. LIX. & alibi Syro eſt כתנא quod proprie ſignificat *tunicam*, aut περιβόλαιον quo aliquid circum-volvitur. Sed Sindones veſtes fuiſſe quidem pretioſas, patet ex triginta illis סדינים *Sindonibus*, quas Simſon deponebat. Judicum XIV. XII. Sed apud Talmudicos סדין ſæpius ſumi pro veſte, certum eſt. Videatur *Maſſechet Ioma*, *capite.* III. *Sect.* VI. ubi reperies סדין של בוץ *Sindon ex byſſo*, id eſt, *veſtis*, aut *velum byſſinum*: prout & ipſe Herodotus habet σινδόνα βυσσίνην. Et Auſonius *linteam Sindonem*

Puer eja ſurge, calceos & linteam da Sindonem.

Et quemadmodum סדין & σινδὼν veſtem ſignificat, ita etiam ſæpiſſime materiam aliquam, ex qua veſtes fiunt. Vilem aliquando non magni pretii. De hac ſermonem facit Plutarchus de *Fortuna Alexandri*, ubi narrat: pauperrimum quendam olitorem *Sindone veſtitum* adductum fuiſſe ad Alexandrum. Iſta Sindon, cum olitor ille pauper fuerit, ut etiam aliorum auxilio indigeret ad vitam ſuſtentandam, proculdubio vilis fuit admodum. Forſan tunica erat ex craſſiori lino, ut noſtrorum ruſticorum & aurigarum, quas Germanice Ein Kittel dicimus. Ad ejuſmodi Sindonem fortaſſis reſpexit Martialis, *libro* IV. *de Endromide.*

Ridebis ventos hoc munere tectus & imbres,
Non ſic in Tyria Sindone tectus eris.

niſi cum quibuſdam legas *cultus eris*, & tunc quidem ſubtilem & pretioſam veſtem ſignificabit.

CII. Ex varia etiam materia fiebant *Sindones*. Aliquando ex *lana*. Hinc Chaldæus Lamentat. II. XX. סדינין דמילטא *Sindones Mileſiæ*: ubi proculdubio lana, aut molliſſimus pannus, ex lana Mileſia, ſignificatur, de qua nos plura infra, ubi de lana in veſtibus ſacris ſermo fiet. Ejuſmodi forſan etiam fuit *Sindon Tyria* apud Martialem & alibi, ſi verum eſt eam pretioſam, & cultui deſtinatam fuiſſe. Nam panni purpura Tyria infecti apud Tyrios ſunt celeberrimi; ſed an idem de byſſo aut lino dici poſſit neſcio. Immo *ſericum* aliquando ſignificare ſindon, non auſim negare. Et inde forſan noſtrum *ſatin*, certum quoddam genus panni ſerici; niſi *ſatin* ita dictum ſit a *ſeta*, unde & Germanice & Belgice ſeyde, Gallice *ſoye*. Et *goſſipium* Sindon dicitur, ut ex Strabone & aliis doceri puto. Plerumque tamen per סדין σινδὼν & *Sindon*, pretioſum linum aut byſſum intelligunt auctores, aut veſtem ex lino, aut

aut byſſo. Ideo eadem veſtis, quam Matthæus capite XXVII XLIX. *Sindonem* vocat, Johanni capite XIX. XL. dicitur ὀθόνη *linum.* Heſychius ὀθόνη, Σινδών. Ὀθόνια λινᾶ ἱμάτια. Et Pollux *libro ſeptimo capite* XVI. *Sindonem Aegyptiacam* inter *lina* numerat. Quando Sindon pro lino ſumitur, fere ſemper intelligitur ſubtiliſſimum & pretioſiſſimum Mulierum luxui deſtinatum. Legimus apud Diogenem Laertium, Ædiles Athenienſium Crateti ſuccenſuiſſe, ὅτι σινδόνα ἠμφίεστο: *quod Sindone eſſet amictus*, proculdubio quia cultus tanti pretii Philoſopho non conveniebat. Bacchantes muliebriter egiſſe, & inſtar mulierum ſumptuoſe excultos fuiſſe, notum eſt. Ideo eis Strabo & alii mitras & Sindones attribuunt, & ubi de Brachmanum luxu, poſt ætatem triginta & ſeptem annorum, diſſerit: eos quoque Sindonibus veſtitos fuiſſe, docet. ἔτη δ' ἑπτὰ καὶ τριάκοντα &c. Civiliores apud Indos, ait, ἐσθῆτι λευκῇ χρῆσθαι καὶ σίνδοσι, *veſte alba & Sindonibus uti.* Vide Strabonem libro quinto decimo. Heſychius, in voce ὀθόνη, σινδόνα ponit inter γυναικεῖα ὀθόνια λεπτὰ. *muliebria veſtimenta ex lino tenui.* Atque ſic *Sindone amiciri*, eſt nota luxus, & fere muliebris ſuperbiæ. Unde neceſſario colligi debet, Sindonem plerumque ſignificare linum tenue & pretioſum, qualis eſt byſſus. Ideo *byſſus* vocatur a ſeptuaginta interpretibus Eſaiæ cap. III. verſ. XXIV. Nam pro Hebræo סדינים Seniores habent βύσσον. Hinc Herodotus σινδόνα βυσσίνην. Et Miſna Codicis *Ioma* סדין של בוץ *Sindon byſſina.*

CIII. Sindonem autem linum Peluſiacum fuiſſe, aut ſaltem inde ſic dictum, vix dubitare poſſum. Scio equidem Baifium *de Re veſtiaria*, credidiſſe Sindonem ita dictam eſſe ab urbe *Sidone*, ita forſan edoctus ab Etymologo. Σινδὼν, ἀπὸ Σιδῶνος τῆς πόλεως. Οἱ γὰρ Σιδόνες ἐφεῦρον πρῶτοι κάμνειν σινδόνας. *Sindon ob urbe Sidone Primi enim Sidones artem invenerunt elaborandi Sindones.* Eo videtur reſpexiſſe Martialis loco citato, ubi de *Tyria Sindone*. mentionem facit. Sed & hi fortaſſis falluntur. Multo enim veriſimilius eſt *Sindonem* dici ab urbe סין *Sin*, quam ab urbe *Sidon.* Scribendum enim eſſet cum צ *Zade*, non cum ס *Samech. Sidon* urbs non ſcribitur סידון ſed צידון *Zidon.* Sed noſtra *Sindon* per ס, ut סדין, Syris סדונא. Jam vero סין eſt urbs Ægypti: ut videre eſt Ezechielis cap. XXX. XV. Sed illam urbem eſſe *Peluſium*, ſupra jam diximus, & ab aliis clarius demonſtratum eſt. *Peluſium* dictum ἀπὸ τοῦ Πηλοῦ a *luto*, ut docet Strabo. Sic & סין Hebraice & Chaldaice *lutum* denotat, uti patet ex Paraphraſi Pſ. XVIII. XXXIV. Eſt

etiam revera Peluſium מעוז מצרים *Munimentum AEgypti*, ut ait Propheta; cum Peluſio Ægyptus ſit δυσείσβολος *acceſſu difficilis*. teſtibus Strabone *libro* XVII. Diodoro Siculo *libro* XV. & aliis. סדין. *Sadin* ſive *Sindon* ergo eſſet ab urbe *Sin* Peluſio, per augmentum literarum Heemanticarum, quemadmodum fit in verbis: ut זכרון *memoria* צקלון *gluma*. ראשון *primus* &c. ששון *gaudium*. Et eliſo *nun* in medio סדין pro סנדין niſi quod litera ד deberet eſſe dageſchata, ut in הודו *Hoddo* pro הונדו *Hondo*, vel הינדו *Hindo*, *India*. מדו *Middo* pro *Mindo*, Græce μανδύας. Sic celeberrima illa *Sindon*, σινδὼν & סדין, ſi originem ſpectes, nihil aliud eſſet, quam optimum *linum Peluſiacum*, De quo *Plinius*, *Silius Italicus*, *Talmudici*, & alii bene multi. Sed nihil temere auſim adfirmare, eo minus cum ne hæc quidem etymologia ſatis ſit legitima: æquus & eruditus lector judicet. Quidquid eſt, ex his omnibus mihi videtur conſtare, פלוסין *veſtes Peluſiacas*, Pontificis Maximi, fuiſſe ex optimo & pretioſiſſimo lino Peluſiaco, non ex *Xilino*, ſive *Goſſipio* ut Scheringham male expoſuit.

CIV. Sed non felicius aſſecutus eſt mentem Miſnæ, circa *linum* הנדויין *Indicum*. Ἑνὸς ἀτόπου δοθέντος τ' ἄλλα ἕπεται. *erant*, inquit, *veſtimenta hæc ex lino Indico contexta*, (hactenus bene) *quod & ipſum ex Goſſipii ſive Xyli arboris lanugine factum erat*. Hæc male. Male etiam citat Cteſiæ ἱμάτια ξύλινα, *Pomponium Melam* & *Lucianum*. Memorat quidem Cteſias ξύλινα ἱμάτια, *veſtimenta Xylina*, quæ a Cynocephalis emuntur. Sed quid hoc ad *linum Indicum?* Mela & Lucianus quoque de *lino* aut veſte Indica loquuntur, & ex iiſdem locis, quæ allegat Scheringham, patet, *linum* in ipſa *India* a Goſſipio diſtingui. Quomodo igitur probabit linum Indicum *Xylinum* fuiſſe? Sane linum, ſive ὀθόνην fuiſſe, docent Hebræorum magiſtri in ſuis Gloſſis ad iſtam Miſnam. Jarchius הנדויין inquit, שהיה מפשתן של ארץ חנדויין *quod eſt* Piſchtan, *ex terra India*. Sed ſupra diſputavimus *piſchtan* eſſe ὀθόνην *linum*. Verum quidem eſt, hodie non multum lini in India naſci, & pretioſum. Saltem ejuſmodi merces nobis non aſportantur magna copia. Inde tamen non poteſt colligi, olim non magis fuiſſe feracem. Nam & *Elis* & *Peluſium* hodie lini nihil nobis mittit. Sane Indiam olim multum lini habuiſſe conſtat, & byſſum quidem, tenuem & pretioſam. Hinc Pollux βύσσον vocat λίνου τι εἶδος παρ' Ἰνδοῖς. *Lini ſpeciem apud Indos*. Et Cteſias indicis ait inter Cynocephalos ditiſſimos, quorum ſunt pauci, linum geſtare. Οἱ δὲ πλουσιώτατοι

αὐτῶν·

αὐτῶν λινᾶ φορȣ͂σιν. ȣ̃τοιδ' εἰσὶν ὀλίγοι. *Ditiſſimi eorum linum ferunt. Hi autem ſunt pauci.* Sic Plinius, Pomponius Mela, Lucianus & multi alii de Indico lino loquuntur, & inter præſtantiſſima genera linorum ponunt. Quod *Xylinum* attinet, totam fere Indiam hodie ejus eſſe feraciſſimam conſtat. Integræ enim ſylvæ reperiuntur arborum ἐϱιοφόρων *lanigerarum.* Certe quam abundans Goſſipii ſit Bengala, aliæque Regiones Indiæ, mercatores noſtri, Indiæ Societatis, teſtabuntur. Naves onerarias plenas, hodie totius Orbis Theſaurus, & incomparabile emporium Amſtelodamum exhibebit Goſſipii.

CV. Interim notandum eſt quid per הנדוין *Indiam* intelligant Magiſtri? Negari quidem non poteſt הנדוין ſignificare *Indiam.* Sic Bartenora ad iſtam Miſnam הנדוין exponit per ארץ הודו. Sed הודו *hodu, Indiam* eſſe, eliſo tantum ו ut in מדו, *Mado* ſupra jam oſtendimus. Videatur de hiſce fuſius Bocharti *Phœn: libr.* I. *cap.* XVIII. Sed Jarchius *Indiam* explicat per ארץ כוש *terram Æthiopiæ.* שהיו פשתן של ארץ הנדוין והיא ארץ כוש כדמתרגם יונתן בן הנדויין ait עוזיאל היהפוך כושי עורו הינדווא Indicum, *eſt linum ex terra Indiæ, quæ Æthiopia eſt, ut expoſuit Ionathan filius Uzielis: An Æthiops mutabit pellem?* (Jerem. cap. XIII. XXIII.) *id eſt India.* Sic enim הנדוא habet Chaldæus pro כושי quaſi *Indum* pro *Æthiope.* Hæc eadem obſervata reperies in Toſephot Jom Tof, ubi addit ſe legiſſe in Targum Eſter: מהודו ועד כוש מן הינדיא רבא ועד כוש *Ex India uſque ad Æthiopam, id eſt ex India Magna uſque ad Æthiopiam,* quaſi India magna tantum diſtingueretur ab Æthiopia. Mirum non eſt verpulos in ea fuiſſe opinione, Æthiopiam quoque dictam fuiſſe Indiam, & tempore prophetæ Jeremiæ Indiam & AEthiopiam eandem fuiſſe Regionem, cum conſtet apud veteres Indiam etiam vocari, quidquid erat extra mare mediterraneum, ut Arabiam, AEthiopiam, immo ipſa Judæam. Ideo *Ioppe* quæ eſt urbs Phœniciæ *Indica* dicitur ab Ovidio, *de arte Amandi libro primo*:

Andromedam Perſeus nigris portarat ab Indis.

Sed Andromeda advecta fuit ex civitate Joppe, teſtantibus Plinio *lib.* IX. *cap.* V. & Strabone *lib.* I. *&* XVI. Obſtat tamen quod Poeta de *nigris Indis* loquatur, nam etſi Judæi non valde albi fuerint, an tamen *Nigri Indi* a Poeta dicantur, dubitari poteſt. Ideo ad Arabas aut Æthiopes eum reſpexiſſe, forſan aliquis dicet. Quocumque modo ſumatur, certum eſt, veteres per Indiam in-

tellexiſſe, Arabiam & AEthiopiam præſertim temporibds Jeremiæ, cum tunc temporis India proprie dicta, vix nota fuerit inter Judæos. Nec opus erat hominem nigrum, qui pellem mutare non poterat, ex India accerſere, cum nigri propiores fuerint, ut Æthiopes & Arabes. Linum igitur Indicum, de quo Miſna *Codicis Ioma*, ſecundum doctores, eſt *Æthiopicum*, aut *Arabicum*. Atque iterum male Scheringham, qui id *goſſipium* putat, quemadmodum de *Peluſiaco* judicaverat: quod ex ſacra ſcriptura probari non poteſt, & patrum traditioni aperte repugnat: Nam אין לובשים הכהנים לשמש בבית המקדש אלא צמר ופשתן : *Non veſtiuntur Sacerdotes, ad miniſtrandum in Templo, niſi lino & lana.*

CVI. Linum illud veſtium albarum, die expiationum pretioſiſſimum fuiſſe, & non vilius lino veſtimentorum aureorum, ideoque בר & שש tenuitate & pretio non differre, mihi manifeſto conſtat. Linum enim Peluſiacum pretioſiſſimum erat teſte Plinio. חשיב ומעולה *laudatiſſimum & pretioſum*, ut ſupra ex Jarchio audivimus. Enimvero ſi cogitemus pretium earum veſtium, prout tradunt Talmudici, ubinam quæſo pretioſius reperiemus? Mane enim veſtiebatur lino duodecim minarum, veſpere autem octo minarum; Aut, ſecundum Sapientes, mane octodecim minarum, Veſperi duodecim, quæ faciunt ſummam triginta minarum. Si hæc referantur ad noſtram monetam, ſumma octodecim minarum Sanctuarii, ubi duplum intelligitur, ut in ſacris ſumi ſolet, faciet quadringentos quinquaginta imperiales, (quorum quilibet octo Schellingios Brabanticos facit) ſecundum computationem quorundam. Et hoc quidem populo irrogabatur. Si quid addere volebat, ad augendum pretium, de ſuo addebat, ut pergit Miſna; ut doceret, Pontificem M. aliquando etiam pretioſiora veſtimenta habuiſſe. Hoc factum fuiſſe, expreſſis verbis docent Gemarici ad eandem Miſnam. Ibi enim, ut de magnis majora loquuntur, tradunt Iſmaeli filio Papæ matrem tunicam feciſſe centum minarum. Quid? Eliezeri matrem feciſſe tunicam duarum myriadum, id eſt vigeſies mille minarum. Cogita an pretioſior tunica, ex lino tantum, excogitari poſſit? Sed nugentur licet verpuli, inde tamen patet, veſtes albas omnium pretioſiſſimas fuiſſe. De pretio ipſo nos fuſius infra diſſeremus. Sane Xylinum Indicum aut Aegyptiacum tam carum fuiſſe non puto: ſaltem noſtra ætate. Multo enim vilius apud nos, etiam tenuiſſimum & pretioſiſſimum Xylinum quam mediocre noſtrum linum eſt: ut vel ex ſolo pretio colligi poſſit, veſtes ſacerdotales ex Xylino

non

non fuiſſe. Gemarici ad dictam Miſnam codicis Joma, probare conantur, veſtes albas ex pretioſiore lino fuiſſe, quod quater repetatur (ſcilicet Levitici cap. xvi.) vox בד. Sic enim ſolita ſua ſubtilitate argutantur.: אמר רבי הונא בריה דרב עילאי אמר קרא בד בד בד מובחד בבד: *Docet doctor Huna filius doctoris Ilai, Scriptura dicit linum, linum, linum, linum, quia eſt optimum linum.* Hinc Jarchius: בד בד ארבע זימני כתב בלבישת בגדי שחרית למימר דהוי בד בד המובחר בבד: *Linum, Linum, quater ſcribitur in veſtitu veſtium matutinarum, ut doceremur linum, linum, optimum eſſe ex omni genere lini.* Hæc Toſephoth adhuc fuſius explicat. בד בד בד בד נראה לי חד לגופיה וחד בד לשון לבד
שאין לובש עמהם בגדי זהב כדרך שהוא עושה כל ימות השנה ובד שלישי לומר יותר
טוב: מבד של שאר ימות השנה הרביעי לומר שטוב משל ערבית אינמי בד שלישי
ורביעי מידריש הכי בד המובחר שבבד: *Bad, Bad, Bad, Bad,* ſive *linum, linum, linum, linum. Mihi videtur ſemel poſitum eſſe linum propter ſe ipſum, ut prima voce lini ſignificaretur, quod debeat eſſe veſtis ex lino: Alteram vocem lini eſſe ad oſtendendum, eum non debere veſtiri veſtibus aureis, ut cæteris diebus anni. Tertiam vocem lini docere, tunc præſtantius eſſe linum quam cæteris diebus. Quartam vocem lini indicare hora matutina linum pretioſius fuiſſe quam hora veſpertina. Dici etiam poteſt: Tertium & quartum linum ita exponi debere, ut ſignificaretur fuiſſe omnium generum linorum pretioſiſſimum.* En ex ipſo præcepto Levitici cap. xvi. ſubtiles noſtri logici exterebare noverunt; linum veſtimentorum alborum, die expiationum, non ſolum pretioſum, ſed pretioſius fuiſſe lino veſtium aurearum, & matutinum quidem pretio & bonitate præponi veſpertino. At quamvis linum veſtium aurearum, immo ipſorum ſacerdotum minorum, etiam doceretur, בוץ & בד שש, *linum* & *byſſus*, tamen aliud alio præſtantius fuit. Scilicet ut pretioſum fuerit cæterorum ſacerdotum, pretioſius Pontificis Maximi, in veſtimentis aureis. Pretioſiſſimum veſtium albarum: omnibus tamen præferendum matutinum iſtius diei. Sic & hodie inter pretioſiſſima & tenuiſſima lina Cameracenſia & Harlemenſia datur quidam gradus pretii & bonitatis. Habebis enim Harlemenſe linum duorum florenorum noſtræ monetæ, & vilius, habebimus & v. vii. x. immo olim ulnam cujuſdam lini Harlemenſis viginti florenis conſtitiſſe, quod Princeps Arauſiacus ſereniſſimæ ſuæ ſponſæ in Angliam miſit, mihi de pretioſiſſimo lino inquirenti, ab ejuſmodi mercatoribus narratum eſt. Eodem plane modo concludendum

dum eſſe puto: Quamvis omnis byſſus ſacerdotii pretioſa fuerit, tamen præſtantiſſimam fuiſſe eam ex qua fiebant veſtes albæ.

CVII. Nec obſtat huic ſententiæ, quod quidam dicant: Magno illo die piaculari Pontificem Maximum omnem debuiſſe fugere faſtum atque ſuperbiam, cum miniſterium iſtius diei poſtularet, ut ſeſe profunde coram Deo ſubmitteret, ad deprecanda ſua populique peccata. Sane negari non poteſt iſtum diem ſubmiſſionem imprimis poſtulaſſe. Hinc tot præcepta, quæ ſubmiſſionem mandant, non tantum in lege, ſed & in ipſa traditione patrum, ut videre eſt in codice *Ioma*. Ideo & hodie verpuli die Hackipurim non niſi linteis ſuis ſepulchralibus, & lineis, aut laneis ſoccis, aut etiam calceis ex coactili materia, quod *feltrum* vocamus, induti viſuntur per vias & in Synagogis. Quid? Sola abjectionis cauſa Pontificem M. veſtibus aureis ſacra adyta intrare non auſum fuiſſe, ſed lineis, quia ſcil. ſupplex accedebat, cum ſupplicem non deceat ſuperbire, aut ex reo fieri accuſatorem, tradunt magiſtri. Videatur Jarchius ad verſum quartum capitis decimi ſexti Levitici. ubi prohibitum docet Summo Pontifici Sancta Sanctorum veſtibus aureis ingredi: לפי שאין קטיגור נעשה סניגור *ne accuſator fieret procurator*. Profunda tamen illa ſubmiſſio Pontificis Max. qua opportebat animum abjectum & vere contritum Deo ſiſtere, cum toto populo, non impediebat, quo minus cætera omnia ſplendide & ſumptuoſe fierent; quod vel inde patet; quod eo die etiam carius lavaret manus & pedes, quam cæteris diebus anni, ex aureo ſcilicet, quum reliquis diebus ex æreo labro tantum fieret. Et quæ cæteris diebus aureis vaſis fieri ſolebant, ex auro viridi, hoc die fiebant ex auro rufo, quod pretioſius erat. Videatur *Maſſecchet Ioma, capite quarto, Halacha quarta & quinta.* Libet verba integra proponere. בכל יום היה חותה בשל כסף ומערה בתוך של זהב ובה היה מכניס בכל יום חותה בשל ארבע קבין ומערה בתוך של שלשה קבין והיום חותה כשל שלשה קבין ובה היה מכניס ר׳ יוסי אומר בכל יום חותה בשל סאה ומטרה בתוך של שלשה קבין ובה היה מכניס בכל יום היתה כבדה והיום קלה בכל יום היתה ידה קצרה והיום ארוכה בכל יום היה זהבה ירוק והיום אדום דברי רבי מנחם בכל יום מקריב פרס בשחרית ופרס בין הערביים והיום מוסיף מלא חפניו בכל יום היתה דקה והיום דקה מן הדקה בכל יום כהנים עולין במזרחו של כבש ויורדים במערבו והיום כהן גדול עולה באמצע ויורד באמצע רבי יהודה אומר לעולם כהן גדול עולה באמצע ויורד באמצע בכל יום כהן גדול מקדש ידיו ורגליו מן הכיור והיום מן הקיתון של זהב

זהב רבי יהודה אומר לעולם כהן גדול מקדש ידיו מן הקיתון של זהב בכל יום היו שם ארבע מערכות והיום חמש דברי רבי מאיר רבי יוסי אומר בכל יום שלש והיום ארבע רבי יהודה אומר בכל יום שתים והיום שלש׃ *Omnibus diebus deprompſit thuribulo argenteo, & in aureum infundebat: hodie deprompſit aureo, & intrabat cum eo. In omni die deprompſit thuribulo quod quatuor cabos continebat, & in alterum infundebat quod tres cabos capiebat. Hodie deprompſit thuribulo trium caborum, & intrabat cum eo. Doctor Ioſe dixit: Omnibus diebus thuribulo deprompſit quod Seam continebat, & infundebat in alterum quod tres cabos capiebat; & intrabat cum eo. In omni die erat grave, hodie leve. Omnibus diebus manus ejus (thuribuli) brevis erat, hodie longa. Omnibus diebus ex auro viridi erat, hodie rufo, docente Doctore Menachem. Omnibus diebus offerebat dimidiam libram mane, & dimidiam libram veſperi, hodie addebat plenum pugillum. Omnibus diebus tenue erat, hodie tenue ex tenui. Omnibus diebus aſcendebant Sacerdotes, ab Oriente, & deſcendebant verſus plagam Occidentalem, hodie autem aſcendebat & deſcendebat in medio. Omnibus diebus Pontifex Maximus lavabat pedes & manus ſuas ex labro æneo, hodie ex pollubro aureo. Doctor Iehuda tamen dixit: Summum Pontificem ſemper manus & pedes lavaſſe ex pollubro aureo Omnibus diebus quatuor erant lignorum ordines, hodie quinque, ſecundum ſententiam Doctoris Meir. Sed Doctor Ioſe dicit omnibus diebus tres, hodie quatuor. Jehuda vero; omnibus diebus duo, hodie tres.* Et capite tertio, Miſna decima legimus: מונבז המלך עשה כל ידות הכלים של יום הכיפורים של זהב׃ *Mombas Rex fecit omnia manubria vaſorum diei expiationis ex auro.* Deſinant igitur Viri docti in poſterum adfirmare, בד, præſertim die expiationis, eſſe *vulgare linum*, שש autem veſtium aurearum fuiſſe *byſſum pretioſiſſimam*. Deſinant ſtatuere, id poſtulaſſe contritum animum, qui illum diem decebat. Deſinant tandem שש & בד per *Xylinum* interpretari.

CVIII. Coronidis loco, antequam materiam veſtium albarum miſſam faciam, ut omnibus adhuc clarius conſtaret, linum illud, in quo Pont. Max. miniſterium obibat die piaculari, byſſum, & ex optima fuiſſe, addam quod obſervant Miſnici Doctores Codice *Ioma capite tertio, ſectione ſexta*, jam toties a nobis allegata. הביאוהו בבית הפרווה ובקדש היתה פרסו סדין של בוץ בינו לבין העם׃ *Adducebant eum* (ſcil. Pont. M.) *ad domum Happarvah, quæ in ſancto erat. Extendebant ſindonem byſſinam inter ipſum & populum.*

pulum. Sindon iſta extendebatur inter Pontificem Maximum & populum, ut honeſtius pedes & manus lavaret. Nota hic, Sindonem ſumi pro velo, ut jam ſupra docuimus, eam ſæpius veſtem ſignificare: Et obſerva ſimul eam ex byſso fuiſse, ut oſtendimus plurimum ſindonem ſignificare linum tenuiſſimum. Gemara ad hunc locum docet die piaculari aliquid immutatum fuiſse: Cæteris enim diebus ejuſmodi ſindonem non tendebant, ſed hoc die tantum, ut conſtaret & diem expiationum fuiſse, & omnia miniſteria iſtius diei fieri debere veſtibus byſſinis מאי שנא של בוץ אמר רב כהנא כדי שיכיר עבודת היום בבגדי בוץ : *Quid ſibi vult byſſinum? Doctor Chabana dixit, hoc fieri ad oſtendendum miniſterium hujus diei fieri in veſtibus byſſinis.* En igitur veſtes albas Pontificis Maximi, tam die piaculari quam cæteris diebus totius anni, ex byſso fuiſse, perinde ac totius Sacerdotum turbæ; omneſque illas voces בוץ בדי שש יסרין & βύσσος, *linum*, aut *byſſum* ſignificare tenuiſſimam & pretioſiſſimam: Ita tamen ut veſtes aureæ Summi Pontificis ex pretioſiori fuerint, quam veſtes Sacerdotum minorum, & veſtes albæ diei piacularis iterum ex pretioſiori quam veſtes aureæ, quas veſtitus erat cæteris diebus anni. Sed hæc de materia veſtium linearum, cum cæterorum omnium Sacerdotum, tum Pontificis Maximi, ſufficiant. Sequitur jam materia veſtium aurearum.

CAPUT VIII.

DE SERICO VETERUM, UTRUM NOTUM TEMPORE MOSIS.

תכלת ארגמן תולעת שני : *qualem materiam ſignificent? Error Lutheri Aben-Ezræ, Abarbanelis & aliorum, qui ſericum exponunt. Regula Talmudica huic opinioni contraria. Sericum pretioſiſſimum apud veteres. Magnatum Fœminarum, Bacchi & Bacchantum ornatus. Ex eo veſtes tenuiſſimæ. Barbarica mollities. Lex Senatus ſub Tiberio contra veſtes ſericas. Subſerica & holoſerica. Sericum rarum apud Romanos uſque ad auguſtum. Sericum* ἰσόχρυσον, *Auro contra carum. Lex Rodia. Sericum ad Romanos advectum ex India, Aſſyriaca, &* Κῶ. *Ratio conficiendi ſericum apud Romanos innotuit demum ſub Iuſtiniano. Bombyces an in Inſula* Co *naſcantur? Pamphila Latoi filia quo ſenſu*

ſenſu dici poſſit ſericum inveniſſe in Inſula Co? Camelot de Hollande, *quo ſenſu ſic dicatur? Bombyx Coa quo ſenſu diſtinguatur ab Aſſyria? Sericum apud Hebræos & Ægyptios tempore Moſis ignotum. In toto Veteri Teſtamento nulla ſerici fit mentio.* משי *apud Ezechielem cap.* X. XIII. *Iarchii, Iunii,* Lutheri, Grotii, *Gallorum & Belgarum lapſus, id de ſerico exponentium. Lutheri* Seydene ſchleyer. *Fulleri error. Et Grotii de* περιπετάσμασι *ſericis.* Sericum *in Tabernaculo nullum uſum habuit.* משי *poſterioribus Iudæis* Sericum. *Aquilæ* ἀνθινὸν, floridùm palpabile. βαπλὸν *pro* ἁπλὸν. *Simachus, Hieronymus, Theodotion. Græcorum* τελχαπλον. *Hieronymi ſententia de* τελχάπλῳ. *Fulleri & Heſychii ſententia.* Crinale *Ovidii. Capillare* πολύμιτον. *Crinale aurum. Heſychii &* Suidæ *opiniones de* τελχάπλῳ. *Portæ &* Lutheri. *Lapſus Suidæ. Vera ſententia Heſychii.* משי *Chaldæo veſtes tinctæ. Noſtræ conjectura.* משי *Chaldæus de Veſtibus Pont. Max. intelligit.* שריקות *Eſaiæ* XIX. IX. *Iuno & Buxtorfio* generoſa. *Sed male. Aliquando colorem ſignificàt. Et quidem Rubrum, Coccineum, Minium.* συρικόν. סרק Syrico tingere. *Fucus mulierum. Bocharto color flavus. Linum flavum. variorum colorum. Byſſus Eliaca minus flava quam Hebræa. Candidum linum retibus minus aptum. Grotii ſententia.* שרוק *Zachariæ* I. *quid? Equi fulvi aut Gilvi, non rari in Dania. Locus Apocal.* VI. VIII. *explicatus.* שריקות *apud Eſaiam materiam ſignificat. Male Buxtorfius & Fullerus* ſericum *volunt.* Σηρικὸν *Rabinis* סיריקין· η *pro* ι. *Hebræis per Chireck longum aut per Zere ſcribitur.* Alſerac *a* Kimchio *male Arabicum dicitur. Græcum eſt: ut &* מלקוניא μελαγχολία. *Arabes & Medi qui?* שריקות *Eſaiæ linum.* סרק, סורק & מסרק. *Pectinator. Pecten. Septuag.* λίνον σχιστόν. *Verſio vulgata,* Lutheri *& Chaldæi. Buxtorfii mens emendata.* Locus I *Reg.* II. XXVIII. *explicatus. &* II *Chron.* I. XVI. מקוה *pro* Κῶ *male a Vulgato & Hieronymo.* Co *Inſula Aſiatica. Iſidorus emendatus. Male Coa confunditur cum Cea. Ars ſericum conficiendi in Co inventa a Pamphila creditur. Veſtes Coæ. Utrum ex lana, an ex ſerico?* Κῶ, *ſive Co Hebræis.* קו *Bochartus laudatus* מקוה *non eſt* מן קוה *Latous Pamphylæ pater an ante Salomonem vixerit? Græcorum* Ἐκ θεκουὲ, *quaſi* תקוה, Ἐκ κουὲ, *&* ἐξ ὀκουέ. *Syro Aphelia.* ἀφηλιῶτις *ventus.* מקוה *pro* מקו à Linea. Luthero Wahre. *Multitudo*

equorum. Germ. Ein ſtute *Collectio aquarum.* מקוה *Bocharto ve-ctigal. Chaldæis* מגביתא & גבא. *Ægyptus Equorum abundans. Teſtimonium ex* II *Reg.* XVII. XXIV *Homero, Diodoro & aliis Ægyptus lini ferax. Ius a Pharaone Salomoni conceſſum, de educendis ex Ægypto equis & neto lineo. Hebræorum ſententia.* V*erſio Chaldæa. Belgica.* V*erus ſenſus iſtius loci. Ubicunque in* V*eteri Teſt. fit mentio de veſtibus, id de lino & lana tantum intelligendum eſt. Sententia Maimonidæ. In ſummo luxu Scriptura lanæ & lini tantum meminit.* Loci *Eſtheræ cap.* I. VIII. & *cap.* VIII. XVI *explicati. Traditio Talmudica de ſummo luxu fœminarum in lino. Belgarum Proverbium* op ſijn beſt paeſch-pronck. V*eterum Iudæorum quidam carne lætabantur. Pluſculum ſeſe vino invitabant. Tempore Chriſti ſericum adhuc rarum apud Iudæos.* Locus Lucæ XVI. XIX. *explicatus. Omnes voces quibus Rabini ſericum exprimunt Græce : quales ſunt* שיראה׳ מטכסא & שיראה ·סיריקון *eſt ipſiſſimum* σήρ. σῆρες σκώληκες & Ἰνδικὸς. *Gemara Ieruſalemitana de* שיריים & כלך·מטכסא *eſt ſericum. Pro* σηρικὸν *Apocal.* XVIII. XII. *Syrus habet* ܫܝܪܐ שירא· מטכסא & מטכסין *Græcis* μέταξα. Μέταξα *antiquitus Græcis omne filum ſubtemen.* μέταξα *quaſi* μετάταξις & μετατακλὸν *a* τάσσω. *Hinc Rabinorum* טְכַס ordinare, ordire, *Iſidoro* Texere. *Pannus dictus a* πήνη Trama. Μέταξα *tandem ſericum ſignificavit apud Græcos, ſic & apud Hebræos.* סיריקון *ſæpius in Talmude. Sericum voces & res Iudæis innotuiſſe videtur demum ſub Imperio Græcorum.* כלך *quibuſdam ſtupa ſerici, Noſtrum* Fileſel. *Iarchii* פולייל. *Locus ille tentatus.* כלך *Miſnæ non eſt ſericum: Eſt pinna.* πιννικὸν ἔριον, Lana *marina.* V*erpulorum delirium Sericum Hebræis omni ævo notum fuiſſe. Menachem cum* LXXX. *paribus diſcipulorum* Serico *veſtitus. Menachem vixit ſub Auguſto.* V*eſtes Aſſueri Eſteræ* I. VIII. VI. VIII. IX. & VIII. XV. *Ex ſerico fuiſſe docet utrumque Targum. Targum Scheni. In uſu fuiſſe ſub Templo primo docet Gemara. Sericum* Parnadinum. *Targum emendatum. Difficultas Thoſephot. Sericum in Ægypto notum fuiſſe tempore Abrahami fabulatur Bereſchit Rabba. Lepidiſſima fabula de Sara in Arca abſcondita. Ejus mirabilis ſplendor. Nullum ſericum in uſu in ſanctuario niſi Religione depravata.* Vane *dicitur in uſu tempore Salomonis.*

I. Summi

CIX. Summi Pontificis בגדי זהב *veſtes aureas* conſtitiſſe, præter aurum & gemmas, ex תכלת ארגמן תולעת שני ſupra, ex capite vigeſimo octavo Exodi, jam demonſtravimus. Oſtendimus ſimul voces iſtas ſignificare cum materiam tum colorem. Utrumque jam ſub incudem revocandum eſt. Et primum quidem de materia dicendum erit, deinde de colore. Quod ad materiam attinet, ſunt qui *ſericum* fuiſſe credebant. Lutherus & vetus verſio Belgica, Exodi xxviii. commate iv. מעיל ſive *pallium* Summi Pontificis vocat: ſeyden rock / *tunicam ex ſerico.* Et תכלת ſemper reddit per gele ſeyde *ſericum flavum* verſibus ſeqq. quemadmodum & vocem שש ſeyde / *ſericum* interpretatur, ut ſupra audivimus. תולעת שני Aben-Ezræ etiam eſt *ſericum*, Exodi capite xxv. Aut ſaltem refert, multos crediſiſſe, id ſericum ſignificare. והגאון inquit, אמר בו קרימ״ז כי הוא אדום רק איננו בצבע הארגמן ובעבור תולעת אמרו רבים כי היא משי : *Excellentiſſimus vir* Saadias (ſic enim virum iſtum κατ᾽ ἐξοχὴν vocare ſolet Aben-Ezra, quod etiam eſt commune epitheton, ſummorum doctorum.) dicit: *ineſt illi Kermes, quia eſt rubrum, ſed non colore Argaman, ideoque multi dicunt* תולעת *eſſe ſericum.* Abarbanel ſuper legem capite xxv. Exodi, omnia vult ſignificare ſericum, & תכלת & ארגמן & תולעת שני. Sic enim ibi diſputat: והרל״בג כתב שהיה כל זה צמר צבוע במראות והצבעים ההם׳ ואינו נכון כי הצמר קרא אותו הכתוב עזים׳ אבל תכלת וארגמן ותולעת שני הם כלם משי והתכלת היא המשי הצבוע בצבע דומה לים והארגמן הוא המשי הצבוע אדום והתולעת שני הוא המשי שהוא נאה כפי תולדתו ואין לו צבע אחר : *Doctor Levi Gerſomius ſcripſit, hæc omnia ſignificare lanam tinctam: Sed non recte: ſcriptura enim vocat lanam* עזים (id eſt caprarum.) *Nam* תכלת ארגמן ותולעת שני *omnia ſericum denotant. Et* Techelet, *quidem eſt ſericum tinctum colore, qui mari ſimilis eſt.* Argaman *eſt ſericum tinctum rubrum, ſed* Tholaat Schani *eſt ſericum, quod natura ſua elegans eſt, nec habet colorem aliunde.* In hac opione quoque ſunt multi Judæi hodierni. Germani noſtri fere aliter non explicant quam ſeyde & gezwirnte ſeyde /*Sericum, & ſericum retortum*, quod etiam aliquando de שש intelligi volunt.

CX. Sane Chriſtianos aliquos reperiri, qui Sacerdotes Sericatos voluerint, tantopere mirari non debemus, cum plurima pars nec voces hebraicas intellexerint, nec Judæorum ritus & traditiones perſpectas habuerint: Sed id aliquibus etiam Judæis, & quidem inter eos Viris doctis, accidiſſe, excuſari vix poteſt, cum

debuerint didiciſſe illud effatum, ex Talmude, quaſi ex tripode, depromptum : אין הכהנים לובשים לשמש בבית המקדש אלא צמר ופשתים : *Sacerdotes non veſtiuntur ad miniſterium peragendum in ſanctuario niſi lana & lino.* Sericum igitur nullum prorſus uſum habere potuit. Inter recentiores ſunt qui putant ſericatos fuiſſe, eo quod ſericum pretioſiſſima fuerit materia, ex qua ſacerdotum veſtes fieri debuerint, cum facta fuerint, *ad gloriam & ad honorem.* Sed cum hæc nullis argumentis probent, non eſt quod a receptiori ſententententia magiſtrorum recedamus. Nec ulla ratio eſt, cur ſericum potius quam lanam ſtatueremus. Quid quæſo plus tribuiſſet, ſive ad ornatum Pontificum, ſive ad myſteria repreſentanda quam lana, quæ ſane nec pretio nec ſplendore a ſerico ſuperabatur ? Nec minus lanæ quam ſerici in Regum, qui omnibus deliciis fluunt, ita & luxu ſuperbiunt, ornatu adhiberi ſolet. Fateor ecquidem ſericum apud antiquos pretioſiſſimam fuiſſe materiam ad conficiendas veſtes, nec unquam adhibitum niſi molliſſimis & delicatiſſimis mulierculis, & inter viros, his, qui pæne muliebriter ornari volunt. Plinius *libro* XI. *capite* XXIII. *Nec puduit has veſtes uſurpare etiam viros levitate propterea æſtiva, in tantum a lorica gerenda diſceſſere mores ut oneri ſit etiam veſtis. Aſſyria tamen bombyce adhuc fœminis cedimus.* Et capite XXII. *Telas aranearum modo texunt ad veſtem luxumque fœminarum, quæ bombycina appellatur.* Meminit quoque Capitolinus, M. Antonium Philoſophum in foro Trajani, cum multis aliis ornamentis Imperatoriis, vendidiſſe quoque veſtem *uxoriam ſericam & auratam.* Uxor D. Aureliani, ut auctor eſt Flav. Vopiſc. ab Imperatore petiit *ut unico pallio blatteo uti ſibi liceret.* Et Dion Caſſius *libro* XLIII. mulierculis luxui deditis ſericum attribuit. Πρὸς ἡμᾶς ἐς τρυφὴν τῶν πάνυ γυναικῶν περιττὴν ἐσπεφοίτηκεν. *Ad nos pervenit muliebriter plane diliciis fluens.* Ideo & χλιδὴν βάρβαρον *barbaricam mollitiem* vocat. Seneca *De Beneficiis libro* VII. *cap.* IX. *video ſericas veſtes, ſi veſtes vocandæ ſunt, in quibus nihil eſt in quo defendi, aut corpus, aut pudor poſſit. Quibus ſumptis, mulier parum liquido, ſe nudam non eſſe jurabit. Hæc ingenti ſumma ab ignotis etiam ad commercium gentibus accerſuntur, ut matronæ quidem noſtræ, ne adulteris quidem plus ſui in cubiculo, quam in publico, oſtendunt.* Ob eandem cauſam veſtis ſerica indicium fuit viri effœminati & inglorii. Ideo non tantum fœminis, ſed & Baccho & Bacchantibus, qui plane, mu-

muliebriter agere ſolent, adſcribitur, ut docet Salmaſius ad Tertullianum de pallio. Et Empedocles philoſophus ille. Hoc innuit lex a ſenatu ſub Tiberio lata, apud Tacitum; Annalium libro primo, qua ſerico viris interdictum eſt: *Ne veſtis ſerica viros fœdaret*: quaſi ſummum fuiſſet dedecus ſerico veſtiri. Vide Dionem *lib.* LVII. Vix Imperatoribus eo uti honeſtum fuit, & id eorum etiam uxoribus aliquando negatum. Flavius Vopiſcus in vita *Divi Aureliani*: *veſtem holoſericam*, inquit, *neque ipſe in veſtiario ſuo habuit, neque alteri utendum dedit. Et quum ab eo uxor ſua peteret, ut unico pallio blatteo uteretur, ille reſpondit, abſit ut auro fila penſetur: libra enim auri tunc libra ſerici erat.*

CXI. Omnium apud Romanos Virorum, veſte ſerica primum uſum fuiſſe Heliogabalum, docet Ælius Lampridius. *Primus Romanorum holoſerica veſte uſus fertur, quum jam ſubſerica in uſu eſſent.* Negari quidem non poteſt, jam diu ante tempora Heliogabali ſericum in uſu fuiſſe apud Romanos: nam Galigula (monſtrum ſane hominis) omnis luxus atque ſpurcitiei magiſter & patronus, ſericatus quidem dicitur Suetonio. Et apud Dionem *libro* LIX. ἤ ἐπ' αὐτῷ χλάμυδα σηρικὴν ἁλουργῆ ἐπένεδυ *Chlamidem ſericam purpurei coloris induit.* Sed forſan ſubſerica tantum fuit. Magna enim differentia erat inter *holoſericam* & *ſubſericam* veſtem. Illa ex ſerico tantum conſtabat, hæc mixtæ erat materiæ, cujus ſtamen erat linum, ſubtemen ſericum, qualia & hodie reperiuntur ex ſerico & lino, aut ſerico & lina contexta, ut panni quidam ſerici, quos *ferandin* vocamus. Fuiſſe tamen etiam holoſerica, rarum admodum erat exemplum, cum & ipſe Suetonius obſervet fuiſſe *veſtem extraneam.* Sic Dio Caſſius, loco modo a nobis laudato, poſtquam dixiſſet Auguſtum ſpectaculis vela ſerica tendi curaſſe, ſtatim addit id fuiſſe χλιδῆς βαρβάρου ἔργον *barbaricæ mollitiei opus.* Alexander Severus, ut ex Lampridio in vita ejus diſcimus, *veſtes ſericas raras habuit; holoſericas nunquam induit, ſubſericam nunquam donavit.*

CXII. Conſtat igitur apud Romanos ſericum innoteſcere cepiſſe, demum circa tempora Auguſti, Holoſericam veſtem raram admodum fuiſse ad Tempora uſque Heliogabali, ſubſericam ipſam, etſi uſitatior fuerit, viris tamen illo tempore raro conceſſam: Cum ob mollitiem, quæ viros non decebat, (forti enim viro lorica magis quam ſericum conveniebat) tunc ob ingens pretium, ἰσόχρυσον utique erat tunc temporis

poris. Nam libra ſerici libra auri fuit, temporibus D. Aureliani. *Abſit,* inquit generoſus Imperator, *ut auro fila penſentur, libra enim auri tunc libra ſerici erat*: quod de *holoſerica*, non *ſubſerica*, eſt intelligendum, ut patet ex Lege Rhodia: ὁλοσηρικὰ ὅμοια τῷ χρυσίῳ *Holoſerica auro contra cara ſunt.* Non mirum eſt, ad tempora illa tam rarum atque carum fuiſse ſericum, apud Romanos & Græcos: cum non niſi ex locis ſatis remotis, ad eos delatum fuerit. *Tam multiplici*, ait Plinius, *opere tam longinquo orbe petitur.* Et Seneca: *Hæc ingenti ſumma ab ignotis etiam ad commercium gentibus accerſuntur.* Ideo a Dione χλιδῆς βαρβάρου ἔργον dicitur. Ex *India* ſcilicet, a *Seribus*, ex *Aſſyria* & *Coo* mittebatur. Nec ſerici cultura & conficiendi ratio apud Romanos, Græcoſque nota fuit ante tempora Juſtiniani. Narrat Procopius cum ſummo ſtudio Imperator moliretur, ut commercium cum Æthiopibus ſtabiliret, ut ſcilicet ſericum inde Romam adferi poſset, ſtante bello Perſico, duos Monachos ex India revetſos fuiſse, qui ſe omnem ſerici conficiendi artem noviſſe dixerunt, atque id in Europa fieri poſse: ideoque eos ab Imperatore miſsos in Indiam, ut inde bombycum ova adferrent, quo facto, bombyces, & ſerici conficiendi rationem Byzantii, & poſtea per totam Europam innotuiſse.

CXIII. Nec eſt quod quem moretur, quod Plinius dixerit *libro* XI. *capite* XXIII in Inſula Co etiam bombycas naſci: itaque non opus fuiſſe tempore Juſtiniani eas ex India accerſi. Nam non adfirmat Plinius exſertis verbis, bombycas in iſta inſula naſci, ſed tantum id tradi dicit. Et ſane cum toties legamus apud auctores Coas mulieres veſtes, & ſericas quidem texere, mirum eſſet tam raro mentionem fieri Coarum bombycum, ſi verum eſſet bombicas in inſula Coo naſci. Plurima pars auctorum mentionem faciunt tantum de arte redordiendi & texendi veſtes ex ſerico, non de ſericum ipſum conficiendi ratione, aut bombycum cultura. Plinius *Capite* XXII. *libri* XI. loco a nobis modo allegato, poſtquam de Aſsyria bombyce loquutus eſset, mox addidit nidos earum redordiri, & veſtes inde texi in Co inſula, quam inventionem Pamphilæ Latoi filiæ attribuit. *Primas eas redordiri*, inquit *rurſuſque texere invenit Inſula Coo mulier Pamphila Latoi filia, non fraudanda gloria excogitatæ rationis, ut denudet fœminas veſtes.* Hoc Plinius habet ex Ariſtotele *libro* V. *Animal. capite* XIX. ἐκ δὲ τούτου τοῦ ζώου καὶ τὰ βομβύκια ἀναλύουσι τῶν γυναι-

κῶν

κῶν τινὲς ἀναπηνιζόμεναι, κἄπειτα ὑφαίνουσι. πρώτη δὲ λέγεται ὑφᾶναι ἐν Κῷ Παμφίλη Λατώου θυγατήρ. Nota quod Ariſtoteles non dicat Pamphilam in Ko quicquam aliud inveniſse quam ex ſerico aliquid *texere.* Πρώτη λέγεται ὑφᾶναι. Itaque ſuſpicor, an non a Seribus & Aſsyriis ad Inſulam Coon delata tantum fuerint nemata, & lanugines bombycum, & an ibi a fœminis Cois non ſolita fuerint redordiri & texi, adeoque an hanc ob cauſam non dicta fuerit veſtis Coa, quemadmodum & hodie optimi panni, qui in Hollandia conficiuntur, ſæpius dicuntur Hollandici, quamvis lana ex Hiſpania afferatur.

CXIV. Eſt etiam aliud genus panni, quod dicunt Galli *Camelot de Hollande*, quaſi *Zembalotti Hollandicum*, quia in Hollandia texitur, quamvis fila aſportentur ex Ægypto aliiſque locis. Et quamuis ſericum Aſsyriacum a Coo diſtingueretur, ut Aſsyria bombyx pretioſior diceretur Coa, fortaſſis tamen una eademque materia atque bombyx fuit, ſiquidem ab Aſsyriis ſubtilius ſiebat quam a Cois: ut & hodie Angli & Galli ſerica ſubtiliora conficiunt, quam Belgæ aut Germani, quamvis illis a Belgis ex India & Perſia advehatur. Sed ne de hiſce multum diſputemus, certum eſt, apud Græcos & Romanos ſericum diu multumque ignotum fuiſse, cariſſimum & rariſſimum ad uſque tempora primorum Imperatorum, culturam bombycum, totamque rationem ſerici conficiendi, in Europa circa tempora Juſtiniani tantum innotuiſse. Hinc colligo, apud Hebræos & AEgyptios ſericum tempore Moſis plane ignotum fuiſse. Qui enim credibile eſset tam diu latuiſse Græcos & Romanos, ſi jam inde Judæis familiare fuiſset? Nec ullus reperietur auctor probatus inter Hebræos, quantum ſciam, qui ſerici mentionem faciat, quo natio ſua veſtita fuerit ante tempora Chriſti, & priorum Imperatorum. In toto Veteri Teſtamento de ſerico ne γρῦ quidem, quod dignum obſervatu cenſeo.

CXV. Sunt tamen qui ſericum in ſacra Sriptura reperiri putent. Et primo quidem occurrit vox משי *meſchi*, apud Ezechielem Prophetam capite ſexto decimo, verſibus x. & XIII. Hæc ibi habet Propheta: ואלבשך רקמה ואנעלך תחש ואחבשך בשש ואכסך משי *Et veſtivi te opere prygiano, & calceavi te melinis, Et accinxi te byſſo, & operui te* Meſchi. ומלבושך ששי ומשי *Et veſtimentum tuum fuit byſſus &* Meſchi. Hanc vocem משי Jarchius interpretatur *ſericum.*

vulgo

שוייאה בלעז *vulgo dicitur Soye*, id enim Gallis eſt ſericum. Hanc interpretationem ſecuti ſunt *Iunius*, *Lutherus*, *Galli*, *Belgæ*, *Grotius* & alii multi. Lutherus non contentus materiam exprimere, ſimul etiam genus veſtimenti indicare tentavit; habet enim ſeidene ſchleyer/ ab ornatu noſtrarum mulierum. Veſtimentum muliebre fuiſſe certum eſt, ſed an præciſe ejuſdem generis, docti viderint. Fullerus etiam *Sericum* eſſe vult, in *Miſc. lib.* II. *c.* XI. Grotii interpretatio minime ferri poteſt: *Id eſt*, inquit *e ſerico feci tibi lecti* παραπετάσματα. *Hic ſignificantur ornamenta ſacri tentorii.* Hæc ibunt quo poterunt, ſaltem ego nullis conditionibus adducar, ut ei aſſentiar: cum ſericum in ſacro tentorio nullum prorſus uſum habuerit. Sane vocem משי Hebræis poſterioribus *ſericum* eſſe, patet, non tantum ex iis quæ jam dicta ſunt, ſed ex Kimchio, Aben Ezra, Abarbanele, & ex omnibus grammaticis & Interpretibus. Atque ſic jam temporibus Sedeciæ, apud Hebræos ſericum in uſu fuiſſet.

CXVI. Sed ab omnibus interpretibus pro ſerico non ſumitur, nec puto ita ſumi debere. Aquila ἀνθινῷ *florido*, ſive *palpabili*, quaſi משי eſſet a משש *maſchaſch*, *palpare*. Sed forſan Aquila βαπτὸν pro ἁπτὸν ſcripſit, ut cenſet doctiſſimus Fullerus, loco citato. Symachus *indumentum* habet. Hieronymus *ſubtilia*. Sic & vulgatus verſ. x. ſed *polymitum*. verſ. XIII. Theodotion ipſum verbum hebraicum משי *Meſchi* retinet. Adeo ut viri docti dubio animo hærerent, quid per משי intellexerit propheta? Seniores in utroque verſu habent τρίχαπτον. Sed quid eſt τρίχαπτον? Obſcurum per obſcurius interpretari videntur. Porro non minus Græcorum τρίχαπτον quam Hebræorum משי torſit magnum Virum Hieronymum. *Cum diligenter*, inquit, *inquirerem*, *quid ſibi vellet vocabulum Trichapti*; *quod ſeptuaginta tranſtulerunt*; *& a nullo Græcorum nec Etymologiam poſſem invenire ſermonis: tandem didici a ſeptuaginta eſſe compoſitum.* (*Rebus enim novis nova fingenda ſunt nomina*) *Quod tantæ ſubtilitatis fuerit veſtimentum, ut pilorum & capillorum tenuitatem habere credatur. Unde & ego volens tenuitatem exprimere veſtimenti, pro Trichapto ſubtilibus tranſtuli: quod tenui ſtamine atque ſubtegmine* (lege ſubtemine) *textum erat.* Quid igitur per Græcorum τρίχαπτον intelligeremus, cum id ne ipſe quidem Hieronymus intellexerit? Ex Hieronymo ſaltem patet, eum non credidiſse משי ſignificare materiam, alias eam expreſſiſſet, ſed certum aliquod veſtimenti genus, & ex materia quidem aliqua ſubtiliſſima,

&

ut etiam *pilorum & capillarum tenuitatem habere* crederetur. Sed quod ſubtile, ideone ſericum? Ita ſermocinatur Fullerus & alii. At nonne & byſſus ſubtiliſſima, & pellucida, adeo ut corpus magis detegere quam tegere videretur? Sane & experientia & Hebræorum doctores id docent. Pro genere veſtimenti ſumit etiam Heſychius: Et pro capitis quidem ornamento, quod latini *crinale* dicerent: ut Ovidius *de Ponto* III.

——— Nec habens crinale capillo.

Optime quidem: nam τρίχες *Crines & capilli* ſunt. Ideo & Martiali *capillare*. Heſychius etiam & Suidas πολύτιμον *pretioſum* dicunt. Ideone ex ſerico? non ſequitur, cum poſſet aureum eſſe, nam ex auro quoque crinale fiebat, unde Maro *crinale aurum*. Ex ſerico tamen τρίχαπτον fuiſſe exiſtimarunt Heſychius & Suidas. τὸ βαμβύκινον ὕφασμα ὑπὲρ τῶν τριχῶν τῆς κεφαλῆς ἁπτόμενον, ἢ πολύτιμον. Ita Heſychius. Suidas fere eodem modo: τρίχαπτον, inquit, τὸ βαμβύκινον ὕφασμα ἱμάτιον πολύτιμον. Igitur βαμβύκινον ὕφασμα eſt τρίχαπτον, id eſt *bombycum textum*, quod nihil aliud eſſe quam ſericum, liquido conſtat. Silentio hic præterire non poſſum, illud ἱμάτιον πολύτιμον apud Suidam, a Porta exponi per *Pallium valde pretioſum*. Atque ſic τρίχαπτον non erit ornamentum capitis, ſed totius corporis tegumentum. Ideo Lutherus ein ſchleyer reddidit, quod non tantum capitis ornamentum, ſed certum aliquod velum, quod toti corpori injicitur, ſignificat apud Germanos. Deinde id ipſum τρίχαπτον ſic exponit: *Ex crinibus contextis factum veſtimentum.* Sic materia τοῦ τριχάπτου *crines* eſſent. Sed lapſus eſt doctiſſimus vir: nomen enim habet τρίχαπτον quidem ἀπὸ τῶν τριχῶν *a crinibus*, non quod huic veſtimento materiam darent crines, ſed quod crines tegerentur; ſcilicet quia erat ὑπὲρ τῶν τριχῶν τῆς κεφαλῆς ἀπτόμενον. *Super crines capitis alligatum*, ut optime Heſychius. Chaldæus pretium & ornamentum τοῦ משי conſiſtere facit, in colore magis quam in materia, aut veſtimenti forma: Reddidit enim per לבושי צבעונין *Veſtes tinctas*, ſive *coloratas*; eodem plane modo, quo Aquila qui ἀνθινὸν *floridum* habet, & Hieronymus cum vulgato, quum *Polymitum* interpretantur: quia polymitum variis coloribus diſtinctum eſt. Tamen nondum conſtat quid ſignificet vox משי. Sericum ſignificare, vix adduci poſſum ut credam, cum mihi nondum ſit probatum, id tempore Ezechielis inter Hebræos notum fuiſſe. Nihil aliud igitur denotare

tare exiſtimo, quam, aut tegumentum aliquod muliebre, variis coloribus diſtinctum, atque ea de cauſa pretioſum, qualia ſunt polymita, mulierum deliciæ, (veſtimenta enim colorata mulieribus propria eſſe, conſtat iis, qui in litteris vel parum verſati ſunt) aut capitis aliquod ornamentum, qualia ſunt crinalia, auro & gemmis pretioſa. De *Serico* nihil certi ex hoc loco probari poteſt.

CXVII Cæterum ſilentio præterire non poſſum, mirum non eſſe, Abarbanalem & alios veſtes ſacerdotales Sericas contendiſſe, ſi verum eſſet משי ſericum in hoc loco ſignificare. Nam quod Ezechiel dicit de veſtimentis illis pretioſis, id Chaldæus de veſtibus Sacerdotalibus, & ſummi quidem Pontificis, vult intelligi. Nam pro ואכסך משי Chaldæus habet : וית כהנא רבא בלבושי צבעונים *Et Pontificem maximum* (veſtiam) *veſtibus tinctis*, aut *polymitis.* Igitur ſi משי apud Ezechielem *ſericum* ſignificaret, Chaldæum ſummi Pontificis veſtes ſericas credidiſſe ſequeretur. Dicendum etiam eſſet, Abarbanelem & alios ab eo ſeductos fuiſſe, cum dicerent *Argaman* in *S.* Veſtitu, *thechelet* & *Tholaat Schani* ſignificare non lanam, ſed ſericum. Sed quamvis forte veſtimenta illa per figuras, non tantum de toto populo Iſraelitico, ſed de ſummo Pontifice intelligi debeant, ex Chaldæo tamen probari non poteſt, ea fuiſſe ex ſerico, cum ea tantum dicat לבושי צבעונין *veſtimenta tincta*, ſive *florida* *αἰθινὰ*, & *polymitum*, ut habent Aquila, Hieronymus, & verſio vulgata, uti ſupra oſtendimus.

CXVIII. Quidam conantur ſericum eruere ex Eſaiæ capite XIX. verſu II. : ובשו עבדי פשתים שריקות ואורגים חורי *Et pudefiunt opifices linorum ſubtilium & textores retium.* Hæc verba ſupra jam allegavimus, & ex parte ventillavimus, capite VI. ubi oſtendimus חורי non eſſe *alba opera*, ut interpretes putant, *ſed retia.* De voce שריקות jam plura dicenda ſunt. Junius *generoſa* vertit, ſcilicet a שרק viti generoſa derivatum putat, ex quo fonte fluxiſſe etiam Buxtorfius credidit in ſuo Lexico Hebraico. Sed quid per ſuum *generoſa* intellexerint auctores, fateor me ignorare, nec forſan ipſis interpretibus conſtabat. Alii pro colore ſumunt, alii pro materia. In Talmude סרק colorem ſignificare certum eſt. In *Maſſechet Schabbath folio* XCV. *a.* & *Moed Katon fol.* IX. *b.* לא העביר אשה סרק על פניה מפני צבועת : *Mulier non ilinet faciem ſtibio ad tingendum.* Jarchius סרק ait eſſe צבע ארום *colorem rubrum.* Pomarius

rius *coccineum* : שרוק צבוע מצבע תולעת שני *Saruk tinctum eſt colore coccineo*. Hinc etiam vox שרוק Zachar. I. VIII. Chaldæo (ut quidam legunt) eſt קוחין, quod viri docti κόκκον putant. Minium igitur ſignificat, eundem nempe colorem quem Græci συρικὸν vocant, ex ſinopide & ſandice factum, de quo Plinius *lib.* XXXV. *c.* VI. hinc verbum סרק *Syrico tingere*: ut συρικὸν ſit ab Hebræo סרק, aut Hebræorum סרק a Græco συρικοῦ. Ejuſmodi minio & rubris coloribus veteres, præſertim mulieres, ſeſe pinxiſſe, Plinius & alii tradunt. Hanc vocem autem colorem ſignificare apud Eſaiam, docet Bochartus *de Animalibus libro* I. *capite* VII. Sed flavum contendit: Ideoque פשתים שריקות exponit per *linum flavum*; eo magis quod Plinius *libro* XIX. *cap.* I. dicat linum apud Italos, natura ſua flavum eſſe. *Apud nos*, inquit *maturitas lini duobus argumentis intelligitur, intumeſcente ſemine, aut colore flaveſcente*. Enimvero omne linum maturum non flaveſcit. Eſt quod nigricat, eſt quod ſubrufum eſt, Eſt & aliud ſubalbum & ſplendens, ut ipſe Plinius ibi teſtatur. Flavum optimum linum eſſe videtur ſtatuere Pauſanias *in Eliacis, libro primo*. Ἡ δὲ βύσσος ἐν τῇ Ἠλείᾳ λεπτότητος μὲν εἵνεκα οὐκ ἀποδεῖ τῆς Ἑβραίων, ἔστι δὲ οὐχ ὁμοίως ξανθή. *Byſſus autem in Elide naſcitur tenuiſſima, quæ Hebræorum non cedit, ſed non eſt æque flava.* Linum autem ex quo fiunt retia non debet eſſe candidum & ſplendeſcens, ideo a Gratio in *Cynegetico* rejicitur, & *damnoſus candor* vocatur.

Ipſe in materia damnoſus candor inerti
Oſtendit longe fraudem atque exterruit hoſtes.

Quamvis Gratius de Retibus venatorum, non de piſcatorum, loquatur. Sane colorem ſignificare vocem שרוק Zachariæ capite primo, negari non poteſt, cum cæteræ voces quæ huic junguntur verſu octavo, veluti אדמים & לבנים. Et fulvum quidem aut gilvum fuiſſe colorem, cum Magno Bocharto facile crediderim. De equis ejuſmodi coloris mentionem faciunt Varro, Palladius, Virgilius, Servius, Iſidorus, alii. Nec adeo rari ſunt hodie in Dania. Sed an ex noſtro שריקות apud Eſaiam id probari poſſit, dubito; cum ibi non agatur de colore, ſed de materia, ut mox oſtendemus. Johannis Theologi teſtimonio, in Apocalypſi capite VI. commate octavo, magis moveor: cum ἵππον χλωρὸν *equum fulvum*, aut *gilvum*, vocet, ubi fortaſſis reſpicit ad equum שרוק Zachariæ.

CXIX. Aſſentior Nihilominus iis qui שריקות apud Eſaiam materiam ſignificare volunt, non vero colorem. *Sericum* exiſtimat Buxtorfius in ſuo lexico Hebræo, forte ſequutus Stephanum, qui in priori editione quoque habet *ſericum.* In eadem ſententia fuit Fullerus, *Miſcell. Sacr. libro* II. *capite* XI. *Sericum*, inquit, *apud Eſaiam prophetam reperimus cap.* XIX. IX. *ubi veſtes* Serikoth *memorat.* Sed male hi omnes. Fortaſſis ſolo ſono decepti ſunt, quia שריקות quaſi σηρικὸν ſonat. Sericum ſive σηρικὸν Hebræis etiam vocari סיריקין certum eſt. Videatur *Maſſechet Schabbath fol.* XX. *b.* Idem docet Kimchius in radice שרק. Sed hanc ſignificationem obtinuit a Talmudicis. Non autem ſic dictum puto ante tempora Chriſti hebraice; ut facile crediderim סיריקין vocem eſse peregrinam nempe Græcam, a σηρικὸν, quod vel ipſa ſcriptio docet: prima enim ſyllaba סיר nihil aliud eſt quam Græcorum σὴρ, ſiquidem η Magiſtris per chirek longum exprimitur, quod & hodie multi alii populi obſervant, & ipſi Græci barbari ita pronunciant, non enim dicerent, *pſyche* ſed *pſyſchi* pro ψυχή. Sed ita exprimunt η etiam per *Zere.* Terminatio quoque eſt Græca. Et quamvis Kimchius loco modo citato dicat וכן יקרא בלשון ערבי אלשרק *Et ſic vocatur lingua Arabica Alſerak*, eo non minus eſt Græca vox: cum non inſolens ſit Arabibus, voces Græcas ſua civitate donare, ſuaſque facere, ut manifeſto conſtat vel ex voce Μελαγχολία, quam vocem Maimonides ad Codicem *Schabbath capite ſecundo, miſna quinta*, docet Arabicam eſſe. רוח רעה קוראין לכל מיני החולין הנקרא כערבי מלקוניא כי יש מין מן החולין *Spiritus Malus dicitur omnis ſpecies morbi, dicitur autem Arabibus Melancholia, quia eſt ſpecies morbi.* Nota vocem iſtam מלקוניא corruptam eſſe, quod Hebræis non eſt inſolens, aut depravatam ſcriptionem, & ſcribendum eſſe מלנקוליא. Ejuſmodi voces plures reperiuntur, quæ ex Græcis Arabes factæ ſunt, ut apud Hebræos. Tales eſſe creduntur *Almanac Alambix, Alchymiſta &c.* Videtur, ut & hoc moneam, vocum iſtarum quaſdam a Judæis ad Arabas eſſe delatas, hoſque eas didiciſſe ab illis. Nam revera per Arabas & Medos, Magiſtri ſæpius intelligunt Judæos inter Arabas & Medos habitantes. Sic ad eundem Codicem *Schabbath cap.* VI. *Miſna* VI. ubi fit mentio ערביות & מדיות *Arabum & Medorum*, Bartenora & Maimonides notant id intelligendum eſſe de Mulieribus, aut filiis Iſraelis, quæ in Arabia aut Media habitarunt. Hæc eo tantum fine dicta ſunto, ut conſtaret, quam-

quamvis *σηρικὸν* Arabibus & Hebræis סירקון & אלסרק dicatur, nihil tamen obſtare, quo minus credatur vox Græca, aut ſaltem non Hebræa, aut Arabica. Si quis de vocibus iſtis Græcis, ſive Arabibus *Almanac*, *Alambix*, *Alchimiſta* & ejuſmodi aliis ſcire deſideret, adeat Scaligerum, Salmaſium *de Annis Climactericis*, Bochartum *Phaleg. l* IV. *cap*. I. Voſſium *de vitiis Sermonis l* II. *c*. II.

CXX. Pedibus igitur eo in ſententiam eorum, qui שריקות apud Eſaiam nec *colorem*, nec *ſericum*, ſed *linum* ſignificare credunt, non quodvis quidem *linum*, ſed *linum bene pexum & carminatum*, id eſt *optimum & tenuiſſimum*. שריקות itaque non debet deduci a שרק *pectere*, quæ radix, quamvis in ſacra ſcriptura non reperiatur, non minus tamen eſt Hebræa, ut multæ aliæ voces, quarum radicem S. Scriptura ignorat. סרק pro *pectere* eſt vox Hebræis familiariſſima. Hinc סורק *Pectinator*, & מסרק *Pecten* מסרק של פשתן. *Pecten lini*, & מסרק של צמר *Pecten lanæ*. & סרוק *Pe- Pectinatum*. Quis igitur non videt פשתים שריקות eſſe *linum pectinatum?* Nec aliter exponit Jarchius: שריקות inquit פשתים שסורקין אותן Scherikoth *eſt linum quod pectunt*. Sic & ipſe Kimchius hunc locum exponit: (ut male adductus fuerit a Fullero, ad probandum Eſaiam loqui de *Serico*) שריקות כלומר שמסרקין הפשתן במסרק והטוב והיפה שבו עושין ממנו רשתות: Scherikoth, *quaſi diceret qui pectunt linum, nam optimum & pulcherrimum adhibetur ad conficienda retia*. En igitur שריקות Linum pectinatum, tenue & retibus conficiendis aptiſſimum. Supra, capite ſcilicet ſexto, oſtendimus id de retibus piſcatorum eſſe intelligendum. Debet autem eſſe linum optimum, λίνον λεπτὸν *linum tenue* & tenax, nam quo tenuius & ſubtilius eſt, eo ſubtilius netur, & multiplici filo facilius contorquetur, ut retia fierent firmiora, quod ſupra ex Plinio & aliis oſtendimus. Et quamvis retia etiam fiant ex cannabe, ut tradit Grotius, linum tamen tenue magis aptum eſt. Septuaginta ſane tam emunctæ naris non fuerunt, ut apud Eſaiam ſericum olfacerent. Ideo non habent *σηρικὸν*, quam vocem abſque ſtudio ponere potuiſſent, ſi tale quid credidiſſent, cum nulla vox illis familiarior fuerit, ſed λίνον σχιστὸν, *Linum diviſum*, ſcilicet quia bene depexum eſt; quo enim magis & ſubtiliori pectine pectitur, eo filamenta ejus magis ſeperantur, dividuntur, & eo ſubilius fit. Quicquid eſt, illi nihil agnoverunt præter *linum*. Bene itaque & accurate vulgatus: *Qui operantur linum, plectentes* (forſan

ſcribendum eſt *pectentes*) *& texentes ſubtilia* Bene & Belgæ : **De werkers in fijn flas:** *qui operantur in lino tenui.* Sed omnium optime Lutherus, quamvis alias ſæpiſſime ſibi imponi patiatur a Græcis : Die da gute garn wircken / Vnd netze ſtricken. Hæc a Chaldæo didiciſse potuit; Sic enim ille: ויבהתון פלחי כתנא דסריקין ומחן מניה מצדן *Et pudefient facientes linum pexum , & texentes ex eo retia.* Optime etiam Doctiſſimus Buxtorfius mentem emendavit, in ſuis Concordantiis, & Lexico Chaldaico-Rabinico, ut alibi, ſed *ſelecta vel pectinata lina* expoſuit. Tandem igitur colligo, illud שריקות apud Eſaiam non eſse Sericum, ſed linum optime pexum & carminatum, retibus conficiendis aptiſſimum, ut nec ex hoc loco probari poſſit, ſericum fuiſse notum & in uſu apud Hebræos, tempore prophetarum.

CXXI. Tertius occurrit locus in Veteri Teſtamento, ex quo, ſericum in uſu fuiſse apud antiquos Hebræos, jam inde a temporibus Salomonis, conantur probare. Locus extat primo libro Regum capite decimo, commate Vigeſimo octavo. ומוצא הסוסים אשר לשלמה ממצרים ומקוה סחרי המלך יקחו מקוה במחיר׃ Hæc verba ſic tranſtulit Vulgatus, & Hieronymus: *Et educebantur equi Salomonis de Ægypto & de Coa. Negotiatores enim Regis emebant de Coa.* Eadem verba repetuntur II Chron. capite I. verſu XVI. Niſi quod ibi מקוא ſcribatur cum א. Sed literæ אהוי מתחלפים *Permutantur*, ut ad locum iſtum notat Kimchius. Quid negotiatores Regis emebant de Coa? *Sericum*; nam in iſta Inſula fiebat. Videtur igitur vulgatus credidiſſe, jam tempore Salomonis, ſericum Hebræis notum & in uſu fuiſſe, atque de Coa eis advectum fuiſse. Κω Inſula eſt Aſiatica Cariam contra, patria Medicorum Dei Hippocratis. *Coos*, ait Iſidorus *libro* XIV. *Orig. capite* VI. *Inſula adjacens Provinciæ Atticæ, in qua Hippocrates Medicus natus eſt.* Errat tamen Iſidorus ſi putat Coon Atticam Inſulam eſſe, cum revera ſit Aſiatica. Sed fortaſſis vitium eſt librariorum, & ſcribendum *Aſiaticæ*, pro *Atticæ*, levi mutatione. Hic error tamen & alios doctiſſimos viros in errorem induxit, ut putarent *Coon* Græcam & Europeam Inſulam eſse. Ideo confundunt Inſulam *Coam* cum *Cea*; quod fecit Lipſius ad *librum* II. *Annalium Taciti*, ut ſupra demonſtravimus. Sed & Salmaſius ipſe hic manes ſuos paſſus eſt, in Inſcriptione Herodis, ubi *Simonidem* Coum facit, & *Coam* Inſulam confundit cum *Cea* quaſi una eademque eſſet, cum tamen toto cœlo

cœlo diſtent; Hæc ſcilicet Europea eſt circa Eubœam; illa Aſiatica, prope Cariam, uti jam obſervatum eſt a docto Literatore Iſaaco Voſſio, ad Pomponium Melam. Error forſan inde ortus, quod in Plinio quoque male ſcribatur *Cea* pro *Coa. libro* xi. *cap.* xxii. In hac inſula ars & ratio ſericum conficiendi & texendi notiſſima fuit, & inventa a Phamphila Latoi filia, ut docet Ariſtoteles, *libro* v. *Animal. cap.* xix. Et Plinius *libro* xi. *cap.* xxi. videatur etiam *caput* xxiii. quæ loca ſupra jam allegavimus. Idem docet Iſidorus *Originum libro* xiv. *cap.* vi. *Coos Inſula &c. eſt, quæ, ut Varro teſtis eſt, arte lanificii prima in ornamenta fœminarum inclaruit.* Et *libro* xix. *cap.* xxii. *Bombycina eſt a bombyce vermiculo, qui longiſſima ex ſe fila generat, quorum textura bombycinum dicitur, conficiturque in Inſula Coa.* Huc plerumque referunt auctores iſta omnia quæ de veſte Coa decantantur a Poetis. Tibullus *lib.* ii. *Eleg.* vi.

Illa gerat veſtes tenues, quæ fœmina Coa
Texuit.

Propertius *lib.* ii. *ad Mecænatem*

Sive togis illam fulgentem incedere Cois,
Hoc totum a Coa veſte volumen erit

Ovid. *lib.* ii. *de Arte Amandi*

Sive erit in Cois, Coa placere puta.

Horatius *Sat.* ii.

Ut nudam. ---- Coas tibi pæne videre eſt.

CXXII. Poſſet quidem aliquis dubitare, utrum auctores iſti de ſerico loquantur omnes, an non etiam de pannis, aut veſtibus ex lana? Plurima pars auctorum id quidem de ſerico intelligunt. Nihilominus videtur etiam de lana poſſe intelligi. Sane Iſidorus ex Varrone de *Lanificio* videtur intelligere. *Libro* xv. *cap.* vi. *Coos Inſula* &c. *eſt quæ ut Varro teſtis eſt arte lanificii prima in ornamentum fœminarum inclaruit.* Varro aut de pannis ex lana tantum loquitur, aut per lanificium intelligit etiam artem conficiendi ſericum. Fortaſſis utrumque ibi viguit, ſolet enim ars artem trahere in urbibus mercatura celebribus: Ita tamen ut forte lanificium vetuſtius fuerit, quam ars ſericum conficiendi, in Inſula Coa, quod demonſtratu non impoſſibile credo. Hanc Inſulam *Coam* ab Hebræo קו dici, multis argumentis eruditiſſime probavit Bochartus in *Phœnicia libro* i. *capite* vii. קו Hebræis eſt *filum*, ut Eſaiæ lv.

vi.

VI. Chaldæus habet קוין רעכוביתא *fila araneorum.* Et apud talmudicos קיואין ſunt *textores.* Atque ſic Inſula Κω, *Co,* ſive קו dicta eſt quaſi a *filo,* & arte textorum, aut lanificio, quod ibi maxime claruit. Videtur igitur vulgatus ſuum *de Coa* feciſſe ex verbo מקוה, quaſi duæ eſſent voces, ita ut מ eſſet una ex litteris בכלם, id eſt præpoſitio מן *Ex,* non vero littera *haemantica,* aut radicalis, & קוה vel Κῶ Inſula *Coa:* ut מקוה ſit quaſi מן קוה *ex Coa.* Cum igitur ſericum maxime *in inſula Coa* confici crederetur, mirum non eſſet, ſi quis colligeret ſericum Salomoni inde allatum fuiſſe, ſi interpretatio vulgati vera eſt. Sed vehementer erravit vulgatus, & quicunque eum ſequuntur. מקוה enim non eſſe duas voces מן קוה dignoſcere potuiſſet ſi puncta inſpexiſſet, modo punctata tunc Biblia habuerint, de quo jam non diſputo. Nam nullum Dageſch reperitur in littera ק ad compenſandum ן eliſum, quod leges punctorum requirunt. Deinde Salomonis temporibus Inſulam iſtam notam fuiſſe ſub nomine Κω, & קו, veriſimile non eſt, cum antiquitus Κώων πόλις Ἀστυπάλαια *urbs Coorum Aſtypalæa* diceretur, teſte Srabone *libro* XIV. & Stephano *de Urbibus.* Si tamen verum eſt ita dictam fuiſſe a קו *filo* aut arte texendi & ſericum præparandi, id factum fuit tantum a temporibus Pamphilæ Latoi filiæ, quæ iſtam artem ibi invenit. Sed Latoum vixiſſe ante Salomonem vix credo. Ante tempora Ariſtotelis vixiſſe, certum eſt; ſed ante Salamonem, nuſquam reperio. Græci hanc vocem מקוה etiam ſumpſerunt pro urbe aut Regione aliqua, ſ[illegible] plane aliter videntur legiſſe, ac vulgatus, & aliter quam in [illegible]bræo, nempe תקוא pro מקוה, habent enim Ἐκ θεκȣὲ: quod [illegible]ror magnum Criticum Capellum non animadvertiſſe. Quam tamen non neſciam, quoſdam codices habere Ἐκ κȣὲ, vel ἐξ [illegible] etſi nec hoc *Coon* ſignificet, cum *Co* Græcis non ſit Κȣ̀ς nec Ἐκȣὲ ſed Κω. מקוה pro loco etiam ſumptum videtur a Syro, qui habet ܘܡܢ ܡܕܝܢܬܐ ܐܦܠܝܐ *Et Ex Provinca Aphelia.* quæ videtur Ægypti pars ἀφηλιῶτις vel ἀπηλιῶτις. unde ventus ἀπηλιώτης, qui flat ab ortu æquinoctiali, quaſi מקוה eſſet מקו *a linea* æquinoctiali. De quo vide Bochartum *de Animal. lib.* II. *cap.* IX. Sed male vulgatus Syrus & Græci, cum nomen loci non fuerit, ut non ſit legendum: nec *De Coa,* nec Ἐκ θηκȣὲ aut ἐκ Κȣὲ, ſed mercem aliquam ſignificare non dubito.

Et urbs vel קויאקויא Arabibus dicta metropolis Abexiae vide Geogr. Nub:

CXXIII.

CXXIII. Melius Lutherus Wahre / *merces*. Nondum tamen exprimit quales merces fuerint. Jarchius מקוה pro multitudine equorum ſumit. מקוה, inquit, אסיפת סוסים במצרים וקורין לו בלשון אשכנז שטוטא Mikveh, *Congregatio eſt equorum in Ægypto, quam Germanice* Ein ſtut *vocant*. Ein ſtut Germanis eſt multitudo equorum, ubi alter alterius caudæ fune alligatur, quemadmodum hodie videre eſt in nundinis equorum, quum magna copia ad forum, & inde alio deducuntur. Kimchius idem videtur intelligere ad ſecundum librum Chron. cap, I. verſu XVI. מקוה לשון קבוץ Mikveh *ſignificat congregationem*. Et revera collectionem notat, ut & Exodi VII. XIX. מקוה מים *Collectio aquarum*. ad I Reg. cap. x. tamen aliter accipit. Senſus igitur horum verborum erit: *Et eduxit equos Salomoni ex Ægypto, & quidem multitudinem per mercatores Regis*. Celeberrimus Bochartus *de Animalibus lib.* II. *cap.* IX, מקוה pro *collectione* & pro *vectigali* putat poſſe accipi hoc loco, ſimul pro ſocietate mercatorum: ita ut Hebræum מקוה credat idem eſſe, quod Chaldæum מגביתא, Chaldæis enim גבא idem ſignificat, quod Hebræis קוה *colligere*; atque ſic מגביתא & מקוה *collectionem* ſcilicet *tributi* ſignificare. Itaque ſenſus talis eſſet, *Et eduxit equos Salomoni ex Ægypto, & vectigal* quod atttinet, *mercatores Regis vectigal* illud *accipiebant pretio* redemptum a Rege Ægypti. Hæc etiam videtur eſſe ſententia Jarchii ad I Reg. cap. x. Saltem ille accipit מקוה quod prius occurrit, pro ſocietate mercatorum, ideo notatum animadvertit accentu *Sakeph Gadol*, quia vox ſtat per ſe, nec alteri jungitur.

CXXIV. Merces hic intelligi per מקוה non dubito, ſed non ...pas, multo minus ſericum, aut æquorum multitudinem, ſed ali..., nempe Ægyptiacam, quæ inde adducebatur cum equis, *linum*, ..., ſive *netum* ex lino. Sane id ſignificat vox מקוה & חקוה ut videre eſt Joſ, II. XXI. Job. VII. VI. Optime quod Equi & netum jungantur, & Salomoni ex Ægypto adduci dicantur, nam utrumque ferebat Ægyptus. De optimis equis conſtat ex ſecundo libro Regum cap. XVIII. verſu XXIV. *Equi Ægyptiorum ſunt caro, & non ſpiritus*. Ideo Deus: *Væ illis, qui deſcendunt in Ægyptum ad auxilium, & innituntur equis, & equitibus, cum ſunt numeroſi valde*. Sic Sedekias Rex equos per legatos petiit ab Ægyptiis. Thebas, quæ Ægyptia urbs fuit, equis abundaſſe teſtatur Homerus *Iliad.* I.

> Αἱθ' ἑκατόμπυλοί εἰσι, διηκόσιον δ' ἀν' ἑκάστην
> Ἀνέρες ἐξοιχνεῦσι σὺν ἵπποισιν, καὶ ὄχεσφιν.

His ſolido portæ ſunt centum ex ære, viroſque
Curribus inſignes, & equis, dat quaque ducenos,

Diodorus *libro* I. narrat ex relatu aliorum, ex ſolis illis Thebis, ad bella exiiſſe διςμύρια ἅρματα *viginti millia curruum*. Apud Apollonii Scholiaſten *Xenagoras* Chronologus tradit: ἵππους τοὺς Αἰγυπτίους ἀρχαιοτάτους γεγονέναι, *Ægyptios equos antiquiſſimos eſſe*. (modo legendum ſit ἵππους, non, ut alii habent, ἵππυς. Senſus enim prorſus alius eſſet, nempe *Hippum* hiſtoricum cum Xenagora aliiſque tradidiſſe: Ægyptios homines eſſe antiquiſſimos) Apud eundem Scholiaſten legimus: Σεσογχωσίδα πρῶτον εὑρεκέναι ἵππων ἄνθρωπον ἐπιβαίνειν, οἱ δὲ ταῦτα εἰς Ὧρον ἀναφέρουσι. Seſonchoſidem *primum inveniſſe equum conſcendere, quamvis alii ad Oron referant*. Sed Ægyptum, vel inde a temporibus Moſis equis abundaſſe, & hoc nomine apud omnes populos ſemper celebrem fuiſſe, atque in hoc, ut & in aliis rebus multis, Hollandiæ ſimilem fuiſſe, quamvis tandem apud eos equitatus in deſuetudinem abierit, tota Ægypto jam facta inacceſſa equitatui, quemadmodum apud Batavos, fuſius explicavimus in noſtra *Hiſtoria Gelrica*, quam ſermone Gallico conſcripſimus, & quæ lucem vedebit, quam primum Deo pacis ita viſum fuerit.

CXXV. Sed ut Ægyptus equis abundabat, ita & lini feracis erat, & optimi quidem & pretioſiſſimi, unde veſtes ſacerdotal omnis byſſus quæ in ſanctuario adhibebatur. Hæc jam plus ſatis probavimus duobus capitibus præcedentibus. Et quemadmodum optimi equi educebantur ex Ægypto, ſic etiam pretioſiſſimum linum, aut lini netum. Sunt ex Hebræorum Interpretibus, qui מקוה non quidem *netum* exponunt, ſed שש aut *byſſum* ex filo, aut neto Ægyptiaco. Hujuſmodi ergo netum aut byſſus Salomoni aſportabatur ex Ægypto: quemadmodum & equi inde educebantur, unde magnus quæſtus Salomoni per mercatores ejus acceſſit. Salomon enim ita cum Pharaone Ægypti Rege convenerat, ut ſibi ſoli jus eſſet equos & netum inde deducendi, quod jus certo pretio aquiſiverat, equos autem illos & netum is deinde ſolus per ſuos mercatores divendebat cæteris populis, quo factum ut magnas corraſerit divitias. Sane de neto intelligit Kimchius חוט הפשתן כי הוא המשובח בארץ מצרים *Eſt filum* ſive netum *lini, quod in Ægypto eſſet pretioſiſſimum*. Et Doctor Levi Gerſomius, de veſtibus byſſinis exponit: בגדי שש, inquit, כן הקוה יקרא שהחוט כי כמו יקרא הנארג מהחוטים מקוה והנה היו במצרים בגדי פשתן חשובים מאד כמו שנתפרסם *Sunt veſtes byſſinæ, nam quemadmodum filum dicitur* Thikveh,

veh, *ſic & id quod ejuſmodi filis textum eſt*, Mikveh *vocatur. Erant autem in Ægypto veſtes lineæ pretioſiſſimæ quemadmodum conſtat.* Plura addit de equorum & byſſi mercatura in Ægypto, & de jure habendi equos, & veſtes byſſinas geſtandi inter Judæos, quæ brevitati ſtudens non addo. Legat qui volet. Chaldæus plane in eadem fuit ſententia, ideo vocem מקוה retinuit, cum idem ſignificet, quod apud Hebræos, nempe *netum.* תגרי מלכא זבנון מקוה בדמין *Et Mercatores Regis emerunt netum pro pecunia.* Belgæ, **De Koop-lieden des Koninx namen het Linne-gaeren voor den Prys.** Significantius dici poſſit: **voor een geſtelden prys.** Ad clariorem intelligentiam horum verborum, hic notatum velim, videri certum aliquod pretium conſtitutum fuiſſe pro neto, non pro equis; quod facile fieri poterat, cum optimum linum ejuſdem pretii fuerit: pro equis autem tale pretium ſtatui non poterat, cum proculdubio alter alteri multum anteferendus fuerit. Ideo in ſacro textu tam expreſſe hæc verba adduntur: סחרי מלך יקחו מקוה במחיר *Et Mercatores Regis acceperunt*, ſive *emerunt netum pro pretio*; id eſt, certo aliquo pretio noto, prout ante cum Rege conventum fuerat. Hic ergo erit ſenſus integer iſtorum verborum, mea quidem ſententia, *Et educebant Salomoni equos ex Ægypto, & netum*: Et quidem quod ad *netum attinet, mercatores Regis, illud emebant pro* con[illegible] *pretio*, de quo jam conventum fuerat cum Rege. Nihil itaque de *Co*, aut ſerico temporibns Salomonis ex hoc loco erui poteſt.

CXXVI. Sic manifeſto patet, in toto U Teſtamento ſericum non reperiri, ideoque non eſse veriſimile, in uſu fuiſse tempore Prophetarum, multo minus tempore Aharonis, ut in cultu Pontificum adhiberetur. Sane ſi Maimonidæ credendum, facile autem ipſi aſsentiar, Scriptura nunquam mentionem facit, cum de Re Veſtiaria eſt quæſtio, quam de lino & lana tantum, *Hilch. Zizith cap.* III. בכל בגדים האמורים בתורה כתם אינם אלא צמר ופשתים בלבד: *Ubicunque Scriptura loquitur de veſtibus abſolute, intelligi debet lana & linum tantum.* Nec ſilentio prætereundem cenſeo, quoties de ſummo luxu in veſtitu, in aulæis & aliis rebus fit mentio, auctores ſacros tantummodo memorare lanam & linum, *purpuram* ſcilicet & *byſſum*, quod patet vel ex ſolo loco Eſteræ, capite primo, commate octavo, ubi de ornatu vere Regio, & pæne inaudito, tamen nullius ſerici fit mentio, ſed tantum:

תכלת׳ ארגמן׳ ובוץ *hyacinthi, purpuræ* & *byſſi.* Et capite octavo commate xvi. Mordecai veſtitus dicitur veſtibus Regis, nihilominus textus non meminit niſi הכלת חור ובוץ *hyacinthi, albi & byſſi.* Nihil enim pretioſius fuit lana purpurea, & byſso: hæc enim per תכלת׳ ארגמן׳ ובוץ ſignificantur, ut ſupra ſatis fuſe oſtendimus. Digna obſervatu eſt traditio Talmudicorum, *Maſſechet Peſachim fol.* cix. a, ubi ad mulierum luxum, quando ſcilicet ſumptuoſiſſime veſtiuntur diebus feſtis, præſertim die Paſſchatis, nullo ornatu neglecto, quaſi Belgice diceres, **op ſijn beſt Paeſchpronck**/ nihil fere requiritur quam byſsus. De ſerico altum eſt ſilentium. ת״ר חייב אדם לשמח בניו ובני ביתו ברגל שנ׳ ושמחת בחגך במה משמחים ביין ר׳ יהודה אומר אנשים בראוי להן ונשים בראוי להן אנשים בראוי להן ביין ונשים במאי תני רב יוסף בבבל בבגדי צבעונין בא״י בבגדי פשתן מגוהצין: *Docent Doctores noſtri: Debet homo exhilarare filios ſuos, & filios familiæ ſuæ diebus feſtis, ut ſcriptum eſt:* (Deuteron. xvi. xiv.) Et lætaberis in feſto tuo. *Sed quibus rebus lætabitur? Vino. Doctor Iehudah dicit, viri, eo quod viros decet & mulieres, eo quod decet mulieres. Viros decet vino exhilarari; Mulieres autem quanam re? Doctor Ioſeph dicit: Babyloniæ veſtibus coloratis, & in Terra Iſraelis veſtibus lineis dealbatis.* Toſephot hoc tantum vult intelligi poſt Templum deſtructum, non vero ſtante adhuc ſanctuario, cum tunc temporis viri carne magis lætarentur, quam vino. Quamvis etiam temporibus antiquiſſimis, verpuli ſeſe aliquando vino pluſculum invitaverint. אבל בזמן הזה, inquit, בזמן בית המקדש אין שמחו אלא בבשר: *Hoc quidem tempore, ſed temporibus Sanctuarii non lætabantur niſi carne.* Sed quocunque tempore ſumas, mirum eſset in ſummo hoc ornatu, ſerici, quod alias in ornamentum fœminarum excogitatum fuit, ut ait Plinius, nullam fieri mentionem, ſi apud Hebræos in uſu fuiſset tempore Prophetarum. Sed temporibus Chriſti, etſi non auſim adfirmare, ſericum prorſus nullum uſum habuiſſe apud Judæos, tamen adhuc valde rarum ſuiſse credo, quod probari poſse puto ex Parabola Chriſti de divite iſto Epulone, qui ut lautus fuit in victu, ita & ſplendidus in veſtitu, tamen aliter veſtitus a Salvatore non dicitur, quam πορφύραν ϗ βύσσον *purpuram & byſſum*, id eſt Hebraice שש וארגמן quæ *lanam & linum* tantum ſignificare, toties jam a nobis repetitum eſt. Ideo Syrus בוצא וארגונא. Lucæ xvi. com. xix. Si ſerico veſtitus fuiſset proculdubio σηρικὸν ſcripſiſſet Lucas, non πορφύραν, ſed eo non indutus fuit, quod non valde uſitatum tunc temporis apud Hebræos fuerit.

CXXVII.

CXXVII. Imprimis etiam notandum eſt, omnes voces *illas*, quibus Rabbini ſericum exprimere ſolent, Græcas eſse, quales ſunt שיראה׳ מטכסא & סיריקון. Quis non videt שיראה eſsé ipſiſſimum *σὴρ* vel *σῆρα*, hac enim voce uti ſolent Græci, ut vermes ſericum nentes exprimerent. Hinc apud Pauſaniam *σῆρες γὰρ οἱ σκώληκες*. Et alii *σῆρας Ἰνδικοὺς* habent. In Talmude Hieroſolymitano, Gemara *Maſſechet Kilaim cap.* IX. *Miſna* II. השיריים explicatur per מטכסה, *Metaxa* idem eſt quod שיראה. Sed metaxam ſericum eſse mox patebit. Gemarici Bab. *Maſſechet fol.* xx. b. כלך explicant per שירא. Sed & כלך ſericum eſse contendunt. Jarchius ad hunc locum & Sotah. cap. IX. fol. XLVIII. שירא dicit eſse מין משי *ſpeciem ſerici.* Sed ante omnia obſervari debet locus Apocalypſeos capite decimo octavo verſu duodecimo. Ubi *S*yrus Græcum *σερικὸν* vertit ܫܝܪܝܐ שיריא. Idem judicium eſto de מטכסא. Hanc vocem Græcam eſse nemo neſcit, niſi qui in Græcis plane perigrinus eſt. Eſt enim id ipſum *μέταξα*. Ideo & alibi integrum ſcribuntur מטכסא & מטכסין. Sed *μέταξαν* ſericum eſſe doctiſſime demonſtravit Magnus Salmaſius, in ſuis notis *ad Tertulliani Pallium* & ad *Scriptores Hiſt. Aug.* Verum quidem eſt, ut docet *S*almaſius *ad Capitolinum*, *in vita Pertinacis*, & ad *Flavium Vopiſcum*, *in vita Aureliani*, apud vetuſtiores Græcos nihil aliud ſignificaſſe quam omne filum ſubtemen, ſed poſterioribus pro ſerico uſurpatum fuiſse. Optime quidem Salmaſius; nam ſi originem ſpectes, apparet *μέταξαν* dici quaſi *μετάταξιν*, aut *μετατακτὸν*, rem ordine diſpoſitam, a verbo *τάσσω* & *τάξις*, cum in ſtamine aut ſubtemine fila pulcherrimo ordine diſponantur. Inde etiam vox Rabinica טכס *ordine diſponere.* Hinc forſan Latinis *ordire* quod Iſidoro *texere* ſignificat, fortaſſis eſt *ſtamen ordinare*. Credibile eſt *ordire* veniſse ab *ordine*, non minus ac *ordinare*. Tandem vero uſus voluit, ut omne filum ſericum, & pannus ſericus *μέταξα* diceretur quemadmodum nunc *πήνη* ſive pannus ſumitur pro texto integro, ex ſtamine & ſubtemine, & hodie per *πήνην* Græci *ſericum* intelligunt, quamvis antiquitus *tramam* tantum ſignificarit. Sed ut *μέταξα* Græcis *ſericum* ſignificat, ita & Hebræis. Ideo Hebræorum Gloſſæ in Talmude מטכסא exponunt per משי *ſericum*, & quidem מן המובחר & משובח *optimum.*

CXXVIII. Sericum Judæorum ſapientes etiam vocant סיריקון, quod plurimis in locis Gemaræ occurrit. Videatur imprimis *Maſſeche*

Schabath cap. II. *fol.* XX. & *Chagiga fol.* XVI. Sed & iſtam vocem Græcam, & quidem *αὐτότατον σηρικὸν* eſſe, ſupra jam demonſtravimus. Omnes itaque illæ voces, & שיראה & מטכסא & סריקון Græcæ ſunt *σῆρες, μέταξα* & *σηρικόν*. Proculdubio quod ſericum ſub Imperio Romanorum aut Græcorum, ipſis demum innotuerit, ut voces ſimul cum re didicerint. Occurrit prætera vox כלך *Maſſechet Schabbath capite ſecundo*, & *Kilaim cap.* IX. Hac voce Gemara quidem & aliæ gloſſæ etiam ſericum volunt. Sed non omnes conſentiunt. *Sunt* enim, ut ait *Baal Aruch*: מפרשים כלך פסולת של משי אותן קליפות שנאמרו מן המשי שמוציאין התולעין ואין נוחין לטוות : *qui interpretantur* כלך *ſtupam ſerici aut cortices, ex quibus erumpunt bombyces, ſunt autem ad nendum inepti.* Idem docet Jarchius ad *Maſſechet Schabbath. cap.* II. ubi vocem גושקרא qua Gemarici כלך exponunt, dicit eſſe ſtupam ſerici פוסלת של משי inquit, העשוי ככובעים והוא בית התולעת וקורין לו פולוי״ול ונופצים אותו וטוין ועושין אותו ממנו בגד : *Eſt immundities ſive ſtupa ſerici, inſtar galearum, ſuntque nidi bombycum, quos vocant pulviel. Eos excutiunt, nent, & veſtes inde conficiunt.* Idem videtur eſſe ac hodie noſtrum *fileſel.* Hoc puto intelligere Jarchium (ut & hoc obiter notem) per ſuum פולוי״ול, in quo mendum ſuſpicor, & ſcribendum eſſe פילזי״יל levi mutatione *filſel* a filamentis. Quid enim *pulvel* aut *pulviel* ſignificet, fateor me neſcire. Sed nec hoc quidem puto Miſnam intellexiſſe per ſuum כלך, mirum utique eſſet, ſericum ipſum non fuiſſe prohibitum. Niſi quis dicat, mentionem de ipſo ſerico Miſnam quidem non feciſſe, quod optime noverit, id eſſe pretioſiſſimum & auro contra venire, ideo homines eo non facile abuſuros in conficiendis elychniis ad lucernam Sabbathicam; quod de ſtupa ſerici præſumi non potuit: cum tanti pretii non fuerit. כלך tamen Miſnæ non eſſe ſericum ſed *pinnam, τὸ πιννικὸν ἔριον*, ſive *πιννικὸν, lanam marinam*, docet Maimonides *Hilch: Kilaim cap.* XI. quem locum ſupra jam allegavimus capite quinto.

CXXIX. Si tamen verpulis credamus, ſericum ab omni ævo inter Judæos fuit notum, uſumque habuit in Re veſtiaria. Gemarici in *Chagiga cap.* II. *fol.* XVI. *b.* Menachem tradunt; cum octoginta paribus diſcipulorum ſerico veſtitum fuiſse. יצא מנחם לעבור המלך ויצאו עמו שמונים זוגות תלמידים לבושין סיריקון : *Exivit Menachem ut miniſtraret Regi, & exiverunt cum eo octoginta pares diſcipulorum, veſtiti ſericum.* Nota hunc Menachem vixiſse circa tempora

pora Hillelis, id eſt circa tempora Chriſti, aut initium imperii Auguſti. Has veſtes Jarchius ad iſtum locum בגדי מלכות *veſtes Regias* dicit, quippe quod ſericum rarum & cariſſimum ſuerit tunc tempris. Ipſas veſtes Aſsueri, de quibus libro Eſter Cap. I. VIII. Et VI. VIII. IX. X. Et VIII. XV. ex ſerico fuiſse docet utrumque Targum; nam quas Textus Hebræus vocat ארגמן Cap. I. VI. Targum מטכסין id eſt *ſericas*; aut potius: מטכסין צביען בארגוונא *metaxam ſive ſericum purpura infectum.* Sed audiamus Targum Scheni Capite ſexto verſ. x. ואמר מלכא להמן סרהיב ושיל לבית גנזי רמלכא וסב מתמן חד מן כיסויא דארגיונא טבין וסב מתמן לבושא שיראה טבא פרגינן דמטכס באבנין טבין ומרגליין ותלין בארבע קרנתיה דידיה וזגא דדהבא ורימונא לכל רוחא ורוחא׃

Et dixit Rex Hamani, Abi cito ad Theſaurum Regium, & accipe inde unum ex tegumentis purpureis optimis, & accipe inde veſtes ſericas optimas peraginas (lege parnadinas) *Et Metaxam cum lapidibus pretioſis, margaritis appenſis in quatuor angulis ejus, & tintinabulis aureis & malogranatis undique appenſis.* Sericum pretioſiſſimum, immo pretioſius quam hodiernum jam in uſu fuiſse delicatulis Judæis, ſtante Templo primo tradunt Gemarici, *Maſſechet Sotah. Capite* XI. *fol.* XLIX. משחרב מקדש ראשון בטל שירא פרנדא׃ *Ex quo vaſtatum fuit Templum primum, deſiit ſericum Parnadinum. Parnadinum* eſt ſericum optimum, ut patet ex Gemara Schabbath. CII. Ubi de כלך doctores dicunt: אנן שירא פרנדא קרינא ליה *Nos id vocamus ſericum Parnadinum.* Ita quoque legendum eſt in Targum Scheni, loco modo citato, פרנדא non vero פרגינן. Sed Toſephot jure difficultatem movet Gemaricis ad Maſsechet Schabbath; Quomodo optimum ſericum Parnadinum dici potuerit tunc temporis, cum Parnadium jam ſub Templo ſecundo non amplius exſtiterit, ut ex *capite* IX. *Codice Sotah* patet? Quem nodum ſuo modo tamen conatur ſolvere, dicendo nondum plane deperditum fuiſse.

CXXX. Quid? Jam temporibus Abrahami ſericum fuiſſe in uſu apud Ægyptios, docet Berſchit Rabbah, Paraſcha XL. א״ל מטכסין את טעין *Dixerunt illi, tu portas metaxam.* Sed quia fabula ſatis lepipa eſt, & fortaſſis digna ut pureis in cunis vagientibus aliquando præcinatur, lubet integram tranſcribere. ויהי כבוא אברהם מצרימה ויראו מצרים ושרה היכן היה התנה בתיבה ונעל בפניה כיון דמטא למכסא אמרין ליה הב מכסא אמר אנא יהיב מכסא׃ אמרין ליה מאנין את טעין אמר אנא יהיב דמאנין א״ל דהב את טעין אמרו אנא יהיב דמי דדהב א״ל מטכסין את טעין אמר דמטכסין אנא

אנא יהיבי מרגלין את טעין אמר אנא יהיב דמרגלין׳ אמרין ליה לא אפשרי אלא דפתחת ותמית לן מה בגוה׳ כיין שפתחה הבהיקה כל ארץ מצרים מזיוה : *Accidit cum Abraham in Ægyptum proficiſceretur, ut eum viderent Ægyptii. At ubi erat Sarah? Repoſita erat in arca recluſa. Quum accederet ad Telonem dixerunt ei da veſtigal. Reſpondit* (Abraham) *ego dabo vectigal. Dixerunt ei veſtimenta portas; Reſpondit dabo de veſtimentis. Dixerunt ei aurum portas; Reſpondit ſolvam de auro. Dixerunt ei metaxam portas; Reſpondit ſolvam de metaxa. Dixerunt ei margaritas portas; Reſpondit ſolvam de margaritis. Dixerunt illi hoc fieri non poteſt, ſed aperi & oſtende nobis quid ſit in arca. Quum autem aperiretur* (arca) *ſplendebat tota terra Ægypti ex ſplendore ejus*, ſcilicet Saræ. En Saram ſtupenda pulcritudine egregie fulgentem, ut inſtar fulguris uno ictu totam Ægyptum ſuo fulgore repleret. En Saram in arca, inſtar horrendi alicujus monſtri, qnod hodie nobis ab Afris aut Indis viſendum advehitur, incluſam. Sed ecce etiam inter pretioſiſſimas merces *ſericum* ſive *metaxam*; adeo ut veſtimentis & auro pretioſius æſtimaretur; nam quaſi per gradus procedit: primum ad veſtimenta, deinde ad aurum, tandem ad metaxam, ſolis margatitis cedet. Interim vides ſericum in Aegypto inde a temporibus Abrahami notum fuiſſe. Sed nugæ nugaciſſimæ. *Sericum notum fuiſſe jam tempore Salomonis atque ad ejus ornatum fuiſſe adhibitum, fabulantur Mahumedani, in fabula,* De formicia cum Salomone ſermonem habente in ultimis foliis pſalterii M. S. *S. quod habetur in legato Scaligeri Bibliotheca Leydenſis; quam leget lector apud Iobum Ludolphum, in* Grammatica Aethiopica pag. IV. & V. *Aethiopicis ſimul & Arabicis literis.*

Quicquid magiſtri nugentur, ex illis quæ dicta ſunt, manifeſto patet, probari non poſse ſericum in uſu fuiſse apud Judæos, ſtante primo Templo, mnlto minus temporibus Aharonis, ut veſtibus ſacris adhiberetur. Ideoque ſericum nullam materiam præbuiſse veſtitui Hebræorum Pontificum, aut ſi factum fuerit, id accidiſse tantum ſub Templo ſecundo, Religione jam depravata, omnibus ſacris & profanis jam in deterius vergentibus.

CAP.

Caput IX.

De צמר Lana, ejusque variis generibus.

Thechelet, Argaman, *&* Tholaat Schani *non eſſe ſericum, ſed* צמר צבוע *lanam tinctam. Regula Talmudica. Balteus* Schaatnez. *Ex eadem lana, ex qua balteus, fiunt & cæteræ veſtes. Quid* Schaatnez? *Ioſephi ſententia. Locus Ezechielis* XLIV. XVII. *laudatus.* Lana *&* linum *antiquis notiſſimum. Toga Servii Tullii. Qualis lana hic intelligenda? Occaſio quæſtionis Abarbanel. Varia genera lanæ. Lana Camelorum. Veſtes Iohannis Baptiſtæ Matthæi* III. IV. *Verſio Syri. Utrum intelligendæ Camelorum villæ, an lana? Debere Lanam intelligi. Iudæa & vicina loca abundant Camelis. Panni ex lana Camelorum in uſu apud Iudæos. Error Caſauboni id negantis. Iohannes quo ſenſu pilis Camelorum veſtitus? Locuſtas, mel agreſte comediſſe & in deſerto prædicaſſe dicitur.* Ὀρεινὸν ἱμάτιον veſtimentum montanum *Polluci. Camelorum molliſſima lana in caſpio. In Arabia veſtes ex Camelorum lana. Arabes, more Iudæorum miſcent lanam Camelorum, cum pilis caprarum, aut lana ovilla.* كلة *Arabibus quid? Zambilotti ex pilis Camelorum. Veſtes Iohannis ex Camelorum lana, non molliori ſed craſſiori. Weſtphalorum* peye. *Hæc lana veſtibus Sacris inepta. Camelorum lana cum lino miſta non facit* Schaatnez. *Ethnicorum Sacerdotes veſtes habuere ex lana Camelorum. Lana Caprina. Ex illa veſtes apud Hebræos. Regula Talmudica de lana Caprarum. Lana Capræ quæ ab hirco & ove, aut ariete & capra progenitur. Caprarum lana alia craſſior, alia mollior.* שער *craſſior* נוצה flos, *mollior. Virgilius, Varro, Ariſtoteles laudati. Cilicia, ſive ſacci unde dicti. Plinius emendatus.* Syrtes *male pro* Syrias *aut* Scyrum. כביר I *Sam.* XIX. XIII. *quid? non* Hepar, *non* Uter, *non* Pulvinar, *non* Corium, *nec* Lagena, *ſed* Galericulus. Perruque. πλωίκη. *Cincinni & comarum Cirri ex Caprarum pilis apud antiquos. Ita & apud Luſitanas, Belgas & alias fœminas. Caprarum lana molliſſima & ſplendidiſſima. Bellunenſis* Merhaſi, *pro* Amerhazi: עמר עזא *Meſcha, Caprarum lana in*

Ægypto & alibi in Oriente pretioſiſſima. Locus Exodi xxv. ubi de caprarum lana ad uſum Tabernaculi explicatur. Germanice ein geiß / & Belgice een geit a voce עז. Chaldæi מעזי. Ejuſmodi lana ex Oriente nobis adfertur, ſed craſſior. Netum & filum ex iſta lana, magna copia. Camelot de Hollande. Keemelß haar. Zambelotti. Ejuſmodi capras olim vidimus prope Ultrajectum, in villa æquiſſimi mercatoris l' Epol. Geitenſtein quaſi Capreæ. Non niſi Caſtratæ ad nos mittuntur. Iſtarum caprarum brevis deſcriptio, a diſertiſſimo viro N. Colvio apud Amſtelodamenſes paſtore ad nos miſſa. Lana Caprarum ad veſtes ſacras inepta. Non tingitur Thechelet. nec ex ea fiunt Zizith, nec Schaatnez. Utrum lana arietum requiratur? Talmud Ieruſalem. Expoſitio loci II. Regum III. IV. Lana fœminarum, ſecundum quoſdam, mollior, Oviculæ conteguntur ad conſervandam lanæ munditiem. Sic & arietes. Lana ovilla ſola hiacynthino tingendo apta. Sola inficitur lepra. Sola ad Zizith adhibetur, per eam ſolam fit Schaatnez. Lana pretioſiſſima ad uſum ſacrum. Hodie molliſſima lana. Vigonia ex India Occidentali, & Perſia. Pilei mollioris Vigonii ex pilis caſtoris & ejuſmodi lana. Demicaſtors, ſubcaſtorei. Caſtors entiers Holocaſtorei. In lanificio optima Hiſpana. Leydenſes optimi panni ex lana Hiſpanica. Apud veteres lana Apula, Mileſia, Gallica, Tarentina, Altinates, & Selgica. In S. Scriptura celebratur Damaſcena. Locus Ezechielis xxvii. xviii. explicatus. Chaldæus Vinum coctum. Geſeuwerker wein. Ad libamina ineptum. Vinum Chelbon totius Syriæ præſtantiſſimum. Lana Mileſia omnium celeberrima. Miletum urbs Ioniæ. Optimæ Capræ ex Scyro. Oves ex Mileto. Mileſia Hebræis notiſſima. מלט & מילת. Omne genus lanæ pretioſæ Hebræis Mileſia dicitur, ut Cuprum, Chalybs, Sericum, Caricæ, Phaſiani, Aſturcones, ex Cypro, &c. dicuntur. Pallium Sinhar ex Mileſia. Chaldæus Eſteræ I. VI. Mileſiam memorat. Et Lament. II. XX. Sindones Mileſiæ. Veteres utebantur pannis ex lana molliſſima pro linteis. Trimalcio apud Petronium. In terra Sancta oves tegebantur veſte ob pretium lanæ ut alibi. Megarenſium ſtultitia. Eam ridet Diogenes. Oves die ſabbathi exire poſſunt cum veſte qua teguntur. Cur oves tegantur? Lana natura colorata tincturæ inepta, præſertim hiacynthina.

thina. In veſtitu ſacro adhiberi nequit. Alba requirebatur. Lanæ *alba in S. Scriptura ſæpe mentio. Apud Gentiles quidam ſacerdotes laneas veſtes gerere non poterant. Vallæ verſio Herodoti. Quidam ſæpius lana veſtiti erant.* Lanæ *ſuccidæ Cereris aræ porriciebantur.* Lapis *lana ſuccida velatus in Templo Apollinis. Deorum imagines lana veſtitæ. Caſpiorum Sacerdotes lana Camelorum veſtiti. Apud Romanos & alibi læna. Æneæ apud Virgilium. Servii explicatio. Varroni læna quid? Feſtus* χλαῖνον *putat. Iuvenalis Scholiaſtes. Cæſaris ut Pontificis Veſtis* πόρφυρα ἱερή. *Et* διβάφῳ *Sacerdotes veſtiebantur. Veſtales* purpura. Rica *Flaminicæ.* Laticlavia *Herculis Sacerdos. Severus* prætexta. L*ex Pontificis ſecundum* Livium. *Omnes illæ veſtes laneæ, Flaminibus lana peculiaris. Virga lanata in eorum pileis. Filum laneum. Hinc Servio* Flamines *quaſi* Filamines. *Arabum Sapientes* صوفي. *Cur ita dicantur?* صوف lana. *Hinc* Σοφὸς *&* אשף: Aſtrologus, Sapiens, Philoſophus, *&* Sacerdos. L*aniſicium in uſu tempore Moſis. Id Ægyptii Iſidi attribuunt. Tempore Ammonis a Mercurio fortuito reperta ratio lanam nendi.* Oſiris, Mizraim. Ammon, Cham. *Error Iuſtini qui lanificium Athenis attribuit.*

CXXXI. Ex his quæ jam dicta ſunt manifeſto conſtat תכלת ארגמן ותולעת שני non eſſe *ſericum*, ut *lanam* ſignificare neceſſario dicendum ſit. Ideoque iſta omnia, a doctiſſimis interpretibus, ſi paucos tantum excipias, dicuntur צמר צבוע *lana tincta*. Solus locus, jam toties a nobis laudatus, huic opinioni firmandæ ſufficiet: *Kilaim c.* IX. אין הכהנים לובשים לשמש כבית המקדש אלא צמר ופשתים: *Sacerdotes non veſtiuntur ad miniſtrandum in ſanctuario niſi lana & lino*, quæ pœne verbotenus repetuntur a Maimonide *Hilch. Kele Hammikd. Capite* VIII. Dubitandum non eſt, quin *Thechelet*, *Argaman*, & *Tholaath Schani*, in cæteris veſtibus Pontificis idem fuerit, quod in baltheo. Sed in balteo lanam fuiſſe tam manifeſtum eſt, quam quod manifeſtiſſimum, שעטנז enim erat, id eſt, duplicis materiæ. Sed apud magiſtros nihil reputatur pro *Schaatnez*, niſi quod conſtiterit ex lino & lana: ſcilicet אין אסור משום כלאים אלא צמר ופשתים: *Nihil pro veſte duplicis materiæ habendum eſt, quod eo nomine ſit prohibitum, niſi lana & linum.* Optime igitur Joſephus *libro* IV. *cap.* VIII. τὴν ἐξ ἐρίων καὶ λίνου στολὴν τοῖς ἱερεῦσι μόνοις ἀπεδείχεσθαι.

Veſtem ex lana & lino ſolis Sacerdotibus conceſſam eſſe. Sed hæc ſatis fuſe petractavimus ſupra capite v. Nec prætermittendum eſt, quod dicat Ezechiel xliv. xvii. *Et lana non aſcendet ſuper eos*, poſtquam dixerat, omnia veſtimenta debere eſſe *linea.* Ex quo facile colligi poteſt, veſtes Pontificis Maximi, ut die expiationum ex ſolo conſtabant lino, nulla lana admixta, ita cæteris diebus conſtitiſſe ex lana & lino; de Xylino, ſerico & ejuſmodi rebus, quæ alias in Re veſtiaria uſum ſuum habent, ne γρῦ quidem, eo quod omnibus notum fuerit, præter linum & lanam nihil uſum habuiſſe in veſtibus ſacris. Quid? Nonne Maimonides docet: ubicunque in ſacra Scriptura fit mentio de veſtibus, intelligendum eſſe linum & lanam? Et optimo quidem jure id dici poteſt, de temporibus Moſis; cum tunc temporis vix ulla alia materia fuerit. Quemadmodum linum vulgatiſſimum fuit, apud auctores profanos, ita & lana. Videantur vetuſtiſſimi ſcriptores. Homerus, Xenophon, Herodotus, Plautus, Virgilius, Ovidius, Plinius, tot alii. Ideo prætioſiſſimæ veſtes antiquorum Regum & principum ex lana factas fuiſſe docemur. Serv. Tull. Regis veſtis lanea erat, teſte Plinio, *lib.* viii. *Cap.* xlviii. *Lana cum colo & fuſo Tanaquillus, quæ eadem Caja Cæcilia vocata eſt, in Templo Sangi duraſſe prodente ſe auctor eſt M. Varro, factamque ab ea togam Regiam, undulatam in æde Fortunæ, qua Servius Tullius fuerat uſus.*

CXXXII. At quæritur hic cujuſnam generis fuerit lana iſta, ex qua conſtabant Summi Pontificis veſtimenta? Quæſtio quidem non eſt de voce lanæ, ut aliquando ſumitur apud Græcos & Romanos, cum non raro intelligant per lanam omne id quod ſpeciem aliquam lanæ præ ſe fert, nempe quod habet aliquam lanuginoſam naturam, ut ſericum & goſſypium, quæ ideo ſæpiſſime nomine lanæ veniunt: Sed de lana ita proprie dicta, quæ a beſtiis detondetur, & ad texturam lanificiumque apta eſt. Huic quæſtioni diſcutiendæ præſertim anſam dedit Abarbanel, ut ſupra innuimus in ſuis commentariis ſuper legem, ubi Scripturam per צמר intelligere עזים contendit, ut ſecundum ejus opinionem nulla lana adhibita fuerit ad ornatum Sacerdotii, præter lanam caprarum.

CXXXIII. Apud Hebræos varia memorantur lanarum genera. Et primo quidem lanam camelorum apud eos in uſu fuiſſe conſtat, ex Codice *Kilaim c.* ix ubi diſputatur, an & quouſque lana agnorum, ſi cum lana camelorum mixta eſſet, miſceri poſſet cum lino, ne pec-

peccaretur in legem de veſtibus duplicis materiæ non geſtandis. צמר גמלים וצמר רחלים שטרפן זה בזה אם רוב מן הגמלים מותר ואם רוב מן הרחלים אסור מחצה עם מחצה אסור וכן הפשתן והקנבס שטרפן זה בזה : *Lana Camelorum & lana agnorum, ſi mixtæ fuerint, ita ut plurima pars eſſet Camelorum, licitum erit,* (ſcilicet ut cum lino texeretur) *ſin plurima pars fuerit lana agnorum, vetitum. Si fuerit æqualis utriuſque quantitas, vetitum quoque erit. Idem ſtatuitur de lino & cannabe ſi miſceretur.* Idem docent *Maſſechet Negaim Capite* II. *Miſna* II. Et Maimonides *Hileh. Kilaim cap.* X. & טומאת צרעת *cap.* XIII. ubi fere totidem verbis eadem repetuntur. Ad tempora uſque Chriſti lanam Camelorum in uſu fuiſſe, videre eſt in veſtimentis Johannis Baptiſtæ, Matthæi Capite III. IV. Fuerunt enim ἀπὸ τριχῶν καμήλου *ex pilis Camelorum.* Hebræi dicerent צמר גמלים *ex lana Camelorum.* Syrus quidem habet ܕܣܥܪܐ ܕܓܡܠܐ *pilis Camelorum.* Hunc locum nonnulli ex interpretibus intelligunt de villis Camelorum, id eſt de pellibus, quibus pili adhærent, prout veteres, cum Hebræi, tum cæteræ gentes villoſas & hirſutas pelles geſtare ſolebant, de quibus Capite quinto fuſius diſputavimus. Cum nihil temere adfirmandum ſit, nolim pro certo ſtatuere, has veſtes Johannis fuiſſe ex ipſa lana Camelorum, non vero ex eorum pellibus. Tamen multo magis propendeo ad ſententiam illorum, qui putant veſtes illas revera fuiſſe, non ex pellibus, ſed ex pannis, qui e Camelorum pilis netis & textis conſtabant. Eo magis, cum tam expreſſe dicat textus, ἀπὸ τῶν τριχῶν *ex pilis,* non vero ἀπὸ τῶν δερμάτων *ex pellibus,* & cum manifeſto conſtet per auctores Talmudicos, lanam, ſive pilos Camelorum. apud Hebræos magnum uſum habuiſſe, in conficiendis pannis ad veſtitum. Quam magna fuerit copia Camelorum in Iudæa, & vicinis Regionibus, plus ſatis conſtat, cum ex ſacra Scriptura, ut Jobi cap. I. III. XLII. XII. Judic. VII. XII. tum ex profanis auctoribus, præſertim ex Ariſtotele, *Hiſtor. Animal. libro* IX. *cap.* L. Sed non attinet hæc jam dicere. Meridiana luce clarius eſt, pannos & veſtimenta ex pilis Camelorum apud Hebræos non fuiſſe inſolita. Ut non ſatis poſſim mirari hæc tam manifeſta, potuiſſe latere Magnum Caſaubonum in Exercitationibus ab Baronium, *Exercitat.* XIII. *anni* XXXI. ubi exſertis verbis dicit: *veſtem e pilis Camelorum in aliquo uſu fuiſſe apud Iudæos,*

nullo teſtimonio probari poſſe e Bibliis, aut alio ſcriptore veteri. Atque hinc colligi putat, veſtes Johannis Baptiſtæ non fuiſſe ex pilis Camelorum contextas, *nec ea, quæ de Iohanne narrantur, ad communem vitæ rationem poſſe revocari.* De veſtimentis ex pilis Camelorum conſtat, non tantum ex Evangeliſtis, ſed & ex Talmude, ea communem vitæ rationem tuliſſe.

CXXXIV. Idem dicendum eſt de ejus victu. Locuſtis enim veſcebatur, qui cibus ſatis communis in Judæa, non minus quam in Africa aliiſque Regionibus; ſed pauperibus tantum expetitus, ut etiam dubitari merito poſſit, utrum victus vocandus ſit. Hinc Talmudici, cum Reliquos cibos omnes precationibus conſecrari vellent, antequam iis veſcerentur, diſputant quibus precationibus utendum ſit circa locuſtas. *Maſſechet Berachot, Cap.* VI. Mel agreſte, aut ſylveſtre, alii etiam pauperiores comedebant, non minus quam ille. Tandem quod dicitur prædicaſſe in deſerto, id non debet intelligi, nec de loco ἀοικήτῳ *inhabitali.* nec de Regione Montana, ſed de quolibet pago Judææ extra urbem Jeruſalem, id enim ἔρημος, aut מדבר apud Hebræos ſignificat, quod ex plurimis locis, cum Scripturæ tum Talmudicis, ſatis manifeſto demonſtrari poteſt; ut præter officium, nihil de Johanne dictum fuerit, quod ipſi non fuerit commune cum reliquis Judæis tenuioris fortunæ, qui in agro extra urbem habitarunt. Fateor tamen veſtes illas optime conveniſſe patriæ Johannis, quæ erat Regio Montana; ut docet Matthæus Cap. primo. Montana ſiquidem loca rudes veſtes requirebant. Pollux *libro* VII. *Cap.* XIV. Τὸ δὲ ἀκναμπτον ἱμάτιον, ὀρεινὸν ἱμάτιον οἱ μέσοι κωμικοὶ, ὥσπερ ἐν ὄρει ἐργασμένον, ἤτοι ἐκναμμένον. *Veſtem autem non politam, veſtimentum Montanum vocant medii Comici, veluti in monte confectum, aut expolitum.*

CXXXV. Lana Camelorum textilia dedit ad amictum, non ſolum Judæis, ſed & aliis. Ælianus *Hiſtor. libro* XVII. *cap.* XXXIV. meminit in Caſpiis olim fuiſſe Camelos, ex quorum pilis molliſſimæ veſtes, non niſi delicatoribus, fiebant. Κάμηλοι, inquit, διαριθμοῦνται πλείους, αἱ μέγισται κατὰ τοὺς ἵππους τοὺς μεγίστους, εὔτριχες ἄγαν. ἁπαλαὶ γὰρ εἰσι σφόδρα αἱ τούτων τρίχες ὡς καὶ τοῖς μιλησίοις ἐρίοις ἀντικρίνεσθαι τὴν μαλακότητα. ἐσθὴς οὖν ἐκ τούτων οἱ ἱερεῖς. καὶ οἱ τῶν Κασπίων πλουσιώτατοί τε καὶ δυνατώτατοι. *Cameli* (in Caſpio) *magno numero reperiuntur, quorum maximi ad maximorum equorum magnitu-*

nitudinem accedunt. Optimos habent pilos; eorum enim villi ſunt valde molles, ut etiam Mileſiis lanis mollitie certent. Ex iis non ſolum Sacerdotes, ſed ditiſſimi & potentiſſimi Caſpiorum veſtes habent. Id ipſum narrat Cteſias, ut auctor eſt Apollonius *Mirabil. cap.* XX. Κτησίας δὲ ἐν τῇ δεκάτῃ Περσικῶν καμήλους τινὰς ἐν τῇ χώρᾳ γίγνεσθαι, ἃς ἔχειν τρίχας πρὸς Μιλήσια ἔρια τῇ μαλακότητι· ἐκ δὲ τούτων τοὺς ἱερεῖς καὶ τοὺς ἄλλους δυνάστας τὰς ἐσθῆτας φέρειν. *Cteſias Perſicorum libro decimo narrat, in ea Regione eſſe Camelos, quorum pili mollitie lanas mileſias æquent, ſacerdoteſque & alios proceres, veſtes ex eis geſtare.* Apud Arabas id quoque fiebat: Nec tantum veſtes habuere ex pilis Camelorum, ſed & more Hebræorum, pilos cum lana ovium aut caprarum miſceri, apud eos non inſolens fuit. Hinc Aræbicum ثلة quod ſignificat *lanam*, vel *ſolam*, vel *cum pilis Camelorum* aut *caprarum mixtam.* de quo vide Lexicon *Golii.* Sed nuſquam cameli lanam ferebant tanta mollitie, quam in Caſpiis: nam Milleſias, quas molliſſimas fuiſſe omnium poſtea patebit, fere ſuperabant. Ejuſmodi quid auctores moderni narrant de panno Zambilotte, ex pilis Camelorum, quo vix pulchrior in mundo invenitur, ut Paulus Venetus libro I. Cap. LXIII. At non ejuſdem mollitei aut pretii fuit Camelorum lana apud Judæos, & tam delicatæ non fuerunt veſtes Johanis Baptiſtæ. Sed craſſa & durior lana, non niſi ruſticis montanis, & pauperibus veſtimenta præbuit, qualia forſan fuerunt veterum Chriſtianorum Cilicia e pilis Camelorum, aut caprarum, ut poſtea patebit, contexta, quibus utebantur in pietatis exercitio. Tales craſſiores noſtri panni hodie, quorum nobis magnam copiam mittit Weſtphalia, pauperibus & ruſticis, qui nivi & pluviis perpetuo exponuntur, contegendis deſtinati: quos Belgice **pepe** dicimus, quaſi *pili*, eliſo e medio *l.* Unde Hebræi, ut pannos illos paulo molliores redderent, pilos Camelorum cum lana ovium aut etiam caprarum ſolebant miſcere, ut ex Talmude, locis ſupra citatis, & eorum gloſſis, liquido conſtat.

CXXXVI. Veſtes autem ſacras, Hebræorum ſacerdotibus ex ejuſmodi lana Camelorum, etiamſi fuiſſet molliſſima, & Mileſias ſuperaſſet, fieri, fas non erat. Debuit enim ejuſmodi lana adhiberi in veſtibus ſacerdotalibus, quæ cum lino mixta faciebat *Schaatnes*, contra legem Levit. Cap. XIX. qua prohibetur lana cum lino miſceri. Sed lana Camelorum, ſalva lege, cum lino

miſceri

miſceri & texi potuit, ita quidem, ut etiam pars aliqua lanæ ovillæ cum ea mixta, modo mediam partem non attigiſſet, lino intexi potuerit, uti docet Codex *Kilaim Cap.* IX. ut proprie loquendo pro צמר *lana*(etſi aliquando a Talmudicis ita dicatur) pili Camelorum habendi non ſint, ideoque uſum in veſtibus ſacris habere non potuerint. Secus fiebat apud gentiles. Nam veſtes Sacerdotum apud Caſpios ex lana Camelorum molliſſima factæ fuerunt, ut & cæterorum procerum, teſtibus Æliano, Cteſia, locis modo a nobis citatis.

CXXXVII. Hebræi quoque mentionem faciunt de Caprarum lana, quam Horatius L*anam caprinam* dicit. צמר עזים. Alias etiam שער עזים *pili caprarum.* עזים *Capras* eſſe, non dubitatur, hinc Germanis Ein Geiß/ mutato *v* in *G.* ut in *Gomorrah*, pro עמורה. Quæſtio quidem nobis hic erit de Lana caprina, ſed non plane inutilis diſputatio, cum non parum luminis allaturam credam locis quibuſdam ſacræ Scripturæ. Ex Caprarum lana veſtes fuiſſe factas apud Hebræos, quemadmodum ex lana Camelorum, non minus conſtat. Diſputant Talmudici, utrum pili caprarum lino intexti, pro שעטנז *Schaatnez* haberi debeant, & utrum is qui tales veſtes geſtat, quadraginta plagis cædi mereatur? Deinde an veſtes ex pilis caprarum lepra infici poſſint, quemadmodum veſtes ex lana ovium, Audiamus *Maſſechet Bech. c.* II. *Gemara f.* XVII. רב אחא בר יעקב הכל מודים דאין לוקין על צמרו משום כלאים שנאמר לא תלבש שעטנז *Doctor Acha filius Iacobi dicit: Omnes fatentur neminem vapulare ob lanam ejus, quaſi geſtaſſet Kilaim, uti dicitur non ſumes veſtem duplicis materiæ.* Et mox: אמר רב פפא הכל מודים שצמרו פסול לתכלת וגו׳ אמר רב נחמן בר יצחק הכל מודים שאין צמרו מטמא בנגעים שנאמר בבגד צמר או בבגד פשתן : *Dixit Doctor Papa, omnes fatentur lanam ejus illegitimam eſſe ad tingendum Thechelet &c. Dixit Doctor Nachman filius Iſaaci, Omnes fatentur, lanam ejus lepra non infici, quia dicitur: In veſte lanæ, aut veſte lini.* Sed hic quæſtio eſt de Capra, quæ ab Hirco & ove genita eſt: nam etſi videretur ovis, tamen quia hircum habet patrem, magis pro capra quam pro ove habetur. Idem intelligitur de ove, quæ capræ ſpeciem præ ſe fert. Idem multo magis intelligendum eſt de Capra, quæ plane nihil de ove participat. De veſtibus ex lana caprarum loquitur etiam Maimonides in *Hilch. Zizith. cap.* III. *Sect.* II. *Kilaim cap.* X. Et *Hilch. Thomath Zarath. cap.* XIII. In omnibus iſtis locis mentio

ſit de

fit de veſtibus ex caprarum lana. Aulæa tabernaculi Exodi cap. xxv. ex ejuſmodi lana fuiſſe mox docebimus.

CXXXVIII. Ut vero Camelorum alia craſſior alia mollior fuit, ſic & caprarum lana. Ipſi Hebræi diſtinguere videntur; craſſiorem enim שער *pilos*, molliorem autem נוצה quaſi *florem*, vocant. Hac voce, cum Talmude, utuntur cæteri doctores, ut Maimonides, locis modo citatis, & Jarchius ad Cap. xxv. Exodi, ubi עזים exponit per נוצה של עזים *florem*, ſive *plumas caprarum*, quod ſit quaſi flos pilorum caprarum, aut mollis inſtar plumæ; quamvis Aben-Ezra tantum שער של עזים *pilos caprarum* habeat. De caprarum pilis craſſioribus, & ex iis veſtibus loquitur Virgilius *Georg. libro* III.

Nec minus interea barbas incanaque menta
Cinyphii tondet hirci, ſetaſque Comantes,
Uſum in Caſtrorum, & miſeris velamina nautis.

De hiſce Varro *de Re Ruſtica lib.* II. ſub finem libri. *Sic capra pilos miniſtrat, ad uſum nauticum, & ad bellica tormenta, & fabrilia vaſa.* Nec *non quædam nationes harum pellibus ſunt veſtitæ, ut in Getulia, & in Sardinia. Cujus uſum apud antiquos quoque Græcos fuiſſe apparet, quod tragœdiis ſenes ab hac pelle vocantur* διφθερίαι &c. Et mox: *Tondentur, quod magnis villis ſunt in magna parte Phrygiæ, unde Cilicia, cæteræ ejus generis fieri ſolent. Sed quod primum ea tonſura in Cilicia ſit inſtituta, nomen id Cilicas adjeciſſe dicunt.* De eadem tonſura Ariſt. *Hiſt. An lib.* VIII. *Cap.* XXII. ἐν κιλικίᾳ αἱ αἶγες κείρονται ὥσπερ τὰ πρόβατα παρὰ τοῖς ἄλλοις. *In Cilicia Capræ etiam tondentur ut oves apud alios.* Ex quibus locis diſcimus, non tantum capras tonderi apud alias gentes, ſed etiam morem iſtum initium ſumpſiſſe a Cilicia, atque inde dicta eſſe Cilicia, ſaccos iſtos, quibus utebantur ſancti, quum ad pietatem convertebantur.

CXXXIX. Ejuſmodi lana craſſior caprarum apud Hebræos & alios vicinos in uſu fuiſſe, præter Talmudicos ſupra citatos, mentionem facit Plinius libro VIII. capite L. *In Cilicia*, inquit, *circaque Syrias* (ita libentur cum aliis lego non Syrtes, niſi tamen legendum ſit *Scyrum*, nam in Inſula Scyro optimæ erant capræ, ut patet ex Clito in libro de Mileto) *villo tonſili veſtiuntur.* Ex ejuſmodi pilis factum fuiſſe כביר I Samuelis capite XIX. XIII. non dubito. Nam id explicare de *hepate caprarum*, cum Septua-

 ginta

ginta & Theodoreto eſſet errare: non enim legitur כבר quod *hepar* ſignificat, ſed כביר. Nec probo Chaldæi נודא *utrem*, nec Kimchii כר *pulvinar*, nec aliorum *corum* aut *lagenam*. Sed omninò puto ſignificare galericulos iſtos, quos *Une perruque* Gallice dicimus, quibus capillitium mentiuntur ii, quibus capilli defluxerunt. Et fortaſſis inde ipſum Gallicum *perruque*, per literarum metatheſin & mutationem. בריך *Berich*, *&* *Perich*, *Peruch*, *Perruque*, niſi a Græco πηνίκη, ut exiſtimat Voſſius *de vitiis Sermonis*. *Libro* II. *cap.* XV. Ex ejuſmodi enim pilis caprarum fieri ſolebant apud Judæos, ut ex Cant. IV. 1. conſtat, *capillitium tuum eſt ut gregis caprarum*. Martialis *Epigrammate* XLV. *libri*. XII:

Hœdina tibi pelle contegenti
Nudæ tempora verticeſque calve.

Ideo Ælianus *Hiſt. lib.* XVI. *Cap.* XXX. pilos caprarum dicit eſſe quaſi βοςρύχȣς & ἕλικας κόμης *cincinnos & comorum cirros*. Quid? adhunc uſque diem apud Judæos ejuſmodi cirris ex caprarum pilis mulierculæ ſuperbiores ornantur, præſertim inter Luſitanos. Sed mos ille hodie totam Galliam & noſtrum Belgium invaſit, ubique enim videbis mulieres & virgunculas caprarum ſpoliis ornatas. ſive ut viros hac deformitate, quaſi horribili terriculamento & μορμολυκείῳ abſterrerent, & ſui faſtidium darent, ſive ut per laſcivi animalis ſpolia, innatam quoque laſciviam procis ſuis in publico indicarent. Unde apparet nil novi eſſe in ridiculis iſtis ornamentis quibus mulierculæ noſtræ faciem deformare amant, cum id tot retro ſeculis jam in uſu fuerit, apud plures gentes, ut optime Poeta.

Nil erit ulterius, quod noſtris moribus addat
Poſteritas: eadem cupient facientque minores.

CXL. Non tamen omnis lana caprarum rudis & craſſa fuit. Reperiebatur alia, quæ mollior & delicatior erat, immo quæ mollitie & ſplendore cum ſerico certare videretur. De tali loquitur Ælianus *Hiſtor. libro* XVI. *Cap.* XXX. Ἐν λυκίᾳ λέγει Καλλισθένης ὁ Ὀλύνθιος κείρεσθαι καὶ τὰς αἶγας, ὥσπερȣν πανταχῆ τὰ πρόβατα, γίνεσθαι καὶ δασυτάτας καὶ εὐτριχας δεινῶς τὰς αἶγας, ὡς εἰπεῖν βοςρύχȣς, ὅς ἵνας ἕλικας κόμης ἐξηρτῆσθαι ἀυτῶν. *In Lycia dicit Calliſthenes Olinthius etiam capras tonderi, ut oves ubique locornm, ibi enim eſſe hirſutiſſimas & egregiis villis, ita ut ab iis cincinni & tanquam retorti capilli dependere videantur.* Molliorem hanc caprarum lanam Hebræi

bræi vocant נוצה עזים *florem* aut *plumas caprarum*. Andreas Bellunenſis eam *merhazi* vocat. Lana, inquit, *Merhazi, eſt lana caprarum ſubtiliſſima, ex qua fiunt Zambelotti, & alia vellera ſubtilia.* Scribendum eſſet *Amerhazi* pro *Merhazi*, Chaldaice עמר עזא lana capræ. Idem auctor docet *Meſcha* rudis eſſe panni genus, contextum ex pilis aſinorum & caprarum, & interdum ex ſolis caprinis, ex quo, qui diſerta habitant Arabes, tentoria & ſaccos ſibi conficiunt. Hujuſmodi lanam pretioſam ex capris tonderi in Ægypto & aliis locis Orientis, docet Abarbanel, ad Legem Paraſcha ויקחו לי תרומה, quando contendit Scripturam nullam lanam ad uſum ſanctuarii agnoſcere quam caprarum, adeo etiam ut in locis iſtis lanam caprarum ovilli multum anteferandam putet. והנה inquit, לא זכר צמר הרחלים והכבשים לפי שבארץ מצרים וגם בשאר ארצות המזרח צמר העזים הוא משובח מאד וצמר הרחלים הוא פחות ונבזת: *Ecce non memorat* (Moſes) *lanam Agnorum & Ovium, quod in Ægypto & cæteris Regionibus Orientis lana caprarum valde æſtimetur, cum lana ovila ſit vilis & contempta.* Exodi cap. xxvi. & xxxv. legimus, Moſen mandaſſe populo, ut inter alia dona etiam afferrent caprarum lanam, & mulieres neviſſe lanam caprarum ad conficienda aulæa Tabernaculi. Verum quidem eſt Moſen dixiſſe, populum attuliſſe עזים, quæ vox nihil aliud ſignificat quam *Capras*, quod ſupra oſtendimus. Ideoque dubitari poteſt, utrum id non ſit intelligendum de capris ad ſacrificium an de pellibus caprarum integris, an vero de earum lana? Sed cum dicatur, mulieres ſediſſe & *neviſſe capras*, manifeſtum eſt id intelligi de lana earum, lana enim netur. Ideo Interpretes optime ſupplent per vocem שער *pilos*, aut נוצה *florem*, aut etiam *plumas*, quia earum lana eſt mollis inſtar floris aut plumarum. Sicque legendum erat, שער עזים vel נוצה עזים id eſt *pili*, aut *flos caprarum*. Hinc Chaldæus מִעִזֵּי quaſi מן עזים quod *provenit de capris*, ut optime obſervatum Jarchio, ad caput xxv. Exodi. ועזים inquit, נוצה של עזים לכן תרגם אונקלוס ומעזי הבא מן העזים ולא עזים עצמן: Et Capras, *id eſt flos, ſive mollior lana caprarum: Ideo Onkelos vertit* ומעזי. Et de Capris, *id quod venit de capris, non autem capras ipſas.*

CXLI. Hanc autem lanam caprarum, a Moſe ad ornatum tabernaculi juſſam, aliam fuiſſe non puto, quam illam, quæ nobis hodie magna copia aſportatur Smirna & aliis locis Orientis, per noſtros mercatores Hollandos. Non multum quidem lanæ nobis adfertur, niſi

niſi craſſior & pileis conficiendis apta, etſi tam firmiter non coeat in coactione, quemadmodum lana ovilla. Pretioſiorem autem apud ſe retinent, ibique neri curant, nec niſi raro ditione ſua exire ſinunt lanam. Sed ex ejuſmodi lana, netum & filum quod in ipſis iſtis Regionibus netur, plenis fere navibus onerariis ad nos mittitur quotannis. Atque inde fiunt optimi panni, molles & egregie ſplendentes, ut vix ſerico cedant mollitie & ſplendore, quo maxima pars in hiſce Regionibus utuntur ii qui ſerico parcunt, quia diuturnior, aut etiam quia ſuperbiam & muliebrem luxum minus præ ſe ferre creditur. Hos pannos Galli dicunt *Camelot de Hollande*, quia in Hollandia ex neto iſto texuntur, præcipue Lugduni Batavorum. Belgæ **Kemels hayr** / *pilos Camelorum*, ideo ſcilicet, ſecundum quoſdam, quod e pilis Camelorum fiant; aut, ut alii volunt, quod revera ſit caprarum lana, ſed Camelis ex Ægypto & aliis locis Orientis Alexandriam & Smirnam delata. Sed falluntur quicunque hoc credunt. **Kemels hayr**/ belgice dici puto pro *Camelot*, ex quo vulgus, rerum ignarum, ut ſolet, facile ſuum **Kemels hayr** / fabricavit. At id ipſum *Camelot* corruptum eſt ex *Zambelotti*, ut Bellunenſis & alii id vocant.

CXLII. Noſtris Capris Europæis non ſunt plane ſimiles, ſunt enim grandiores & ferociores. Tales ipſe vidi ante ſeptennium prope Ultrajectum, in villa eximii viri L' Eſpaul, Amſtelodamenſis mercatoris nobiliſſimi. qui ex ejuſmodi neto, & alia mercatura, quam prudentiſſime & feliciſſime exercuit, ſplendidas ſane & lautiſſimas ſibi divitias contexuit, & in memoriam hujus mercaturæ, & egregiæ fortunæ capras quas ex illis Amſtelodamum adduci, & in pratis ſuæ villæ paſci curavit. Villamque iſtam eandem ob cauſam *Geitenſtein*, id eſt, *Caprarum lapidem*, (quaſi diceres *Capreas*) vocavit. Cæterum uterque tam hircus quam capra genitalia exſecta habebat, cum Barbari nullas ſuis terris exire ſinant, niſi caſtratas. Initio quum primum in has Regiones appulerunt lanam gerebant quidem ſatis mollem & ſplendentem; ſed, ſeu aere, ſeu paſtu, ſeu denique ætate, natura paulatim immutata, degenerem etiam lanam gerebant. Non poſſum quin addam deſcriptiunculam harum caprarum, prout ex relatu cujuſdam mercatoris Armeni, Reverendus & diſertiſſimus vir Nicolaus Colvius, apud Amſtelodamenſes Eccleſiæ Gallo-Belgicæ Paſtor digniſſimus, & mihi veteri amicitia arctiſſime junctus, quem honoris cauſa nomino,

eam

eam conceptam ad me miſit, poſtquam humaniſſime eum rogaveram, ut de ejuſmodi rebus inquirere vellet meo nomine. Præcipui loci in Armenia, ubi aluntur, ſunt *Angori*, *Bigbazar*, *Silvyzar* & *Grabazar*, urbes ſub Imperio Turcarum, ubi tondentur & earum lana netur. *Bigbazaris*, aut lana jam detonſa, aut etiam netum, ſapone lavatur, quod in aliis locis adeo vulgare non eſt. Fœminarum lana mollior eſt marium. In dorſo & circa latera molliſſima reperitur. ubi bidentes (aut ſi mavis *biennes*) factæ fuerint tonderi incipiunt, deinde ſingulis annis ſemel tondentur, uſque ad quintum ſextumque annum mollior eſt. A ſexto ad decimum annum fit craſſa, nec amplius expetitur. Eadem ætate pariunt, ſemel tantum ſingulis annis, at hœdos tres aut quatuor uno partu, circa menſem Martium, aut Aprilem. Sunt feroculæ & cornupetæ.

CXLIII. Quamvis autem capræ molliſſimam & pretioſiſſimam lanam gerant in iſtis locis, ut etiam ad ornatum Tabernaculi adhiberetur, veſtes ſacerdotales tamen inde fieri non poterant. Iſta enim lana quæ cum lino mixto nullum faciebat שעטנז contra legem de veſte duplicis materiæ, veſtibus Sacerdotalibus inepta eſt, Balteus enim, & cæteræ fere omnes veſtes Pontificis Maximi, debent eſſe *Schaatnez* ut ſupra demonſtratum eſt. At lana caprarum *Schaatnez* non facit. Deinde lana iſta quæ ad veſtes Sacerdotales adhibebatur apta debebat eſſe, ut fieret תכלת *thechelet*, *hiacynthina*. Nam in Balteo & cæteris veſtibus Pontificis M. præcipuus color erat *Thechelet*. Lana vero caprarum inepta erat ad *Thechelet*. Ideo & ad veſtes ſacerdotales. Ineptam autem fuiſſe ut ex ea fieret *Schaatnez* & *Thechelet*, docetur *Meſſechet Bechoroth*. Maimonides in *Hilch. Zizith.* in *Kilaim*, *Tomath Zarath*. Locis ſupra citatis paragrapho quinto. Nulla itaque lana veſtibus ſacris adhiberi potuit, quam lana ovilla.

CXLIV. Talmud Jeruſalemitanum, *Maſſechet Kilaim capite nono*, videtur ſtatuere, lanam in ſacra Scriptura ſic proprie dictam, eſſe lanam arietum, eo quod II Reg. cap. III. vers. IV. dicatur: *Meſcha Rex Moabitarum erat pecuarius, pendebat Regi Iſraelis centena millia agnorum & centena millia* אילים צמר *Arietum lanatorum.* ideo Arietum vellera lanam proprie dictam exiſtimat. Sic ſermocinantur Magiſtri: אמר רבי יהשוע בן לוי כתיב ומישע מלך מואב היה נוקד׳ מהו נוקד רועה׳ והשיב למלך ישראל מאה אלף כרים ומאה אלף אלים צמר אין לך קרוי צמר אלא צמר אלים בלבד׃ *Dixit Doctor Iehoſua.*

hoſua filius Levi, ſcriptum eſt: & Meſcha Rex Moabitarum erat Noked. *quid eſt Noked? Paſtor. Et adducebat Regi Iſraelis Centena millia ovium & centena millia arietum lanatorum. Nulla vocatur lana, niſi ſola lana arietum.* Sed hæc eſt expoſitio Rabinica, & non magni momenti. Sacra ſcriptura, nec ullus, quod ſciam, hactenus definivit, cujus generis lana iſta eſſe debuerit, utrum ovium arietum, fœminarum an marium? hæc, inquam, nemo hactenus definivit. fœminarum tamen molliorem eſſe marium contendit Maimonides in ſuis *Gloſſis ad caput* v. *Schabbath, ad Miſnam* 11. Ideo ſolæ fœminæ, uti tradit, teguntur ad conſervandam lanam puram, non autem mares. Quod tamen vix credo. Saltem id ubique non obſervatum fuit, & arietes ligabantur, aut tegebantur non minus quam fœminæ, ſi Diogeni Cynico credimus, referente Laertio *lib.* vi. ubi innuit non tantum *πρόβατα oves,* tectas fuiſſe, ſed & *κριὸν arietem.* de quo mox dicemus. Ovillam requiri certiſſimum eſt, quia ubique in ſacra Scriptura quando de lana ſermo eſt, ovilla ſemper intelligitur, quia ſola prohibetur cum lino miſceri; ſola Techelet tingendo apta eſt, & ſola lepra infici poteſt, & peniculamentis indiget. Duo tamen circa hanc lanam obſervari animadverto a Talmudicis. Primum quod debeat eſſe ex optimo lanarum genere. Oportet enim ut omnia, quæ Deo conſecrantur in ſanctuaria ſint מן המובחר *ex optimo.* Ideo linum, quod בד & שש dicitur, ex præſtantiſſimo & tenuiſſimo conſtabat, idcirco בוץ *byſſus* vocatur, ut a nobis ſatis fuſe demonſtratum eſt.

CXLV. Hodie omnium lanarum, molliſſima & pretioſiſſima eſt, quam nobis Hiſpani ex India Occidentali advehunt, & quam noſtri mercatores **Vigogne wol**/ *lanam Vigoniam* vocant. Huic proxime accedit lana Perſica, quam Societas Indiæ Orientalis ante non multos annos adferi curavit. Sed utraque tam Perſica quam Indica pannis conficiendis adhiberi nequit, ut inepta coactioni. Vigonia illa pileis conficiendis aptior quidem eſt, imprimis ſi cum pilis Caſtoris, aut cuniculi miſcetur, quos pileos *demy-caſtors*; (*ſubcaſtoreos* dicerem) cum cæteros qui ex ſolis caſtoris pilis fiunt, *Caſtors entiers* (*holocaſtoreos* ego) vocare ſoleant Galli. Omnium tamen molliſſima & pretioſiſſima, quæ lanificio in Europa adhibetur, eſt Hiſpana. Ex illa hodie panni conficiuntur in Hollandia, præſertim Lugduni Batavorum, quos non tan-

tantum tota Europa, ſed totus terrarum Orbis, apud cultiores populos, novit & expetit. Hinc purpura, Regum & Principum ornatus, luxus in Oriente & Occidente. ut vix credibile ſit, veterum Minervam molliores & pretioſiores contexuiſſe unquam. Antiqui nihilominus ſuas habebant lanas, molliſſimas & valde pretioſas. Videatur imprimis Plinius *libro* VIII. *cap.* XLVIII. *Apula* & *Mileſia* plurimum commendantur. *Apulam* citato loco Plinius omni lanarum generi anteponit. Columella tamen *Gallicam* præfert. *Tarentinæ* & *Altinates* multum quoque æſtimantur. *Selgicam* celebrem fuiſſe docet Salmaſius contra depravatores ad Tertullianum de Pallio. In ſacra Scriptura maxime laudatur lana Damaſcena. Ezech. XXVII. XVIII. *Damaſcus eſt negotiatrix tua vino Chelbon & lana candida.* Chaldæus reddit חמר מבשל *vinum coctum*, quod Germani geſeüwerter wein vocant: quale vinum ſatis erat in uſu apud Hebræos, ut patet ex *capite octavo Codicis Menachot.* Sed cum vinum *Chelbon* optimum fuerit totius Syriæ, ut patet ex Strabone, Plutarcho, Athæneo & aliis, coctum dici non poteſt, quia tale non legitimum erat ad libamina, ut videre eſt dicto loco *Menachoth.* Lanam melius expoſuit, nempe per Mileſiam, quæ ſane omnium eſt pretioſiſſima. Nullum enim genus lanæ apud Scriptores veteres magis laudatum commendatumque fuit, quam lana *Mileſia*, ita vocata a Mileto urbe Joniæ. Clitus in libro *de Mileto* teſtatur, Policratem Sami Tyrannum, exquirentum quid in qualibet Regione eximium eſſet, Reſponſum habuiſſe inter alia: Αἶγας ἐκ Σκύρου, ἐκ δὲ Μιλήτου πρόβατα. *Capras ex Scyro, & oves ex Mileto.* Athenæus *libro* XII. Ἐφόρουν δ' οἱ Συβαρῖται καὶ ἱμάτια ἐκ Μιλησίων ἐρίων πεποιημένα. *Ferebant Sybaritæ veſtes ex Mileſiis lanis factas.* Ælianus *libro* XVII. *capite* XXXIV. Mileſiam lanam pretioſiſſimam ſtatuit: de quo nos ſupra, ubi de lana Camelorum. Virgilius *Georg.* III.

——— Quamvis Mileſia Magno
Vellera mutentur Tyrios incocta rubores.

Quem locum ſic exponit Servius: *Lanæ pretioſiſſimæ. Nam Miletus civitas aſiæ eſt, ubi tinguntur lanæ optimæ*, Ita Servius. An omnia recte alii viderint. Nec ignota Ciceroni in verrem: *Quid a Mileſiis lanæ ſuſtuluerit.* Nec Tertulliano neglecta *de pallio*, & de *habitu fœminarum.* Quid? tonſoribus fere & lippis nota fuit. Hujus pretium & mollities adeo cognita Hebræis, ut quodlibet genus

genus lanæ molle ac pretioſum מלט *lanam Mileſiam* vocaverint. Ideo Chaldæus Ezechiel. *cap.* XXVII. lanam *Damaſcenam*, מילת *Mileſiam* interpretatur, ſc. ob bonitatem & pretium; Idem factum eſſe ex Thalmude, ubique conſtat. Non dubito quin apud auctores profanos omne genus lanæ pretioſæ ita ſæpiſſime dicatur. Nam quemadmodum omne *Cuprum*, *Chalybs*, *Sericum*, *Caricæ*, *Phaſiani*, *Aſturcones*, non veniunt ex *Cypro*, *Chalybum* Regione a *Seribus*, ex *Caria*, ex *Phaſi* & *Auſturibus*. *Nec* omne opus *Phrygionicum*, & *Babylonicum* fit a *Phrygibus*, & *Babyloniis*, & ejuſmodi ſexcenta alia, quæ ex vulgari modo loquendi allegare poſſumus, ita non omnis lana Mileſia, eſt, revera lana ex Mileto. Optime igitur cum doctiſſimo Bocharto *Phaleg libro* I. *capite* IV. colligimus, apud Hebræos & alios auctores, מילת ſive Mileſiam, non quidem eſſe lanam ex Mileto, ſed quamlibet aliam, quæ cum Mileſia poſſit bonitate certare. Ideo pretioſiſſimæ quælibet veſtes Mileſiæ dicuntur. Pallium illud Sinhar, celebre & pretioſum interdictum Jerichuntis, quod Achan ad furtum impulit Joſuæ VII. ex lana Mileſia fuiſſe magiſtri docent. Jarchius illud vocat, non tantum אצטילא בבלי ϛολὴν Βαβυλονικὴν *Stolam Babylonicam*, cum Joſepho, ſed & דמילתא *Mileſiam*. In Regio illo luxu Eſteræ cap. I. VI. ſecundum Paraphraſten, fuit pannus ex Mileſia lana. אותיב יתהון עלוי שרסן דמלתין דמתחן על דרגשין דנקלי תיהון דדהב טב *Et accumbere eos fecit ſuper ſtrata Mileſia extenſa ſuper lectos, quorum poſtes erant ex auro optimo.* Et Lamentat. II. XX ubi lugetur miſeria infantulorum delicatiorum. עולמיא רגיגיא דהוו מלפפין בסרינין דמילתא *Pueri in cunis involuti Sindonibus Mileſiis.* Nota quod dicatur pueros involutos eſſe Sindonibus Mileſiis; unde apparet, quod in tranſitu quoque notatum velim, veteres uſurpaſſe etiam pannos ex lana molliſſima pro linteis. Idem patet ex lautiſſimo iſto & molli Trimalcione apud Petronium, qui in balneo unguento perfuſus, *Non linteis, ſed palliis ex molliſſima lana factis, tergebatur.* Et hoc forſan ut ſanitati conſulerent, ut pori eſſent apertiores, utque vapores facilius evaporarent. Sed hæc Medicis relinquo.

CXLVI. At quemadmodum Mileti fuit lana molliſſima & pretioſiſſima, ita & in Terra Iſraelis. Et ſane eadem cura lana apud Judæos excolebatur, qua apud alias Gentes. Varro quidem *de Re Ruſtica*, *libro* II. docet: *Oves pellitas propter lanæ bonitatem, ut ſunt Tarentinæ & Altinates,* *pellibus*

pellibus, integi, ne lana inquinaretur. Vide etiam Columellam *de Re Ruſtica libro* VIII. *capite* IV. Idem obtinuit apud Megarenſes, ut patet ex Diogene Laertio *lib.* VI. Qua de cauſa lepidiſſime eorum ſtultitiam & inhumanitatem erga liberos riſit Diogenes Cynicus. Ἐν Μεγαρεῦσιν, inquit, ἰδὼν τὰ μὲν πρόβατα τοῖς δέρμασιν ἐσκεπασμένα, τοὺς δὲ παῖδας αὐτῶν γυμνούς, ἔφη: λυσιτελέστερόν ἐστι Μεγαρέως εἶναι κριὸν ἢ υἱόν. *Videns apud Megarenſes oves pellibus tectas, eorum vero liberos nudos; dixit, Præſtat Megarenſium arietem eſſe quam filium.* Eodem modo Judæi oves tegere ſolebant, quod conſtat ex Gem. *Maſſechet Schabbath c,* V. *fol.* LIV. מכבנין אותו למילת *Circumligant ovem propter Milat*, id eſt, ut fieret pretioſa, inſtar Mileſiæ. Eo proculdubio reſpexit Chaldæus, loco ſupra laudato ex Ezechiele cap. XXVII. ubi lanam Damaſcenam dicit מילת כבינא *Lanam Mileſiam ligatam.* Jarchius omnium celeberrimus Gloſſarum conditor, ad hæc loca ſic commentatur: שמכבנין קושרין' בגד סביבו ביום שנולד שצמרו נקי ומשמרו צמרו שלא יטנף: *Ligant veſtem circa eam* (ſcilicet ovem) *quo die naſcitur, ut lana ejus pura eſſet, & cuſtodiunt lanam ejus ne inquinaretur.* Hæc edocti ſunt magiſtri ex *capite* V. *Codicis Schabbath, Miſna* II. ubi permittitur ovem die Sabbathi exire כבונה *ligatam.* De quibus vide Maimonidem & Bartenoram ad locum illum. Ut autem lana illa molliſſima & tenerrima erat, ſic & candidiſſima. Atque hanc ob cauſam præcipue pellibus aliiſque tegumentis oves in campo ligantur; non quidem ut immunes eſſent a lupis, quemadmodum quidam in Gemara Schabbath diſputant, ſed ut earum lana a ſordibus præſervaretur. Ideo Jarchius שצמרו נקי ut *earum lana pura eſſet.* Et שלא יטנף *Ne inquinaretur*; quæ etiam ſunt ipſiſſima verba Varronis. In eodem codice Schabbat, quidam ex Gemaricis id explicant de צמר לבן *lana alba.* Verum enimvero multi paſſim traduntur lanarum nativi colores. Eſt lana nigra, ſunt oves variæ, & punctatæ, Hebræis: טלואי נקודי עקודי ברוד Eſt & fuſca, & rubra. Sed de his nihil jam dicam, cum certum ſit ejuſmodi lanam natura coloratam, colores, qui in veſtibus ſacerdotalibus requiruntur, imbibere non poſſe. *Lanarum nigra nullum colorem bibit*, ait Plinius *libro octavo cap.* XLVIII. Idem ſane dicendum eſt de aliis. Et ſi forſan colorem aliquem imbibant, proculdubio Infectorem fallunt, & non niſi languidum & Adulterum recipiunt. At lana illa quæ veſtitui ſacro adhiberi potuit, apta debuit eſſe hyacinthino, ut ſupra demonſtratum eſt. Ergo

alba requirebatur. In ſacra Scriptura plurimum fit mentio lanæ albæ, & talis maxime laudatur vide. Eſaiæ capite I. XVIII. *Si fuerint peccata veſtra, ut coccinum, ſimilia lanæ erunt*, id eſt *albæ*. Et Danielis VII. IX. *Et pili capitis ut lana munda.* Et Apocal. I. XIV. *Caput ejus & capilli erant candidi ut lana alba tanquam nix.* Ideo lana, de qua Ezechiel cap. XXVII. צחר id eſt, לבן *alba*, uti exponit Jarchius, dicitur. Concludo igitur lanam illam ex qua factæ erant veſtes Sacerdotum, fuiſſe ejuſmodi pretioſam & molliſſimam albam, ſolo infectu coloratam.

CXLVII. Apud veteres gentiles, quorundam Sacerdotes laneas veſtes abſque piaculo in ſacris geſtare non poterant. Tales fuere Sacerdotes Iſidis apud Ægyptios, ut docet Plutarchus *in Iſide.* τῶν μὲν ἐρίων, ὥσπερ τῶν κρεῶν, σεβομένους τὸ περίβατον ἀπέχεσθαι λέγουσι. &c. Herodotus *libro* II. *cap.* LXXXI. Ἐνδεδύκασι δὲ κιθῶνας λινέους, περὶ τὰ σκέλεα θυσανωτοὺς οὓς καλέουσι καλασίρις. ἐπὶ τούτοισι δὲ εἰρίνεα εἵματα λευκὰ ἐπαναβληδὸν φορέουσι· οὐ μέντοι ἔς γε τὰ ἱρὰ ἐσφέρεται εἰρίνεα, οὐδὲ συγκατα θάπτεταί σφι. οὐ γὰρ ὅσιον *Amiciuntur veſtibus lineis, circa femina fimbriatis quas vocant Calaſiris, illiſque veſtimentum laneum album injectum habent*: (Nota Vallam omittere hoc εἰρίνεα *laneum*; Ideoque nullas laneas omnino geſtarunt, aut id factum fuit tantum extra Templum, quod & Hebræorum Sacerdotum turba minor obſervavit) *Lanea enim veſtes nec in ſacris geſtantur, nec cum mortuo ſepeliuntur. Id enim profanum cenſeretur.* Lineis igitur veſtibus plerumque utebantur, ut ſupra oſtendimus. Id tamen ubique, & apud omnes non obtinuit. Lanæ, non illæ quidem ad lanificii opus purgatæ, ſed plane ſuccidæ, & ſuis ſordibus referta vellera, ad Cereris aram porrici ſolebant. *Pauſanias in Arcadicis. In Phocicis* narrat, in Templo Apollinis Delphis, lapidem quendam, quem Saturnus pro puero devoraverat, & poſtea vomitu ejecerat: κατὰ ἑορτὴν ἑκάστην ἔρια ἐπιτιθέασι τὰ ἀργά. *ſingulis feſtis lana ſuccida velant.* Deorum quoque Imagines lana veſtiebant. Pollux *libro* VII. *cap.* XIV. ἔστι δὲ ἐξ ἐρίων πίλημα φοινικοῦν, ᾧ φαιδρύνουσι τὰ ἕδη τῶν θεῶν. *Eſt autem è lana contextus pileus Phœniceus, quo Deorum ſtatuas exornant.* Sed Sacerdotes Gentilium ſæpiſſime lana veſtitos fuiſſe, adeo certum eſt, ut nihil certius. Audivimus ſupra ex Æliano, Sacerdotes Caſpiorum, lana Camelorum amictos fuiſſe. Notum etiam eſt Sacerdotes in *læna* ſacra feciſſe. Cicero de claris Oratoribus: *M. Pompilius, cum Conſul eſſet, eodemque tempore ſacrificium*

cium

cium publicum cum læna faceret, quod erat Flamen Carmentalis, plebis, contra patres concitatione & ſeditione nunciata, ut erat Læna amictus, ita venit in concionem. Apud Virgilium *libro* IV. *Ænead.* *Læna* quoque amictus erat Æneas.

——— Tyrioque ardebat murice Læna
Demiſſa ex humeris.

Hoc Servius de veſte Sacerdotali explicat. *Eſt autem*, inquit, *proprie toga duplex: amictus inauguralis. Alii amictum rotundum, alii togam duplicem in qua Flamines ſacrificant infibulati.* Jam vero læna plerumque lanea veſtis erat, unde & *læna* dicta videtur, quaſi *lanea*. Varro *libro* IV. *de Lingua Latina. Læna quod ex lana multa*: quamvis Feſtus & alii a Græco χλαῖνα dictam credant. Hinc vetus Scholiaſtes Juvenalis ad hæc verba:

——— ——— quem Coccina læna.

notat, *Antiquos Amphimallum lænam appellaſſe, id eſt utrinque villoſam.* Ipſe etiam color lænæ indicat eam ex lana fuiſſe factam; erat enim, ut ait Virgilius *Tyrio murice tincta*, & *coccina læna*, ſecundum Juvenalem. Aut *hyacinthina læna*, ut habet Perſius. Cæſaris quoque veſtis, non tantum ut Imperatoris, ſed ut Pontificis Max. πόρφυρα ἱερὴ *ſacra purpura* dicitur, Caſſio & Appiano, *lib.* IV. *Civil.* Sed iſti colores non reperiebantur, niſi in veſtibus laneis & ſericis. Et ſecundum Jarchium illis coloribus nihil infici poteſt, niſi lana & ſericum. Sed lænam, de qua hi auctores, non credo fuiſſe ex ſerico. Διβάφῳ Sacerdotes etiam veſtiebantur, quod indicat Cicero *libro* XI. *Epiſtola* IX. *ad Atticum*, his verbis: *Denique etiam Vatinii ſtrumam ſacerdotii* διβάφῳ *veſtiant.* Et *purpuream* habebat ſacerdos, de quo Ovidius *libro* IV. *Faſtorum.*

Illic purpurea canus cum veſte Sacerdos.

Bacchantes, Gallantes & μητραγυρτοῦντες *purpureis æque ac ſericis aureisque Veſtibus tectos ſuiſſe, & Bacchanalia celebraſſe, vide apud* Salmaſium de Pallio.

CXLVIII. Talis erat & Rica; videatur *Feſtus libro* XVI. *Rica eſt veſtimentum quadratum, fimbriatum, purpureum, quo Flaminicæ pro pallio utuntur; alii dicunt quod ex lana fiat ſuccida alba, quod conficiunt Virgines ingenuæ patrimæ matrimæ cives.* Laticlaviam quoque gerebant, quod videre eſt in Sacerdote Herculis, de quo Silius Italicus *de Bello Punico libro* III.

Diſcinctis thura dare, atque e lege parentum
Sacrificam lato veſtem diſtinguere clavo.

Sic & prætextam, ut Alexander Severus, auctore Lampridio, in vita ejus. *Accepit*, inquit, *prætextam etiam cum ſacra faceret, ſed hoc Pontificis Maximi, non Imperatoris.* Lex enim Pontificis poſtulabat togam prætextam, ut docet Livius *libro* XXXIII. *cap.* XLII. His triumviris, ut Pontificibus lege datum togæ prætextæ habendæ jus. Sed omnes iſtas veſtes, & tunicam laticlaviam, & togam prætextam, & Ricam & trabeas, laneas fuiſſe, præſertim illo tempore de quo Livius, non puto quemquam ſanæ mentis dubitare. Denique Flaminibus lanam peculiarem fuiſſe videtur inde poſſe colligi, quod in eorum pileo fuerit apex ſive virga lanata. Et ſi forte pileos deponere vellent, propter æſtum, debebant minimum capita filo religare, unde etiam *Flamines*, quaſi *Filamines* dicti a nonnullis creduntur. Servius *Æn. libro* II. *Flamines in capite habebant pileum, in quo erat virga brevis, deſuper habens lanæ aliquid, quod cum æſtus ferre non poſſent, filo tantum capita religare cœperint; nam nudis penitus eos capitibus incedere nefas fuerat, unde a filo, quo utebantur, Flamines dicti ſunt, quaſi filamines.* Apud Arabas Sapientes & Sacerdotes lana veſtitos fuiſſe, apparet vel ex ſolo nomine; dicuntur enim eorum ſapientes صوفي a voce صوف *lana*, unde forſan & Græcorum σοφὸς & Hebræum אשף quod ſignificat *Aſtrologum*; Antiquorum enim ſapientes plerumque Sacerdotes, Philoſophi & Aſtrologi erant.

CXLIX. Ex his omnibus manifeſtum eſt, Lanificium in uſu fuiſſe jam inde a temporibus Moſis. Quidni? cum Ægyptii id attribuant Iſidi, & Oſiridi. Tertullianus de Pallio: *Cedo jam de veſtro, quod Ægyptii narrant, & Aelexander digerit, & Afer legit, ea tempeſtate Oſiridis, qua ad illum ex Lybya Ammon vaſit ovium dives: denique cum ipſis Mercurium autumant forte palpati arietis mollitie delectatum deglubaſſe oviculam: namque pertentat quod facilitas materiæ ſuadebat tractu proſequente filum eliquaſſe, & in veſtis priſtinæ modum, quam phylyra tenui vinxerat, texuiſſe.* Scilicet ante tempora iſta alias veſtes non agnoverunt mortales, præter pelles animalium, aut ex papyro, aut foliis arborum, aut etiam ex philyra, id eſt tenui membrana tiliæ arboris, quas in modum reſtis ſolebant torquere, & ex iis inter ſe nexis & plexis in retis modum veſtes conficere. Sed tempore Amonis & Oſiridis

ridis fortuito factum eſt, ut Mercurius oves Ammonis palpans, & mollitie lanæ delectatus floccum traheret & torqueret, unde didicit lanam poſſe torqueri in modum philyræ, & neri, ut inde veſtes conficerentur, quod Oſiridem docuit aut Iſidem. Atque inde initium lanificii. Sed *Oſiris* ille eſt ipſe *Mitzraim* Chami filius, de quo Moſes Geneſeos cap. x. Ideoque patrem dicitur habuiſſe *Ammonem*, qui & ipſiſſimus *Cham* merito creditur. Lanificium igitur initium ſumpſit tempore Chami, multis ſeculis ante Moſen, ut male Juſtinus Athenis attribuit illud inventum, cum Athenæ multa ſecula poſt conditæ fuerint.

CAPUT X.

DE זהב AURO IN VESTIBUS SACRIS.

Veſtes Pontificis Maximi auro & gemmis ornatæ. Ideo בגדי זהב veſtes aureæ. Ephod *&* Pectorale *ex auro*, Catenulæ *&* annuli aurei. Pallium *hyacinthinum.* Tintinnabula *aurea habuit.* ציץ corona *ex ſolido auro.* Varia *genera* auri *Talmudicis. Aurum* viride & Rufum. *Aurum* Tob, Tahor, Sagur, Mupaz, Meſukak, Schachut, Parvaim *&* Ophir. *Ex quibus locis Scripturæ probentur. Unde quodlibet genus auri ſic dicatur?* Tabrobane *idem quod* פרוים *quaſi* טף פרון littus Parvan. *Aurum catenarum, coronæ, tintinabulorum* טהור Tohor *dictum in S. Scriptura. Utrum* textilia *in ſacro veſtitu ex eodem genere auri? Textilia conſtitiſſe videntur ex auro* שחוט Schachut. *Aurum in S. veſtitu puriſſimum, nulli alii metallo miſtum.* Draps d' or & Brocars. *Bracteolæ argenteæ & æneæ inauratæ. Tenuiſſimas bracteolas ab altera tantum parte inaurare noverunt.* Laneæ *veſtes ſolum aurum intextum habebant, non lineæ. Hujus rei ratio.* Lineæ *aliquando aureæ apud Romanos. Id ut rem ſtultam damnavit Alexander Severus.* Caſauboni *&* Ferarii *diſſidium ſuper loco Lampridii. Ab utroque* Anaſtaſii *locus male allegatur. Uſus auri in veſtibus communis apud Veteres. Leges Aureliani, Taciti, & Severi contra abuſum auri. Apud* Perſas *præter veſtes etiam periſtromata & vela aurea. Pelles aura-*

tæ. Triumphantes auro veſtiti. Veſtimentis aurea tintinabula *appendebant Perſæ. Agrippinæ* Paludamentum *ex auro textili, ſine alia materia. aureæ armillæ, inaures, torques &c. Cyclade non licuit uti quæ plus auri, quam ſex uncias haberet. Lex Severi. Sacerdotes gentilium & ſacrificantes aureis veſtibus induti. flaminum* lænæ auratæ. *Aſellus Prætor ſacrificans auro veſtitus.* In ſancto *multum auri adhibebatur.* Argenti *in re veſtiaria apud veteres nullus uſus. Hinc majus damnum auri quam argenti tempore D. Aureliani. Ars argentum in fila deducendi & veſtibus intexendi, ſub ultimis Imperatoribus apud Græcos in uſu.* Syrmatina. συϱματζνὸν *argenteis textum filis. Ars aurum veſtibus intexendi antiquiſſima. Æneas auro veſtitus. Helenæ &* Ledæ *veſtes aureæ. Error Plinii qui iſtius artis inventorem facit in Aſia Attalum Regem.* Locus *Pſalm* XLV. *laudatus.* Pallium Sinhar *tempore Ioſuæ aureum, ſecundum Ioſephum. Tempore Aharonis ars iſta cognita. Quomodo ex auro facta fuerint filamenta docet Moſes. Quem explicant Chaldæus, & Iarchius, Exodi* XXVIII. V. *& cap.* XXXIX. III. *Veteres eadem arte, qua hodie, metalla in rotunda filamenta inſtar neti deducere, non noverunt.* Klinkant. *Tempore primorum Imperatorum illa ars in uſu. Tempore Moſis aliter fiebat.* Gemmæ *in veſtitu Pont. M. Exod. c.* XXVIII. *verſibus* XVII. XVIII. XIX. XX. *Veterum luxus in gemmis. In* Armillis &c. *In* veſtimentis. *Margarita* Clopatræ. *Perſarum Regum veſtes margaritis & aliis gemmis ornatæ. Totum corpus gemmis tectum ex plinio probatur.* Calcei, Perones, Cinguli *&* vaginæ *gemmatæ.* Heliogabali *ſtulta ſuperbia. Parthorum & Medorum luxus. Iulius Cæſar, Severus & alii Imperatores gemmas prohibuerunt. Pontifices gentilium veſtimenta gemmis ornarunt.* Ægytiorum *Sacerdotes.* Cælia *virgo veſtalis.*

CL. Hæc de lino & lana, ſacerdotalium veſtimentorum, ſic proprie dicta materia, ſufficiant. Alia occurrit materia, ſed quæ magis ad ornatum; quam ad veſtitum facit, *aurum* ſcilicet & *lapides pretioſi:* quamobrem etiam veſtes Pontificis Max. בגדי זהב *veſtes aureæ* dicuntur. Has veſtes non tantum ex lino & lana, ſed & ex auro conſtitiſſe, manifeſtum eſt, Exodi capite XXVIII. ubi aurum ſimul cum lino & lana præſcribitur, & in veſtimentis ſacris

ſacris adhiberi jubetur ; vide verſum v. Sed præter legem iſtam generalem, habemus etiam leges ſpeciales, quæ mox ſequuntur, ubi de certis quibuſdam veſtimentis tantum fit mentio. verſu VI. ועשו את האפוד זהב *Et facient Ephod illud ex auro*. De Pectorali: ועשית חשן משפט מעשה חשב כמעשה אפוד תעשנו זהב וגו׳ *Et facies Pectorale judicii opere artificioſiſſimo; ut opus Ephodi facies illud ex auro &c.* Ergo *Ephod* & *Pectorale* ex auro erant: id eſt filamenta aurea, cum hyacinthinis, purpureis & coccineis adhibebantur, & veſtimentis illis intexebantur, de quibus nos plura infra, ubi ad genus texturæ deventum fuerit. Non tantum intexebatur aurum, verum etiam ſolidum aurum exterius in ornamenta appendebatur. In Ephodi humeralibus, & in Pectorali judicii erant *catenulæ aureæ* & *annuli aurei*, quibus humeralia & pectorale, quaſi fibulis adnectebantur. מעיל ſive *Pallium* Pontificis Max. nihil quidem auri textum habuit, erat enim כליל תכלת *totum hyacinthinum* commate XXXI. *Aurum* tamen appenſum habuit, ut *tintinnabula aurea*. com. XXXIV. Præter hæc omnia, quæ aurum vel intextum vel adnexum habebant, aliud genus veſtimenti memoratur, quod ex ſolido auro, abſque ulla alia materia, conſtabat: nempe ציץ ſive *corona* ſacra in fronte Pont. Max. verſu XXXVI. Sed de hiſce omnibus plura, libro ſecundo, ubi quodlibet veſtimentum ſeorſum examinabimus.

CLI. Varia auri genera memorant magiſtri, plurimis in locis, quæ uſum habuerint in ſacris. *Maſſechet Ioma cap.* IV. *Halacha* IV. loquitur Miſna de auro viridi & rufo: בכל יום זהב ירוק והיום אדום *Semper erat aurum viride, ſed hoc die* (nempe die expiationum) *erat rufum*. Gemarici in utraque Gemara, cum Jeruſalemitana, tum Babylonica, ſuper hac Miſna, non tantum duo, ſed ſeptem genera auri recenſent. שבעה זהבים הן זהב טוב זהב טהור זהב סגור זהב מופז זהב מזוקק זהב שחוט זהב פרויים: *Septem ſunt genera auri. Aurum Tob, aurum Tahor, aurum Sagur, aurum Mupaz, aurum Meſukak, aurum Schachut, aurum Parvaiim.* Ita enumerantur a Jeruſalemitanis, quæ fere iiſdem verbis repetuntur in Schemoth Rabboth, *paraſcha* XXXV. *fol.* CLII. Babylonici ad eandem Miſnam addunt זהב אופיר *aurum Ophir*, neglectis tamen זהב טהור *auro Tahor*, & זהב מזוקק *auro Meſukak*. Hæc omnia didiciſſe videntur ex Sacra Scriptura; iſta namque epitheta auro, in ſacro textu attribuuntur. Aurum *Tob* eruunt ex capite II. Geneſeos,

verſu

verſu XII. וזהב הארץ ההיא טוב *Et aurum iſtius terræ eſt Tob* זהב טהור *aurum Tabor* pluribus in locis reperitur, etiam hoc capite XXVIII. Exodi. זהב סגור *aurum Sagur.* 1 Reg. VI. XX. ויצפהו זהב סגור *Et obduxit illud auro Sagur.* זהב מופז *aurum Mupaz* 1 Reg. X. XVIII. ויצפהו זהב מופז : *Et obduxit illud auro Mupaz* : זהב מזוקק *aurum Meſukak* 1 Chron. XXVIII. XVIII. זהב שחוט *aurum Schachut.* 1 Reg. X. XVII. מגנים זהב שחוט *Scuta ex auro Schachut* זהב פרוים *aurum Parvaim.* 2 Chron. III. VI. והזהב זהב פרוים *Et aurum illud erat aurum Parvaim.* זהב אופיר *aurum Ophir*, quod memorat Gemara Babylonica, reperitur I. Chronicor. XXIX. IV. De hiſce omnibus generibus auri, vide alibi pluribus in locis.

CLII. Cunctæ illæ ſpecies auri ita vocantur, aut a natura & bonitate auri, aut a loco unde eruitur. Talmudici tradunt aurum *Tob* ſic dici a *bonitate*, prout טוב *Tob* bonum ſignificat, quia revera bonum & utiliſſimum. זהב טוב כמשמעו *aurum Tob, ita dicitur ſecundum ſignificationem vocis.* טהור *Tabor*, quod puriſſimum, & plane nihil admixtum habet. שמכניסין אותו לאור ואינו חסר כלום *Injiciunt illud in ignem, ſed plane nihil amittit*; טהור *Tabor* enim *mundum* ſignificat. סגור *Sagur* dicitur à *claudendo*: סגור enim *claudere* eſt : ſcilicet quod occludatur ob pretium; aut etiam quod omnes tabernæ (præſertim nummulariorum) claudantur quando hoc venale exponitur, quæ opinio eſt Babyloniorum בשעה שנפתח כל החניות נסגרות *quando venale exponitur, omnes tabernæ clauduntur* : nullum enim aliud aurum tunc divendi poterat, ut etiam exponit gloſſa. מופז *Mupaz*, שדומה לפז *quia eſt inſtar paz*, ut loquuntur Babylonii, aut שדומה לפז מצהיב כמרגליות *quia ſplendet inſtar Margaritarum*, ut habet gloſſa. Jeruſalemitani דומה לאש מצחת נפרית *Eſt inſtar ignis ardentis ſulphere.* Sed multo verius quod addit ipſa Gemara, ſcilicet ita dici a loco, לשם מקומו הוא נקרא וזהב מאופז *Secundum nomen loci ita vocatur, quaſi aurum ex Uphas.* Jerem. cap. X. IX. מזוקק *Meſukak* : שהיו טוחין בו את הכתלים *quia hoc auro obducunt parietes*, ut habet Rabboth & Talmud Jeruſalemitanum. שחוט *Schachut*, שהיה נטוה כחוט *quia netur inſtar fili*, ut habet Gem. Babylonica, aut, uti ait Jeruſalemitana, שהיה נמשך בשעוה *quia ducitur inſtar ceræ*, quæ Rabboth, dicto loco, ſic contraxiſſe videtur: זהב שחוט שהיה נמשך כחוט והיה סכין בו כשעוה הנתינה של גבי פינקס *Aurum Schachut, quia deducitur inſtar filamenti, & quo aliquid tegi poteſt inſtar ceræ, qua tabula obducitur.* פרוים *Parvaim*, שהיה

ארום

אדום דומה לדמו של פר *quia eſt rubrum, ut ſanguis juvenci.* Vide utramque Gemaram & Rabboth: ſed rectius dixiſſent ita vocari a loco, unde afferebatur, veluti ex *Tabrobane*, aut aliis locis: Ipſum ſi quidem פרוים nil aliud eſſe creditur, etiam doctiſſimis viris, quam *Tabrobane*, quaſi טף פרון *littus Parvan.* אופיר *Ophir*, דאתי מאופיר *quod venit ex Ophir.* Fortaſſis una eademque ſpecies auri eſt, illud מופז/פרוים, & אופיר, ſed de hiſce omnibus fuſius diſputabimus, ubi de Templo & ſacris vaſis.

CLIII. Cæterum ubi mentio fit de auro, quod in ſacro veſtitu adhibetur, veluti Exodi XXVIII. XXII. XXXVII. & cap. XXXIX. XV. XV. XXV. XXX. præſertim quando ſermo eſt de rebus illis quæ ex ſolido auro conſtabant, quales ſunt *catenulæ aureæ* in pectorali, *Corona & tintinnabula*, vocatur ſemper זהב טהור *aurum Tabor.* Utrum autem diverſæ iſtæ voces; quas jamjam recenſuimus & explicavimus, revera diverſa genera auri ſignificent, & an omnia veſtimenta ſacra, etiam textilia opera, ex auro *Tabor* conſtiterint, nemo facile probaverit. Fortaſſis aurum *Tabor* adhibitum fuit tantum iſtis rebus, de quibus expreſſe dicitur. Textilia autem opera facta fuiſſe potius ex auro *Schachut*, credibile eſt, ut ejuſmodi operibus aptiſſimum: erat enim valde ductile, & facilius quam ullum aliud in filamenta deduci poterat, unde & שחוט *Schachut* dictum שהיה נטוה כחוט *quia nebatur ut filamentum.* Ex tali itaque auro facta fuiſſe filamenta, quæ cum lana hyacinthina, purpurea & coccinea torquebantur, quis conjecturare merito poterit. Puriſſimum itaque & præſtantiſſimum aurum adhibebatur, quod alterius metalli nihil admiſtum habuit, nec erant filamenta & bracteolæ, quibus noſtri artifices hodie utuntur, in ſuis texturis aureis, quas pannos aureos, *drap d'or & brocars*, fortaſſe a *bracteolis* vocant, in qua arte exercitatiſſimi ſunt Veneti, qui non tantum tenuiſſimas bracteolas ducere norunt ex argento & alio metallo, & inaurare ut alii; ſed & ab una parte ſolum ſciunt inaurare, altera parte auro nudata, arte ſane ingenioſiſſima, quæ ars cæteros populos, fere per totum orbem latet, facilius enim eſt ab utraque parte, quam ab una tantum, laminas tam minutas auro tegi.

CLIV. Laneæ veſtes ſolæ, ut ex dictis ſatis apparet, aurum intextum habebant, non autem lineæ, nam feminalia, tunica & infulæ nullum agnoverunt: nec mirum, cum moris non fuerit aurum intexi, niſi laneis aut ſericis, non autem lineis. Et ratio ma-

nifeſta eſt: aurum enim rigidas reddit veſtes, & cum corpori nudo maxime adhærere ſoleant lineæ, multum illi moleſtiæ adferrent. Optimo igitur jure veſtes illas ut ſtultas damnavit Alexander Severus, referente Lampridio, in vita ejus. *Boni*, inquit, *linteaminis appetitor fuit; & quidem puri, dicens ſi lintei, idcirco ſunt ut nihil aſperum habeant, quid opus eſt purpura? in linea autem aurum mitti etiam dementiam judicabat, quum aſperitati adderetur rigor.* Eo enim dementiæ venerant homines tunc temporis, luxui dediti, ut, non contenti ſericis veſtibus auro & purpura ornatis, etiam lineas purpura & auro clavatas geſtarent, quæ carni nudæ adhærentes, aſperitate purpuræ, & rigore auri corpus facile lædebant. Ejuſmodi veſtium meminiſſe Anaſtaſium in vita Benedicti Tertii, docet Caſaubonus ad dictum locum Lampridii. Has autem veſtes Caſaubonus non ad uſum comparatas credidit, verum ad ornatum ædium ſacrarum. Refutatur tamen a doctiſſimo Ferrario *de Re veſtiaria libro* III. *cap.* V. *Nihil aliud*, inquit, *illæ Camiſiæ fuerunt, quam lineæ tunicæ ſacrificantum, & ad uſum ſacrorum, non ad ornatum templorum.* Sed quid veſtes illæ lineæ, de quibus Alexander Severus apud Lampridium, ad veſtes ſacras Anaſtaſii? cum fuerint *Camiſiæ albæ ſigillatæ holoſericæ, cum Chryſoclavo.* Audin *holoſericas* fuiſſe, non *lineas?* Ideo non mirum ſi aurum intextum habuerint. Utut ſit, nullas veſtes lineas noſtrorum ſacerdotum aurum intextum habuiſſe certum eſt. Rarum id etiam fuit in veſtimentis gentilium.

CLV. Secus res ſeſe habebat in veſtibus laneis & ſericis. Tempore Aureliani, ut auctor eſt Vopiſcus in vita ejus, tantus fuit abuſus auri in Cameris, in tunicis & in pellibus exornandis, ut Imperator in animo habuerit legem dare, *ut aurum neque in Cameras, neque in tunicas, neque in pellibus, neque in argentum mitteretur, dicens plus auri eſſe in rerum natura, quam argenti: ſed aurum per varios bractearum, filorum liquationum uſus perire.* Hujus autem rei illi auctor fuit Tacitus Imperator, ut tradit Vopiſcus in *vita Taciti*: *Auro clavatis veſtibus*, inquit, *idem interdixit, nam & ipſe auctor Aureliano fuiſſe perhibetur, ut aurum a veſtibus & pellibus ſubmoveret.* Alexander Severus ut immoderatum iſtum luxum, & auri damnum tandem reprimeret, ut refert Lampridius, voluit *Regias matronas contentas eſſe uno reticulo, atque inauribus, & baccato monili, & corona cum qua ſacrificium face-*

facerent, & unico pallio auro ſparſo, & cyclade quæ ſex unciis auri plus non haberet. Apud Perſas non tantum veſtes aureas, ſed & periſtromata, & vela aurea in uſu fuiſſe certum eſt. Videatur imprimis Briſſonius *de Regno Perſarum libro* III. *&* alibi. Pelles auratas Græci χρυσοπάστους vocabant. Veſtes præterea pro vario ornatu clavorum, virgarum, litterarum & ſignorum χρυσοπήνους, χρυσοσήμους, & *Chryſoclavatas* dicebant. Veſtes aureas Regum & Magnatum, præſertim feminarum, ornatum fuiſſe, evidens eſt magis quam ut probatione egeat. Virgilius *Æn. lib.* I.

——— *Pallam ſignis auroque rigentem.*

Et *Æn. lib.* III.

Fert picturatas auri ſubtemine veſteis.

Apud ipſos Gallos, proceres geſtaſſe veſtes tinctas & auro variegatas tradit Strabo *libro* IV.

Aurea cæſaries illis, atque aurea veſtis,
Virgatis lucent ſagulis, tum lactea colla
Auro innectuntur.

Triumphantes auro veſtitos docet Appianus *libro* I. *Punicor.* Ἔσταλται δ' ἐς τὸν πάτριον τόπον πορφύραν ἀστέρων χρυσῶν ἐνυφασμένον. *Induitur togam purpuream aureis ſtellis intextam.* Hinc & ii qui funus viri Triumphalis comitabantur geſtarunt ἐσθῆτας διαχρύσους *veſtes aureas.* Nec aurum veſtibus tantum intextum & adpictum habuerunt, ſed & adpenſum, ut *tintinnabula* aliaque ornamenta, quemadmodum in Pallio Pontificis M. præſertim Perſarum Reges. Sed de his plura ſuis locis. De *coronis* aureis, quas ſacrificantes & alii geſtarunt, etiam aliquid dicemus, ubi eo deventum fuerit. *Nebatur etiam aurum & texebatur lana modo, & ſine lana. Tunica aurea triumphaſſe Tarquinium Priſcum, ex Verrio* docet Plin. *lib.* XXXIII. c. III. *Nos vidimus Agrippinam Claudii Principis, edente eo navalis prælii ſpectaculum, aſſidentem ei, indutam paludamento, auro textili ſine alia materia.* Vide ibidem. Taceo aureas armillas, inaures, torques, annulos, crinalia, & id genus infinita. Ut uno verbo abſolvam, fuit abuſus auri in veſtibus, ut etiam Imperator Alexander Severus, teſte Lampridio, prohibuerit uti *Cyclade, quæ plus auri haberet, quam ſex uncias*, quem locum modo allegavimus.

CLVI. Porro veſtes aureas habuerunt non tantum Hebræorum Pontifices Maximi, ſed & Ethnicorum Sacerdotes & ſacrificantes.

Flaminum lænas purpureas & auratas fuiſſe, colligi poteſt ex Virgilio *Æneid libro* IV. ubi Æneam ut Flaminem introducit auro veſtitum :

——— *Et tenui telas diſcreverat auro.*

Et Appianus libro primo de Bello Civili, ubi de Aſellio, Prætorem, ait, ſacrificantem καὶ ἱερὰν, καὶ ἐπίχρυσον ἐσθῆτα ὡς θυσίᾳ περικείμενον. *Sacram atque auro intextam veſtem, ut in ſacris, indutum.* Nota quod dicat ὡς θυσίᾳ, ut conſtaret moris eſſe inter ſacrificandum ejuſmodi veſtibus uti. Et libro II. καὶ θύειν μὲν αὐτὸν αἰεὶ θριαμβικῶς ἠμφιεσμένον. *Et ſacrificando triumphali veſte utebatur.* Sed modo oſtendimus ex eodem auctore, triumphantes πορφύραν ἀστέρων χρυσῶν ἐνυφασμένον, *purpuram aureis ſtellis intextam* habuiſſe. At in rebus ſacris aurum ſatis fuiſſe familiare, ſive in veſtibus, ſive aliis in rebus, colligi quoque poteſt, ex Perſio, Satyra Secunda.

Dicite Pontifices in ſancto quid facit aurum?

Sane quam commune fuerit aurum in Templo Jeruſalemitano, præter veſtes Pontificis Maximi, ſive ad ipſius Templi ornatum, ſive ad vaſa & inſtrumenta, omnes ſciunt, modo non ſint plane peregrini in Sacra Scriptura. Sed plane ſtupendam fuiſſe copiam auri, & cæteris populis fere inauditam, in ſacro hoc ædificio, fuſius docebimus alibi, in noſtro Opere de Templo & vaſis ſacris, nec non in noſtris obſervationibus ad auctores de Re Numaria. De auri colore vide infra, ubi de coloribus.

CLVII. Argentum veſtibus ſacris non intexebatur, nec id notum fuit apud veteres. Temporibus Aureliani *argentum in uſu ſuo manebat*, non autem aurum, quod *peribat per varios bractearum, filorum & liquationum uſus. Habuit in animo*, ait Vopiſcus de Divo Aureliano in vita ejus, *ut aurum neque in Cameras, neque in tunicas, neque in pelles, neque in argentum mitteretur, dicens plus auri eſſe in rerum natura, quam argenti: ſed aurum per varios bractearum, filorum & liquationum uſus perire, argentum autem in ſuo uſu manere.* Ad quæ verba optime Magnus Salmaſius adnotavit : nondum ætate Aureliani inventum fuiſſe ut argentum in fila deduceretur, id vero ſub ultimis Imperatoribus apud Græcos multum in uſu fuiſſe; eaque *Syrmatina* dicta fuiſſe a *Syrmate*, hoc eſt filo argenteo. & apud Codinum συρματίνον argenteis textum filis, & argentatum ſignificare, quod ibi multorum Græcorum teſtimoniis probat.

CLVIII. In-

CLVIII. Interim ars aurum veſtibus intexendi antiquiſſima eſt: Æneas enim & alii illis temporibus auro veſtiti dicuntur a Virgilio, ut ſupra audivimus. Et apud Trojanos talia ornamenta non fuiſſe ignota, conſtat ex eodem Virgilio *Æn. libro primo.*

Munera præterea Iliacis erepta ruinis
Ferre jubet: pallam ſignis auroque rigentem,
Et circumtextum croceo velamen acantho,
Ornatus Argivæ Helenæ, quos illa Mycenis,
Pergamo cum peteret, inconceſſoſque Hymenæos,
Extulerat, matris Ledæ mirabile donum.

En jam temporibus Helenæ & Ledæ palla auro rigens nota fuit. Hujus artis inventorem facit in Aſia Regem Attalum, Plinius *libro octavo, capite* XLVIII. *Aurum,* inquit, *intexere in eadem Aſia invenit Attalus Rex: unde nomen Attalicis.* Sed vehementer fallitur Plinius: nam multum ante viguit ars aurum intexendi. Tempore Salomonis jam in uſu fuiſſe docet Pſaltes Pſalmo XLV. ſi quidem ſponſa ejus במשבצות זהב לבושה *veſtibus laculatis aureis veſtita erat.* Si Joſepho credimus, ipſum pallium Sinhar, interdictum Jerichunticum aureum erat. *Antiq. lib.* V. *cap.* I. ubi illud vocat χλαμύδα βασίλειον ἐκ χρυσοῦ μὲν πᾶσαν ὑφασμένην. *Paludamentum regium ex auro totum intextum.* Sed quid opus iſta omnia referre; cum ex veſtibus Aharonis conſtet, id tempore Moſis jam repertum fuiſſe? Attalus igitur iſtius artis primus inventor non fuit, ſaltem non in Aſia. Et ſi quid præſtitit præter cæteros, id forſan in Græcia factum fuit, niſi forte probari poteſt, etiam ante tempora illius, jam in Græcia notam fuiſſe artem aurum intexendi veſtibus.

CLIX. Tradit præterea Moſis quomodo aurum in filamenta deductum fuerit, Exodi capite XXXIX. III. וירקעו את פחי זהב וקצץ פתילים לעשות בתוך התכלת וגו׳ *Extendebant laminas auri & ſcindebant filamenta, ut eſſent inter hyacinthina* &c. Chaldæus habet: ורדידו ית טסי דדהבא וקציצו חוטין : *Extendebant,* vel ducebant *laminas,* aut bracteas *auri, & ſcindebant filamenta.* Hiſce verbis idem exponit Jarchius ad Exodi caput XXVIII. V. היו מרדדין את הזהב כמין טסין דקין וקוצצין פתילין מהם וטווין אותו חוט של זהב עם שש וגו׳ : *Extendebant aurum inſtar bractearum tenuium, & ex iis ſcindebant filamenta, & nebant filamentum aureum cum byſſino, &c.* Hic conſtare videtur veteres, tempore Moſis, eandem ar-

tem metalla deducendi & nendi, quæ hodie viget apud nos, non habuiſſe; ſcilicet ut ex metalli maſſa, ſatis craſſa inſtar longioris bacilli, filamenta ſubtiliſſima & rotunda quidem ducerent, ſive id fieret mola, ſive alia arte, uti fit Aquiſgranis, Venetiis, in Weſtphalia & alibi, cum prius laminas tantum tenues, ſed latiores duxerint, ex quibus minores & anguſtiores bracteolas ſcindebant, ita quidem ut fuerint filamenta non rotunda, ſed in modum laminarum minutiſſimarum, quales ſunt bracteolæ illæ noſtræ aureæ & argenteæ, quæ cum ſerico nentur, unde textilia opera fiunt, & quas etiam *Klinkant* vocamus. Apud nos ducuntur ex metallo filamenta tenuiſſima & rotunda, infinitæ longitudinis, quæ deinde eadem fere arte planæ fiunt ad formam laminarum. Tempore priorum Imperatorum artem æs & alia metalla in rotunda filamenta deducendi, cognitam fuiſſe ſatis conſtat ex veteri ſuppellectili quæ ſubinde eruitur, quales ſunt *ſtili*, *fibulæ*, & alia opera ſatis nota, ac omnium fere manibus trita. *Si aurum textile* fuit, ut inde veſtimenta, *ſine ulla alia materia*, fierent, ut ſupra ex plinio *libro* XXXIII. audivimus, proculdubio ars aurum in filamenta rorunda deducendi, tunc temporis nota fuit. Saltem in noſtro veſtitu ſacro, aurum eadem arte qua hodie, prius in filamenta rotunda deductum fuiſſe, quæ deinde in bracteolas planas formarentur, non liquet, immo contrarium conſtat. Prius laminas ſatis latas faciebant; ſed tenues, ex qua poſtea aliis inſtrumentis ſcinderentur anguſtiores bracteolæ quæ cum hyacinthino &c. torquebantur & texebantur.

CLX. Tandem ut veſtes ſacræ ornatiores & pretioſiores fierent, ad majorem pontificis gloriam atque decorem, non ſolum molliſſima lana, tenuiſſimum linum & puriſſimum aurum adhibebatur, ſed præterea etiam *gemmæ* ingentis pretii in Ephodi humeralibus, & in pectorali; ut præter duos lapides pretioſos שהם *Schoham*, quibus Ephodi humeralia, quaſi fibulis, in humeris nectebantur, adhuc duodecim alios geſtaverit in pectorali judicii. In quatuor autem ordines diſpoſiti erant, prout recenſentur Exodi cap. XXVIII. verſibus XVII. XVIII. XIX. XX. אדם׳ פטדה׳ וברקת׳ נפך׳ ספיר׳ ויהלם׳ לשם׳ שבו׳ ואחלמה׳ תרשיש׳ ושהם׳ וישפה : *Odem*, *Pitdah*, *& Bareketh*, *Nophech*, *Saphir & Iahalom*, *Leſchem*, *Schebo*, *Achlama*, *Tarſchiſch & Schoham & Iaſchpe.* Quales autem hæ gemmæ fuerint, accuratius examinabimus libro ſecundo, ubi ad pectorale deventum fuerit.

CLXI. Nec gentilium veſtimenta ſacra monilibus & gemmis carebant. Veteres ſiquidem non minori luxu ſuperbire ſolebant, in gemmis, quam in auro & aliis ornamentis, præſertim nequior ſexus. Nihil jam dicam de gemmis, quas Veteres gerebant a veſtimentis ſejunctas, quales ſunt torques, armillæ, annuli, inaures, crinalia, id genus plus ſatis; de quibus Ovidius *libro* I. *de Remedio Amoris.*

Auferimur cultu: gemmis auroque teguntur
Omnia, pars minima eſt ipſa puella ſibi.

Et Martialis *lib.* v. *Epigr.* XI.

Sardonichas, Smaragdos, adamantas, Iaſpidas uno
Verſat in articulo ſtella, Severe meus.

Unde Tertullianus, *de Habitu muliebri: uno lino decies ſeſtertium inſeritur, & Saltus & Inſulas, tenera cervix fert. Breviſſimis loculis patrimonium grande profertur.* Ut taceam Margaritam Cleopatræ, quæ plus *centies ſeſtertium* valuit. Ipſa etiam veſtimenta, non tantum auro ſed gemmis ornabant. Perſarum Reges habuiſſe *veſtes ſcricas, cum lapidibus pretioſis & margaritis undique adpenſis,* capite VIII. ex *Targum Scheni,* jam demonſtravimus. Audiatur Plinius *Sed quota hæc portio eſt reputantibus purpuras, conchylia, margaritas? Parum ſcilicet fuerat in gulas condi Maria, niſi manibus, auribus, capite, totoque corpore a fœminis juxta viriſque geſtarentur. Quid mari cum veſtibus? Quid undis fluctibuſq; cum vellere? Non recte recepit hæc nos rerum natura, niſi nudos, Eſto ſi tanta ventri cum eo ſocietas, quid tergori? parum eſt, niſi qui veſcimur periculis, etiam veſtiamur.* Tam immoderato luxu quidam effuſi erant, ut gemmas, tanquam naturæ vilia munera, ad ſordidos calceos, perones & crepidas deprimerent, quaſi parum eſſet caput, collum brachia, pectus, tergum, latera, cingulos & gladiorum vaginas ornare, niſi & calceamenta iis oneraſſent. Lampridius, de monſtro hominis Heliogabalo, *habuit in calceamentis gemmas,* & quidem (quod ſtultitiam auxit) *ſculptas, quod riſum omomnibus movit; quaſi poſſent ſculpturæ nobilium artificum videri in gemmis, quæ pedibus adhærerent.* Luculentus teſtis erit & Tertullianus, *de Habitu Muliebri cap.* VII. *Gemmarum quoque nobilitatem vidimus Romæ, de faſtidio Parthorum & Medorum, cæterorumque gentilium ſuorum, coram matronis erubeſcentem, niſi quod ad oſtenſionem fere habentur. Latent in cingulis Smaragdi & cylindrinos vagi-*

vaginæ ſuæ , ſolus gladius ſub ſinu novit ? & in peronibus uniones emergere de luto cupiunt , jam gemmatum habent , quod gemmatum eſſe non debet , ſi non comparet : aut ideo comparet ut neglectum quoque oſtendatur. Claudianus *libro* II. *de Raptu Proſerpinæ.*

> *Parthica quæ tantis variantur cingula gemmis ,*
> *Regales junctura ſinus.*

Julius Cæſar , Severus & alii Imperatores , intollerabilem hanc ſuperbiam non ſemel reprimere conati ſunt. De quo videantur Suetonius , Lampridius , alii. Pontifices autem gentilium gemmis pretioſiſſimis veſtitum ſuum ornaſſe , infra , ubi de Ephodo & pectorali dicendum erit , clarius patebit , ubi Sacerdotes Ægyptiorum , Cæliam virginem veſtalem , & alios ejuſmodi gemmis & monili ornatas fuiſſe , demonſtraturi ſumus. Sed hæc de materia ſacrarum veſtium ſatis ; tempus poſtulat , ut & de coloribus aliquid dicamus.

Caput XI.

DE COLORIBUS SACRARUM VESTIUM.

De coloribus non niſi hariolando , ut cœci de coloribus , judicare poſſumus. Septuaginta interpretibus , Ioſepho , Philoni , Hieronymo & aliis non ſemper credendum. Eorum teſtimonia tamen ponderanda. Quinque colores in veſtitu ſacro recenſet Ioſepbus. Veſtes totius ſacerdotum turbæ albæ. *Sic & Pontificis Max. die Expiationum.* בגדי לבן veſtes albæ. *Hæ magis albæ quam cæterorum ſacerdotum , cum balteus tunc quoque albus , cæterorum vero Sacerdotum coloratus ſemper.* velum album *inter Pont. Max. & populum die Expiationis.* Vacca Rufa *veſtibus albis comburebatur. Gentilium Sacerdotes etiam albas veſtes geſtarunt. Sic & Ægyptiorum & Athenienſium.* Λαμπρὸν *apud Theophraſtum idem quod* λευκόν. *Sic in Apocalypſi* XV. VI. Ὀλολυγμὸς *ſcurris Athenienſibus* ſacrificans. *Demoſthenes albis veſtibus bovem mactat. Gallorum Druidæ albis veſtibus. Virgines Veſtales. Cereris ſacra alba veſte. Flamen Dialis album habuit Galerum. Fratres Arvales albas infulas. Fœminæ ſacerdotes Germanorum*

λευ-

λδυκείμϑυες. *Fidei ſacra fiebant manu involuta albo panno.* Cana Fides *Athenienſium & Alexandrinorum ſacerdotes calceos albos habebant. Albus color Diis gratiſſimus. Dii Gallorum veſtibus albis tecti.* Alba *Gallice* une aube *in Excleſia Romana. Privatorum albæ veſtes. Candidati veterum Romanorum & Chriſtianorum.* Dominica in albis. Cretati. *Veſtes creta dealbare opera fullonum. Principum miniſtri albis veſtibus. Dictum Domitiani. Codex de veſtibus holoveris. Aliquando gentilium ſacerdotes* nigras *veſtes geſtabant. Vellus nigrum. Palla lugubris. Bellonæ veſtes nigræ.*

CLXII. De coloribus, quorum apud Veteres, cum ſacros, tum profanos auctores ſit mentio, non niſi admodum parce, & hariolando ſermocinari licet: ut de rebus illis vix aliter quam cœci de coloribus, judicare poſſimus. Et ſane ſi quid ex Veterum artibus interiit (multa autem interierunt) inter res deperditas, maxime colores ponendi ſunt, præſertim cum ars inficiendi, cum antiquis infectoribus, ſæculo noſtro, quaſi invida fortuna, aut potius irato numine, quod immoderatum luxum inter mortales diutius ferre non potuerit, erepta ſit. Certiſſimum eſſe, quod ait Seneca, homines facilius credere viſui quam auditui, experientia tot retro ſæculis plus ſatis docuit: multo enim clarius percipere ſolemus veritatem rerum, quæ oculis noſtris ſeſe produnt, quam earum, quas auribus percipimus. Cum igitur nullus ſenſus de coloribus nos edocere poſſit, præter viſum, veteres autem colores ad nos non pervenerint, mirum utique non eſt, ſi in hac re cæcutiamus. Et quod difficultatem auxit, in hac noſtra materia, ubi de veſtitu ſacro quæſtio inſtituitur, illud eſt, quod tot & tam luculentos auctores non habeamus, quam in rebus profanis. Quis, quæſo, noſtram purpuram, quis coccinum, tandem hiacynthinum ſacri veſtitus oculis uſurpavit? Seniores, Joſephus, Philo Judæus, Hieronymus, aliique, de coloribus in ſuis ſcriptis paſſim ſermocinantur; ſed quis eorum vidit eos, aut ſi nonnulli viderint, ut de Joſepho ſane dubitandum non eſt, eorumne libri caſti, & ſinceri ad nos pervenerunt? Quot enim nothi, pro legitimo fœtu nobis non obtruduntur? Nihilne adulteravit ſciolorum inſcitia, librariorum incuria, & interpretum ſive præceps judicium, ſive linguarum & rerum, præſertim in Religione & ſacris ritibus, ignoran-

rantia? utinam nullum mendum in Joſepho, Philone & Senioribus unquam animadverſum fuiſſet! ſane ut teſtes omni exceptione majores libentiſſime eos adduceremus, fidemque eis haberemus, ut occulatis teſtibus, cæteris omnibus anteferendis. At cum toties nos fallant, non niſi admodum caute audiendi ſunt. Ideo non plane rejiciendi, ſed cum verpulorum cæteris magiſtellis examinandi, eorumque omnium conſenſus & teſtimonium ponderandum. Et ſi conjecturis aliquid dandum, hiſce multum concedendum eſſe, certum eſt.

CLXIII. Quinque omnino colores in ſacro veſtitu recenſet Ioſephus, de Bello Judaico Libro VI. χρυσȣ̃ τε ꙡ πορφύρας, ꙡ κόκκȣ, βύσσȣ ꙡ ὑακίνθȣ. *Auri, purpuræ, cocci, Byſſi & Hyacinthi.* De ſingulis jam agendum eſt, & primo quidem de *albo.* Plus ſatis jam oſtendimus duo genera fuiſſe veſtimentorum, alias lineas, laneas alias: lineas veſtitam fuiſſe totam ſacerdotum turbam juxta & Pontificem Max. die piaculari, x. Tiſri. Has fuiſſe albas, nemo dubitabit, ſiquidem omne linum natura ſua album eſt. Fateor expreſſis verbis non conſtare, cujus fuerint coloris veſtimenta ſacerdotum minorum, ſed cum dicatur lino eos veſtitos fuiſſe, nulla mentione facta de colore, meridiana luce clarius eſt, eorum veſtes fuiſſe albas. Ubi Scriptura loquitur de lino, nulla mentione facta de colore, color albus intelligendus eſt. Audiamus Maimonidem *Hilch. Kele Hammikdaſch cap.* VIII. בגדי כהן הדיוט הם ארבעה כלים· כתנת· ומכנסים· ומגבעות ואבנט· וארבעתן של פשתן לבנים· *Veſtes Sacerdotum minorum ſunt quatuor, tunica, feminalia, pileus & balteus, quæ omnes fiunt ex lino, ſuntque albæ.* Doctor Levi Barſelonius, *præcepto* XCIX. ubi de veſtibus Sacerdotum turbæ, *albas* eas quoque affirmat. וארבעות כלים אלה של פשתן היו לבנים, *Et quatuor illæ veſtes lineæ ſunt & quidem albæ:* Ejuſdem plane coloris fuerunt veſtimenta Pontificis Maximi, quibus amiciebatur, quum ſacra adyta intrabat magno die expiationum, ejuſdem namque erant materiæ; cum ex byſſo fuerint, niſi fortaſſis ex ſubtiliori & pretioſiori. Hinc excellentiori ſignificatu vocantur בגדי לבן *veſtes albæ.* Nec immerito, nam multo magis *albæ* dici poſſunt, quam ſacerdotum reliquorum veſtes, cum hæ non omnes albæ fuerint: habuerunt enim colores alios admiſtos, quod in balteo videre licuit, qui conſtabat non tantum ex lino albo, ſed & ex lana hiacynthini, purperei, & coccinei coloris: at veſtes Pontificis Maximi

ximi die Expiationum omnino nullum alium colorem agnoverunt. etiam in ipſo balteo, qui illo die ex albiſſimo & puriſſimo lino conſtabat, non minus quam feminalia, tunica & cidaris. Immo ut conſtaret, miniſterium illius diei fieri debere in veſtimentis albis, velum quoque byſſinum id eſt *album* pandebatur iter Pontificem Max. & populum, quum veſtes mutabat, quod cæteris anni diebus fieri non ſolebat, quod jam ex codice *Ioma*, *capite* III. probavimus. Vaccam rufam albis veſtimentis comburi ſolere, docet Miſna *Maſſechet Parah capite* IV. de quibus nos fuſius, ubi Codicem illum, quem cum pluribus aliis, qui de ſacrificiis & oblationibus, latinitate donavimus, & commentariis illuſtravimus, publico dederimus.

CLXIV. Cum gentilium ſacerdotes etiam lineas veſtes geſtaverint, uti ſupra demonſtravimus, eorum veſtes quoque albas fuiſſe propter eandem cauſam, certum eſt. Ægyptiacum linum hoc nomine præcipue laudatur a Plinio, *libro* XIX. *capite* I. ubi de Goſſypio: *Nec ullæ* (id eſt lina) *ſunt eis candore mollitiave præferenda. Veſtes inde Sacerdotibus Ægypti gratiſſimæ.* Plinio adſtipulatur Apulejus *libro* XI. *de Aſino aureo*, ubi de ſacris Iſidis: *viros feminaſque*, ait *habuiſſe lineas veſtes*, *atque ita candore luminoſos fuiſſe omnes. Antiſtites ſacrorum proceres*, addit *candido linteamine cinctum pectorale aduſque veſtigia ſtrictum injecti*, *potentiſſimorum domini proferebant inſignis exuvias.* Apud Athenienſes, qui rem divinam faciebant, alba veſte amicti erant, ut patet ex Theophraſti *Caracteribus*, *capite* XXII. ubi μικροφιλότιμον quendam introducit, qui inter alia etat περισκευασάμενος ἱμάτιον λαμπρὸν, *veſtimentum album*, non tantum *ſplendidum* ſed *album*, quod etiam τὸ λαμπρὸν ſignificat. Idem patet ex Apocalypſi cap. XV. VI, & alibi. Ideo veſtis λαμπρὸς, καθαρὸς & λευκὸς eſt una atque eadem. Uſque adeo veſtis alba propria videbatur ſacrificantium apud Athenienſes, ut etiam ſcurræ eos, qui candidati in publicum prodire ſolebant, ὀλολυγμοὺς vocarent, quaſi dicas *ſacrificantes.* Anaxandrides in Ulyſſe apud Athenæum *libro* VI *cap.* IX.

—— —— λαμπρός τις ἐξ ——
Ἐλήλυθεν, Ὀλολυγμὸς οὗτός ἐστιν.
—— *Si quis ſplendidus*
progreditur, *ſacrificans is eſt.*

id eſt, ſi quis *albus* progreditur &c. Sed ad hunc locum vide do-

ctiſſimum Caſaubonum. Demoſthenes ab Æſchino dicitur, στεφανωσάμενος καὶ λευκὴν ἐσθῆτα λαβὼν *coronam & albam veſtem ſumens*, atque ſic ἐβουθύτει *bovem mactavit*. Nec aliter Gallorum Druidæ ac Sacerdotes amicti. Plinius *libro* XVI *cap.* XLIII. *Sacerdos candida veſte cultus arborem ſcandit. Falce aurea demetit. Candido id excipitur ſago. Tum deinde victimas immolant.* Non niſi alba veſte virgines veſtales amiciri poterant, ut teſtis eſt Suidas, in Νουμᾶς Πομπίλιος. Καὶ, inquit, διὰ τοῦτο οὐ μύρῳ, οὐκ ἄνθεσιν, οὐχ ἱματίῳ χρῆσθαι συνεχωροῦντο, πλὴν λευκοῦ. *Atque ideo nec unguento, nec floribus, nec veſte niſi alba uti, ipſis conceſſum fuit.* Cereris ſacra albis fiebant veſtibus. Ovidius *libro* X. *Metamorph.*

Feſta piæ Cereri celebrabant annua matres
Illa quibus nivea velatæ corpora veſte.

Et *Libro* IV. *Faſtorum.*

Alba decent Cererem, veſtes cerealibus albas
Sumite, nunc pulli velleris uſus abeſt.

libro VI. *cap.* VII. & *libro* X. *cap.* XV. de Flamine Diali, ex Varrone hæc habet. *Is ſolus album habet Galerum, vel quod Maximus eſt, vel quod Iovi immolata hoſtia alba fieri oportet.* Et Fratrum Arvalium Sacerdotii inſigne eſt ſpicea corona & *albæ infulæ.* Fœminæ Sacerdotes apud Germanos caſtra ſequebantur, λευχείμονες, καρπασίνας ἐφαπτίδας ἐπιπεπορπημέναι, *albis veſtibus carbaſinis ſupparis deſuper fibulis affixis.* Supra capite III. oſtendimus Flamines Fidei ſacra feciſſe tectis manibus. Sed *albo panno* manus ad digitos involutas habebant. Hinc *cana fides*: *quod ei albo panno involuta manu ſacrificatur*, explicante Servio. Unde Horatius:

Et albo rara fides colitur velata panno.

Et calceos albos & phæcaſia habebant Sacerdotes Athenienſium & Alexandrinorum. Vide Appianum de *Bello Civili*, *libro* V. ubi de Antonio. Καὶ, inquit, στολὴν εἶχε τετράγωνον Ἑλληνικὴν ἀντὶ τῆς πατρίου, καὶ ὑπόδημα ἦν αὐτῷ λευκὸν Ἀττικὸν, ᾧ καὶ Ἀθηναίων ἔχουσιν ἱερεῖς καὶ Ἀλεξανδρέων, καὶ καλοῦσι φαικάσιον. *Habuit autem ſtolam quadratam Græcanicam, pro patria, & calceum induit album atticum, quibus Athenienſium & Alexandrinorum Sacerdotes utuntur, & quos phæcaſia vocant.* Nec prætermittendus locus apud Artemidorum *libro* II. *cap.* II. ubi *albas veſtes ſolis ſacrificantibus conferre*, docet. Quid mirum cum albus color Diis gratiſſimus reputaretur, ut docet Plato Νόμων ιβ. χρώματα δὲ λευκὰ, inquit, πρέποντ' ἂν θεοῖς

εἴη

εἴη ϗ ἄλλοθι ϗ ἐν ὑφῇ. *Colores albi Diis decori ſunt, cum in cæteris, tum in textili.* βάμματα δὲ addit μὴ προσφέρειν, ἀλλ᾽ ἢ πρὸς τὰ πολέμου κοσμήματα. *Tincta non niſi bellicis ornamentis adhibebantur*: quæ repetuntur a Cicerone fere totidem verbis, *libro* II. *de Legibus. Color autem albus præcipue decorus Deo eſt, tum in cæteris, tum maxime in textili. Tincta vero abſint, niſi a bellicis inſignibus.* Hinc & ipſi Dii Deæque albis veſtibus & velamine tegi aliquando ſolebant. Sulpitius Rhetor *libro* I. *de Vita Martini, Quia eſſet hæc Gallorum ruſticis conſuetudo ſimulacra Dæmonum, candido tecta velamine, miſera per agros ſuos circumferre dementia.* Nihil jam addam de victimis albis, quæ Jovi, Junoni, Herculi aliiſque diis immolabantur. Hæc fuſius pertractamus in noſtro opere *de ſacrificiis*, & de *vacca Rufa.* Nonne hic ritus pervenit ad Eccleſiam Romanam, ut ſacrificuli ſacra non aliter facerent, niſi veſte aliqua alba veſtiti? Inde *Alba* & Gallice *une aube.*

CLXV. Non ſoli tamen ſacerdotes albis veſtibus amiciebantur, ſed & privati. Noti imprimis ſunt *Candidati* apud Romanos, qui forſan originem dederunt veterum Chriſtianorum candidatis, & *dominica in albis.* Nec minus *cretati*, unde & proverbium. Veterum mos veſtes lavare, & creta quidem dealbare opera fullonum, lippis & tonſoribus notus eſt. Hinc toties mentio de fullonibus qui veſtes lavarunt, unde etiam apparet, eos veſtes habuiſſe albas laneas non minus quam lineas. Principum & magnatum quoque miniſtri albis veſtibus & aliquando auro diſtinctis ornabantur, cum miniſteria ſua obierunt. Suetonius de Domitiano refert in vita ejus: quod generum fratris indigne ferens & ipſum albos miniſtros habere, exclamaverit, οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη. Notat Valerius Maximus *lib.* VI. *cap.* I. *Imperatoribus in prœlium exeuntibus paludamentum album aut purpureum dari ſolere.* Chriſtus ideo veſtimento albo induitur. Luc. XXIII. II.

LXVI. Nigras tamen veſtes veterum Sacerdotes etiam ſæpiſſime habuere, imprimis quando Diis inferiis immolabant, quorum victimæ quoque nigræ erant, cum Jupiter, Venus, Ceres & alii magis albis gauderent. Apollonius *libro* III. *Argon.*

Ἑπτάκι δὲ Βριμὼ κουροτρόφον ἐκκαλέσασα,
Βριμὼ νυκτιπόλον χθονίην, ἐνέροισιν ἄνασσαν
Λυγαίῃ ἐνὶ νυκτὶ σὺν ὀρφναίοις φαρέεσσιν.

Tunc alba Brimo ſtans terque quaterque vocavit,
Brimo nocturnam, terreſtrem, quæ imperat umbris,
Induta obſcuram per noctem veſtibus atris.

Ex Ovidio modo audivimus.

Alba decent Cererem, veſtes Cerealibus albas
Sumite, nunc pulli velleris uſus abeſt.

Ergo *pulli* veſtes erant aliquando. Et Seneca *Oed.* III. I. vatis pallam *lugubrem* dicit.

Vates amicti corpus & frontem quatit.
Lugubris imos palla perfundit pedes.

Tandem nigrum veſtitum Bellonæ attribuit Tertullianus, ut Cereri candidum. Vide ejus Opus *de Pallio. Cur*, inquit, *iſtos non ſpectas, vel illos item habitus qui novitati ſuæ ſtare religionem mentiuntur? Cum ob cultum omnia candidatum, & ob notam vittæ, & privilegium Galeri Cereri initiantur, cum ob diverſam affectionem tenebricæ veſtis & tetrici ſupra caput velleris, in Bellonæ mentis fugantur.* De cæteris coloribus in veſtitu ſacro plura in ſequentibus.

Caput XII.

DE COLORE זהב AURI IN VESTIBUS SACRIS.

Veſtes Pontificis Maximi plures habuere colores. Ioſephus quinque recenſet, quales & Moſes. Philo quatuor. Auri color Fulvus. *Quid fulvum docet Fronto conſularis apud Gellium. Fulvum ex ruſo & viridi. Miſna & Martialis explicati de auro viridi. Scheringhamius notatus. Aurum viride dicitur Martiali a repercuſſu Smaragdorum.* ירוק *Hebræorum non ſemper* viride, *ſed &* flavum *ſignificat. Locus* Nedarim & Jarchius *allegati* ירקון Icterus, aurigo &c. *Color auri in ſacro veſtitu ſubrutulis ex flavo & ruſo miſtus, inſtar ardentis ignis.* Πυῤῥὸς Birrus *veſtimenti genus, ab igne & colore rubro. Ioſephus laudatus.*

CLXVII. Veſtes Pontificis Maximi per totum annum, quas aureas diximus, & Hebræi בגדי זהב plures habuerunt colores, ut & balteus omnium Sacerdotum, tum Summi, tum Minorum. Joſe-

Joſephum quinque colores recenſere in ſacro veſtitu, capite præcedenti demonſtravimus: *auri* ſcilicet, *purpuræ*, *Cocci*, *Byſſi* & *Hyacinthi*. Hieronymus tamen in Epiſtola ad Fabiolam poſt Philonem, de Congreſſu quærendæ Eruditionis gratia, aliique multi, immo ipſe Joſephus Antiquit. libro III. cap. VIII. quatuor tantum colores ſtatuunt, propter quatuor elementa, nempe *album* in lino, *hyacinthinum*, *purpureum* & *coccinum* in lana: atque ſic *auri color* non numeratur, quaſi ei nullus eſſet. Suum tamen peculiarem ſibi habuiſſe colorem aurum, dubitari non poteſt, cum non *album* fuerit, nec idem cum *hyacinthino*, *purpureo*, & *coccino*. Quinque itaque colores recenſendi ſunt neceſſario, prout Joſephus alibi eos enumerat: χρυσȣ̃, πορφύρας, κόκκȣ, βύσσȣ, ϗ ὑακίνθȣ. Et Moſes Exodi capite XXV. & XXVIII. & XXXIX. ubi habet: זהב׳ תכלת׳ ארגמן תולעת שני ושש *Aurum*, *Hyacinthinum*, *purpuram coccinum & byſſum* quæ omnia colores ſignificare, non minus quam materiam, jam docuimus. De albo actum eſt, nunc de cæteris, & primo quidem de aureo, deinde de aliis, eodem ordine quo recenſentur a Moſe, Exodi XXVIII. verſu VI.

CLXVIII. De auri colore non opus eſt ut operoſe diſputemus, cum vix ullus ſit inter mortales, a quo ignoretur ſuperbum hoc metallum, & a quo non ſummopere appetatur: cujus enim pectora non torſit,

.... *auri ſacra fames?*

Fulvi coloris eſſe aurum plus ſatis conſtat, ſed ita ut non nihil participet de rubore, & quo magis rutilum eo præſtantius eſt. Qualis ſit color fulvus, & cur aurum fulvum dicatur, docet Fronto Conſularis apud A Gellium *libro* II. *capite* XXVI. *Fulvus*, inquit, *videtur de ruſo atque viridi miſtus, in aliis plus rufi habere: ſicuti Poëta verborum diligentiſſimus, fulvam aquilam dicit, & Iaſpidem, fulvos Galeros,* FULVUM AURUM, *& arenam fulvam & fulvum leonem.* Color itaque fulvus ex rufo & viridi miſtus eſt, atque ille verus eſt & nativus color auri, quamvis reperiatur, in quo plus rufi ſit quam in alio.

CLXIX. Talmudici in Miſna *Ioma capite* IV. Halacha IV. mentionem faciunt de auro quod ſit *viride*, & de alio quod ſit *rufum*, quem locum allegavimus capite præcedenti, ubi de generibus auri diſputavimus; בכל יום ajunt, היה זהב ירוק והיום ארום *ſemper erat aurum viride, ſed hoc die* (die expiationum) *erat rufum.*

ſum. En aurum *rufum* & *viride.* Supra jam docuimus ex Gemaricis, cum Babiloniis tum Jeruſalemitanis, & ex Raboth, cur dicatur rufum? nempe quia eſt דומה לדם הפרים *ſimile ſanguini juvencorum*, ideoque dici זהב פרוים *aurum Parvaim*, 2 Chron. III VI. & alibi, quamvis ibidem alii verius ſtatuant, ita dici a loco, ubi reperitur, qualis forſan eſt *Tabrobane.* De colore *viride*, quem Miſna auro etiam adſcribit, cæteri magiſtri fere omnes ſilent. Doctiſſimus Scheringhamius ad hunc locum, allegat Martialem *lib.* XII. *Epigram.* XV.

Miratur Scythicas virentis auri
Flammas Iupiter, & ſtupet ſuperbus
Regis delicias.

quaſi Martialis per illud *virens* intellexiſſet, revera in rerum natura dari aurum viride. Sed fallitur doctiſſimus Scheringamius, nam Commentatores optime notant, aurum dici virens a Martiali, non quod reperiatur aurum coloris viridis, ſed tantum a repercuſſu Smaragdorum, aureis imaginibus & poculis inſertorum, quæ explicatio eo facilius accipi poteſt, quod mox addat:

Hæc ſunt pocula, quæ decent tonantem
Hæc ſunt, quæ Phrygium decent miniſtrum.

Sive itaque pocula iſta aurea, viridia dicantur a Poeta, ob Smaragdos virides, quibus ornabantur, ſive ab alia materia viride, certum eſt, talem colorem proprie loquendo auro non attribui; ſaltem fateor me in ſcriptis veterum nunquam tale quid legiſſe, nec ab ullo mortali, quamvis plures auri fabros noſtri temporis conſuluerim, quicquam audiviſſe, quod vel minimam ſuſpicionem de *auro viridi* mihi injicere potuiſſet. Quicunque in Rabbinorum ſcriptis vel parum verſatus eſt, facile capiet quid Magiſtri intelligant per ſuum aurum *viride*, nempe *flavum*, id enim ſignificat τὸ ירוק; nam etſi ſæpius viride intelligatur per iſtam vocem, tamen aliquando etiam flavum ſignificare, non dubito. Hoc ſenſu uſurpatur Maſſechet *Nedarim capite* VII. בצלים שירדו עליהם גשמים וצמחו אם היו עלין שלהן שחורין אסורין הוריקו מותרין: *Cepæ ſuper quas deſcendit pluvia, ſi germinent, quamdiu earum extremitates nigreſcunt. non legitimæ ſunt, quando flaveſcunt, legitimæ.* Sic enim exponit Jarchius: הוריקו inquit, שהן כמו כמישים ירוקין והכסיפו פניהן *Quando flacceſcunt, tunc Iaruk dicuntur: & facies earum fit pallida.* Quod autem Jarchius de cepis dicit הכסיפו, idem quoque dicitur de

auro

auro, quod palleſcit, uti alibi animadvertimus. Quis neſcit ירקון ſignificare *Rubiginem*, *pallorem*, *Auriginem*, *Icterum* aut *morbum regium*, quæ omnia flavum colorem denotant. *Eodem ſenſu apud Græcos ſumitur vox* χλωρὸς, *quæ* viride *quidem ſignificat*; *ſed non minus notat* flavum. *Apud Homerum* Il. λ. μέλι χλωρὸν mel flavum. *Et Apoc. cap.* VI. *com.* VIII. ἵππος χλωρὸς equus flavus. *non enim nec mel, nec equus eſt* viridis. Igitur non mirum, ſi aurum a Talmudicis ירוק dicatur, cum nihil aliud intelligant Magiſtri quam auri nativum colorem, qualis eſt flavus, eo magis cum color flavus ſit ſpecies viridis, & quaſi viride dilutum & moriens, unde & folia arborum, & herbæ, & alia viridis coloris, ubi incipiunt flacceſſere & arboribus decidere, ex viridibus flava fiunt, quod *feuille morte*, quaſi folium emortuum, dicimus. Nec ignorant infectores ſe vix quidquam colore viridi inficere poſſe, niſi prius flavum reddiderint. ut optime Fronto conſularis, uti modo audivimus, *Fulvus videtur de rufo & viridi mixtus*. Nihil igitur moror *virens aurum* Martialis, ad explicandum זהב ירוק Miſnæ, cum aliud nihil dicat, niſi ſingulis diebus totius anni, ſacra vaſa, de quibus fit mentio, fuiſſe ex auro minus pretioſo, etſi pretioſum fuerit, quale eſt aurum flavum: die autem piaculari, ut tunc omnia pretioſius fieri ſolebant, eſſe ex auro rufo, id eſt pretioſiſſimo, quod *plus rufi habet*, ut ait Fronto, unde magiſtris *ſimile* dicitur *ſanguini juvencorum*.

CLXX. Proculdubio aurum illud in ſacro veſtitu, non fuit viride, aut potius flavum, ſed optimum & pretioſiſſimum, nam non niſi pretioſiſſimum & puriſſimum in filamenta deduci ſolet, ideo facile crediderim fuiſſe illud זהב שחוט *aurum Schachut*, ita dictum quia netur inſtar fili, de quo capite præcedenti. Videtur igitur color auri in ſacro veſtitu ſubrutilus, ex flavo & rufo miſtus, lucidiſſime micare, ut ſuo ſplendore atque flamma oculos ſpectantibus perſtringeret, inſtar ardentiſſimi ignis, prout color ruber græcis πυῤῥὸς, ἀπὸ τοῦ πυρὸς ab igne dicitur, unde & *birrus* veſtimenti genus a colore rubro. Hoc videtur innuere Joſephus *Antiq. libro* III. *cap.* VIII. ubi aurum veſtibus ſacris intextum putat διὰ τὴν προσοῦσαν ἅπασιν αὐγὴν, *propterea quod omnibus inſit ſplendor.*

Kaput XIII.

De תכלת colore cærvleo.

Colores arrefacti in lana תכלתי ארגמני תולעת שני. *Circa hos major difficultas quam circa nativos.* Thechelet *variæ interpretationes. Plurima per* ὑάκινθον, cæruleum *volunt*, *alii* flavum, *ſunt qui* nigrum, *alii* viridem. *Thechelet non eſt flavus color. Lutherus notatus. Gallica verſio* pourpre, *quo ſenſu? Non fuit* nigrum. *Iaphet notatus. Non Viride. Iarchius & Aben-Ezra notati. Quo ſenſu excuſari poſſint?* ירוק *quid? viride, flavum, fortaſſis & cæruleum. Cæruleum viride eſſe docet Baiſius. Sine cæruleo viride tingi non poteſt. Ruſticus ab infectoribus Delphenſibus lepide deceptus. Ejus tibialia ex viridibus ſubito cærulea facta. Iarchius* ירוק *a viridi videtur diſtinguere. Inter viride & cæruleum difficilis diſtinctio. Vetuſtiſſimi interpretes* תכלת ὑάκινθον hyacinthum *interpretantur. Græci ſemel* ὁλοπόρφυρον *&* πορφυρᾶν. Thechelet *ſive* hyacinthus *lapidem & florem ſignificat. Quid lapis hyacinthus auctoribus modernis?* Iacinte la belle. *hyacinthus varii coloris. Boetius & de Laet laudati. Epiphanio quinque genera hyacinthorum. Error noſtrorum lapidariorum. Confundunt hyacinthum, chryſolithum, carbunculum, amethyſtum, ſapphirum &c. Hyacinthus Veterum colore violaceo & cæruleo, qualem ſapphiro hodie attribuunt.* cœli *colorem refert* & maris. תרשיש *Hieronymo* mare. *Epiphanio* ταλαασίτης. *Martiano* flucticolor. *Cœli & maris color caruleus.* Cumatilis κῦμα *fluctus.* ἁλουργίς *&* ἁλιπόρφυρα *conchyliata veſtis.* Viride marinum, ultramarinum. Cæſium, *quaſi* cœlium. *Flos hyacinthus lapidi concolor. Hujus floris varii colores. Fabula de hyacintho ex Ajacis ſanguine. Flos argenteus, Albus, &* cæruleus. Thechelet *eſſe* cæruleum *confirmatur auctoritate veterum. Quatuor colores in S. veſtitu ad quatuor elementa relata. Thechelet ſive hyacinthina ad* aera, *ad* cælum, *ad* firmamentum, *ad* mare *& ad* ſapphirum. *Veterum teſtimonia. Arabi* اسمانجونا cœleſtis color. *Iudæi Germanis* himmel blauw *Sic & Belgis. Thechelet non eſt cæruleum valde dilutum, quale* Bleu-mourant.

rant. *ſed preſſum & nigricans.* **Donker blauw.** *Teſtimonia veterum.* חלזון *vermis niger. Spuma Indica.* Indicum *Hiſpanis* indigo. *Philoni* thechelet *in pallio P. M. aera nigricantem refert. Hodie unica ratio tantum eſt tingendi cæruleum & purpuram. Herbis. Antiquitus herbis & piſce fiebat. veſtis* conchyliata *a conchylio.* κόχλ@ *&* conchylium *a* תכלא. *Antiquorum ars geminam purpuram & conchylium tingendi interiit.* conchylium & purpura *veteribus diverſa.* Bleu & **blaeuw** *a barbaro* bluto, *quod ab* abluto *aut* diluto. *Quia cæruleum* diluta purpura. *Colla pavonis cærulea. Conchylii & purpuræ infecturæ eadem materia, ſed temperamento diverſa.* Thechelet *noſtrum ex conchylio ſive murice. Hebræis conchylium* חלזון chilzon. *Paraphraſis Ionathanis Deuteron.* XXXIII. *verſ.* XIX. *chilzon in mari mediterraneo capitur. Maimonides a Bocharto notatus. Vtrum explicari poſſit?* ים המלח mare mortuum. מלחים *nauta a ſalſugine maris. Capi dicuntur in mari Zabulonis. Septem maria terræ Iſraelis ſecundum Talmud. Ibi mare mortuum* ים של סדום Mare Sedom. *Nulla ibi fit mentio* ים המלח *Maimonides in Talmude doctiſſimus. Chilzon vivæ capi, & uno ictu vivæ contudi debent. Ratio tingendi* thechelet *apud Maimonidem. Sola* chilzon *adhiberi poteſt. Non autem* indicum. *Iudæi hodierni nulla filamenta cærulea adhibent in ſacris fimbriis contra legem Num.* xv. Thechelet *color pretioſus. Chilzon theſaurus. Res laudatiſſima in terra Iſraelis.* Hyacinthina, conchyliata *magnatum ornatus. Hyacinthina læna.*

CLXXI. Colores, de quibus jam egimus, lini & auri ſcilicet, nativi erant, ſola natura miniſtra, nulla artificis opera intercedente, ideoque omnibus mortalibus notiſſimi, res enim naturales, nulla adhibita arte, cuilibet ex æquo pateſcunt, ut operoſa diſquiſitione non opus ſit, qua homines edoceantur. Major difficultas occurrit circa colores cæteros, qui in lana reperiuntur, non nativos ſed arte factos quales ſunt: תכלת׳ וארגמן׳ ותולעת שני׳ *Thechelet, Argaman, & Tholaat Schani.* De his nunc agendum eſt, & primo quidem de תכלת: de cæteris duobus capitibus ſequentibus.

CLXXII. Primus igitur color in lana, dicitur a Moſe תכלת, Chaldæus eandem vocem ſua dialecto retinet, תכלא. Septuaginta,

Joſephus, Philo Judæus, Aquila, Symmachus, Theodotion, vulgatus, Hieronymus, cæterique veterum ὑάκινθον *hyacinthum*. Sic & Diodati. Belgæ **hemels blaeuw**. Lutherus gele ſeyde / *ſericum flavum*. Vetus verſio gallica *pourpre*, *purpuram*. Sunt ex Hebræorum magiſtris qui *nigrum*, alii qui *viridem* ſtatuere videntur. *Nigrum* fuiſſe credidit Japhet quidam, referente Aben Ezra ad Exodi cap. XXV. אמר יפת שהוא כדמות שחרות כי הוא תכלית כל הצבועים והכל ישובו אליו והוא לא ישיב במעשה אדם לעולם : *Dixit Iaphet, eſſe colorem ſimilem nigro, quia perficit omnes colores, & quia omnes in nigrum convertuntur, hic vero nunquam in alium converti poterit, arte humana. Viridem* fuiſſe credidit ipſe Aben Ezra, eodem loco, ubi ſe Japheto opponit: ואני inquit, נסמוך על ר׳ זל שאמרו שהוא ירוק והוא צמר : *Sed ego aſſentior doctoribus noſtris b. m. qui ſtatuunt fuiſſe viridem, & quidem in lana.* In eadem ſententia eſt Jarchius, ad eundem locum. תכלת׳ צמר צבוע בדם חלזון וצבעו ירוק *Thechelet eſt lana ſanguine Chilzon infecta, coloris viridis.*

CLXXIII. Sed horum plures decepti ſunt. Sane duplicem errorem erravit Lutherus. Primum quod *ſericum* crediderit, cum tamen lanam fuiſſe certum ſit. Deinde quod *flavum* dixerit, quod falſum eſſe mox ſatis patebit. Nec *purpura* veteris verſionis Gallicæ ferenda eſt, niſi noſtrum *thechelet* ad genus purpurarum referre velimus, quod commode fieri poteſt, præſertim ſi reſpiciamus piſcem, cujus cruore tingitur. Ideo forte a Græcis Num. IV. VII. ὁλοπόρφυρον & πορφυροῦν, ut habet Complutenſis editio, vocatur. *Nigrum* fuiſſe minime ferrendum eſt, nec facile crediderim ullum inter Judæos reperiri, qui id credat, niſi Aben Ezra affirmaſſet. Putaſſem ipſum etiam Japhetum per ſuum שחרות non intellexiſſe *nigrum*, ſed potius cæruleum exſaturatum, ut ſæpe, quod demonſtraturi ſumus. Hanc tamen non fuiſſe ejus ſententiam, inde colligendum eſt, quod dicat: *hic color perficit omnes colores, & omnes in eum convertuntur, ille autem in nullum alium*, quod de nigro ſane intelligendum eſt, ſed non de cæruleo, aut aliis. Nec erat *viride*, ut explicare videntur Jarchius & Aben Ezra, per ſuum ירוק. Fateor equidem hanc vocem plerumque ſignificare viride, tum in S. Scriptura, tum in ſcriptis Magiſtrorum. Hinc color herbæ ירוק, immo herba ipſa, ut olus, hoc nomine venit, quoniam natura viride. vide Job XXXIX. XI. Exodi X. XV. & alibi. Sæpe tamen alium ſignificat colorem, *flavum* ſcilicet, ut capite præ-

præcedenti demonſtravimus. Aliquando etiam *cæruleum*. Atque id ſignificaſſe Aben Ezræ & Jarchio, vix dubito, eo magis quod Jarchius Ex. cap. xxv. dicat תכלת tingi בדם החלזון *ſanguine chilzon*. At non potuit ignorare, ſanguinem Chilzon cæruleum colorem habuiſſe, non viridem. Quis crederet doctiſſimos hos Rabinos, Talmudis tam diligentes indagatores, & ad miraculum in hoc genere ſtudiorum verſatos, ignoraſſe, qualis fuerit color *Techelet*, ſoloſque crediſſe viridem eſſe, cum experientia & omnes Talmudici contrarium clament? ut facile crediderim, eos per ſuum ירוק cæruleum, non viride intellexiſſe, eodem plane ſenſu, quo & Galli hunc colorem, *viride marinum* vocant. Cæruleum colorem, viridem vocari ſuſtinet etiam Baiſius, *de Re veſtiaria capite* 11. *viridis vero color*, inquit, *appellatur quoque cæruleus, qui a Græcis glaucus dicitur, unde Pallas* γλαυκῶπις *dicta a veteribus autem latinis cæſia quaſi cœlia, a colore cœli, ut inquit P. Nigidius. Auſonius quoque de Biſſula latine dixit*:

Oculos cœrula, flava comas.

Nec mirum ſi viridis vocaretur, cum ſine eo viridis color vix tingi poſſit, ut viridis ex flavo & cæruleo miſtus ſit. Quæ viridia tinguntur, prius flavo colore inficiuntur, deinde cæruleo. Quid? nonne notum eſt pannos, quos cæruleo colore tingunt infectores, quum primum e cortina extrahuntur, virides eſſe, quam diu caleſcunt, cæruleo colore ſuccedente tantum ubi refrixerint, & ſicci facti fuerint? Sane non poſſum ſilentio præterire, lepidiſſimam non minus quam veriſſimam hiſtoriolam, quam mihi narravit optimus vir, Henricus Gromæus, Delphis Batavorum infector celeberrimus, & meus olim hoſpes dilectiſſimus, atque ad hunc diem mihi veteri amicitia junctus, de quodam ruſtico, a ſervis infectoribus jucundiſſima fraude decepto. Quum ruſticus quidam, homo rudis & ineptus, ſervos ejus accederet, eoſque vehementer urgeret, ut quam citiſſime ſibi tibialia colore viridi tingerent, etſi ipſi ſæpius dixerint, id uno inſtanti fieri non poſſe, ſed tempore opus eſſe ad hanc infecturam (oportet enim ut prius flavum colorem imbibant, deinde cæruleum) tandem ut importuni nebulonis ſtultiam punirent, eique ſimul ſatis feciſſe viderentur, cortinæ cærulei coloris tibialia immittebant, eodemque momento, poſtquam ſatis temporis ibi remanſerant, ad imbibendum colorem, extrahebant, & ſtulto homini obtrudebant, quæ miſer egregio virore

ſplendentia videns, ſacculo magna feſtinatione indidit, & pretio infecturæ ſoluto, domum aufugit, iratus infectorum mendaciis, quaſi eum deludere voluiſſent, nec dignati fuiſſent ei tam cito ſatis facere, & ſimul lætus ob tam promptum ſucceſſum, Domum autem reverſus, tibialibus ſacco extractis & jam frigefactis, mirabile ſpectaculum ſeſe oculis exhibuit, quæ enim viridia crediderat, & modo ejuſdem coloris viderat, ecce repente cærulea facta fuerant, quod non ſine ſtupendo miraculo, immo non ſine ſuſpicione magiæ, & dæmonis arte factum credidit, de quo etiam conqueſtus eſt apud amicos. Cum igitur tanta ſit convenientia inter viride & cæruleum, non mirum Aben-Ezram, Jarchium & alios *thechelet* de quo agimus vocaſſe ירוק, atque hac voce intellexiſſe cæruleum, non autem viride. Et ſane Jarchius diſtinguit alibi inter viride & ירוק. dicit quidem techelet eſſe ירוק ſed quod accedat ad viride. תכלת inquit, ירוק הוא וקרוב לצבע כרתי שקורין פור״ ייש Thechelet eſt *Iaroc, & accedit ad colorem Kerati, quem vocant porrinum. Berachoth. cap.* I. Videtur igitur ſtatuere techelet non eſſe viride, ſed aliquomodo ad illud accedere: prout revera cæruelum prope accedit ad viride, immo ſine eo viride infici non poteſt, & niſi clara luce alterum ab altero diſcerni. Quod ſi revera crediderunt viridem colorem non cæruleum fuiſſe תכלת, vehementer errarunt: cum *thechelet* & viride in Talmude manifeſto diſtinguantur, & ſibi opponantur, quaſi diverſi colores. Hoc nemo negabit quicunque vel primum caput Thalmudis, nempe Berachot cap. I. hal. II. legerit: מאימתי קורין את שמע בשחרית משיכיר בין תכלת ללבן ר״א אומר בין תכלת לכרתי: *Quando legendum eſt* Schema *mane? quando diſcerni poteſt inter Thechelet & album. Doctor Eliezer dicit, quando diſcerni poteſt inter thechelet & viride.* כרתי ſignificare viride certum eſt, Differunt igitur viride & *thechelet.*

CLXXIV. Nec erat *virde* Hebræorum *thechelet.* Inquirendum itaque qualis fuerit color? Vetuſtiſſimi Scriptores inter Græcos & Latinos eum vocant ὑάκινθον *hyacinthum*, ut Joſephus, Philo, Septuaginta & vulgatus: niſi quod ſeptuaginta habeant ὁλοπόρφυρον aut πορφυροῦν. Num. IV. VII. *Hyacinthinum* igitur fuiſſe nullus dubito, cum uno ore id omnes fateantur quotquot ſunt veterum. At nondum conſtat qualis fuerit color hyacinthinus. Manifeſtum eſt, duo reperiri in rerum natura quibus illud nomen conveniat, & florem & lapidem, ut verum colorem *thechelet* ignoremus, quam-

quamdiu ignoramus colorem iſtorum florum & lapidum. Hyacinthinorum lapidum genera varia recenſentur. Apud modernos auctores plerumque ſignificat lapidem qui rutilat inſtar ignis, & cocci colorem refert, minii nativi, aut ſanguinis admodum bilioſi inſtar, quem Galli *jacinte la belle* vocant, ideo ad carbunculi genera refertur. Eſt qui rubore croci flaveſcit. Alius qui ſuccini flavi colorem exacte oſtendit. Alius qui fulvum & cæruleum mixtum habere dicitur. Aut etiam qui nihil prorſus ruboris in ſe habet, quicque albus pellucidus ſuccini colorem refert, de quibus vide Boetium *libro* II. *de Lap. & Gem. cap.* XXIX, & XXX. Et de Laet *de Gem. & Lap. lib.* II. *cap.* VI. Epiphanius in Libello *de Gemmis in veſte Aharonis*, plura numerat: Καὶ ὁ μὲν πρῶτερος λίθος, inquit, *καλεῖται ταλαασίτης: ὁ δὲ δεύτερος, ῥοδινός. ὁ τρίτος, νάτιβος. ὁ τέταρτος λέγεται χανκαῖος. ὁ δὲ πέμπτος περίλευκος. Primus autem lapis vocatur talaſſites, ſecundus Rhodinus, tertius Natibus, quartus Chancaus, & quintus perileucus.*

CLXXV. Noſtri lapidarii hodie vehementer errarunt, circa nomina veterum gemmarum, ut huic nomen illius indiderint. Ita factum eſt, ut eorum *hyacinthus*, hodie nihil aliud ſit, quam veterum *chryſolithus*, aut *carbunculus*; veterum autem hyacinthus, ipſis Amethyſtus aut ſapphirus. Hyacinthus autem veterum fuit colore violaceo & cæruleo, qualem hodie ſapphiro aſcribunt. Plinius *libro* XXXVII. *cap.* IX. *Multum ab ea diſtat hyacinthus, tamen e vicino deſcendens. Differentia hæc, quod ille emicans in amethyſto fulgor violaceus, dilutus eſt in hyacintho. Primo quoque aſpectu gratus, evaneſcit antequam ſatiet, adeoque non implet oculos, ut pene non attingat, marceſcens celerius nominis ſui flore.* Accinit Iſidorus *in Originibus lib.* XVI. *cap.* IX. *Hyacinthus ex nominis ſui flore vocatur. Hic in Æthiopia reperitur cæruleum colorem habens.* Solinus *cap.* XXXIII. *De Æthiopia. Inter hæc quæ diximus nitore cærulo hyacinthus invenitur, lapis pretioſus, ſiquidem inculpabilis reperitur.* Cœli color ei adſcribitur. Hieronymus *Ezech.* I. XVI. *Aquila*, inquit, *hyacinthum poſuit, qui lapis, cœli habet ſimilitudinem.* Ambroſius in *Apocal.* XXI. XX. *Hyacinthus, cujus ſpecies hyacinthino colori nomen impoſuit pretioſiſſimus eſt, cœli ſereni colorem habens, ſicut ſapphirus.* Sed ut huic lapidi color cœli aut aeris attribuitur, ſic & maris. Ideo תרשיש Ezech. I. XVI. Hieronymus *mare* vertit. Proculdubio hanc ob cauſam ab Epiphanio,

nio, loco modo citato ταλασσίτης *marinus* dicitur. Martianus: *nec flucticolor hyacinthus credebatur abeſſe profunditas.* Et Hieronymus *ad Demetriadem*, *Epiſtola* VII. *Ut taceam de inaurium pretio, candore margaritarum, ſmaragdorum virore, cerauniorum flammis, hyacinthinorum pelago.* Ideo Græcis ἀλουργὶς, & ἁλιπόρφυρον, a *mari.* Et pro *conchyliata veſte*, apud Suetonium, Dio habet ἐσθῆτα ἀλουργῆ. At cœli ſereni, & maris colorem cæruleum eſſe nemo negabit, niſi τυφλὸς ἐκ γενετῆς. Egregie utrumque expreſſit Sulmonenſis Poeta de *Arte Amandi lib.* III.

Aeris ecce color tum cum ſine nubibus aer
Nec tepidus pluvias concitat auſter aquas.
Ecce tibi ſimilis qui quondam Phryxon, & Helle
Diceris Inois eripuiſſe dolis.
Hic undas imitatur, habet quoque nomen ab undis
Crediderim Nymphas hac ego veſte tegi.

Maris colorem cœruleum eſſe docet Nonnius in voce *purpuraſſit*, ex Cicerone *Academ. lib.* II. *Quid mare nonne cœruleum?* Nonne eadem de cauſa *cumatilis* dicitur a κῦμα *fluctibus?* unde Ovidius:

Hic undas imitatur, habet quoque nomen ab undis.

Idem eſt *viride marinum*, & *ultramarinum*, pictoribus notiſſimum. Et *cæruleum* a quibuſdam dictum *cæſium* quaſi *cœlium.* Quidquid eſt, veterum hyacinthus lapis cærulei coloris eſt, ut, ſi *thechelet* a lapide iſto ita dictum ſit, *thechelet* quoque cæruleum ſit.

CLXXVI. Idem ſtatuendum, ſi nomen ſortitum credatur a flore, cum ejuſdem ſit coloris. Fateor equidem omnes flores illius nominis, cum apud veteres, tum apud nos, non unius eſſe coloris. Tot enim & fere iidem colores in flore reperiuntur, qui hodie vulgo lapidi adſcribuntur. Eſt Hyacinthus *rubens.* virg. Ecclog. III.

Munera ſunt lauri, & ſuave rubens hyacinthus.

Et Ovidius *Metamorph. libro* x.

——*Tyrioque nitentior oſtro*
Flos oritur, formamque capit quam lilia, ſi non
Purpureus color his, argenteus eſſet in illis.

Hunc fortaſſis Dioſcorid. & Athenæus *purpureum* vocant. πλήρη πορφυροειδοῦς, & ὑάκινθον πορφυρέαν. Athen. *libro* XIV. An iidem flores, quibus in Gallia hyſginum pro cocco tingi ſolebat? Plinius *libro* XXVI. *cap.* XVIII. *Hyacinthus in Gallia optime provenit,* hoc

hoc ibi pro cocco hyſginum tingitur. Hinc forſan origo fabulæ: hyacinthos ex Ajacis cruore editos, de quo vide, inter alios, Pomponium Fortunatum, ad Carmina Columellæ. Sunt *argentei* coloris, ut ex Ovidio jam jam audivimus. Et *albi*, de quibus vide Columellæ Carmina de cultu Hortorum. Sed & *Cærulei* ut ipſe docet Columella.

Nec non & niveos & cæruleos hyacinthos.

Ideo & Iſidorus, ut dictum eſt: *Hyacinthus ex nominis ſui flore vocatur, cæruleum colorem habet.* Sive igitur color thechelet ὑάκινθος *hyacinthus* dicatur a lapide, ſive a flore, neceſſario dicendum eſt, cæruleum eſſe colorem.

CLXXVII. Id ipſum confirmatur auctoritate omnium fere veterum. Joſephus, Philo Judæus, & alii non contenti תכלת per ὑάκινθον vertiſſe, præterea referunt, quatuor colores hyacinthinum, purpureum, coccinum & byſſinum, in ſacro veſtitu, & in Tabernaculo, ad quatuor elementa, & hyacinthum quidem dicunt *aera ſignificare.* Joſephus *Antiquit. lib.* III. *cap.* VIII. τὸν γὰρ ἀέρα βούλεται δηλοῦν ὁ ὑάκινθος. *Aera ſignificare vult hyacinthus.* Et mox ὁ ὑάκινθος τὸν πόλον. *Hyacinthus polum refert.* Philo in *libro de Congreſſu quærendæ Er. gr.* ἀέρος γὰρ ὑάκινθος μέλας γὰρ οὗτος φύσει. *Hyacinthus aeris nigricantis naturam refert.* Et *de vita Moſis libro* III. ubi de tunica exteriori Pontificis Max. quæ a Moſe כליל תכלת *tota hyacinthina* dicitur, οὗτος ὁ χιτὼν σύμπας ἐστὶν ὑακίνθινος, ἀέρος ἐκμαγεῖον. *Hæc tunica tota hyacinthina eſt, aeris ſimulacrum.* Hos ſequuntur Origenes, Hieronymus, Gregorius Nyſſenus, Ambroſius, Theodoretus, alii. Nec ab his diſcrepant reliqui Hebræorum Magiſtri, cum omnibus, paucis tantum exceptis, de quibus ſupra, תכלת ſit cæruleum. Abarbanel ad cap. XXV. Exodi. תכלת הוא המשי הצבוע בצבע דומה לים Thechelet *eſt ſericum, infectum colore qui mari ſimilis eſt.* Kimchius exprimit per *Ultramarinum* & *Azur*, quæ eximie ſunt cærulea. הוא העין שקורין לו בלעז אזורו אולטריי מרין *Hic eſt color, quem vernaculo vocant Azur, ultramarinum.* Et Maimonides *Kele Hammikdaſch*, *cap.* VIII. *halach.* XIII. ubi de ſacris veſtimentis. ותכלת inquit, האמורה בכל מקום הוא הצמר הצבוע בעצם שמים שהוא פחוך מן הכוחל׃ Thechelet *de quo fit mentio* (in ſacra Scriptura) *ubique ſignificat lanam tinctam colore cœli, mixtura e ſtibio.* Et Hilch. zizith, cap. II. ubi de thechelet in ſacris fimbriis, clarius. תכלת האמורה בתורה

בכל מקום היא הצמר הצבוע בפתוך שבכוחל וזו היא דמות הרקיע הנראין לעין השמש בטהרו של רקיע Thechelet *de quo mentio fit, ubique ſignificat lanam tinctam miſtura quæ eſt in ſtibio, & quidem ſimilis eſt firmamento, quemadmodum ſol apparet, in firmamento ſereno.* Hæc didiciſſe videtur ex Gemara *Menachot cap.* IV. ר״מ אומר מה נשתנה תכלת מכל מיני צבעונין מפני שהתכלת דומה לים וים דומה לרקיע ורקיע לכסא הכבוד שנאמר ותחת רגליו במעשה לבנה הספיר וכעצם השמים לטהר׃ *Doctor Mejer dixit: quid differt color* thechelet *a reliquis colorum ſpeciebus?* (quod ſcilicet Deus juſſerit præciſe hunc colorem, præ cæteris omnibus in ſacris fimbriis adhiberi, uti exponit Jarchius) *Quod* thechelet *ſit ſimilis mari, & mare firmamento & firmamentum throno gloriæ, ut dicitur* (Exodi XXIV. X.) *Sub pedibus ejus tanquam ſapphirini lateres, qualis eſt cœli ſereni aſpectus.* Optime igitur Arabs Exodi XXV. תכלת reddidit اسمانجونا quaſi cæleſtis color. Et hodierni Judæi Germani Himmel blauw/ ut & Belgæ **hemels blauw.**

CLXXVIII. Obſervandum etiam eſt hunc colorem dici ſimilem cœlo ſereno, ad indicandum non fuiſſe colorem remiſſum ſive dilutum, qualis eſt ille cæruleus quem gallice *bleu-mourant*, *cæruleum moriens* vocamus, Sed intenſiſſimum, exſaturatum & nigricantem, Belgice **doncker blaeu/** nam quo cœlum magis eſt ſerenum, eo intenſior eſt ipſius color, ut quaſi in nigricantem abyſſum introſpiciamus. Sane tale fuiſſe *thechelet* ſatis colligi poteſt ex Maimonide *Hilch. zizith. cap.* II. *hal.* VIII. ubi quæſtio eſt, ſi quis habeat pallium totum hyacinthinum, ex quo colore fimbriæ fieri debeant? Et reſpondetur nigrum colorem adhibendum non eſſe, quia nigrum videtur eſſe illud ipſum thechelet. השחור נראה תכלת In eodem capite ait ſanguinem הלזון *Chilzon*, quo thechelet infici debet, ut mox docebimus, eſſe שחור כדיו *Nigrum inſtar atramenti*, ideo colorem iſtum inter המשחירין *nigros* enumerat. Inde forſan quod Pomarius dicat, חלזון תולעת שחור *chilſon vermis niger eſt.* Idem animadvertiſſe videtur Vitruvius *libro* VII. *cap.* III. ubi de variis purpuræ generibus, & inter alias mentionem facit purpuræ coloris atri. *Quod legitur*, inquit, *Ponto & Gallia, quod hæ regiones ſunt proximæ ad ſeptentrionem, eſt atrum.* Geſnerus in *Hiſtoria Aquatilium*, ad hunc locum optime notat, illud *atrum* eſſe *cæruleum. Hic animadvertendum, purpuram nigram ſumi pro violacea exſaturata.*

rata. Sic enim ſæpe a veteribus nigrum ſumi, alibi demonſtravimus. Sane talis nativus color cæruleus eſt, ſi ſit exſaturatus, non tantum ſanguinis *Chilzon*, ſed & *indici*, Hiſpanis *indigo*; quo enim nigrius apparet, quo præſtantius. Immo & maceratum & in liquorem redactum, in cortina, atramentum videtur, quod noverunt infectores. De hujuſmodi vide quoque Plinium *libro* XXXV. *cap.* VI. *Ex India*, inquit, *venit harundinum ſpuma adhæreſcente lino, cum teritur nigrum: at in diluendo miſturam purpuræ cæruleique mirabilem reddit.* Hunc colorem vulgo auctores vocant *auſterum* & *exſaturatum.* Plinius *libro* IX. *c.* XXXVI. *Unde conchyliis pretia, quis virus grave in fuco, color auſterus in glauco, & iraſcenti ſimilis mari*; Et *libro* XXI. *cap.* VIII. *Tertius eſt qui proprie conchyliis intelligitur, multis modis; unius in heliotropio, & in aliquo ex his plerumque ſaturatior: alius in malva, ad purpuram inclinans, alius in viola ſerotina, conchyliorum vegetiſſima.* Talis igitur fuit color *thechelet*, cæruleum exſaturatum in ſuo genere, quaſi nigrum inſtar atramenti, ut optime Philo, de *hyacinthino* dixerit: ἀέρος μέλας γὰρ ὄντος φύσει *aeris nigricantis naturam refert.*

CLXXIX. Notandum eſt, non omne cæruleum a Judæis reputari pro *thechelet*, nec omnem infecturam legitimam fuiſſe ad tingendum *thechelet*, Sed infici debet ſolo ſanguine conchylii, quod eſt genus quodam purpuræ. Hodie quidem unica ratio tantum ſuſupereſt tingendi hyacinthinum, aut cæruleum, *Indico* ſcilicet; aut ſi quid præterea adhibeatur, color nec adeo tenax, nec tam preſſus, nec æque pretioſus erit. Antiquitus autem tingebatur *indico* aliiſque herbarum ſuccis, aut *murice*, ſive *conchylio.* Idem de purpura dicemus capite ſequenti; nam cum olim murice & herbis tingeretur, hodie non niſi herbis, id eſt cocco, & certis quibuſdam radicibus, Ita ut tota ars genuinam purpuram tingendi, plane interierit. Herbis cæruleum tinctum fuiſſe aliquando a veteribus, ex Plinio *libro* XXXV. *cap.* VI. modo audivimus. *Ex India venit harundinum ſpuma adhæreſcente limo, cum teritur nigrum: at in diluendo miſturam purpuræ cæruleique mirabilem reddit.* vide in eodem capite de *indico* plura. Et *libro* XXII. *cap* II. *Tranſalpina Gallia herbis Tyrium atque conchylium* (cæruleum) *tingit.* Et *lib.* XVI. *cap.* XVII. *Eſt & in Apennino frutex qui vocatur cotinus, ad lineamenta modo, conchylii colore inſignis.*

CLXXX. Non omnis tamen color cæruleus herbis tingebatur

antiquitus, ſed certo quodam genere purpuræ, ſive piſcis. Ideo color ille *conchylium*, & *conchyliatæ veſtes* dicuntur cæruleæ. Notandum itaque eſt, *conchylium* & *purpuram* apud auctores fere ſemper diſtingui veluti apud Plinium *lib.* IX. XXXV. *Conchylia & purpuras, omnis ora atterit.* Eadem reperies ſexcentis aliis in locis, & apud auctores. Purpura rubra erat, at conchylium cæruleum. Et inter purpurarum genera conchylium minimam habuit auſteritatem, ut ut aliquando color preſſus & floridus, maximeque dilutus, unde gallice *bleu* ab infima latinitate *blutum* pro *ablutum* ſive *dilutum*. De hoc colore Tertullianus *de Pallio cap.* III. ubi eum comparat cum collo pavonis. *Omni conchylio preſſior qua colla florent.* colla autem pavonis cærulea eſſe nemo negabit. Ideo *conchylium* cæruleum. *Libro* IX. *cap.* XXXVI. *Unde conchyliis pretia, quis virus grave in fuco, color auſterus in glauco, & iraſcenti ſimilis mari?* Et *libro* XXI. *cap.* VIII. ubi tria genera ponit conchyliorum, quorum colorum *conſpicietur alius heliotropio, alius in malva, & tertius in viola ſerotina, conchyliorum vegetiſſima.* De hoc genere purpuræ intelligi vult Geſnerus, intelligi ea quæ habet vitruvius *libro* VII. *cap.* III. *Quod legitur*, inquit, *Ponto & Gallia, quod hæ regiones ſunt proximæ ad ſeptentrionem, eſt atrum.* Et ſane ne quis erret & putet hunc colorem vocari quidem conchylium, revera autem non eſſe ex concha ſive conchylio, aut purpura, factum, ſed ex herbis aut alia materia, *libro* XXI. *cap.* II. poſtquam dixerat: *tranſalpinam Galliam conchylium tingere herbis,* ſtatim addit: *Nec quærit in profundis murices.* Audin alios murices quærendos eſſe, quibus conchylium tingeretur? Sed clarius *libro* IX. *Cap.* XXXIX. ubi docet eadem materia tingi conchylium purpuram, differri tantum temperamento. *In conchyliata veſte cætera eadem ſine buccino. prætereque jus temperatur aqua, & pro diviſo humani potus excremento: dimidia & medicamina adduntur. Sic gignitur laudatus illi pallor ſaturitate fraudata, tantoque dilutior quanto magis vellera eſuriunt.* In hoc itaque differunt conchylium & purpura: quod *purpura* tingeretur buccino conchylio admiſto, ſine humani potus excremento (id eſt ſine lotio) addito etiam medicaminum duplo. Sed conchylium ſolo conchylio, abſque buccino, addito lotio & dimidio tantum medicaminum. Utut ſit, antiquitus cæruleus color, non tantum herbis tingebatur, ſed etiam murice. Non poſſum ſilentio præterire (quod jam ab aliis ob-

obſervatum eſt) colorem *Thechelet* adeo convenire cum veterum *conchylio*, aut *conchyliata veſte*, ut etiam hoc ex illo factum videretur. Græcorum enim κογχύλιον ex κάχλη, ſive κόχλον aut κάλχη (animal quo tingitur purpura ſecundum quoſdam) factum puto. At Græcorum κάχλη eſt illud ipſum תכלא, aut potius Chaldaice תכלא *Tichla*, mutato ſolummodo ת in K, quod non inſolens, ut in Κίβωτος pro תיבות.

CLXXXI. Non alius itaque color fuit Hebræorum תכלת, quam *conchylium*, ut uno ore omnes fatentur doctores Hæbræorum, illiſque vocatur hic murex חלזון *chilzon*, *Maſſechet Menachot*, *c.* 4. *f.* 44. ת״ר חלזון זה גופו דומה לים ובריותו דומה לדג ועולה אחד לשבעים שנה ובדמה צובעין תכלת לפיכך דמיו יקרים. *Doctores noſtri docent, chilzon habet corpus ſimile mari, naſcitur ſimilis piſci, & aſcendit unus ſingulis ſeptuaginta annis, & ſanguine ejus tingunt thechelet, ideo ſanguis ejus pretioſus eſt.* Jarchius ad Exodi Cap. xxv. תכלת צמר צבוע בדם חלזון *Thechelet eſt lana tincta ſanguine chilzon.* Kimchius in Lexico. תכלת והוא צבוע בדם חלזון עם הסמים ידועים *Thechelet, eſt color factus ſanguine chilzon, additis medicaminibus notis.* Idem docent Maimonides, Pomarius, & cæteri fere omnes. Hæc omnia didiciſſe videntur ex Deuteron. cap. XXXIII. verſ. XIX. Secundum paraphraſin Jonathanis (ſi tamen paraphraſis illa eſt Jonathanis) ארום על ספר ימא רבא שרן יתפרנקון מן טריתא וחלזונא יאחדון יצבעון מאדמיה תיכלא לחוטי גוליתהון *Quia circa littus maris magni habitant, & in deliciis habent Taritha, & Chilzona capient, cujus ſanguine tingent Tichla ad fila veſtium ſuarum*, id eſt ad ſacras fimbrias. Hinc Jarchius ſua deſumpſit, in gloſſa ad hunc locum. Sic enim explicat verba Moſis. כי שפע ימים יינקו ושפני טמוני חול *quia affluentiam marium ſugent, & ocultos theſauros arenæ.* כסויי inquit, טמוני חול טרית וחלזין וזכוכית לבנה היוצאים מן הים ומן החל. *Tecti & oculti theſauri arenæ, ſunt tarith & chilzon, & vitrum album, quæ ex mari & ex arena proveniunt.*

CLXXXII. Docent etiam Hæbræorum ſapientes murices ſive *chilzon* capi in mari magno, id eſt in mediterraneo, ut ex Jonathanis paraphraſi, modo allegata, conſtat. Idem docet Maimonides *Hilch. Zizit cap.* II. *ſectione* II. החלזון הוא דג שדומה עינו לעין התכלת ודמו שחור כדיו ובים המלח מצוי *Chilzon eſt piſcis, cujus color eſt inſtar coloris thechelet & ſanguis ejus ater eſt inſtar atramenti, reperitur autem in mari ſalſo.* Hic tamen turpiter erravit Maimonides, ſi per

ſi per Mare ſalſum intelligat mare mortuum, nam in eo nullum animal vivere poteſt. Si vero mare Mediterraneum vocat ים המלח id fieri quidem poteſt, cum revera ſalſum ſit, unde & nautæ מלחים a ſalſugine maris, in quo vivunt; ut ſalſum dici poſſit opponendo illud mari Galilææ & cæteris lacubus aquæ dulcis: tamen S. ſcriptura ubique conſtanter intelligit mare mortuum per ים המלח *mare ſalſum.* Sed Maimonidam jam refutavit olim doctiſſimus Bochartus. *Hiſt. Animal. parte* II. *lib.* v. *cap.* IX. vix tamen induci poſſum, ut credam Maimonidam ignoraſſe capi piſces iſtos in mari Zabulonis, nimius enim diligens Talmudis indagator fuit. Deinde non poſſum ſilentio præterire, quod Codice *Bava Bathra, capite quinto*, ubi ſeptem numerantur maria terræ Iſraelis, mare mortuum dicatur ים של סדום *Mare Sedom*, nulla mentione facta ים המלח *maris ſalſi.* Ideo, etſi in Græcorum & Latinorum ſcriptis parum ſint verſati verpuli, tamen ad miraculum edoctus fuit Maimonides in Talmude, ex quo ſatis edoceri poterat. Sed nolo virum doctum nec accuſare nec juſtificare. Opportet autem haſce purpuras vivas capi, & ſtatim contundi, alias ſi exſpectes donec moriantur, cum vita ſuccum evomunt. Vide *Maſſechet Schabath cap.* VII. ubi diſputatur, quomodo quis ſæpius peccare poſſit die Sabbathi. Inter alia vero diſputat Gemara, utrum is, qui *chilzon* capit iſto die & e veſtigio conterit, unum tantum committat peccatum, an plura? תנו רבנן הצד החלזון והפוצעו אינו חייב אלא אחד *Doctores noſtri docent, ſi quis capiat chilzon*, (die Sabbathi) *& conterit, non peccat niſi ſemel.* Hujus rei optime rationem dat *Thoſephot.* Mentionem ſcilicet fieri de captura & contuſione conchylii ſimul, quia mos eſt eam contundere ſtatim poſt capturam, dum vivit. דרך inquit, לפוצעו מיד אחר צדה כל זמן שהוא חי *Mos eſt eam contundi ſtatim poſt capturam, quamdiu vivit.* Hæc didiciſſe potuit ex Ariſtotele, qui eadem plane docet de purpura *Hiſt. lib.* v. *cap.* v. Σπουδάζουσι δὲ ζώσας κόπτειν. ἐὰν γὰρ πρὶν κόπτειν πρώτερον ἀποθάνῃ, συνεξεμεῖ τὸ ἄνθος. *Dant operam ut vivas contundant. Nam ſi, prius quam tutuderis, moriantur, florem ſimul evomunt.* Quæ repetuntur a Plinio *libro* IX. *cap.* XXXVI. *Vivas capere contendunt, quia cum vita ſuccum eum evomunt.* Legendum videtur: *vivas captas contundunt*, q. c. v. ſ. e. Egregie Ælianus *de Animalibus libro* XVI. *cap.* I. Non lubet integrum caput exſcribere. Adnotabo tantum eum toto iſto capite hanc materiam tractare, docereque, ſi quis con-

conſtantem & genuinum colorem vellet fieri, opus eſſe ut uno ſaxi ictu purpuram cum teſta interimat, quod ſi ictus repetatur inutilem fieri ad tincturam: ideo Homerum ſubitam mortem, ſi quis quaſi uno ictu moriatur, πορφύρεον θάνατον *purpuream mortem* vocare. Eadem ad Homerum annotavit Euſtathius *ad Iliad. lib.* v.

De purpura vide Achillem Tatium, libro II. De Amoribus Clitoph. & Leucippes, *ubi purpuræ originem, colorem & elegantiam docet. Legatur quoque Alberius Gentilis* cap. I. Lectionum Virgil. *Alciatus* lib. II. cap. I. Parergon. *Wolfzangus Lazius.* lib. VIII. Reip. Rom. *Fabius Columma*, De Purpura.

CLXXXIII. Totam autem rationem tingendi thechelet hoc piſce docet Maimonides *Hilch. Zizith. capite* II. *ſectione* II.

כיצד צובעין תכלת של ציצית׳ לוקחין הצמר ושורין אותו בסיד ואחר כך מכבסין אותו עד שיהיה נקי ומרתיחין אותו באהלא וכיוצא בו כדרך שהצבעין עושין כדי שיקלוט את העין׳ ואחר כך מביאין דם חלזון והוא דג שדומה עינו לעין התכלת ודמו שחור כדיו ובים המלח הוא מצוי׳ ונותנין את הדם ליורה נותנין עמו סממין כמו הקמוניה וכיוצא בהן כדרך שהצבעין עושין ומרתיחין אותו ונותנין בו הצמר עד שיעשה כעין רקיע וזו היא תכלת של ציצית׳ *Quomodo fit thechelet fimbriarum?* (in veſtitu ſacro & in fimbriis idem color, ut ſæpius diximus) *Sumunt lanam quam macerant in calce, poſtea lavant eam, donec ſit pura, ubi elixant eam in ſapone, aliiſque hujuſmodi rebus, pro more infectorum, ut colorem imbibat. His peractis adferunt ſanguinem chilzon qui eſt piſcis colore ſimilis thechelet, eſt autem ſanguis ejus ater inſtar atramenti, & in mari ſalſo reperitur. Sanguine in cortinam effuſo, cum variis pigmentis, cimolia, aliiſque rebus, pro more infectorum, ſatiſque elixato, lanam in eum immergunt, donec fiat color firmamenti. Et hic eſt thechelet, color fimbriarum.* Nullus alius color, quantumvis cæruleus pro thechelet habetur a verpulis, etiamſi flore atque dote præſtantiſſimum thechelet ſuperaret. התכלת inquit Maimonides eodem capite halach prima. האמורה בציצית צריך שתהיה צביעתה צביעה ידועה שעומדת ביופיה ולא תשתנה וכל שלא נצבע באותה צביעה פסול לציצית אף על פי שהוא כעין הרקיע כגון שצבעו באסטים או בשחור או בשאר המשחירין הרי זה פסול לציצית : Thechelet *de quo quæſtio eſt in fimbriis, debet eſſe tinctum colore noto, qui conſiſtat in ſuo nitore, nec aliter fieri poteſt: quicquid enim hac infectura non eſt tinctum illegitimum eſt ad fimbrias, etiamſi color ejus ſit ut firmamentum, qualc eſt indicum, aut color ater, aut cætera quæ nigrum reddunt; Sane illa*

omnia

omnia non ſunt legitima ad fimbrias. Hinc eſt quod Judæi hodierni, nullum colorem cæruleum amplius habeant, in ſuis peniculamentis, quamvis expreſſa lege id mandatum fuerit a Moſe. Numer. xv.

CLXXXIV. *Thechelet*, ſive conchylium de quo agimus, etiam aliquando purpuram dici a veteribus, ex dictis ſatis conſtat. Ideo color pretioſus & ubique inter res pretioſas ponitur. Plinius *libro* IX. *cap.* XXXVI. *Unde conchyliis pretia?* Et *capite* XXXIX. *libram violaceæ purpuræ denariis centum veniſſe*, tempore Divi Auguſti. Sed hanc ſpeciem conchylii fuiſſe puto. Codice *Menachoth cap.* IV. de quo ſupra, ſanguis *Chilzon* dicitur יקר *pretioſus.* Quanto in pretio fuerit apud Hebræos patet, ex Megillath Eſter cap. I. ubi Deus introducitur Zabuloni ad quærimonias reſpondens, his verbis. כולן צריכין לך על ידי חלזון שנאמר ושפוני טמני חול תני רב יוסף שפוני זה חלזון. *Omnes illi* (fratres tui) *te opus habebunt, propter chilzon, quia dicitur* (Deuter. XXXIII. verſ. XIX. de cujus paraphraſi Jonathanis, ad quam reſpicit, ſupra) *Theſauri abſconditi arenæ. Docet doctor Ioſeph* שפוני *Theſauri ſignificant ibi chilzon.* Ecce inter maximos theſauros ponitur conchylium. *Bereſchit Rabba, ſectione* XCI. inter res pretioſiſſimas, quæ poſſidet terra ſancta conchylium quoque numerat. דברים שהן מזמרין בעולם חלזון׳ חמר׳ קטף׳ ומר אגורי, *Res* (terræ Iſraelis) *quæ maxime laudantur per totum orbem, ſunt chilzon, vinum, balſamum, myrrha & oliva.* Ideo Regum & magnatum ornatus. Perſius *ſatyra prima.*

Hic aliquis, cui circum humeros hyacinthina læna eſt.

Suſianæ regi Abradatæ offert uxor Panthea inter alia munera magni pretii, χιτῶνα πορφυροῦν ποδήρη στολιδωτὸν κάτω, καὶ λόφον ὑακινθινοβαφῆ, *tunicam purpuream talarem, in extrema ora rugatam, & conum hyacinthini coloris.* Xenophon *Cyrop. libro* VI. Judas Maccabæus *accepit aurum multum, & argentum & hyacinthum.* Macchab. IV. XXIII. De Thechelet ſatis.

CAP.

CAPUT XIV.

DE ארגמן PURPURA TYRIA.

ארגמן Argaman. *Ejus variæ interpretationes. Error Lutheri & Gallicæ verſionis. Eſſe purpuram. Varia genera purpuræ. Violacea, cœrulea, rubra, amethyſtina.* Thechelet, Argaman & Tholaath ſchani *purpura dici poſſunt. Purpura colore rubro plurimum intelligitur. Purpura rubere dicitur. Sanguis purpureus.* πορφύρεος θάνατος. Labella, ora, genæ, roſa, narciſſus, vinum, uva, avis Porphyrio *purpurea dicuntur.* Et coccinum. *In ipſa* purpura *varius rubor. Tria genera præcipue. Purpura rubra, ſed obtuſa & quaſi ſuſca, Rubor floridus & acuto lumine ſplendens. Nigricans & ſplendens. Primum genus* plebeja. *Secundum Coccus. Tertium Purpura. Tyria. locus Auguſti in purpuram nigricantem. Optima purpura in altum elata ſuſpicienda, non aſpicienda erat. Tria iſta genera cum noſtris purpuris collata.* Crappe. *Hujus ferax Zeelandia.* Cramoiſy. Scarlatum *coccinum.* Ponceau. *Vetus purpura Tyria cum floribus collata.* Anemonis, ranunculis, & roſis nigricantibus. Blatta. θρόμβος αἵματος. *Non erat violacea. Theophraſti* lapis hæmatites. *Purpura aliquando herbis tingebatur. &* Sandice Indica. *Purpura incomparabilis a perſarum Rege Imp. Aureliano data. Genuina purpura ſolo* murice *tingebatur. Hinc* murice rubere. *Dicitur* Tyria purpura, Rubor Tyrius, Tyria dibapha. Tyrius murex. Sarrana, & Sarranum oſtrum. Sarra *Tyros.* Sar, Sara, Sarra, Zur, Tyr, Syr & Tyrus *idem. Feſto* Tyrus Inſula. Infectura *purpuræ.* Tyrus *purpuræ inventrix. Origo hujus artis. Canis Herculis. Amica ejus* Tyrus, *Fons fabulæ.* כלב & כליב *canem & infectorem ſignificat. Hæc purpura* δίβαφα bis tincta. *Cur ita dicta videtur Plinius docere.* Hyſginus *cocco & murice tinctus. Color colori induci ſolet. Rubenius lapſus. Auguralis Trabea quid? Hyſginus a cocco,* ארגמן *Cujus coloris. Error Rabbi Abraham F. D. qui a textura dictum vult.* ארג texere. Amorgus *Inſula.* אם אורגים. mater textorum. Argaman *color ruber* ἀμόργη *color* ἀργεμώνη *flos ruber.* Argema *rubor oculorum,*

lorum , *a noſtro* Argaman. *Dioſcorides emendatus.* مرجان margian *Arab. corallium.* Magran *rubrica* ῥῆγος amictus purpureus ارجوان Argiawan , *arbor flore rubro in Perſia.* Argaman *noſtrum an* purpura Tyria? *Error Kimchii & Pomarii qui* קרמז Carmeſinum *volunt.* לקא laccam *aliqui Hebræorum. Lacca Serapionis quid? utrum* Κάγκαμον *Dioſcoridis? Lacca rubra eſt. Codex Peſachim emendatus qui* לבא *pro* לכא. *Sanguis avium ad laccam. Lacca corium tingitur. Elegans hodie corium rubrum Smirna advehitur.* maroquin du levant. Argaman *purpura Tyria præſtantiſſima Septuaginta* Argaman πορφύρα. Sic in *N. T.* βύσσος καὶ πορφύρα *junguntur*, *ut* שש וארגמן. *Et* πορφύρα καὶ κόκκινα *pro* ארגמן ותולעת שני *Apoc.* XVIII. XII. *Ioſepho & Philoni* argaman *eſt* πορφύρα. *Ad mare referunt: quia ex ejus cochleis tingitur.* ארגמן *per metatheſin* ארם גון Aram gavan , color Syrius. *Tyrus Syriæ civitas dici poteſt.* Argamam *ſive* purpura *res pretioſiſſima. Loci Ezechielis* XXVII. *& Danielis* V. *allegati.* Argaman *præſtantius quam* Thechelet. *Purpura ſolis Regibus & magnatibus conceſſa.* Πορφύρα ἱερὴ & Sacer Murex. *Sacro ærario tradenda. Gentilium Pontifices purpura amicti. Auguralis trabea de purpura & cocco mixta. Dialis Sacerdos & Flaviales ut Domitianus purpura veſtiti.* Dibaphum *pro* Auguratu. *Rubenius notatus. Plebejam purpuram non omnes ſacerdotes geſtarunt.*

CLXXXV. SEcundus ex coloribus arte factis in ſacro veſtitu eſt ארגמן *Argaman.* Chaldæus habet ארגונא *Argavana* Arabs ارجوانا *Argiavana.* Septuaginta πορφύραν. Sic & Joſephus, Philo Judæus, vulgatus, Hieronymus, & reliqui Veterum. Junius quoque *purpuram.* Diodati & Belgæ *pourpre.* Lutherus Scharlaken. Vetus verſio Gallica *de l'Eſcarlatte.* Sed fallitur Lutherus, cum Gallis. Rubrum quidem colorem eſſe, certum eſt: ſed a Scharlacken noſtro non parum differt, quod in ſequentibus clarius demonſtrabitur, præſertim capite ſequenti, ubi de cocco. Purpuram eſſe, nullus dubito, non tantum quod ita vocetur e Joſepho & Philone, qui tanquam oculati teſtes, cæteris omnibus præferri poſſent, ſed ob multas alias rationes, ſatis evidentes, mea quidem ſententia.

CLXXXVI.

CLXXXVI. Varia fuerunt olim genera purpurarum, nam & illud ipſum *thechelet*, de quo capite præcedenti, ſive *conchylium*, purpura aliquando dicebatur, uti docuimus. Erat purpura *violacea*, & *cærulea*, & *rubra*. De utraque Plinius *libro* IX. *cap.* XXXIX. *Nepos Cornelius, qui D. Auguſti principatu obiit: Me, inquit, juvene violacea purpura vigebat, cujus libra denariis centum veniebat: nec multo poſt rubra Tarentina. Huic ſucceſſit dibapha Tyria, quæ in libras denariis mille non poterat emi.* Ad purpuram violaceam etiam referri poſſet eximius ille color *amethiſtinus*, omnibus votis expetitus, de quo Plinius *eod. lib. c.* XXXVIII. *Buccinum per-ſe damnatur, quoniam fucum remittit. Pelagio admodum alligatur, nimiæque ejus nigritiæ dat auſteritatem nitoremque, qui quæritur, cocci. Ita permiſtis viribus, alterum altero excitatur, aut aſtringitur, ſumma medicaminum in libras vellerum, buccini ducenta pelagii* CXI. *Ita fit amethyſti color eximius ille.* *Et libro* XXXVII. *cap.* IX. *Indicæ abſolutum felicis purpuræ colorem habent: ad hancque tingentium officinæ dirigunt vota. Fundit autem eum aſpectu leniter blandum, neque in oculos, ut carbunculi, vibrat.* Eadem pæne videre eſt *libro* IX. *cap.* XLI. ubi de hyſgino. Sed hæc purpura violacea erat. teſtante eodem Plinio *lib.* XXI. *cap.* VIII. *Amethyſtus, qui in viola: & ipſe in purpureum, quemque janthinum appellamus.* Ecce purpura *violacea*, *Rubra Tarentina* & *dibapha*. Quicquid aliquem ruborem habebat, aut cærulei quid, ſive ſeparatim, ſive miſtum ex utroque, illud purpuræ nomen aliquando ſortitum eſſe apparet, ſi quis auctores attentius legerit, præcipue poetas, qui licentius de rebus loqui ſolent. Quales hodie Belgice & Gallice dicimus **Blaeuw / Doncker blaeuw / Hemel blaeuw /** *Violet*, **Koninx Couleur /** *Gris de lin.* **Root / Karmeſijn / Scharlaecken /** *Couleur de roſe*, *Incarnaet*, *Couleur de feu*, **Naker / Oſſen-bloet /** *Ponceau*, & ejuſdem generis alia, quæ ſunt hyacinthina, cærulea, violacea, roſacea, rubra, fuſca, & obtuſa rubra, ignita, & florida, aut rubra nigricantia & exſaturata, ut omnes tres colores arte inducti in ſacro veſtitu, *Thechelet*, *Argaman* & *Tholaath ſchani*, purpurei, ſive purpura dici poſſint.

CLXXXVII. Plurimum tamen color ruber intelligitur per purpuram, non violaceus nec cæruleus. Ideo *conchylium* a purpura diſtinguitur, ut cap. præcedenti dictum eſt. Hinc lana quæ purpura tincta eſt, rubere dicitur. Ovidius de *Arte Amandi lib.* III.

Nec quæ bis Tyrio murice lana rubet.

Virgilius *Georg. lib.* III.

——— *quamvis Mileſia magno*

Vellera mutentur Tyrios incocta rubores.

Ita omnibus rebus rubris comparatur, veluti ſanguini, genis, labellis rubentibus. Homerus *Iliade P.*

.... αἵματι δὲ χθὼν

Δεύετο πορφυρέῳ

Sanguine autem terra madebat purpureo.

Et apud eundem mors dicitur πορφύρεος θάνατος *purpurea mors*, niſi ita dicta quæ fit ſubito & uno ictu, uti purpura uno ictu contundi ſolet, prout ſupra id demonſtravimus. Ovidius *Amor. libro* I.

Purpureas tenero pollice tange genas.

Et *lib.* III.

Illic purpureis condetur lingua labellis.

Seneca *Hypol. act.* II.

Non ora tingens nitida purpureus rubor.

Et roſa & narciſſus purpurei dicuntur. Veterum catalecta.

Pande puella genas roſeas.

Perfuſas rubro purpura Tyria.

Virg. *Ecclog.* V.

Pro molli viola, pro purpureo narciſſo.

Et vinum & uva. Ovid. *de Arte Am. lib.* II.

Plenaque purpureo ſubrubet uva mero.

Et avis *porphyrio* dicta eſt, ob roſtrum punicei, ſive rubri coloris. Euſtathius *ad Odyſſ.* καλεῖται δὲ, inquit πορφυρέων διὰ τὸ τοῦ ῥύγχους φοινικοῦν. *vocatur autem Porphyrion ob roſtrum puniceum.* Eandem ob cauſam *coccinum* aliquando *purpureum* dicitur, Non quod coccineus revera ſit purpureus color, ſed quod ſit ruber, & ad purpuram prope accedat. Horatius *lib.* II. *Sat.* XVI.

.... *rubro ubi cocco*

Tincta ſuper lectos candebat veſtis eburnos.

Et paulo poſt de eadem veſte.

Ergo ubi purpurea porrectum in veſte locavit.

En coccus purpura dicitur, ſcilicet quia rubet uterque color, etſi ſæpius coccus & purpura diſtinguantur, de quo infra. Vera igitur purpura, quæ hoc nomine maxime venit apud auctores, colore rubra eſt,

CLXXXVIII. At ipſe rubor in purpura, quæ ita dicta eſt, varia animadvertitur. Plutarchus *in Catone* loquitur de purpura ſaturi coloris & acuto rubore ſplendente, & de obtuſa & quaſi fuſca. Ἐπεὶ, inquit, πορφύραν ἑώρα τὴν κατακόρον ἐρυθρὰν, καὶ ὀξεῖαν ἀγαπωμένην αὐτὸς ἐφόρει τὴν μέλαιναν. *Cum purpuram ſaturi coloris, & acuto rubore ſplendentem in pretio videret eſſe, ipſe fuſcam & obtuſam gerebat.* Hanc Cicero *pro Sextio* proculdubio intelligit, quam *purpuram plebeiam & pæne fuſcam vocat.* Tria genera (quæ in multas ſpecies ſe ſpargebant, ut Plinii verbis utar) purpuræ rubræ apud antiquos, in uſu fuiſſe animadverto. Primum genus erat purpura infimi pretii, & plebeia, rubra quidem ſed *obtuſa* & quaſi *fuſca.* Secundum genus erat *rubor floridus, & acuto lumine ſplendens,* qualis micat in roſa; Tertium genus erat rubor eximius quidam, qui de utroque priorum participat. Erat enim *nigricans, ſed ſaturus, aſtrictus & preſſus color, cum cocci lumine & acumine, inſtar nigricantis roſæ micans.* Prior purpura obtuſa, fuſca & blebeia dicitur a Plutarcho & Cicerone. Secundum genus, coccus eſt magis quam purpura. De hoc Plinius *libro* XXI. *cap.* VIII. Hos (nempe colores) *animadverto tres eſſe principales: unum in cocco, qui in roſis micat, gratius nihil ſuſpectu, trahitur* (ita libenter lego cum Salmaſio) *& in purpuras Tyrias, dibaphaſque ac laconicas.* Ergo coccineus color inſtar roſæ micat, & in purpuras Tyrias trahitur. Et *libro* IX. *cap.* XXXVIII. *Pelagio admodum alligantur, nimiaque ejus nigritiæ dat auſteritatem illam, nitoremque, qui quæritur, cocci.* In cocco igitur quæritur *nitor*, id eſt accutum illud lumen, & micans ignis. Tertium genus vera & genuina purpura Tyria erat. Plinius *libro* IX. *cap.* XXXVIII. *Laus ei ſumma, color ſanguinis concreti, nigricanti aſpectu, idemque ſuſpectu refulgens, unde & Homero purpureus dicitur ſanguis.* Et cap. XXXVI. ejuſdem libri. *Liquoris hic minimi eſt in candida vena. Unde pretioſus ille bibitur nigricantis roſæ colore ſublucens.* Macrobius *lib.* II. *Saturnal. de Auguſto purpuram empturo. Cum de Tyriæ purpuræ, quam emi juſſerat, obſcuritate quæreretur, dicente venditore: Erige altius & ſuſpice, his ſalibus uſus eſt. Quid? ergo ut me populus Romanus dicat bene cultum, in ſolario ambulaturus ſum.* Et, ut habet Plutarch. κατακόρον ἐρυθρὰν καὶ ὀξεῖαν quærebant veteres. Unde facile dignoſci poteſt genuinus color purpuræ. Nempe quod fuerit rubor ſaturus, auſterus & nigricans, ita ut

ejus dos & præſtantia vix animadverteretur primo intuitu, at ubi in altum elata ſuſpiciebatur, de medio iſtius nigritiæ acutiſſimum lumen & egregius nitor ſplendebat, qui cocci fulgori non cedebat: *Suſpectu enim tantum fulgebat*, ut habet Plinius, & altius elata ſuſpicienda erat.

CLXXXIX. Ut vero colores illos, quantum id fieri poterit, cum noſtris conferam, quo facilius verus color genuinæ purpuræ, tantopere apud veteres laudatæ & decantatæ, dignoſci poſſet. Puto primum illud genus purpuræ, quam plebeiam vocavit Cicero, non multum fuiſſe præſtantius noſtro colore rubro, quem hodie *Crappe* dicimus, ex herbis, & certis quibuſdam radicibus, quarum ſatis dives eſt Zelandia; aut plurimum inſtar coccinei iſtius coloris, quem *Cramoiſi*, belgice **karmeſijn**/ & quem a *Scarlatto* diſtinguimus, cum ſit obtuſior & magis fuſcus. Secundum genus, quod antiqui coccum vocabant, colorem illum rubore florido & grato lumine micantem, auſteritate tamen & nigritia fraudatum, noſtrum eſſe coccineum, quem hodie **ſcharlaken**/& Galli de *l'ecarlatte* dicunt, de quo capite ſequenti. Sed tertium genus purpuræ, nigricantis roſæ inſtar, rubore auſtero, ſaturo, & ſimul grato lumine micantem colorem non plane abſimilem fuiſſe noſtro *Ponceau*, eximio illi & pretioſiſſimo colori, in cujus infectura Angli cæteras nationes hodie longe ſuperant. Quamvis nollem adfirmare noſtrum *Ponceau* ad antiquæ purpuræ præſtantiam & dotem accedere, utut nigricet, & miro igne micet, & quamvis hodie pretioſiſſimus ſit color, Veterem tamen purpuram multo plus habuiſſe nigritiæ & luminis, nullus dubito. Eadem etiam materia non tingitur. Liceat Veterem purpuram Tyriam conferi cum floribus noſtris, quorum quoſdam & nos in hortulo noſtro habemus, quales ſunt certæ quædam anemonæ & ranunculi rubri nigricantes ſaturi coloris, quos & ob colorem **oſſenbloet**/ *ſanguinem boum* vocamus, inſtar nigricantis roſæ. Et ſane ipſis Veteribus genuina purpura dicitur ſanguineo colore, & quidem inſtar *ſanguinis concreti*, & nigricantis, & ſanguis πορφύρεος *purpureus*. Servius ex hoc verſu *Æneid.* VI.

Purpureaſque ſuper veſtes, velamina nota,

purpuram ſanguinei coloris docet. *Quoniam ſumptuoſum erat, & crudele victimas vel homines interficere, ſanguinei coloris cepta eſt veſtis mortuis injici.* Hanc Scriptores Hiſtor. Auguſtæ, & alii auctores

ctores poſterioris ævi *blattam*, de quo ſæpe apud Juriſconſultos, & θρόμβον αἵματ@, *grumam ſanguinis*, (ui habent gloſſæ) vocarunt. Omnium optime Plinius *libro* IX. *cap.* XXXIX. *Laus ei ſumma, color ſanguinis concreti, nigricans aſpectu, idemque ſuſpectu refulgens, unde & Homero purpureus dicitur ſanguis.* Vides igitur *concreto & nigricanti ſanguini* ſimilem eſſe genuinam purpuram. Omnem autem purpuram violaceam fuiſſe, præcipue plebejam illam, quam gerere malebat Cato, ut doctiſſimi etiam Viri ſtatuunt, non poſſum a me impetrare ut credam; cum toties dicatur rubra, & a violacea & amethiſtina diſtinguatur, nec noverim nigricantem roſam, aut ſanguinem concretum, qui ſit violaceus aſpectu: *nigricans* quidem *eſt aſpectu*, ut ait Plinius, ſed *violaceam* nuſquam legi. Eodem modo Theophraſtus nobis deſcribit lapidem hæmatitem, quo Plinius purpuram. Dicit enim eum eſſe ſimilem αἵματι ξηρῷ πεπηγότι *ſanguini arido & concreto.* Sed *hæmatitem* non violaceum, ſed egregii & ſaturi ruboris eſſe, ſciunt qui vident.

CXC. Omnis vera & genuina purpura ſolo murice tingebatur, aut piſce illo, quem veteres *purpuram* vocabant, unde & color *purpura* dicitur. Fateor ecquidem id aliquando herbis fieri. Plinius *lib.* XXI. *cap.* VIII. *Tranſalpina Gallia herbis Tyrium atque conchylium tingit.* Ecce non ſolum *conchylium* (de quo plura ſupra) ſed & *Tyrium*, id eſt *rubram purpuram*, herbis tingi. Sandice Indica etiam tingitur color quidam egregius, qui purpura dicitur, immo divino aliquo fulgore pretioſiſſimam Imperatorum purpuram, cineris ſpecie decolorare, quale genus purpuræ poſtea nec ulla gens detulit, nec Romanus orbis vidit. Vopiſcus *in Aureliano. Meminiſtis fuiſſe in templo Iovis Opt. Max. Capitolini pallium breve, purpureum, laneſtre, ad quod cum matronæ atque ipſe Adrianus jungerent purpuras ſuas, cineris ſpecie decolorari videbantur cætera, divini comparatione fulgoris. Hoc munus Rex Perſarum ab Indis interioribus ſumptum Aureliano dediſſe perhibetur, ſcribens ſume purpuram, qualis apud nos eſt.* Mox addit: *Dicitur enim ſandix Indica talem purpuram facere, ſi curetur.* Vera tamen & genuina purpura rubra nullis herbis, qualis Sandyx & aliæ: ſed ſolo murice tingebatur. Ideo purpura dicitur *murice rubere.* Ovid. *Amor. lib:* III.

Nec quæ bis Tyrio murice lana rubet.

Martialis *Epigram. lib.* IV. *ad Baſſum.*

Non

Non niſi vel cocco madida, vel murice tincta
Veſte nites, & te ſic dare verba putas.

Clarius Plinius *libro* XXII. *cap.* II. *Nec quærit in profundis mu-rices*, poſtquam dixerat, *tranſalpinam Galliam herbis Tyrium atque conchylium tingere.* At hæc adeo ſunt cognita, ut riſum lectori movere crederem, ſi id multis argumentis probare vellem. Addo tantum, hunc colorem plerumque *Tyrium* dici & *Tyriam purpuram*, & *Tyrium dibaphum*, & *ruborem Tyrium*, & *Tyrium muricem.* Virgil. *Georg. lib.* III.

---- *quamvis Mileſia magno*
Vellera mutentur Tyrios incocta rubore.

Tibullus *Eleg.* VI. *lib.* II.

Illi ſelectos certent præbere colores
Africa puniceum, purpureumque Tyros.

Statius *lib.* III. *Propemptico Metii Celeris.*

Qua pretioſa Tyros, qua purpura ſucco
Sidoniis iterata vadis.

Ovid. loco ſæpius laudato.

Nec quæ bis Tyrio murice lana rubet.

Ideo Plinius *tranſalpina Gallia Tyrium* (id eſt purpuram Tyriam) *tingit.* vocatur *Sidonius* quoque ob vicinitatem loci. Seneca *in Hercule Oetæo Actu ſecundo.*

Nec Sidonio mollis Aheno
Repetita bibit lana ruborem.

Eadem reperies ſæpius alibi. Sed & *Sarrana* dicitur. Hinc *Sarrano oſtro dormire*, apud Virgilium *Georg. lib.* II. Et Juvenali tunica Jovis *Sarrana* dicta *Sat.* X. Vetus ejus Scholiaſtes ad hæc notat. *Tunicam Iovis palmatam dixit, Tyria purpura infectam.* Omnino eadem docet Servius ad iſtum locum Virgilii. *Sarrano oſtro*, ait, *id eſt Tyria purpura: quæ enim nunc Tyros dicitur, olim Sarra vocabatur.* Optime quidem. Eſt enim *Sar* vel *Sarra* nihil aliud quam Hebræorum צור id eſt *Tyrus*, levi ſane permutatione literarum צ in Z. S. & T. ut צור *Zur*, Tyr. *Syr. Sar*, *Sara*, & *Sarra*, unum idemque ſit. Nec omittendum teſtimonium Feſti, qui *Sar*, & *Sarra* dicit eſſe Tyrum *Inſulam.* Quomodo autem purpuram Tyriam veteres tingere ſoliti fuerint, vide apud Plinium *lib.* IX. *cap.* XXXVIII. Audiamus tantum verba quæ habet ſub finem iſtius capitis. *At Tyrius pelagio primum ſatiatur immatura viridique cor-*

cortina: mox permutatur in buccino. Laus ei ſumma, color ſanguinis concreti, nigricans aſpectu, idemque ſuſpectu refulgens. Unde & Homero purpureus dicitur ſanguis. De ratione purpuram tingendi plura vide apud Salmaſium, in notis *ad Pallium Tertulliani.* Nota eſt fabula de inventione purpuræ, a cane ſcilicet Herculis, qui purpuram in petra prominentum videns, ejus carnem mordicus arripuit, qua devorata, canis fauces piſcis cruore phœniceo colore tinctas cum videret Herculis amica, veſtem ejuſdem coloris ab Hercule petiit, ſi ipſius amoribus frui diutius vellet, quo facto Hercules artem purpura inficiendi veſtes invenit. De his vide Athenæum, Palephatum, Pollucem & alios. Nota quod dicant auctores, *Tyrios* illam hiſtoriam narrare, Herculiſque amicam *Tyrum* vocatam fuiſſe, unde conſtare videtur, iſtos auctores Tyro purpuram attribuiſſe. Sed originem hujus fabulæ detexit eruditiſſimus Bochartus. *De Animal. parte* II. *lib.* V. *cap.* XI. Syris ſcilicet כלב & כילב ſignificare *canem* & *tinctorem*, unde fabulati ſunt Græculi, canem hanc artem inveniſſe.

CXCI. Hæc quoque purpura Tyria Græcis dicebatur *δίβαφα dibapha.* Latinis *bis tincta.* Plinius libro IX. cap. XXXIX. *Dibapha tunc* (Cicerone conſule) *dicebatur, quæ bis tincta eſſet, veluti magnifico impendio, qualiter nunc omnes pene commodiores purpuræ tinguntur.* Hoc Martialis vocat *vellus bis murice inquinatum.* Ovid. *Amor. lib.* III.

Nec quæ bis Tyrio murice lana rubet.

Seneca:

Nec Sidonio mollis aheno
Repetita bibit lana rubores.

Non tantum *bis*, immo aliquando *pluries* tincta videtur, ut fere colligi poteſt, ex Martial, *lib.* II. *Epigr.* XXIX.

Quæque Tyron toties epotavere lacernæ.

Audin? non tantum *bis*, ſed *toties* epotavere, id eſt *pluries*, niſi illi *toties* ſignificet *bis.* Plinius *libro* IX. *capite* XXXVIII. ubi de infectura purpuræ, innuere videtur, cur dibapha dicatur, & quomodo bis tingatur. *Quinis*, inquit, *lana potat horis, rurſuſque mergitur carminata, donec omnem ebibat ſaniem.* Cum enim lana coquendo coeat; & inſtar coactilis alicujus operis compingatur, inter coquendum, ita ut pars ejus intima ſaniem non ſatis abunde bibere queat, poſtquam quinis horis cocta fuit, extrahitur,

& extracta frigefactaque carminatur, carminata aheno iterum immittitur, ut omnes partes, & ſinguli flocci lanæ ſaniem largius poſſint ebibere.

CXCII. Deinde reperitur certum aliquod genus purpuræ, quæ dibapha dici poteſt, quia ex duobus diverſis coloribus conſtat, ex *cocco* ſcilicet & *Tyrio*, quod *Hyſginum* vocant. Nam quemadmodum flavo colori, noſtri infectores cæruleum ex indico inducunt, ut fieret violaceus, aut color, quem *regium* dicimus; aut rubro etiam ex croco ſylveſtri, coccus inducitur, ut fieret talis quem belgice **naker** vocamus, & id genus alia, ita veteres aliquando colori colorem alium inducebant, unde exſurgebat tertius aliquis miſtus & ab illis diſtinctus. Talis fuit *Hyſginus*, de quo Plinius, *libro* IX. *cap.* XLI. *Non eſt ſatis abſtuliſſe gemmæ nomen amethyſtum, rurſum abſolutus* (lege *ablutus*) *inebriatur Tyrio, ut ſit ex utroque nomen improbum, ſimulque luxuria duplex: & cum confecere conchylia, tranſire melius in Tyrium putant.* Et paulo poſt: *Et genuina demonſtrata via luxuriæ, ut color alius operiretur alio, ſuavior ita fieri leniorque dictus. Quin & terrena miſcere, coccoque tinctum Tyrio tingere, ut fieret hyſginum.* Vides itaque hyſginum ex cocco & tyrio factum, quod prius ſcilicet cocco tinctum ſit, deinde Tyrio. Ejuſmodi colorem fuiſſe illum, de quo Servius *lib.* VII. *Æn.* ad hunc verſum.

Ipſe quirinali trabea, cinctuque Gabino.

Suetonius in libro de genere veſtium, dicit tria eſſe genera trabearum; unum diis conſecratum, quod eſt tantum de purpura: aliud regium, quod eſt purpureum, & habet tamen aliquid album: tertium augurale, de purpura & cocco mixtum; docet doctiſſimus Rubenius, *de Re Veſt. lib.* II. *cap.* XIV. cui tamen aſſentiri non poſſum. Non enim dicit Servius illud *augurale* veſtimentum *primo cocco deinde purpura tinctum fuiſſe*, ſed tantum *de purpura & cocco mixtum*, ſcilicet quod habuerit trabeas ex cocco & purpura, ſive quod purpura fuerit prætexta & coccineis trabibus diſtincta veſtis, ut ipſe id erudite explicat *lib.* I. *cap.* V. ut mirer doctiſſimum virum eruditioni ſuæ quaſi vim feciſſe, ut id jam de *Hyſgino* explicaret. Forſan hoc voluit Suetonius apud Servium, augurale veſtimentum trabeas habuiſſe ex filis coccineis & purpureis tortis, aut alternis textis, cum cæteræ trabeæ fuerint ex purpura tantum; aut ex purpura & albo. Hunc colorem autem *hyſginum* dici a *cocco*, quo tingitur, priuſquam

priuſquam Tyrius inducatur, nullus dubito: Sed de his plura capite ſequenti.

CXCIII. Ex his ſufficienter conſtare puto, quid fuerit purpura veterum. Ejuſmodi colorem fuiſſe noſtrum ארגמן vix dubito. Verum eſt, Abrahamum filium Davidis, in ſuis השגות ad Hilchot Maimonidæ *Kele Hammikd. cap.* VIII. *ſectione* XIII. velle hunc colorem magis ita dictum eſſe a *textura*, quam ab *infectura* aut colore, nempe quod ex diverſis coloribus contextum ſit. Sic enim contra Maimonidem diſputat. א״א לי נראה ארגמן ארוג משני מינים או משלשה צבעין על כן נקרא ארגמן: *Ego vero dico: Argaman mihi videtur textum ex duabus aut tribus ſpeciebus colorum, ideoque vocatur Argaman.* Huic cenſori itaque dicitur *Argaman* a verbo ארג *arag*, *texere*, quod ſcilicet textum ſit ex filis diverſorum colorum: ut *Argaman* ſit מלה מורכבת *vox compoſita*, uti exponitur in *Ceſeph Miſna*; quemadmodum quibuſdam etiam Inſula *Amorgus* ſic dicitur, quaſi אם אורגים *mater textorum*; aut עם אורגים *populus textorum.* De quo vide Bochartum *Phœnic. lib.* I. *cap.* XIV. Sed errat, & male carpit doctiſſimum Maimonidem. Non enim hic eſt quæſtio de textura, aut filis diverſorum colorum. Nam hoc ſenſu tota veſtis potius *Argaman* dici deberet, cum ex diverſis coloribus, albo ſcilicet cæruleo & rubro, contexatur. Colorem igitur ſignificare neceſſe eſt. Rubrum etiam fuiſſe tot teſtes clamant, ut ne obſtinatiſſimus quidem dubitare poſſit. Maimonides *Kele Hammikdaſch cap.* VIII. הארגמן הוא הצמר צבוע אדום *Argaman eſt lana rubro colore tincta.* Aben-Ezra ad cap. XXV. Exodi. ארגמן כדמות אדום *Argaman colore rubro eſt.* Et Abarbanel ad eundem locum: צבוע אדום *color ruber.* Eundem colorem crediderunt Kimchius, Pomarius & alii, ideo ארגמן illis eſt קרמז *Carmeſinus*, & לכא *lacca*, qui rubri colores, quamvis fallantur, ut mox oſtendemus. Jarchius non dicit quidem exſertis verbis, fuiſſe rubrum, ſed tamen nihil aliud eum intellexiſſe puto. ארגמן inquit, צמר צבוע ממין צבע ששמו ארגמן: *Argaman lana tincta eſt, certo aliquo colore qui dicitur Argaman.* At cum cæteri verpulorum fere omnes adfirment *rubrum* eſſe colorem, Jarchium idem intellexiſſe exiſtimandum eſt. Talem fuiſſe colorem qui *Argaman* vocaretur, non tantum Hebræi fatentur, ſed & apud cæteras gentes notum fuit: quis enim non videt Hebræorum Argaman fuiſſe Græcorum ἀμόργινον? Suidas in ἀμόργινα ait eſſe χρώματος εἶδος ἀπὸ νήσου Ἀμοργοῦντος.

γȣνῖ©. *ſpeciem coloris ex inſula Amorgon.* Eadem reperies apud Etymologum, Euſtathium, Stephanum & alios. Rubrum autem fuiſſe hunc colorem, & purpureum quidem iidem docent. Euſtathius *Odyſſ.* θ. ἀμόργη πορφύραν σημαίνουσα. *amorge purpuram ſignificat.* Etymologus in voce ἀπομόρξατο vult ἀμόργινα ἱμάτια eſſe τὰ πορφυρᾶ, & ἀμόργη, εἶδος βοτάνης πορφυρᾶς Nota eſt apud Græcos herba quædam ἀργεμώνη, & *argema* apud Plinium, quam nomen habere, ob colorem, ex Hebræorum *Argaman*, nullus dubito. Sunt enim rubri earum flores, punicei coloris. Dioſcorides *lib.* II. *cap.* CCVIII. Ἀργεμώνη ὅλον μὲν ἐστι ὅμοιον ἀγρίᾳ μήκωνι. τὸ δὲ φύλλον ἀνεμώνῃ ἔχει ὅμοιον. ἄνθος ἐσχισμένον, καυλὸν φοινικοῦν. *Argemone in totum Sylveſtri papaveri ſimilis eſt: folia habet anemones florem diviſum & caulum puniceum.* Hic tamen legendum credo, ut hoc obiter notem: ἄνθος ἐσχισμένον καὶ φοινικοῦν *Flos diviſus & puniceus.* Sane ita emendari poteſt ex Plinio *lib.* XXI. *cap.* XXIII. ubi de anemonis, quæ a quibuſdam cum argemonis, ob ſimilitudinem confunduntur. *Sylveſtri amplitudo major, latioribus foliis, flore phœniceo. Hanc, errore ducti, argemonem putant, alii rurſus papaver.* Vide etiam *lib.* XXV. *cap.* XIII. ubi *argema rubens* dicitur ulcus oculi, propter ruborem. Sane non poſſum ſilentio præterire doctiſſimas obſervationes incomparabilis viri Bocharti, in ſuo opere *de Animalibus, parte* II. *lib.* V. *cap.* IX. Arabibus corallium dici مرجان *margiam*, & *magram* rubricam Synopidem eſſe, unde etiam factum putat ῥῆγος, quod Etymologus *amictum purpureum* explicat. Præterea arborem eſſe in Perſia quæ dicitur ارجوان *Argiavvan*, ob florem qui inſigniter rubet, atque ideo purpuram ſic ab ea denominari.

CXCIV. Eſt itaque *argaman*, ut patet, ruber color, non minus quam *purpura Tyria.* Sed an plane eadem eſt purpura, & eadem materia tingitur? Hoc tam facile demonſtratu non eſt. Etymologus ἀμόργη, εἶδος βοτάνης πορφυρᾶς. *Amorge eſt ſpecies herbæ purpureæ.* Et Suidas, *ſpeciem coloris ex Inſula Amorgon*, dicit. Kimchius & Pomarius *carmeſinum* volunt: reddunt enim קרמז *Carmes.* Sed falluntur, cum *carmes* ſive *Carmeſinus* fiat ex cocco. At Hebræorum ארגמן non eſt coccinum, nam hoc potius תולעת שני eſt, ut capite ſequenti docebimus. Sunt qui docent *argaman* lacca tinctum fuiſſe, de quo vide Gloſſam ad *caput* IX. *Kilaim.* ארגמן inquit, נקרא בערבי ארגואן והוא הצמר הצבוע בצבע לא'כא: *Argaman Arabice* vo-

vocatur Argavan, *& eſt lana tincta, colore quem* laccam *vocant.* Eadem habet Rabbi Jona הצבע שקורין לקא· *Color quem vocant lacca.* De quo vide Bochartum, *de Anim. p.* II. *lib.* V. *c.* XIV. Quid ſit *lacca* docent alii, ſcilicet eſt *gummi arboris quæ naſcitur in Arabia, quæ eſt ſimilis myrrhæ, habens odorem bonum, & adminiſtratur in ſuffimigiis, & tinguntur ex ea panni rubei coloris, & dicitur tinctura illa Kartas, & defertur ſimiliter ex Armenia.* Hæc lacca plane eadem videtur eſſe cum Cancamo Dioſcoridis, *lib.* I. *cap.* XXIII. quamvis Dodonæus in ſuo *herbario* & multi alii contrarium aſſerant. Κάγκαμον δάκρυόν ἐστιν Ἀραβικοῦ ξύλου σμύρνῃ προσεοικὸς, βρομῶδες ἐν τῇ γεύσει, ὥσπερ ὡς θυμιάματι χρῶνται. *Cancamum arabici ligni lachryma eſt, myrrhæ quodammodo ſimilis, viroſi guſtus, quam ad ſuffimenta uſurpant.* Alia datur lacca, ſed ficta & arte facta ex variis rebus. De quibus plura vide apud Mathiolum alioſque, imprimis apud Bodæum in Theophraſtum *de plantis.* Sed omnis lacca ſemper rubra traditur ab auctoribus. Judæi variis in locis memorant *laccam*, ut *Cholin fol.* XLII. ubi etiam ſcribitur per ב· לבא, ſed male, nam לכא ſive לקא ſcribendum eſt. Sic ubique ſcribitur. In Miſna *Peſachim capite* III. quæſtio eſt de furfure & farina aqua macerata, quibus infectores utuntur, (quam aquam Miſna, זומן & Gemara מיא דחיורי *aquam farinæ*) an inter fermentata, quæ illo tempore prohibita ſunt, numerari debeat? Gemara iſta explicans, dicit tantum וצבעי בהו לכא *quia ea tingunt laccam.* Jarchius hic laccam exponit per כר׳כא de qua voce cap. ſequenti. Sed cujus coloris fuerit inde non conſtat. Colore autem rubro fuiſſe laccam, clarius conſtat ex *Cholim cap.* II. *Fol.* XXVIII. Quæſtio eſt de ſanguine avis, utrum tegi debeat, ſi quis avem jugulet, non ut eam commederet, ſed ut ejus ſanguine uteretur, ad tingendam laccam בעי ליה לדמיה ללכא· *Opus habet ejus ſanguine ad laccam.* Lacca igitur, ſecundum hanc gemaram, fiebat ex ſanguine, aut ſaltem ſanguine ad iſtam infecturam utebantur. Quidquid eſt, ſanguinei & rubri coloris fuiſſe *laccam*, ex his conſtat. Hoc ſenſu Jarchius hanc Gemaram explicat; de rubro enim colore id intelligi vult, quamvis in corio magis, quam in pannis. צבע, inquit, עור אדום שקורין פר׳קא *color eſt corii rubri, quem vocant* פר׳קא (de voce פר׳קא capite ſequenti) At iſtud corium eſt egregii ruboris, nec coccino in pannis cedit fulgore & lumine. Procul dubio idem color & idem corium erat, quale nobis & hodie adfer-

tur Smirna & ex aliis locis Orientis, quod gallice *Maroquin du levant* dicimus. Nihil dicam de Imperatorum & triumphantium *calceis coccineis* & *puniceis*. Quamvis autem per לקא *laccam* non intelligenda ſit purpura Tyria, ſed aut *lacca* proprie ſic dicta, aut, quod multo verſimilius eſt, color coccineus (Nam ex cocco etiam fit genus laccæ, quam vocant Itali *lacca de grana*, ut videre eſt apud Caneparium, in ſuo Opere *de Atramentis*) de quo vide cap. ſequenti, rubrum tamen colorem ſignificaſſe, certum eſt. En quocunque modo explicent noſtrum *Argaman*, ex his omnibus neceſſario colligendum eſt, fuiſſe coloris rubri, & quidem purpurei.

CXCV. At non ſolum rubri coloris erat vetus *argaman*, ſed, ut opinor, vera & genuina *purpura Tyria*, ſive *dibapha*, nigricantis roſæ, aut concreti ſanguinis inſtar. Nigra quidem aſpectu ob ſaturitatem, ſed ſuſpectu vegetiſſimo & acutiſſimo lumine refulgens, ideoque Tyrio murice, non herbis, nec lacca aliave materia, tincta. Primum quidem animadvertendum eſt, *argaman* non tantum apud Septuaginta & alios ſcriptores, ſed & in ipſo Novo Teſtamento, ſemper exponi per πορφύραν *purpuram*, qua voce plerumque intelligitur *purpura Tyria*, immo ut per βύσσον intelligunt שש, ita per πορφύραν ארגמן: ideoque βύσσον καὶ πορφύραν jungunt, ut Hebræi שש וארגמן Apocal. XVIII. XII. ut & πορφύραν καὶ κόκκινον quod Hebræis ארגמן ותולעת שני Ap. XVII. IV. & alibi. Nec omittendum, quod Syrus in N. T. πορφύραν vertat per ארגונא *argavana*, id eſt *argaman*. vide Marci cap. XV. XVII. & Johannis cap. XIX. II. Quamvis autem verpuli in ſcriptis ſuis nullam purpuram videantur agnoſcere, præter *chilzon*, ſive *conchylium*, de quo capite præcedenti, tamen rubram Tyriam nec negant, nec plane ſilent. Saltem Philo & Joſephus, qui inter eos poſtremi non ſunt, etſi eorum ſcripta hebræo ſermone ad nos non pervenerint, id expreſſis verbis docent. Cum enim quatuor colores in ſacro veſtitu, ad quatuor elementa referant, purpuram aut potius *Argaman*, mare ſignificare volunt, quia inde deſumitur, quod nempe ſanguine cochleæ, id eſt purpuræ, tingerentur. Philo *de congreſſu quærendæ Eruditionis gratia*, ὕδατος δὲ ἡ πορφύρα· τὸ γὰρ τῆς βαφῆς αἴτιον ἐκ θαλάττης, ἡ ὁμωνυμοῦσα κογχύλη. *Aquam vero repræſentat purpura, quia cauſa hujus tincturæ ex mare petitur, quæ alias conchylia dicitur.* Eadem & Joſepus *Antiq. lib.* III. *cap.* VIII. ἥτε πόρφυρα τὴν θάλασσαν, τῷ πεφοινίχθαι τοῦ κόχλου τῷ

αἵματι

αἱμαλι. *Purpura mare ſignificat, cum ex cochleæ ſanguine tingatur.* Horum Simia Hieronymus, ut ſolet, in Epiſtola ad Fabiolam, *Purpura mari deputatur, quia ex ejus cochleolis tingitur.* Ergo ex ſanguine cochleæ, ſive muricis Hebræorum *argaman* tinctum fuit, ideoque vera purpura Tyria. Sed ipſum nomen ארגמן idem videtur ſignificare. Eſt enim ſecundum quoſdam vox ex duabus compoſita. Non quidem, ut vult Abraham filius Davidis, a verbo ארג *texere*, de quo ſupra, ſed ab ארם & גון *Syria & color*, quaſi diceres *color Syrius*, prout Syri & Arabes ſolent addere vocem גון *color*, ut ܣܣܓܘܢ *ſaſgon color hyſginus*, اسمانجون *Iſmanagiun, hyacinthus color cœli.* Sic autem diceretur ארגמן *Argaman*, quaſi per metatheſin litterarum ארמגון *Aramgavan, color Syrius*, quia Tyro, quæ Syriæ civitas dici poteſt, tingitur. Quocunque modo exponas, ex hiſce omnibus, quæ hoc capite dicta ſunt, ſatis manifeſto colligi, mea ſententia, poteſt, vetus ארגמן *argaman* nihil aliud fuiſſe, quam pulcherrimam & pretioſiſſimam purpuram Tyriam.

CXCVI. Inter res pretioſiſſimas hæc purpura poni ſolet, ideo cum auro, byſſo, hyacinthino & coccino fere ſemper jungitur, non tantum in re veſtiaria, ſed & alibi, ubi ſit mentio de rebus caris & pretioſis. videatur Ezech. cap. XXVII. verſu VII. Et quamvis *thechelet* hyacinthinum, ſive conchylium ſit pretioſum, tamen *argaman* ei præfertur. Legimus Danielis cap. v. regem Aſſyriorum eum, quem volebat honorare, veſtiviſſe *argaman*, nulla facta mentione de *Thechelet*, ut pretioſius crederem illud quam hoc, alias *thechelet* potius quam *argaman* eum veſtiviſſet. Quanto autem in pretio fuerit purpura Tyria, vel inde patet, quod non niſi regibus, pontificibus aliiſque magnatibus, conceſſum fuerit eam geſtare, quæ Plinius egregie expreſſit his verbis. *Huic faſces ſecureſque Romanæ viam faciunt: idemque pro majeſtate pueritiæ eſt. Diſtinguunt ab equite curiam: Diis advocatur placandis: omnemque veſtem: illuminat in triumphali miſcetur auro, libro* IX. *cap.* XXXVI. Hanc ob cauſam a Caſſio *in Oratione ad milites* πορφύρα ἱερή, *ſacra purpura*, & ab Imperatoribus Theodoſio, Arcadio & Honorio *Sacer murex* dicitur, quod tamen de conchylio quoque volunt intelligi. *Cod. lib.* XI. *Tit.* VIII. *De veſtibus Holoveris, & auratis, & de tinctione ſacri muricis.* Privatis etiam purpurâ interdicitur

dicitur & ſimul jubetur, ſi quis purpuram poſſideat, eam *ſacro ærario tradat. L.* III. *Cod. Theod. & l.* IV. *Cod. Iuſtin. de veſtibus holoveris.* Sed de immani pretio purpuræ, deinceps plura, ubi de ſacrarum veſtium pretio diſſeremus.

CXCVII. Hanc autem purpuram adhibitam fuiſſe ad veſtitum Pontificum apud gentiles, omnes fere auctores clamant. *Diis* enim *advocatur placandis*, ut ait Plinius loco jamjam laudato. Unde apud Pollucem πορφυροβαφεῖς ἐσθῆτας Eupolis dicit περίσημνα τῇ θεῷ *ornamenta Deæ*, aut ſi mavis cum Rodolpho Gualthero, *veſtes conſecratæ Deæ*, ut ad marginem annotat. Servius *lib.* VII. *Æn.* ad hunc verſum.

Ipſe Quirinali trabea, cinctuque Gabino.

hæc animadvertit: Suetonius *in libro de genere veſtium dicit tria eſſe genera trabearum: unum diis conſecratum, quod eſt tantum de purpura: aliud regium. quod eſt purpureum, & habet tamen album aliquid: tertium augurale, de purpura & cocco mixtum.* Dionyſius *libro* VI. ubi *de Saliis.* Τηβέννας, ait, ἐμπεπορπημένοι περιπορφύρους φοινικοπαρύφους, ἃς, καλοῦσι τραβέας. *Tebennas habent fibulis annexas, prætextas purpura & puniceis trabibus diſtinctas*, (aut, ſi cum Sylburgio, *palmis intextas*) *quas vocant trabeas.* Et Servius ad hæc *Æn. lib.* IV.

-.--- *Tyrioque ardebat murice lana.*

Eſt genus veſtis. Eſt autem toga duplex, amictus auguralis. Idem intellexit virgilius.

Purpureo velare comas adopertus amictu.

Ubi purpureus amictus nihil aliud ſignificat, quam partem illam prætextæ quam ſacrificaturi, aut vota ſuſcepturi capiti injiciebant. *Dialis Sacerdos* & *Flaviales* veſtiti erant *purpura toga Germanica*, aut ſi mavis, *Græcanica*, nam ita amictus erat Domitianus, & eodem habitu Dialis ſacerdos & Flaviales, teſte Suetonio, in vita Domitiani. Nonne Cic. *Ep.* IX. *lib.* II. ſatis innuit Sacerdotes διβάφῳ veſtitos eſſe? *Proinde*, ait, *iſti licet faciant quod volent conſules tribunos plebis, denique etiam vatinii ſtrumam ſacerdotii διβάφῳ veſtiant.* Et *Epiſtola* XVI. *libri* II. *ad Cælium dibaphum* pro *auguratu* ſumit. *Curtius noſter dibaphum cogitat, ſed eum infector moratur.* Ovidius *libro* IV. *Faſtorum. Ille purpurea canus cum veſte Sacerdos.* Et Ricam, veſtimentum purpureum, geſtabant. Feſtus *lib.* XVI. *Rica eſt veſtimentum quadratum, fimbriatum*

tum

tum purpureum, quo Flaminicæ pro pallio utuntur. Habebant & *laticlaviam* veſtem & *prætextam*, quod cap. IX. probavimus. Sed eas fuiſſe purpureas, aut minimum purpurei quid habuiſſe, non dubito. Ex his meridiana luce clarius apparet, ſacerdotes veterum geſtaſſe optimam & pretioſiſſimam purpuram, cum eadem regibus, Conſulibus & imperatoribus ornamento fuerit. Non capio itaque cur exactiſſimus Rubenius, de *Re Veſt. lib.* II. *cap.* XIV. crediderit; Sacerdotes plebeia tantum & vili purpura veſtitos fuiſſe. non pretioſa & imperatoria. Nec illud colligi poteſt, ut putat, ex verbis Ciceronis, pro Sextio, *veſtitus* (Piſo) *aſpere noſtra hac purpura plebeja ac pene fuſca.* Nam locus ille intelligi poteſt, non de omnibus Sacerdotibus, ſed de auguribus tantum & fortaſſis de quibuſdam ex pontificibus. Eodem ſenſu intelligi poteſt locus, quem allegat, ex D. Gregorio Nyſſeno *Orat. de S. Theodoro. Me etiam imperatorum illorum miſeret, quod, cum per ſe ſatis magna inter homines dignitate ob regium imperium præditi ſint, pontificis appellationem ſibi ſumpſerunt, & lugubri obſcuraque purpura hujus dignitatis nomine induuntur, ad imitationem infelicium pontificum, in dignitate ſplendida atque illuſtri triſte atque inamænum geſtantes indumentum.* Fortaſſe tempore D. Gregorii res mutatæ erant, ut viliorem tunc habuerint purpuram pontifices, quam ſub primis imperatoribus. Sane, uti audivimus, Plinius ſacerdotibus eandem adſcribit, quam imperatoribus. Eadem diis conſecrata eſt, quæ ſacerdotibus, ſecundum Servium. Dialis ſacerdos & Flaviales eodem habitu, quo Domitianus, ornati erant. Tyrio murice & διϐάφῳ amicti erant, eorum igitur veſtitus aliquando ex purpura pretioſiſſima fuit. Sed de *purpura* ſive ארגמן, in ſacro Hebræorum veſtitu ſatis.

CAPUT XV.

DE תולעת שני COLORE COCCINEO.

תולעת שני *Variæ interpretationes. Veſtis Chriſti* coccinea *& purpurea dicitur. Non erat hyſgina contra Rubenium. Coccineus color ruber. Ignei coloris eſſe* purpuram *maxime* coccinum. θώρηκες

πύῤῥινοι Apocal. IX. XVII. *Chlamys Chriſti λαμπρά.* ܙܗܪܐ זהר ſplendere. *Scrupulus Caſaubono ablatus. Arabs* بريقا *Aquilæ διάφανον. ὀξεῖα μέταξα. Coccinea. Græcis ignis hodie λαμπρός.* coccinum *differt a purpura pretioſa, a plebeja, & ab hyſgino.* Coccinum *cocco tingitur, unde & nomen.* Coccus *qualis fructus? Ejus ſuccus facile corrumpitur, & in vermem mutatur. Hinc* vermiculus *dictus. Græce σκώληξ.* vermeil, *&* vermeillon. Scolecion. قرمز Kermes, *vermis quaſi* فرمز fermes. *Apud Arabes* F. & K. *uno apice differunt, ut* E. *&* Γ. gamma *&* digamma *apud Græcos.* Kermes *eſſe animal. Hinc coccinum* **Carmeſin** *Belg. & Gallis* Cramoiſy. Carmeſinum *quomodo a Scarlato differat.* Confectio Alkermes, *ſic dicta a a cocco. Pellicula* cocci. *Animal ſive ſuccus in cocco.* Κόκκος *quia granum. κόκκος βαφική* granum tinctorium. Nux Indica *coccus.* **Kokus noot** *Belgis Coccus fructus illicis. Plinius, Dioſcorides, Serapio & alii de* cocco. *Naſcitur in Galatia, in Armenia, Cilicia, Hiſpania, Gallia & Polonia. Omnium optimus* Galaticus. *vocatur a Galatis ὗς. Inde* hyſginum. *Pauſanias explicatus. Turnebus, Heſych. & Suidas male ὕσγην pro ὗς.* Hyſginum *quaſi Saſginum.* Syr. ܣܣܓܘܢ *Saſgon Hebræis* סס Sas, *Vermis. Hinc Græce σής.* Saſgon, *color vermis. Vermitinctum. H. ſive* aſpiratio *aſſumit aut rejicit S.* Sus *pro ὗς, Germ.* Saw. Hyſginum *dicitur quia prius* cocco *tingitur antequam purpura inducatur.* Cuſculium, *Quiſquiliæ quid? κοσκύλματιν, κοσκυλμάτια.* Coccus *cur quiſquilium dictus? Hodie* cochenille, coccenille *quaſi* coccinulum. Coccinum *hyacintho tingitur. Puniceus color eximius in India animalibus inſtar canthari tingitur.* Coccinum *hodie* Scarlatum. *Sententia Ruellii, Gelenii & Groenhovii de ſcarlato. Noſtra conjectura.* Scarlatum *non dici a* cuſculio, *non a* Galatico, *ſed a* Sarlaca. Londres *pro* London. Nimaigre *pro* Nimaigue Sar *in* Sarlaca *Tyrus.* Lacca *color ruber.* סרלקא *Iudæis quid? Iarchii* פריקא *&* כריקא. *Circa has voces Bocharti difficultas. A nobis explicantur.* סר״כא *forte pro* קרטא, *aut pro* סקרא. *Talmudicorum* חוט של סקרא filum coccineum. סר״קא *pro* סרלקא Sarlaca. Apices (״) *pro* ל *extruſo. Aqua farina & furfure fermentata ad tincturam coccini: Corium cocco tingi.* Sarlaca

laca *quaſi* Tyrius rubor , *aut* Tyria lacca. *Sic dicta non quod eſſet purpura Tyria , ſed ob ſimilitudinem. Cotobicus* laudatus. שני תולעת *Hæ voces ſæpe ſic junguntur. Aliquando* שני תולעת *Nonnunquam* תולעת *abſque* שני. *Et* שני *ſine* תולעת. Tholaat *ſæpe* Vermem *ſignificat. Sæpe* colorem. *Locus Nahum cap.* II. IV. *explicatus contra ſeptuaginta. Belg. & Germ.* lachen *ab Hebr:* לעג ridere. *Veſtes rubræ bellatores decent.* Tholaat Schani *qualis color ? Abarbanelis error qui* ſerici nativum *putat. Eſt color* ruber. *Eſt* coccineus. *Græcis , vulgato , Ioſepho & Philoni* κόκκινον & φοινικȢν, & coccinum. *Arabi* قرمز Kermes & Alkermes. Igneus rubor. Chaldæo צבע זהורי Color ſplendidus. *In Novo* T. tholaath ſchani *eſt* κόκκινον. *Loci Apocal.* XVII. IV. & XVIII. XVI. *Matthæi* XXVII. XXVIII. & *Lucæ* XXIII. XI. ܙܘܪܝܬܐ *Syro & Chaldæo* coccinum. לשון של זהורית Lingua coccinea *hircis appenſa* X. *Tiſri. Paulo* tholaath ſchani *coccinum Hebr:* IX. XIX. *Ipſa vox* תולעת coccinum *denotat. Eſt enim* vermis. שנים *in plurali. Sunt qui volunt* שני & שנים *eſſe* duplicia, *quaſi eſſet* שְׁנִי & שְׁנַיִם *a radice* שנה *iterare.* τ̃ LXX. & *Germanorum Iudæorum varia interpretationes.* κλώϑω, κλωςὸν , *Belgice*] een Kloſſe , kloſſe garen. Dentelles. kanten. *Falſæ omnes.* שני *non eſſe* κλωςὸν, διϊγνενησμένον &c. *cum id exprimatur per* משזר. *Locus Prov. cap.* XXXI. XXI. *explicatus* δίσσαι χλαίναι. *Græcorum verſio vitioſa.* χρονίζειν. לון׳ משלג׳ משלן *pro* pernoctare. *Hinc Belgis* een loen / percunctator , homo deſes *Pœnula Pauli* II. *Tim.* IV. XIII. χλαῖνα *quid Suidæ? Veſtimentum hybernum.* J. Baptiſta Donius *laudatus.* Hieronymus, vulgatus, Lutherus, Junius, Belgæ, Galli, Diodati, Buxtorfius , *aliique multi a ſeptuaginta decepti.* χλαίναι πορφυρέες *Homeri.* Tyria læna. Coccinea , Hyacinthina. *Chaldæus laudatus.*, *Lapſus* vulgati , Hieronymi , Buxtorfii , Cocceii , *omniumque fere interpretum , qui* coccinum *dicunt* dibaphum & bis tinctum. *Ante Hieronymi tempora nemo ſic locutus eſt.* δίβαφον *proprium epithetum eſt purpuræ Tyriæ. Plinius explicatus. Error Lexicographorum & interpretum.* שני *eſſe colorem Rubrum.* שני *quibuſdam a* שנה iterare. *Conjectura an non a* שנן acutus eſt? Schani *quaſi* acutum , *ut Græcis* ὀξεῖον. *Hebræis* coccinum *dici* שן Sen , *docet Hieronymus.* Tholaath Schani *quaſi*

vermiculus acutus. *Coccineus color pretioſus. Imperatorum & Magnatum veſtimentis dicatus. Purpura & coccinum junguntur, & aurum χρυσοκόκκινον. Gentilium Sacerdotes cocco veſtiti.* Purpura, coccus & conchylium, *ut pretioſiſſimi colores junguntur a Quintiliano. In ſacris veſtibus tingitur lana, non panni integri, uti apud nos.*

CXCVIII. Tertius colorum qui arte inducti ſunt, in ſacro veſtitu, eſt תולעת שני *Tholaath Schani.* Chaldæus habet צבע זהורי. Septuaginta κόκκινον *Coccinum,* & κόκκινον διπλοῦν *coccinum duplum.* vulgatus *coccum bis tinctum.* Joſephus κόκκον. Aliquando Joſephus etiam & ſeptuaginta φοινικοῦν. Arabs صباغ القرمز *Colorem alkermes.* Aquila διάφανον· Symachus διάβαινον, Hieronymus *coccum.* Junius *coccinea dibapha.* Lutherus Roſin roth. Belgæ ſcharlacken / ſic & Diodati cum aliis. In multiplici ac dubia hac interpretatione, quemadmodum in reliquis coloribus, vix aliquid certi adfirmari licet. nihilominus *Coccineum* fuiſſe Hebræorum *Tholaat ſchani,* vix dubito, quod ideo probare ſuſſcepimus.

CXCIX. Capite præcedenti jam oſtendimus, omnes colores, qui aliquem ruborem habebant, ab antiquis ſæpe purpureos dici, ideoque ipſum coccinum, eodem nomine venire. Atque hanc ob cauſam Horatium *lib.* II. *Sat.* XVI. veſtem *rubro cocco* tinctam confundere cum *purpura.* Nec immerito idem colligunt quidam inde, quod eadem veſtis, qua Chriſtus a perfidis Judæis amictus fuit, & quam Matthæus cap. XXVII. verſ. XXVIII. vocat χλαμύδα κοκκίνην *chlamidam coccineam*, a Marco & Johanne dicatur πορφύρα & ἱμάτιον πορφυροῦν *purpura & veſtimentum purpureum.* Marc. XV. XVII. Joh. XIX. II. Nec ulla neceſſitas me cogit hæc de hyſgino explicare, cum celeberrimo Rubenio, *de Re veſt. lib.* II. *cap.* XIV. quaſi tunica illa Chriſti ab uno Evangeliſtarum *coccinea* diceretur, ab aliis vero *purpurea,* quod cocco & purpura tincta, ideoque hyſgini coloris, fuerit, quod minime probabile puto. Itaque Vel inde patet, coccineum colorem rubrum fuiſſe, apud veteres. Sed hæc ſunt cuilibet obvia. Oſtendimus etiam cujuſmodi ruboris fuerit coccinum, & quomodo a purpura Tyria differat? Scilicet purpuram rubram fuiſſe, inſtar nigricantis roſæ, aut ſanguinis concreti, ita ut fere mixta fuerit ex auſtera aliqua

qua nigritia & nitente rubore: Coccinum vero rubrum fuiſſe, rubore florido & acuto lumine ſplendens, inſtar micantis roſæ, ſed nigritia iſta & ſaturitate purpuræ fraudatum. Roſæ enim ſplendorem, & gratum admodum nitorem cocco adſcribit Plinius *lib.* IX. *cap.* XXXVIII. & *lib.* XXI. *cap.* VIII. ut capite præcedenti diximus. Igneus color præterea dicitur ab aliis, & quidem non ſine cauſa, cum inſtar candentis ferri, aut ardentiſſimi ignis rubeat & ſplendeat. Sane omnem purpuram ignei coloris fuiſſe docet Plinius *lib.* XXXVII. *cap.* IX. *Fulgorque quidam in illa* (gemma ſcil.) *purpuræ non ex toto igneus.* Iſidoris *purpuram* ſic dictam vult, *a puritate lucis.* Et Virgilius *Æn. lib.* IV. *Tyrium muricem* (id eſt *purpuram*) *ardere* dicit. *Ardere* ignis eſt. Igneus tamen fulgor multo vehementius ſplendet in coccino quam in purpura Tyria, ideo coccino maxime attribuitur: excitatior enim & acutior color in cocco, preſſior autem & aſtrictior in purpura roſæ nigricantis. Ideoque coccinum præcipue fulgere & ſplendere dicitur inſtar ignis. Hinc Epiphanius θώρακας πυρίνους, Apoc. IX. XVII. exponit per κόκκινα, in *Alogis ſect.* XXXIV. quod coccineus color ſit maxime igneus. Sic chlamys coccinea, ut habet Matthæus cap. XXVII. XXVIII. a Luca cap. XXIII. XI. vocatur λαμπρὰ *ſplendida*, quod de coccino omnino intelligi debet. Nec aliter intellexit Syrus, cum pro λαμπρὰ habeat ܙܗܘܪܝܬܐ quod eſt ipſiſſimum Chaldæorum זהורי & זהוריתא coccinum, ſic dictum a זהר *ſplendere*, quia inſtar ignis ſplendet. Miror itaque eruditiſſimum Caſaubonum in *Exercit. Anni* XXXIV. *num.* LXXIX. tam ſolicitum fuiſſe, de hujus vocis radice & origine, cum Chaldæo & Syro coccinum ita dicatur ob ignis ſplendorem. His adſtipulatur Arabs, nam cum potuerit reddere per قرمز *Kermes*, maluit tamen uti voce, quæ ſplendorem aut fulgorem ſonaret. بريقا ab Hebræo ברק *fulſit, corruſcavit.* Idem intellexiſſe videtur Aquila per ſuum διάφανον, nam διάφανα maxime ſplendere ſolent. Non poſſum hic intacta relinquere doctiſſima obſervata Magni Salmaſii *ad Tertullianum de Pallio. Et*, inquit, ὀξεῖα μετάξη *in recentioribus Græcorum Imperat. conſtitutionibus* τὸ χρυσόβουλλον διὰ μετάξης ὀξείας ἀπηώρητο. *Ubi* ὀξεῖα *metaxa, eſt coccinea. Idem eſt* λαμπρὸν, λαμπρὸν χρῶμα, *de coccino dixit Plutarchus in nuptialibus præceptis. Inde* λαμπρὰ ἐσθὴς *coccinea apud Euangeliſtam. Latinis* clara veſtis, *&* clara

 ra

ra purpura. *Nam purpuræ maxime claræ* τὸ λαμπρὸν *habent, quod in cocco ineſt. Græci hodieque ignem, abſolute vocant* λαμπρόν. Meridiana luce igitur clarius eſt, coccineum colorem ignei ſplendoris fuiſſe. Differt itaque coccineus color a purpura Tyria pretioſa illa, a plebeja, & ab hyſgino. A plebeja quidem, quod, cum ſit ruber color, acutiſſimo tamen lumine ſplendeat, cum plebeja rubra quidem ſit purpura, ſed obtuſa & pœne fuſca. A Tyria, quod eodem quidem ardore fulgeat, ſed eadem nigritia & ſaturitate fraudatus. Ab hyſgino, quod eundem quidem habeat nitorem atque lumen, at non perinde ſit ſaturatus.

CC. Coccineus autem ille color *cocco* tingitur, unde & nomen, eodem plane modo ac purpura & conchylium. Nam quemadmodum *conchylium* dicitur pro *conchyliata veſte*, quia conchylio tingitur, *purpura* pro *purpurea*, quia purpura piſce; ſic *coccus*, pro *coccinea*, quia cocco inficitur. Hinc *Horatius* II. *Sat.* XVI. *cocco tinctam veſtem*, & Martialis *lib.* VI. *Ep. ad Baſſum*, *cocco madidam*, habent. De hoc colore cocco tincto Plinius quoque *lib.* XXII. *cap.* II. *Iam vero infici veſtes ſcimus admirabili fuco* (aut, ſi mavis cum aliis, *ſucco*, quamvis etiam dicatur *fuco* tingere) *Atque ut ſileamus, Galatiæ, Africæ, Luſitaniæ granis, coccum*, (lege *Luſitaniæ cocci granum*) *Imperatoriis dicatum paludamentis.* Eſt autem coccus fructus rotundus inſtar lentis, aut exigui piſi, qui creſcit circa fruticem illicis; aut potius excreſcentia quædam eſt, quam verus fructus: nullum enim habet florem, ut reliqui arborum fructus, nullum pediculum, nec ejuſmodi alias partes, ſed ipſis ramis arctiſſime adhæret, qua parte exiguum habet foramen. Succus autem ejus facillime corrumpitur, & in vermem mutatur, qui pedibus & exiguis alis mobilis factus, aufugit & avolat, niſi morte præveniatur. Ideo ruſtici qui ejuſmodi grana colligunt, quamprimum animalcula hæc animadverterint, linteo, aut ſacco, cui indiderunt, leviter concutiunt, donec emoriantur. Hinc non tantum *coccus* κόκκος dicitur, ſed & *vermiculus*, Græce σκώληξ. Gloſſæ noſtræ, inquit Salmaſius, κόκκος *vermiculus*, & Lexicon Græc. Lat. Cyrilli κόκκος βάμμα *vermicula*, *hoc coccum* Gloſſæ veteres *Fucus vermiculus*. Unde & *vermitinctum.* σκώληξ Γαλατίας pro *cocco Galatico*, & σκώληξ ὁ πόρφυρος. Inde & minium noſtrum hodie *vermeil* & *vermillon*, quaſi *vermiculum.* Audiamus Plinium *libro* XXIV. *cap.* II. ubi de

cocco

cocco. Eſt autem, inquit, *genus* (cocci) *ex eo in Attica fere & Aſia naſcens, celerrime in vermiculum ſe mutans, quod ideo Scolecion vocant.* Scolecion ſcil. dicitur, a Græco σκώληξ, quod *vermem* ſignificat. Sed de hoc cocco atque vermiculis fuſius agit Pauſanias in Phocicis. τὴν δὲ θάμνον ταύτην, Ἴωνες μὲν καὶ τὸ ἄλλο ἑλληνικὸν κόκκον, Γαλάται δὲ οἱ ὑπὲρ Φρυγίας φωνῇ τῇ ἐπιχωρίῳ σφισὶν ὀνομάζουσιν ὗς. ἔστι δὲ αὕτη μέγεθος μὲν ἡ κόκκος κατὰ τὴν ῥάμνον καλουμένην, φύλλα δὲ μελάντερα μὲν καὶ μαλακώτερα ἢ ἡ σχοῖνος. τὰ μὲν τοι ἄλλα ἐοικότα ἔχει τῇ σχοίνῳ. ὁ δὲ αὐτῆς καρπὸς ὅμοιος τῷ καρπῷ τοῦ στρόγνου. μέγεθος ὀρόβου. γίνεται δὲ τοι ἐν τῷ καρπῷ τοῦ κόκκου βραχὺ ζῶον. τοῦτο εἰ ἀφίκοιτο, ἐς τὸν ἀέρα πεπανθέντος τοῦ καρποῦ, πέπεται αὐτίκα, καὶ ἐοικὸς κώνωπι φαίνοιτο ἄν. νῦν δὲ πρότερον πρινὴ τὸ ζῶον κυηθῆναι. συλλέγουσι τοῦ κόκκου τὸν καρπόν. καὶ ἐστί ἐρίοις ἡ βαφὴ, τὸ αἷμα τοῦ ζώου. *Fruticem hunc Iones, & reliqui Græci coccum, Galli qui ſuper Phrygiam ſunt, patria voce* hys *nominant. Creſcit ad magnitudinem Rhamni, folio nigriore & molliore quam lentiſcus, in reliquis lentiſco ſimilis ejus fructus ſolani fructui ſimilis ervi magnitudine. Gignitur in cocci fructu poſillum animal; id ſi maturo fructu in aerem exilierit, ſtatim volucre fit, culici ſimile: Sed antequam concipiatur animal, cocci fructum legunt. Adhibetur autem ſanguis animalculi ad tingendam lanam.*

CCI. Hoc naimal Arabs قرمز *Kermes* vocant. De quo vide Lexicon Golii. Videtur autem dici *Kermes*, quaſi *vermis*. Arabibus enim non eſt inſolens, voces Græcas & Latinas adoptare, ut alibi demonſtravimus. Poſſet etiam aliquis dubitare utrum ne primum Arabes فرمز *Fermes* ſcripſerint, uno enim apice tantum differunt apud eos F & K, ut & apud Græcos F & Γ, *digamma & gamma*, quæ eandem fere vim habent ac C. & K. Nec inſolens eſt litterarum mutatio V in G. aut K. *Kermes* autem animal eſſe docet Sariph, *Alkermes, nomen animalis incidentis ſuper ilicem, quæ eſt ſpecies quercus mediocris.* Alcmanus, *Alkermes color Armenius, qui exprimitur e vermibus, in quorum viſceribus latet.* Alii in Abenbitare., *Alkermes eſt animal, quod in ſpinoſa planta generatur, & in arbuſto, ex quo ſulphurata fiunt ad ignem accendendum, mediæ magnitudinis inter herbam & fruticem, ramis multis ſed tenuibus. Hoc autem animal inſtar lentis eſt initio, valde parvum, ſed augere non deſinet, donec ciceris magnitudinem aſſequa-*

tur

tur. Hæc Arabice reperies apud Bochartum *de Animalibus*, *parte* II. *lib.* IV. *cap.* XXVII. Eſt itaque *Kermes*, ſive *Alkermes* Arabum *vermis*, unde factum eſt, ut coccineus color etiam *Carmaſinus*, Gallice *cramoiſy*, & Belgice karmeſijn diceretur: ut decipiantur ii qui Karmeſinum a coccino diſtinguunt. Hodie quidem noſtri infectores diſcernunt *carmeſinum* a *Scarlatto*, ſive coccino, & intelligunt per Carmeſinum coccineum quidem colorem, qui etiam cocco tingatur, ſed obſcuriorem, & non perinde nitentem & floridum, quemadmodum eſt verum coccineum, ſive ſcarlattum, cum fiat alio temperamento & medicaminibus. Arabicum itaque Kermes, vel *Alkermes*, nihil aliud eſt quam coccus, aut cocci vermis. Inde etiam *confectio Alkermes*, adeo a Medicis decantata; ita dicta quod coccus illius ſit præcipuum ingrediens: non autem ſericum cocco tinctum, ut alii ſuſtinent, ſed ipſe coccus adhibetur, cum pomorum ſucco, aqua roſarum, ſaccharo, ambra, ſandalo, cinnamomo, lapide Lazuli, margaritis, muſco, auro &c.

CCII. Duo in cocco reperiuntur. Primum pellicula, cui ſuccus ineſt, ex quo animalculum naſcitur. Secundum ipſum animal, ſive ſuccus a cocco ſeparatum. Ex animalculi ſubſtantia, tanquam ex nucleo, aut medulla præſtantiſſimum & vegetiſſimum colorem fieri quidam tradunt. Pelliculæ autem vacuæ & vermiculis relictæ, etſi non ſint ejuſdem valoris, tamen non ſunt plane inutiles: nam ex iis quoque color non contemnendus elicitur, Dicitur autem Græcis Κόκκος, quia eſt *granum*, hoc enim Græcis κόκκος, ſignificat. Ideo Plinius *granum cocci*, & Dioſcorides κόκκον βαφικὸν *granum tinctorium*, habent. Sed & nux Indica *coccus* dicitur & apud nos nux juglans, kokus noot/ ob ſimilitudinem aliquam. Naſcitur hoc granum circa fruticem ilicis, quæ eſt genus arbuſculi roburi non abſimile, ſed non ejuſdem magnitudinis. Coccum autem fert ſolummodo quamdiu non fert glandem, cum adolevit, & in arborem excrevit fert glandem, etiam gallam, ſed ceſſat coccus. Ideoque ſolent incolæ iſtorum locorum quadriennes aut adultiores ſtolones urere, ut proximo anno novelli reſurgant, qui deinde ſingulis annis aliquot ſubſequentibus, coccum ramulis inhærentem inſtar exiguorum piſorum gignunt colore primo albido, per maturitatem vero cineritio. De eodem genere ilicis Plinius *libro* XVII. VIII. *Omnes tamen has ejus dotos ilex*,

Colo

Colo provocat cocco Granum hoc, primoque ceu ſcabies fruticis (ſic libenter lego cum Turnebo & Salmaſio) *parvi, aquifoliæ ilicis coſcylium vocant: penſionem alteram tributi pauperibus Hiſpania donat: gignitur & in Galatia, Africa, Piſidia, Cilicia.* Dioſcorides *lib.* IV. *cap.* XLVIII. Κόκκος βαφικὴ, θάμνος ἐστὶ μικρὸς, φρυγανώδης, ᾧ πρόσκεινται οἱ κόκκοι ὡς φακοὶ, οἵτινες ἐκλεγόμενοι συντίθενται. ἀρίστη δὲ ἐστιν ἡ Γαλατικὴ καὶ ἡ Ἀρμενιακὴ, ἔπειτα ἡ ἐν Ἀσίᾳ δὲ ἡ Κιλίκιος. ἐσχάτη δὲ πασῶν ἡ ἐν Ἱσπανίᾳ. & mox: γίνεται δὲ ἡ ἐν Κιλικίᾳ ἐν τοῖς δρύσιν ὁμοίως κοχλίᾳ μικρῷ ἣν αἱ τῇδε γυναῖκες τῷ στόματι ἀναλέγουσαι κόκκον καλοῦσιν. *Coccus quo tingitur, frutex eſt, parvus ex cremiorum genere, cui grana ceu lentes adhærent, quæ quidem exempta, decerptaque reponuntur. Optimum gignitur in Galatia, & Armenia, denique in Aſia & Cilicia: omnium poſtremum quod in Hiſpania provenit. Naſcitur porro in Cilicia in quercubus, exilis cochleæ ſimilitudine, quod illius regiones fœminæ coccum vocant, & ore legunt.* Eadem habet Serapio, c. CCCI. ubi de Kermes. *Chermes*, inquit, *eſt arbuſtum quod adminiſtratur ad accendendum ignem, & eſt medium inter arborem & herbam, cujus rami ſunt multum ſubtiles, ſuper quos ſunt grana rotunda, ſimilia lenticulæ, quæ colliguntur, & reponuntur, & conſervantur, & conficiuntur ad tingendum.* Ita illius interpretes. In ilice itaque, aut genere quercus creſcit coccus. Sunt tamen qui docent etiam creſcere in Myrrho, in ſaxifraga & pimpinella, quam alii etiam *laccam* putant. Loci in quibus provenit, ſunt *Galatia, Armenia, Cilicia* & *Hiſpania*, ut ex Dioſcoride, Plinio & Serapione audivimus. Reperitur tamen in *Gallia* quoque, & *Polonia* & alibi. Sed omnium optimus eſt Galaticus coccus, ut iidem docent, quibus accedit Plinius Secundus *libro* XXII. *Coccum Galatiæ rubens granum circa Emeritam Luſitaniæ in maxima laude eſt*, ut ait iterum Plinius Hiſt. *lib.* IX. *cap.* XLI. Videatur etiam *lib.* XXII. *cap.* II. Tertullianus *de Pallio cap.* IV. *latioris purpuræ ambitio & Galatici ruboris.*

CCIII. Hoc granum, ſive hic vermis βαφικὸς a Galatis vocatur ὗς, ut ex Pauſania, Phocic. lib. x. loco ſupra allegato, conſtat. Inde color *hyſginus*, ex purpura Tyria & cocco, de quo capite præcedenti mentionem fecimus. Sunt qui apud Pauſaniam legant ὕσγην *hyſgen* pro ὗς *hys*, in qua ſententia etiam eſt Turnebus *Adverſar. lib.* XIX. *cap.* XXV. ideo proculdubio quod Heſychius

& Suidas ὕσγης meminerint. Sed an Grammatici illi non decepti ſint, jam non diſputo. Saltem ego credere non poſſum ὕσγην ſcripſiſſe Pauſaniam, ſed ὗς. Eſt itaque ὕσγινον ſive ὕσγη vox compoſita ex ὗς, aut potius חוס pro סס & גון, ut ſit quaſi *ſaſgon*, ut Syri ܣܣܓܘܢ *color cocci.* Nam סס *Sas*, de quo antea jam egimus Hebræis ſignificat *Vermem* (unde fortaſſis Græcorum σὴς) & גון *colorem*; ut *Saſgon* nihil aliud ſit quam *color vermis*, *vermitinctum*, uti etiam coccinum vocatur. Nihil autem refert Græcis dici ὕσγινον, ſive ὕσγην, pro σάσγινον, aut σάσγην, cum aſpirationi non ſit inſolens σ ab initio aut aſſumere, aut abjicere, quod vel ex ſola voce *Sus* apparet. Factus enim eſt ſus, porcus a Græco ὗς, aut potius Græcum ὗς ex Germanorum Sauw, quod idem ſignificat. Prius itaque *hyſginum* nihil aliud ſignificaſſe auſim adfirmare, quam coccinum, poſtea vero colorem mixtum, ex cocco & Tyria purpura, ita tamen, ut quamvis purpura ad hanc infecturam adhiberetur, non minus quam coccus, *Coccinum* tamen diceretur potius quam *purpura*, quia cocco prius tingi ſolebat.

CCIV. Nonnunquam *cuſculium* dicebatur, ſive *coſcylium*. Vide Plinium *lib.* XVI. *cap.* VIII. In quibuſdam etiam codicibus habetur *quiſquilium*. Quid autem ſit quiſquilium ſatis notum eſt. Scilicet res levis, minuta & nullius pretii, qualia ſunt *terrarum purgamenta*, *& quidquid ex arboribus ſurculorum*, *& foliorum minutim decidit*, ut habent Varro, Feſtus & Iſidorus. Ideo Græcis κοσκύλλειν eſt minutias excreſcentes præſecare, ut alibi obſervat Salmaſius. Sunt etiam κοσκυλμάτια coriorum & pellium minuta præſegmina, ut habent Heſychius, Suidas & Ariſtophani Scholiaſtes. Inde res quævis leves & nihili quiſquiliæ dicuntur. Hinc Cæcilius, notante etiam Feſto,

Quiſquilias volantes, venti ſpolia memoraſti modo.

& Nævius *in Togularia*:

Ac deturba te ſaxo, quiſquiliæ, non homo.

Coccus autem quiſquiliæ dicitur, non quidem quod res vilis fuerit, erat enim ſatis cara & pretioſa, ita etiam ut ruſtici & pauperes, in Hiſpania, quibus pecunia deficiebat, cocco tributum ſolverent, ut ait Plinius *libro* XVI. *cap.* VIII. Sed quod ſtolonibus deraſum caderet, inſtar minutiarum & quiſqui-

liarum

liarum. Sunt tamen qui conjectant cuſculium, ſive quiſquilias, non omnem ſubſtantiam cocci ſignificare, ſed tantum pelliculas granorum, ab animalculis deſertas, quæ, ſi conferamus cum animalculis ipſis, revera (etſi non plane ſint inutiles) ſunt tantum quiſquiliæ & res leves. Ex hoc nomine *cuſculium* videtur noſtrum *cochenille* (ita enim hodie coccum vocant Galli, & Belgæ *coccenille*) factum videtur? ſi modo non ex ipſo cocco, ut diceretur, per diminutionem *coccinille*, quaſi *coccinilum*, quia parvum granum eſt. Hoc cocco verus coccineus color tingitur. Narrat quidem Plinius *lib.* XXI. *cap.* XXVI. in Gallia etiam hyacintho pro cocco hyſginum tingi. Sed locus ille aut corruptus eſt, & potius legendus ut habent alii, *hoc ibi loco hyſginum tingitur*, non vero, *hoc ibi cocco h. t.* Aut ſi *pro cocco*, id tantum intelligi debet, quod colorem aliquomodo ſimilem reddiderit coccineo, quemadmodum & *purpuram Tyriam herbis tingi* dixit.

CCV. Narrat præterea Ælianus *libro* IV. *cap.* XLVI. *animal.* Indos puniceos veſtes tingi animalibus quibuſdam prælongis pedibus, qui canthari magnitudinem habent. Ejuſmodi fuiſſe purpuram illam quam Perſarum Rex Aureliano miſit, ut ait Vopiſcus, quod capite præcedenti notavimus, fere crediciſſem, niſi dixiſſet Vopiſcus, ſermonem eſſe: *ſandicem Indicam talem purpuram facere ſi curetur.* Sane Ælianus hunc colorem pretioſiſſimum dicit, & a Perſis expeti. Mittitur enim Perſarum Regi, inquit, καὶ τόγε οὐδὲς τῆς ἐσθῆτος δοκεῖ θαυμαστὸν, καὶ ἀντικρινομένη γε τοῖς Περσῶν ἐπιχωρίοις κρατεῖ κατὰ πολὺ καὶ ἐκπλήττει, ὡς φησὶ Κτησίας. ἐπεὶ καὶ τῶν ᾀδομένων τῶν Ζαρδιανικῶν ὀξυτέρα τέ ἐστι καὶ τηλαυγέστερα. *Et eam mirantur Perſæ, & patriis ſuis veſtibus anteponunt pulcritudine & pretio, ut ait Cteſias, nam vel celebribus illis Sardianis floridior & ſplendidior eſt.* Sed de cocco plura vide, ſi placet, apud Mathiolum *in Dioſcoridem*, Dodoneum, Bodæum a Stapel in ſuis *commentariis ad Theophraſtum de plantis*; & Salmaſium *in Exercitationibus Plinianis.* Ut ut ſit, hoc grano ſive *cocco* verus color coccineus tingebatur apud antiquos, ut & hodie apud nos. Hic etiam eſt color ille eximius & pretioſiſſimus quem hodie *ſcarlattum*, Galice *Eſcarlatte*, Belgice **ſcharlaecken**/ Germanice ſcharlach, dicimus.

CCVI. Quoniam autem hic mentio incidit de *Scarlatto*, non poſſum non addere noſtras conjecturas, de vocis illius origine. Plurimi

rimi ſane auctores loquuntur de *Scarlatto* : ſed vix ullus tentavit fontem vocis aperire. Sunt qui putent dictum eſſe *Scarlattum* quaſi *quiſquiliatum* aut *cuſculiatum* a *Cuſculio*, quo nomine coccum deſignari jam modo oſtendimus. Videantur Ruellius & Gelenius, &c. Sed hæc etymologia paucis arridet. Magnus Groenovius, vir dum viveret in literis primus, οἷος ὢν! mihi amiciſſimus, & cujus manes omnes boni & docti mecum in æternum venerabuntur, in doctiſſimis ſuis notis ad Plinium Secundum, non ita pridem editis, quem librum mihi dono miſit, vix tribus diebus ante lethalem illum, & funeſtiſſimum morbum, quo jam heu! κεῖται Πάτροκλος, ad libr. XXII. cap. II. derivatum omnino voluit a Galatico; ut diceretur *Carlate*, *Scarlate* & *Ecarlate* & *Carlatum*, quaſi *Galaticum*, ſcilicet *Galaticus color*, cum coccinum Galaticum præſtantiſſimum traderetur ab auctoribus. Eſſet autem *Carlatum* pro *Galaticum*, inſerto ſolummodo R. quemadmodum dicitur *ſtirps* pro στίπος, *perdix* pro perdrix, *Londres* pro *London*, addo, & noſtrum hodie Novomagum, a Gallis dici *Nimaigre* pro *Nimegue*. Hæc & multa alia doctiſſima ibi habet, magnum litterarum decus. Non poſſumus tamen quin & noſtram conferamus ſymbolam, & quid hac de re ſentiamus, in medium proferamus, prout olim his de rebus cum eo communicavimus, cum viva voce, tum literis, ut videre eſt ex epiſtola eximii viri, huic Operi præfixa, quæ, puto, ultima fuit, quam politiſſimus ſtilus exaravit. Si ad Gallicum *ecarlatte* reſpiciamus, dubitari poſſet annon derivetur a voce quæ in *ate*, *atus*, aut *aticus* terminatur. Sed cæteræ nationes, ut Germani & Belgæ Scharlach & **Scharlaken** habent. Sic etiam ſcribendum puto, *Scarlaka*, aut *Sarlacum* potius quam *ſcarlatte* aut *ſcarlatum*, ut non dubitem quin Gallicum *Eſcarlatte* ex *Scarlake* aut *Sarlaco*, deductum ſit. Solenne etenim eſt Gallis litteram E. præfigere τῷ S. ut *Eſphere* pro *ſphæra*, *Eſchelle* pro *ſcala*. Nec nos morari debet quod dicant *eſcarlate* & non *eſcarlake*; nam hoc factum exiſtimandum eſt more gentis, quæ non amat pronunciare literam K. & C. ſed mutant ſæpe in T. ut *clauſporte* pro *clauſiporta*, ut obſervat doctiſſimus Menagius in ſuo Etymologo, quemadmodum & Latini C. in T. ut beſtia pro βόσκημα, & *Lutetia* pro Λουκετία. Non mirum igitur ſi *eſcarlate* pro *Sarlake* dicant. Jam vero *Sarlake*, ſic dicitur quaſi *Sarlacca*, color ruber Tyrius? ita compoſita eſt vox ex *Sar* & *lacca*.

CCVII.

CCVII. Capite præcedenti demonſtravimus *Sar* & *Sarra* Tyrum inſulam eſſe, & purpuram *Sarranam* & *Sarranum oſtrum* dici quaſi *purpuram Tyriam*. Atque ita *Sar* in noſtro Sarlake eſt *Tyrus*. Hæc ſuboluiſſe videntur *Cotovico* in ſuo itinerario Hieroſolymitano, lib. I. cap. XIX. ubi **ſcharlaken** vel **ſarlaken** ab urbe hac *Sarra* (id eſt *Tyro*) dici exiſtimat. Non multo difficilius erit conjecturare quid ſit *lake*, nempe Hebræorum לקא *lacca*, quam vocem colorem rubrum inſtar coccini, immo & coccinum ipſum ſignificare, capite præcedenti quoque oſtendimus. *Scharlake* ſic erit Hebræis סרלקא *Sarlaca*, *Lacca Tyria*, ſive *color ruber Tyrius*. Sane ſic videtur vocari a Jarchio & aliis, vocem enim illam לקא quæ reperitur *Maſſechet Cholin* & *Peſachin*, de qua capite præcedenti, Jarchius in *Cholin* exponit per פר״קא. In *Peſachin* autem per סר״קא. Neutrum fatetur magnus Bochartus ſe intelligere. *De Animal. part.* II. *lib.* V. *cap.* XIV. Puto tamen nec Sphinge, nec Ariſtarcho opus eſſe. Optime ſcribitur in poſteriori loco סר״קא per ס & non per פ, & ad hunc prior locus emendandus eſt. Quid autem Jarchio ſit τὸ סר״כא *ſarca* clara quidem demonſtratione non conſtat. Conjecturare aliquis poſſet an non ſcripſerit קרטא aut קרתא: dicitur enim tinctura laccæ *Kartas*, ut ſupra ex Serapione audivimus. Sed hoc eo ſenſu apud Judæos non reperio. Veriſimilior eſſet conjectura ſi quis diceret, legendum eſſe סקרא pro סרקא. Nam סיקרא ſignificat *minium*, colorem rubrum: unde illud toties in Talmude decantatum חוט של סיקרא *filum rubrum*, aut *coccineum*, uti quidam exponunt, quo circumdatum erat altare exterius, ad diſcernendas aſperſiones ſanguinum ſacrificiorum. Quorundam enim ſanguis ſupra, aliorum infra filum iſtud ſpargendus fuit, quemadmodum id fuſius docebimus, in noſtris commentariis de Sacrificiis & Oblationibus. Sed omnium conjecturarum veriſſimam hanc eſſe puto. Per סר״כא nihil aliud eſſe intelligendum quam שרלקא, *Sarlaca*, atque ſic eſſe ſcribendum, & emendandum locum Jarchii סר״קא, inſerta tantum littera ל. Forſan male noſtræ editiones סר״קא cum duobus apicibus (״). Fallor ſi non inſcitia alicujus librarii adpicti ſint, quaſi eſſet vox barbara, quam ejuſmodi apicibus notare ſolent, ut, extruſo ל, apices adderent. Jarchius itaque, mea quidem ſententia, ſcripſit סרלכא *Sarlaka*, non autem סר״כא aut פר״כא, ut *coccinum* intellexerit. Et ſane eo magis de noſtro **Scharlaken** / aut coccino intelligenda eſſe videntur loca illa Talmudis,

quod in Peſachim quæſtio ſit de aqua furfure & farina fermentata, qua utuntur infectores ad tingendam laccam, cujuſmodi aqua & hodie utuntur, ad tincturam coccini, ut noſtri infectores norunt. Quando igitur Jarchius *in Cholin* לכא explicat, per צבע עור אדום שקורין פריקא *Colorem rubrum corii quem vocant* פריקא (pro quo lege סרלקא) perinde eſt ac ſi dixiſſet: *color eſt ruber corii, quem vocant Sarlaka.* Nec eſt quod mireris *Sarlaka*, ſive coccineum colorem corio adſcribi; nam revera coria cocco tingebantur, unde calcei delicatiorum, de quo Martialis lib. II. *Ep.* XXIX.

Coccina non læſum cingit aluta pedem.

Dicitur autem coccinum *Sarlaka*, ſive color ruber Tyrius, non quod revera fuerit purpura Tyria, ſed ob ſimilitudinem, quemadmodum ſupra ex Plinio audivimus. *Galliam tranſalpinam Tyrium herbis tingere*; deinde coccinum & fere omnes colores rubros purpuram dici: & fortaſſis inde etiam, quod Tyrus non minus eximium coccinum, quam purpuram tingeret. Sed de hiſce judicium ſit penes doctos.

CCVIII. Hæc de coccino veterum ſufficiant. Propius inquirendum erit, quid fuerit noſtrum תולעת שני *Tholaath Schani*. Ante omnia notandum eſt, has voces ſæpiſſime ſic conjunctim legi, ut Exod. XXV. & XXVI. & XXVIII. & XXXV. & XXXVI. & XXXVII. & XXXIX. Levit. XIV. Numer. IV. & XIX. Aliquando τὸ שני præcedit τὸ תולעת, & legitur שני תולעת, ut Levit. XIV. Sæpe reperies unicam vocem tantum, ut תולעת abſque שני, quemadmodum Eſaiæ I. XVIII. & Nahum II. IV. Aliquando שני abſque תולעת. Geneſ. XXXVIII. Joſuæ II. II. Sam. I. Eſ. I. XVIII. Jerem. IV. XXX. Cant. IV. III. Prov. XXXI. XXI. Sed quocunque ſumas modo, ſive תולעת שני, ſive שני תולעת, ſive תולעת, ſive שני, ſemper eundem ſignificat colorem. Vox תולעת in ſacra Scriptura ſæpiſſime *vermem* ſignificare, nemo ignorat qui vel prima rudimenta linguæ ſanctæ didicit. Videantur loca Exodi XV. XX. Deut. XXV. XXXIX. Eſ. XIV. II. & LXVI. XXIV. Jonæ IV. VII. Job. XXVIII. VI. Pſalm. XXII. VI. Ita dictus a verbo לוע vorare, abſorbere, quia vermes res conſumere & rodere ſolent, prout Deus minatur, Deutr. XXVIII. XXIX. *Vineas plantabis, & coles; ſed vinum non bibes, neque colliges, quia comedet illas* התלעת *vermis.* At non tantum vermem ſignificat, ſed præterea colorem, qvod ex pluribus locis manifeſto conſtat. Non tantum ubi de Re veſtiaria ſacra,

cra, de Tabernaculo, aliiſque rebus quibus in ſacrificiis utebantur Sacerdotes, quæſtio eſt, ut Exod. XXV. & XXVI. XXXVIII. XXXIX. Lev. XIV. Num. IV. XIX. & alibi, ſed etiam ex locis multis aliis, Eſ. I. XVIII. Nahum. II. IV. *Tholaath* Colorem ſignificare patet vel ex ſolo loco Eſaiæ cap. I. com. XVIII. : אם יאדימו כתולעת *Si rubra fuerint* (peccata veſtra) *ut tholaath*. Nahum cap. II. verſ. IV. אנשי חיל מתלעים *viri fortes coccinati*, id eſt, *coccino veſtiti*. Verum eſt ſeniores hunc locum non intelligere de *coccino*, ſed de *irriſione*. Sic enim illi ἐμπαίζοντες ἐν πυρὶ, ſed decepti ſunt proculdubio vitioſo codice, ut legerint מתלעגים, ut obſervat Capellus in ſua critica ſacra, aut potius מהתללים, ut vult doctiſſimus Bochartus. Nam utrumque *irridere*, *ſubſannare* ſignificat, tam עלל quam לעג, unde etiam (quod obiter notari velim) noſtrum Germ. & Belgice **laggen**. Sed melius vulgatus *Coccinatos*, & Chald. לבישין זהוריתא *veſtiti coccino*. Eodem ſenſu Jarchius & Kimchius iſtum locum exponunt. לבושים בבגדים צבועים כתולעת שני *veſtiti veſtibus, tinctis cocco*. Et ſane ibi de colore agi apparet ex voce præcedenti מאדם *ruber*. Maxime autem quod de bellatoribus Babyloniis ſermo ſit: bellatores enim decet color ruber, ſanguineus, ut purpureus aut coccineus, quemadmodum docet Philoſtratus *in Epiſtolis de Lacedæmoniis*. Οἱ Λακεδαιμόνιοι φοινικοβαφεῖς ἐνδύοντο θώρακας, ἢ ἵνα ἐκπλήττωσι τοὺς πολεμίους τῷ φοβερῷ τῆς χροίας, ἢ ἵνα ἀγνῶσι τὸ αἷμα τῇ κοινωνίᾳ τῆς βαφῆς. *Lacedæmonii puniceis induuntur thoracibus, ut aut hoſti timorem incuterent terribilitate coloris, aut ut ſanguinem non agnoſcerent ob ſimilitudinem coloris*. Sed idem apud alias gentes non fuit inſolens, ut apparet vel inde, quod milites, quum Chriſtum irridere vellent, tam paratam habuerint chlamydam coccineam. Sed de his vide plura apud Cragium, Meurſium *in Miſcell. Lacon. lib.* II. *cap.* XIX. Bayſium *de Re veſtiaria cap.* III. apud Turnebum, & Gratium in hunc locum Nahum, & alios.

CCIX. Colorem itaque ſignificare *Tholaath ſchani* conſtat, ſed qualem, nondum diximus. Abarbanel ad legem, *Paraſcha Thruma*, nativum hunc colorem exiſtimat, nulla arte, nulla infectura adhibita. ותולעת שני, inquit, poſtquam de cæteris coloribus diſſeruiſſet, הוא משי שהוא נאה כפי תולדתו ואין לו צבע אחר *Et tholaat Schani, eſt ſericum, ſua natura elegantiſſimum, nec habet alium colorem*. De ſerico nos ſupra. Exiſtimat igitur *Tholaat ſchanni* colorem qui-

quidem elegantem & pulchrum, ſed natura, abſque infectura. At craſſiſſimum errorem errat; Nam elegantia illa in ſerico, ſi ſit naturalis, non poteſt eſſe in alio colore, niſi in albo, cum omne ſericum natura album ſit. Et ſi forſan flavum a bombycibus producatur, flavedinem illam amittat neceſſe eſt, ut ſplendor inducatur, & ne hoc quidem fit ſine multo labore, quod norunt ii qui in ſerico operantur. Color igitur *tholaat ſcani*, ſive ſerici tunc eſſet color albus. At albus color in byſſo tantum reperitur, ut capite XI. oſtendimus. Nec ulla ratio excogitari poteſt, cur non fuerit arte factus color, infectura ſcilicet ut *Thechelet* & *Argaman*. Omnes fere uno ore clamant, fuiſſe colorem, & colorem quidem rubrum. Aben Ezra ad Exod. cap. XXV. IV. הוא ארום רק אינגו כצבע הארגמן ובעבור תולעת אמ׳ רבים כי הוא משי *Rubrum eſt, ſed non ut color Argaman. Ideoque multi dicunt tholaath Schani eſſe ſericum.* Sed quis ſanæ mentis negare poſſet *tholaat Schani* eſſe colorem rubrum, niſi & ipſam ſacram Scripturam, quæ nobis hæc tradit, rejiciat? Exſertis verbis enim hoc docetur Eſ. cap. I. XVIII. אם יארימו כתולעת כצמר יהיו *Si rubra fuerint* (peccata veſtra) *ut tholaath, erunt* (alba) *inſtar lanæ.* Jam modo oſtendimus ex Nahum II. אנשי חיל מתלעים eſſe viros milites Babylonios veſtibus rubris, coccinatos. Rubrum igitur eſt tholaath.

CCX. Non tantum colorem rubrum ſignificat, ſed *coccineum.* Aben Ezra rubrum quidem dicit, ſed qua materia tinctum non exprimit, contentus tantum dicere non eſſe *argaman* purpuram. הוא ארום inquit רק אינגו כצבע הארגמן *Rubrum eſt, ſed non idem color ac argaman.* Coccinum autem ſignificare minime dubito. Primum quod conſtanter a Septuaginta dicatur κόκκινον & φοινικȣ͂ν, & a vulgato *Coccinum.* Joſephus aliquando φόινικα *puniceum* vocat, ut *Antiq. lib.* III. *c.* VIII. aliquando κόκκον, ut *de Bello Iud. lib.* VI. *cap.* VI. At ſive coccinum ſive phœniceum, manet idem color, cum utrumque eundem ſignificet. Sic & Philo *de Vita Moſis lib.* III. Et *de Congreſſu Eruditionis gratia* κόκκινον. Idem proculdubio intellexit Arabs; interpretatur enim hunc colorem per قرمز *Kermes*, & adito articulo القرمز *Alkermes.* Conſtat *Alkermes* Arabibus nihil aliud eſſe quam coccinum, ideo & hodie apud omnes fere gentes in Europa *Carmeſin* & *Cramoiſi* dici. Deinde Joſephus & Philo Judæus Hebræorum *tholaath ſchani*, quod κόκκινον uocant, plane eundem colorem dicunt, qualem coccineum

ſupra

ſupra deſcripſimus. Diximus coccinum non tautum fuiſſe rubrum, ſed igneum, ideo dici πυῤῥὸν, λαμπρὸν, ὀξεῖον, &c. Sane ad ignem referunt *tholaat ſchani*, quemadmodum *thechelet* ad aera, *Argaman* ad mare, & *Scheſch* ad terram, ut conſtarent quatuor elementa in quatuor his coloribus. Joſephus *Antiq. lib.* III. *cap.* VIII. Καὶ, inquit, ὁ φοῖνιξ δ' ἂν εἴη τεκμήριον τοῦ πυρός. *Puniceus autem color ſignum eſt ignis.* Philo, locis modo allegatis, eodem modo κόκκινον πυρὶ *coccinum igni ſimile dicit.* Et Hieronymus, *coccus igni & ætheri ſimilis eſt.* Hanc ob cauſam Chaldæus צבע זהורי *colorem ſplendidum* vocat. Eſt enin זהר *ſplendere.* Quo nomine non ſemel denotatur coccinum in Talmude, & in Novo Teſtamento Syriaco, ut & in Arabica verſione.

CCXI. Sed ſola auctoritas Novi Teſtamenti huic opinioni fulciendæ ſufficit. Ubique enim per κόκκινον exprimitur, quemadmodum *thechelet* per ὑάκινθον, & *argaman* per πορφύραν. Nam ubi in Veteri Teſtamento junguntur ארגמן ותולעת שני, Spiritus Sanctus in N. Teſt. habet πορφύραν καὶ κόκκινον. Apocal. XVII. IV. & XVIII. XVI. Ideo & Syrus Matth. XXVII. verſ. XXVIII. veſtimentum κόκκινον, & λαμπρὸν Luc. XXIII. XI. explicat per ܙܚܘܪܝܬܐ quod coccinum ſignificare non ſolum ex Chaldæo, ſed & ex Judæorum ſcriptis & Talmude, clarum eſt. Hinc *Maſſechet Ioma cap.* IV. & alibi לשון של זהורית *lingua coccinea*: id eſt fruſtulum panni, forma linguæ, cocco tinctum, quale decimo die Tiſri hirco emiſſo capiti, mactando collo, alligabant, & ſi alba facta lingua fuerit, poſtquam hircus ad deſertum pervenerat, id ſignum erat peccata remiſſa fuiſſe populo, uti dicitur אם יהיו חטאיכם כשנים כשלג ילבינו *ſi peccata veſtra fuerint ſicut coccinum, ſicut nix albeſcent.* Eſ. I. De quibus vide *Maſſechet Ioma cap.* IV. & VI. cum in Miſna & Gemara, tum in Traditione Exotica. Sed de his & nos alibi, ſi Deo placuerit. Teſtis autem omni exceptione major nobis erit, Paulus gentium Apoſtolus, ad Hebræos cap. IX. XIX. ubi exſertis verbis docet Moſen ſumpſiſſe κόκκινον καὶ ὕσσωπον in aſperſione. Reſpicit autem, non tantum ad locum Exodi XXIV. verſ. VI. ſed & ad Levit, XIV. XLIX. & ſeqq. ubi in Hebræo: שני תולעת ואזוב. Quis poſt hæc dubitaverit תולעת שני eſſe *coccinum*, cum ipſe Paulus oculatus teſtis, non minus quam Joſephus & Philo, id affirmet? De hoc loco ad Hebræos, nos fuſius alibi. Sed ipſa vox תולעת ſufficere videtur ad probandum, hunc colorem coccineum

 eſſe:

eſſe: ſignificat enim vermem. Sed ſupra probavimus coccum nihil aliud eſſe quam vermiculum, ideo & *vermiculum* dicitur. *Tholaath* itaque nihil aliud eſt quam *vermiculum* Latinorum: ut σκώληξ & *Scolecion* Græcorum. Ideo & Syri hunc colorem ܣܣܓܘܢ *ſaſgon* ſive *hyſginum* vocarunt. ἀπὸ τοῦ סס *ſas*, *verme*, quamvis hac voce Græci poſtea mixtum quid intellexerint inter coccinum & purpuram, nempe certum aliquem colorem cocco & Tyria purpura tinctum, de quo ſupra. Certiſſimum igitur eſt תולעת nihil aliud eſſe quam coccinum.

CCXII. Altera vox qua coccinum exprimitur, eſt שני *Schani*, quam intactam præteriri non oportet. Ut *tholaath*. τῷ *Schani* aliquando jungitur, ſic *Schani* τῷ *tholaath*. Et, ut illud, aliquando præcedit & aliquando ſequitur. Sæpius etiam ſeparatim legitur, de quo ſupra. Reperitur autem non tantum שני in ſingulari, ſed & שנים in *plurali*, ut Eſaiæ cap. I. XVIII. Prov. XXXI. XXI. Sunt qui שֵׁנִי & שְׁנַיִם de *duobus* & *duplicibus* explicaverint, ac ſi legiſſent שֵׁנִי *Scheni* & שְׁנַיִם *Schenaim*, *duo* & *duplicia*, quaſi deductum eſſet a radice שנה *iterare* &c. Ideo LXX. fere ſemper explicant non tantum per διανενησμένον, κεκλωσμένον, κλωστὸν, ſed per διπλοῦν & δισσάς. Sic תולעת שני Ex. XXV. V. illis eſt κόκκινον διπλοῦν. Et Exod. XXXV. VI. κόκκινον διπλοῦν διανενησμένον. Et Ex. XXVI. XXXI. & XXVII. XVII. Et Lev. XIV. κεκλωσμένον κόκκινον. Lev. XIV. XIX. κόκκινον κλωστόν. Eſt enim κλώθω *nere*, *torquere filum*, & κλωστὸν *netum*, *retortum*. Hinc & Belgarum **kloſſe**/ & **een kloſſe garen**/ *fuſus* quo recipitur netum, non tantum iis, qui lanificio dant operam, ſed & noſtris puellis, quæ operantur hodie in artificioſiſſimis illis ornamentis lineis, quæ omnem artem veteris Arachnæ ſuperant, quas Gallice *dentelles* & Belgice **kanten**/ (quaſi *limbum* aut *fimbrias dentatas*) dicimus, ſatis notus. Eſt autem cap. XXVIII. VIII. XIX. XXXIII. & cap. XXXVI. VIII. & & XXXIX. I. II. & alibi διανενησμένον. Sic תולעת שני Levit. XIV. VI. κελλωσμένον. In Proverbiis autem cap. XXXI. XXI. שנים exponitur δισσὰς χλαίνας. Unde manifeſto apparet Seniores credidiſſe illud שני *iterationem*, & *duplicia* ſignificare. Id eſt certum aliquod genus veſtimenti, ex pluribus, minimum duobus, filis retortis contextum. Ideo non contenti per κλωστὸν, κεκλωσμένον aut διανενησμένον reddere, addiderunt inſuper τὸ διπλοῦν, ut Exodi XXXV. VI. ubi reperies κόκκινον διπλοῦν διανενησμένον *Coccinum duplum retor-*

retortum. In eodem luto Judæi Germani hodie hærere videntur, plerumque enim תולעת שני reddunt per gezwirnte ſeyde / *ſericum retortum.* Nam תולעת illis ſæpe eſt ſericum, quia a vermibus ſcilicet netur, & שני gezwirnt *retortum.* Sed vebementer falluntur Græci, & quotquot eorum ſententiam ſequuntur, cum *Schani* nunquam duplicia, multo minus *retortum* aut *netum*, quale eſt κλωστὸν, διανενησμένον & ejuſmodi alia, ſignificet. Nam hoc ſacer codex exprimit, non quidem per שני, ſed per vocem משזר *Moſchzar*, a שזר *ſchazar*, *torquere* &c. Sic Ex. XXXIX. XXIV. תולעת שני משזר *tholaath Schani Moſchzar*, quod revera eſt *coccinum retortum*, ad verbum: *vermiculum cocci retortum.* De *Moſchzar* in ſequentibus plura, ubi de textura, & ornamentis per texturam.

CCXIII. Majori difficultate laborare videtur locus Proverbiorum cap. XXXI. verſ XXI. ubi שנים non colorem; ſed aliquod genus veſtimenti contra frigus ſignificare creditur, ideo διϭαὶ χλαῖναι a Græcis dicitur. In Hebræo hæc leges. לא תירא ביתה משלג כי כל ביתה לבש שנים Quæ verba Græci ſic reddidere: ὀ φροντίζει τῶν ἐν οἴκῳ ὁ ἀνὴρ αὐτῆς, ὅταν που χρονίζῃ, πάντες γὰρ οἱ παρ᾽ αὐτῆ ἐνδιδύσκονται. διϭὰς χλαίνας ἐποίησε τῷ ἀνδρὶ αὐτῆς. Sed quis non videt Græcos habuiſſe codicem, qui omnino alia verba continebat, quam illi quos habemus hodie, aut eos textum admodum corrupte legiſſe? Quorſum quæſo illud ὅταν που χρονίζει, cum ne χρὺ quidem ejuſmodi in Hebræo legatur? Deinde vocem illam משלג *a nive* Græci omniſerunt. Conjicio itaque in codice, quo uſi ſunt Græci, ſcriptum fuiſſe, (ſaltem eos legiſſe) משלן littera ג mutata in ן finale, ut legerint, *eo quod*, aut *ex eo quod pernoctaverit*; לין enim *pernoctare*, & in tertia perſona לן *pernoctavit*, *divertit* ſignificat; unde forte (ut & hoc obiter notem) Belgis homo lentus & percunctator een loen. Hinc igitur Græcorum ὅταν που χρονίζει. Hæc eo fine tantum animadverſa velim, ut conſtaret Græcos locum iſtum male legiſſe, ideoque integrum verſum male tranſtuliſſe, ut cuilibet, Græce & Hebraice mediocriter docto, facile conſtabit, ſi attenderit. Sed mirum Græcos pro משלג *a nive* legiſſe משלן eo quod pernoctaverit, & tamen שנים feciſſe δίϭας χλαίνας, *duplices chlænas*, aptiores enim fuiſſent duplices chlænæ nivi, quam illi qui pernoctat, niſi intelligatur de perigrinante, atque de eo qui ſic alicubi in itinere moratur, cui uſui etiam deſtinatam volunt pœnulam Pauli

 2 Tim.

2 Tim. iv. xiii. chlænam enim hanc (quod obiter notatum velim) Junius vertit per pœnulas, ut pœnulas cum chlænis confundat. Sane tam Græcorum χλαῖναι, quam Latinorum pœnulæ, (niſi id ipſum cum doctoribus Græcum φαινόλαν, dorica terminatione dicas) cum nivi & hyemi deſtinarentur, tum maxime peregrinantibus inſerviebant. Suidas χλαῖνα: τὸ παχὺ, ἢ χειμερινὸν ἱμάτιον. παρὰ τὸ χλιαίνω. *Chlæna eſt craſſum & hybernum veſtimentum, a tepefacio.* Tertullianus *in Apologetico*: *Nam ne vel hyeme voluptas impudica ceſſaret, primi Lacedæmonii pœnulam ludis excogitarunt.* Et Spartianus *in Alexandro Severo. Pœnulis intra urbem frigoris cauſa ut ſenes uterentur permiſit, cum id veſtimenti genus ſemper itinerarium fuiſſet aut pluviæ.* Sic manifeſtum eſt χλαίνας hoc loco eſſe veſtes nivi frigori & viatoribus aptas. Sed de hiſce vide doctiſſimam diſſertationem Johannis Baptiſtæ Donii, *de utraque pœnula.* Quas itaque veſtes Suidas τὸ παχὺ ἱμάτιον, Pollux *lib.* vii. *cap.* xiii. διπλᾶς (diſtinguit enim inter χλαίνας ἁπλοΐδας & διπλᾶς.) Homerus χλαίνας οὔλας *chlænis villoſas*, eaſdem οἱ LXX. hoc loco χλαίνας δισσὰς dicunt, quaſi שנים *duplum* ſignificaret. Septuaginta reliquos fere omnes interpretes deceperunt. Habet enim vulgatus *veſtiti ſunt duplicibus.* Hieron. Lutherus, Calv. Junius, Belgæ, Galli, Diodati, Buxtorfius alii eodem ſenſu. Sed falluntur quicunque illud שנים de *duplicibus* intelligunt. Nam etſi de nive ibi fiat mentio, שנים tamen non eſt intelligendum de *pœnulis* aut de *Chlænis*, (quod idem eſt ut vult Plutarchus in Numa) ſed de *coccino.* Eo magis cum mox ſequerentur cæteræ veſtes ex materia pretioſiſſima, ut שש וארגמן *byſſus & purpura*, & מרבדים *Cadurca.* Senſus igitur iſtorum verborum eſt: *Non eſt quod uxor prudens timeat nivem & inclementiam hyemis, cum ſua diligentia prudentiaque tota domus abundare faciat coccino, byſſo, purpura & Cadurcis, multo magis veſtibus quibus contra nivem & frigus muniventur domeſtici.* Quid? dicamus Septuaginta reſpexiſſe ad chlænas purpureas? cum fuerint etiam χλαῖναι πορφυρέες. Homer. *Odyſſ.* K. utrumne etiam talis fuerit læna purpurea, de qua Virgil. *Æn. lib.* iv.

——*Tyrioque ardebat murice læna.*

docti viderint. *Erat enim*, interprete Servio, *toga duplex. amictus auguralis.* Et Juvenalis habet *coccinam lænam. Hyacinthinam lænam.* Ecce quocunque modo hæc verba volvas & revolvas, nihil

nihil tamen illis exterebrare poteris præter *coccinum*, cum de pretioſis veſtibus loquatur Sapiens, non de certo aliquo genere veſtimenti, non obſtante etiam explicatione allegorica Hieronymi. Optime Chaldæus, qui זהוריתא *coccinum* retinet. Ut ut ſit, Græci aliique Hebræorum שני & שנים male reddiderunt per ſuum κλωςὸν, κεκλωσμένον, διγεγενησμένον, διπλοῦν & διασάς.

CCXIV. Sed ἑνὸς ἀτόπου δοθλῶντος τ᾽ ἄλλα ἕπεται, *uno abſurdo dato alia ſequuntur.* Ex hoc enim græcorum κοκκίνου διπλοῦς, aut ex Hebræo *Schani*, ſive *tholaat ſchani*, & *ſchani tholaat*, vulgatus, Hieronymus, & ingens interpretum acies, quibus ne quidem ipſe Buxtorfius, in Hebraicis omnium doctiſſimus, & Coccejus, noſtri ſæculi Theologorum facile Coriphæus, ſeſe ſubtrahere potuerint (adeo verum eſt, *bonum aliquando dormitare Homerum*) Magna quidem ſocordia & ſecuritate, fecerunt *dibaphum bis tinctum*, & *coccinum bis tinctum.* Audax fortaſſis alicui videbitur faciunt, tot tamque gravibus viris in os contradicere. Et cum tanta vi nos in ſuam ſententiam, tot retro ſæculis, quorundam ſilentio, aliorum etiam profeſſione receptam, rapere conentur, temeritatis erit, illis jam nunc modo reſiſtere. Audax ſane facinus! Iſta tamen libertate utimur, (quam a benigno lectore veniam petimus, & viciſſim damus) ut nulla auctoritate hominum nos vinciri facile patiamur, nec ullius niſi ſpiritus ſancti, & veritatis, quæ illius eſt filia, mancipium eſſe velimus. Cum bona igitur venia doctiſſimorum virorum dictum a nobis ſit, eos falli quoties coccinum *dibaphum* dicunt. Niſi quis mihi prius oſtendat, ex probato & claſſico aliquo auctore, aurei aut argentei ævi, ante tempora *H*ieronymi, coccinum *dibaphum* unquam dictum fuiſſe, ſive a Græco, ſive a Latino, ne Attalicis quidem conditionibus adducar ut illud credam. Fateor equidem purpuram *dibapham* dici. Sed illud δίβαφον, quantum hactenus obſervare potui, proprium eſt ἐπίθετον Tyriæ purpuræ. Nec ignorare poſſum, cum id ſupra a nobis jam ſit animadverſum, ex Plinio, *libro* IX. *cap.* XXXIX. jam ſub conſulatu Ciceronis purpuram *dibapham pretioſam dictam fuiſſe, quæ bis tincta eſſet, veluti magnifico impendio, qualiter nunc omnes pene commodiores purpuræ tinguntur.* Sed inde probari nequit *coccinum* quoque *dibaphum* dictum fuiſſe, cum de purpura Tyria tantum loquatur Plinius, non de coccino. Et per commodiores illas purpuras non intelligit coccinum, quamvis

aliquando etiam purpura dicatur, ſed genuinam purpuram Tyriam. Non adfirmat Plinius ſuo tempore coccinum, aut aliam purpuram, quam Tyriam, bis tingi, aut dibapham dici: ſed tantum *omnem commodiorem purpuram*, id eſt pretioſiorem Tyriam tunc temporis bis tingi, non minus quam ſub conſulatu Ciceronis, dibaphamque dici. Capite præcedenti oſtendimus purpuram Tyriam δίβαφον dici, & ex Plinio docuimus cur ita dicatur, & quomodo bis tingatur; nempe quod *lana quinis potet horis, rurſusque mergatur carminata, donec omnem ebiberit ſaniem.* Hoc autem in ſola purpura Tyria obſervatum eſſe, non vero in coccino aliiſque coloribus, non auſim adfirmare. Sed ut ut factum fuerit in coccino, ideo non dicitur dibaphum. Alii enim colores idem nomen aſſumere deberent, cum id fortaſſis in aliis factum ſit, non minus quam in coccino, modo coccinum bis tinctum eſſet. Nec omnia quæ bis tinguntur *dibapha* dicebantur a veteribus, alias & color viridis, & hyſginus, aliique multi ſic dici deberent. *Plinius* Hiſt. natur. lib. IX. cap. XLI. cocco *tinctum docet.* Tyrio *tingi*, ut fieret hyſginum. *Colliget aliquis inde, fuiſſe* coccum dibaphum. *Sed male. Quamvis bis fuerit tinctum, primo* Cocco, *deinde* Tyrio, *id eſt* Tyria purpura, *tamen non dicebatur* dibaphum, *ſed* hyſginum. *Quid quid dicatur, certum eſt, ſolam purpuram Tyriam pretioſiſſimum* dibaphum *dictum fuiſſe; non vero coccinum ante tempora Hieronymi.* Male igitur hactenus auctores confuderunt *dibaphum* cum *coccino*, ſive *purpuram Tyriam* cum *colore coccineo.* Ceſſent igitur Lexicographi in poſterum in ſuis Lexicis, cæterique interpretes omnes, ſcribere *coccinum dibaphum*, & ſic abſque purpuræ Tyriæ proprio epitheto, ſolo *coccino* contenti ſint.

CCXV. Igitur שני *Schani*, de quo hic, non eſt, nec κλωςὸν, nec κεκλωσμένον, nec διανενησμένον, nec διπλȣ̃ν, nec διαςὸν, nec *dibaphum.* Sed omnino colorem ſignificat, & quidem rubrum, non minus quam תולעת, ſive junctum cum τῷ תולעת ſive ſolum; ſive in ſingulari, ſive plurali. Eſaiæ capite primo, commate XVIII. אם יהיו חטאיכם כשנים כשלג ילבינו *Si peccata veſtra fuerint ſicut Schanim*, (id eſt rubra inſtar coccini, nam de colore אדום *rubro* ibi agitur) *alba fient ſicut nix.* Idem patet ex cant. cap. IV. III. כחוט חשני שפתותיך· *ut filum Schani ſunt labia tua.* Id eſt rubra ſicut coccinum. Rubentia labia inſtar purpuræ aut coccini maxime aman-

amantur in virgine, ideo purpurea dicuntur. Ovidius Amor. lib. III.

Illic purpureis condetur lingua labellis.

Ipſi etiam Græci τὸ *Schani* Gen. XXXVIII. XXVIII. XXX. Joſ. c. II. XVIII. XXI. Secundo Samuelis I. XXIV. Jerem. IV. XXX. Cant. IV. III. ubi ſolum reperitur abſque *tholaath*, & vulgatus ſemper redduut per κόκκινον *coccinum*. Solo loco Eſaiæ cap. I. XVIII φοινικοῦν habent, ubi tamen vulgatus *coccinum* retinet. Sed nihil refert ſive dicant φοινικοῦν, ſive κόκκινον, cum ſit idem color. Ideo Joſephus & Philo promiſcue ponunt φοινικοῦν & κόκκινον. Ex omnibus quæ jam a nobis dicta ſunt, colligi poſse puto, vocem שני non derivari a שנה *iterare*, ſed a שנן *acutus eſt.* ut שני proprium ſit nomen coccini, ita dictum ab acuto & igneo ſplendore, quemadmodum & Græcis ὀξεῖα *metaxa*, quaſi *acuta purpura*, ab ὀξὺ *acutum* dicitur, ut ſupra docuimus, paragr. CCVIII. Et ſane obſervatu dignum eſt, Hieronymum *in Epiſtola ad Fabiolam*, docere coccinum Hebraice שן *ſen* vocari. Si tamen hæc conjectura non arridet, quia non ſatis fit legibus Grammaticæ, nec anomalum eſſe velis, dicam ejus radicem, ut multarum vocum, a nobis ignorari. Saltem Hieronymus affirmat Hebræis coccum שן *Sen* dici. Sic *tholaat* ſolum eſſet *vermis*, aut *vermiculus*; *Schani*, *acutus color*; & juncta *tholaath Schani* idem ac ſi diceres *vermiculum acutum*, quale eſt *coccinum*. Sed de his ſatis.

CCXVI. Porro colorem hunc coccineum fuiſſe pretioſiſſimum, omnes auctores ſacri & profani clamant. *Imperatoriis enim dicatum erat paludamentis*, teſtante Plinio, *lib.* XXII. *cap.* II. Iſidorus: *Paludamentum pallium fuit Imperatorum, cocco, purpura & auro diſtinctum.* Alexander Severus *chlamyde coccina uſus eſt.* Et quum thermis cum populo uſus erat, *hoc ſolum imperatorium habuit, quod lacernam coccineam accipiebat.* Et *cocco clavata mantilia* habuit. Vide Ælium Lampridium *in vita* ejus. Patriciorum ornamentum fuit calceus coccineus, ut patet ex Martiali.

Coccina non læſum cingit aluta pedem.

Coccinum ideo ſæpius purpuræ in textura jungi ſolebat. Docet enim Iſidorus *in Orig. lib.* XIX. *Trabeam eſſe ſpeciem togæ ex purpura & cocco, qua operti Romanorum Reges initio procedebant.* Et ut habet Servius ex Suetonio. *Augurale veſtimentum de purpura & cocco erat.* Immo cum ipſo auro jungebatur, & veſtibus intexebatur,

inde & χρυσοκόκκινον dictum. Apparet etiam ex Martiali *ad Baſſum*, perinde eſſe, ſive quis cocco, ſive purpura veſtitus ſit, ut pro equite haberetur.

Non niſi vel cocco madida, vel murice tincta
Veſte nites, & te ſic dare verba putas.

Ideo Juvenalis viro magna caterva ſtipato, Coccinam læenam adſcribit.

——— *cave hunc quem coccina læna*
Vitari jubet, & comitum longiſſimus ordo.

Tales Martialis *lib.* v. *coccinatos vocat.*

cum ſibi redire de patruelibus fundis
Ducent aclamet coccinatos Euclides.

Idem

Qui coccinatos non putat viros eſſe
Amethiſtiaſque mulierum vocat veſtes.

Et inter pretioſa munera ab eodem ponitur.

Coccina famoſæ donas & Ianthina mœchæ.

Ut autem coccinum pretioſiſſimum fuit Regum & Magnatum veſtimentum non minus quam conchylium & purpura; & Sacerdotum ornamentum erat. *Augurum enim* veſtimentum quoddam *erat de cocco & purpura.* Dionyſius *libro* VI. quem locum capite præcedenti allegavimus, Salios habuiſſe tradit, Τηβέννας non tantum περιπορφύρους, ſed etiam φοινικοπαρύφους. *Phœniceis*, id eſt. *coccineis trabibus diſtinctas.* Sacerdos Saturni coccum quoque geſtabat. Tertull. *de pallio cap.* IV. *cum latioris purpuræ ambitio & Galatici ruboris ſuperjectio Saturnum commendat.* Galaticus rubor eſt coccus. Tandem ut nemini mirum videretur, in ſacro Hebræorum veſtitu tres colores hoſce junctos fuiſſe: id eſt conchylium, purpuram & coccinum, tanquam pretioſiſſimos, & non niſi magnatibus deſtinatos, non poſsum hic non addere locum egregium ex Quintilliano, *In-Inſtit. Orat. lib.* I. *cap.* III. *Quid non adultus concupiſcet, qui in PURPURIS repis? Nondum prima verba exprimit, & jam COCCUM intelligit, jam CONCHYLIUM poſcit.* Ecce *purpuram* id eſt ארגמן de quo agimus, *coccum* id eſt תולעת שני. Et *conchylium*, id eſt תכלת.

CCXVII. Coronidis loco hic animadverti velim, colorem ſacris veſtibus induci, tantum lanæ nondum netæ aut textæ. Saltem non pannis integris. Hoc clare inde patet, quod plures habeant

beant colores. Nam ſi pannus integer tingeretur, unum tantum colorem habere poſſet, ſed cum ſint ex pluribus coloribus, albo ſcilicet, præter aureum, & cæruleo, purpureo & coccineo, neceſſe eſt ut ante texturam tingerentur, aut in lana aut in neto. Sed ne in neto quidem tingi ſolebat pretioſa illa purpura dibapha Tyria, ſed in lana. Cum enim quinis horis potaverat lana, aheno extrahebatur, & carminata rurſus immergebatur, donec omnem ebibiſſet ſaniem, ut ſinguli flocci ſaturi eſſent, ut ſupra ex Plinio audivimus, *lib.* IX. *cap.* XXXVIII. Idem de colore cæruleo, ſive conchylio credendum eſt Nam exſertis verbis hoc docet Maimonides in codice *Zitzith cap.* II. Lanam ſcilicet tingi non autem veſtes ipſas, aut, ut hodie apud nos, integros pannos. Docet etiam ibi ſatis fuſe, quomodo lana non tantum tingatur, ſed qua ratione etiam tinctura ejus probetur, utrum legitima ſit? Ideo fere ſemper, & omnes quidem Hebræorum interpretes, *thechelet* & *argaman*, & *tholaath ſchani* dicunt צמר צבוע *lanam tinctam*; videantur Maimon. *Kele Hammicdaſch. cap.* VIII. & *Zizith cap.* II. Jarchius, Aben Ezra, Abarbanel, alii, præſertim in caput XXV. Exodi.

Caput XVI.

De מעשה ארג Textura Veterum.

מעשה ארג Opus Textoris, *Exodi* XVIII. *dicitur* מעיל *Pallium P. M. ſic & tunicæ cæterorum Sacerdotum.* Septuaginta, Chaldæus & Arabs *allegati.* ארג texere *in multis S. Scr. locis. Omnis ars plectendi & nectendi dicitur.* Corbes, Alvearia, Naſſa, Rete, Canopeum, Crates, Storeæ *&c. texi dicuntur.* Textura, *quid? Hebræorum* נמלל implexum. Acupicta & acu textilis veſtis. Tela araneæ *textura dicitur. Ejus opus magis* plexile *aut* nexile *quam* textile. *Antiquiſſima & ſimpliciſſima texendi ratio originem habet ab aranea. Quædam loca Scripturæ laudata, ſic & Ariſtoteles, Ælian. Plin. Plut. &c. Variæ artes caſu, aut ab animalibus brutis inventæ.* Aranea *a Græco* ἀράχνη, *utrumque ab Hebr.* ארג texere. *Hinc Belgis* Rach *tela araneæ. Aranea*

ranea Germanis ein Spinne/ *a* nendo *ut Hebr. a texendo, quia utrumque præſtat.* Arachne *texturæ inventrix. Certamen* Arachnæ *&* Minervæ *apud Ovid. Quid ſub fabula lateat? Materia vetuſtiſſima texturæ* ſtramen junci, vimina, teni & materia fluminea. Retia *ab antiquis texebantur. Non eadem arte fiebant uti hodie, quod Galli* Lacer, *Germani* breyden *dicunt. varii Auctores allegati. Antiquiſſimorum veſtimenta ex pellibus, arborum foliis, ex membranulis tiliæ, ex juncis, ex Papyro, Viminibus & alia materia fluminea* Natte, *&* Matten. *Ejuſmodi opera egregia apud Indos, immo & apud Europæos.* τένος Tenus, Belg. **teenen.** *Mercurius primus docuit lanam in modum reſtis trahere inſtar Philyræ. Lucretius de* nexili *&* textili. *Textile poſt uſum ferri. Ars metallica a* Tubalcaino. *Lanæ uſus a* Chanaano *ſive* Mercurio. *Quo ſenſu Ægyptii textilia invenerint ſecundum Plinium, ab* Iſide *a* Minerva. *Mercurius Chanaan, Patronus Mercatorum.* כנען Mercator. *Ammon* Cham. *Mercurius cur* alatus? Oſiris *Amonis filius eſt* Mitzraim *filius Cham. Ægyptus* Mitzraim. *Ars texendi ſubtilior in S. S. traditur.* מנור אורגים I. *Sam.* XV. *&* II. *Sam.* XXI. *Varii Interpretes.* אינשובלא Inſubula Jarchii. Ἀντίον *quid?* מסכת *Iud.* XVI. יתד הארגים *ibidem quid?* πάσσαλον, **een Pinne**/ une Atache *&* cheville. *conjecturæ de* יתד, *concus* σπάθη. ארג *Iobi* VII. *quid? Textura* מעשה אומן. *Ex ſtamine & ſubtemine fit tota textura. Iudæis crux* שתי וערב Stamen *&* ſubtemen. *Stamen* στήμων, שתא; Subtegmen, *male pro* ſubtemen. *Subtemen* Trama, κρόκη, ῥοδάνη, *&* μίτον, *Hebr.* ערב. στημόνιοι, πολύστημοι, ἀραιόστημοι *&* μανόστημοι. Πολύμιτον. *Belgarum* **Polemijten.** *Pannus a* πλώη, πλῶος, πάνος, πανούκλιον, χρυσόπλωοι. שת וערב Stamen *&* ſubtemen *Levit.* XIII. *Antiquitus duo genera texturæ in uſu fuere. In Europa unicum genus texturæ notum.* Sartoris *vix mentio apud Veteres ſenſu hodierno,* Ἀκεστικὴ *&* ὑφαντική. Ars Sartoris *quid?* Suere *a* ſue. Sartores *&* Sarcinatrices *veterum.* Tailleurs, Couturiers, **Snijders**/ **Kleermakers.** Acus *apud Veteres quid?* Fibula *nulla ſine acu.* Sutum fibulatum, Reſutum Refibulatum. συῤῥάπτειν *differt a* περόναις συνέχειν. **Packnaelde.** *Uſus Acus.* **Stoppen**/ **Lappen.** *Locus Matth.* IX. *Lucæ* V. *& Marci* II. *explicatus. Veſtimentum* pannoſum. Panutia, Cento. Fulones

&

& Sarcinatores circa veſtimenta trita occupantur. Ἀκέομαι *Græcis quid?* Mederi, ſarcire. Sartor *&* Medicus *comparantur.* Ἀκεστική *apud* Ælianum *quid?* Sarcinatores *&* Sartores *aliquando etiam nova veſtimenta feciſſe. Tunicæ quædam ex duabus plagulis conſutæ.* χιτῶνας τέμνειν *&* συντιθέναι; ὑποδήματα νευρορράπτειν *&* σχίζειν *apud Xenophontem.* ἑτερομάσχαλος Carcalla *&* μανδύη, *Tempore Hieronymi quidam veſtimenta ex diverſis partibus conſuta fuiſſe, ut Braccas, feminalia. Et Tempore Chriſti. Maxima tamen pars veſtimentorum apud Veteres in tela, ſola textura, abſque ſutoris opera facta fuiſſe. Id quo ſenſu docuerint* Salmaſius *&* Caſaubonus. *Et hodie veſtes quaſdam quadratas abſolvi & in tela ſine acus opera. Balthei, colli lora*, Cravates, **Daſſen.** Voile, **Falp**/ φάλα. *Omnia genera veſtium antiquos texuiſſe.* ἐσθῆτα ὑφαίνεσθαι, χλαῖναν ὑφαίνειν, veſtimentum detextum *apud* Ulpianum. Tunicam *texere*, Lænam *texere*, Chlamydem *texere*, Togam *texere*, Saccos *texere.* χλαμυδουργία, χλαμυδοποιΐα, χλανιδοποιΐα, χλανιδουργία *&* ἐξωμιδοποιΐα, σπαθητὸς χλαῖνα, σπαθητὸν ἱμάτιον. σπαθᾷν *idem ac* ὑφαίνειν, σακχυφάντης. *Chriſti tunica* ἄῤῥαφος. *Iohan. cap.* XIX. *Qua ratione* ἄῤῥαφος *dici potuerit?* Lacer, Brocher, **Breyden.** *Ars binis prælongis acubus ex uno filo veſtimenta nectendi. Utrum eadem arte tunica Chriſti facta fuerit? Illa ars Antiquis ignota. Sententiæ* Euthymii, Ferrarii, Salmaſiii *&c. falſæ. Verſio Syra & Arabica. Iohan.* XIX. *Syrus* ܕܠܐ ܚܝܛܐ *Arabi* مخيط *inſtrumentum quo ſuitur.* Acus. *Tunica Chriſti manicata, rotunda & clauſa texta fuit. Veterum opiniones.* Caſauboni, Salmaſii, Ferrarii, Hieronymi *& aliorum errores.* Hieronymus *&* Joſephus *collati. & explicati. Non eſſe impoſſibile tunicam rotundam undique clauſam & manicatam texi. Hoc* μορμολυκεῖον, *quod tot viros doctos in errorem induxit, a nobis diſcuſſum. Tabula exhibens Tunicam* ἄῤῥαφον *totam textilem, egregie manicatam ex Xylino ſubtiliſſimo, in India textam, egregio artificio, abſque ullo acus veſtigio. Ejuſmodi fere tunica in hac urbe texta, a Rev. Smetio ſervata. Teſtimonia virorum qui has tunicas viderunt hodieque poſſident. Epiſtola* Groenhovii. *Explicatio figurarum. Duplex texendi ratio in uſu apud Veteres. Quidam ſedendo texebant tramam ad inferiora trudendo. Hic mos communior.*

nior, vulgaris hodieque per totum terrarum Orbem in uſu. Quidam ſtando texebant tramam ſurſum verſus pellendo ſpatha. Herodotus, Theophylactus, Feſtus, Iſidorus, Euangeliſtæ explicati. Arabs, Syrus, Chryſoſtomus. ἄνωθεν ὑφαίνειν, ἄνω τὴν κρόκην ὠθεῖν, ἀνακρούειν, ἀνακρουστὸν ὑφαίνειν. In ejuſmodi textura ſtamen non eodem modo ad jugum textoris tendebatur ut hodie, ſed rectum ſtabat. Hinc Stamen a ſtando. Textores haſce telas ſtando texebant. Regillæ, veſtis Recta. Telas percurrere apud Virg. ἱστὸν ἐποιχομένη Hom. ὀρθὸν ὕφον, ἱστὸν ὄρθιον. Veſtimenta recta ὀρθοστάδια. Stamina illa quæ rectum ſtabant, & ſurſum verſus texebantur, jugo textoris non involuebantur, ſed ponderibus ſuſpendebantur. Ἀγνύθες, λεῖα, & ἴτλαι. In ejuſmodi telis quæ rectum ſtabant trama Spatha feriebatur, non pectine. Spatha σπάθη inſtrumentum inſtar gladii. Hac ratione detexi veſtimenta rotunda & clauſa. At tum non unicum tantum ſtamen, aut unica tela, ſed duo ſtamina, aut duæ telæ ſimul uno radio, unoque filo detexuntur. δύο ῥάκη σύμβαλλειν apud Chryſoſtomum. δύο πανία ὑφαίνειν, & συνυφασμῷ uti ἀντὶ ῥαφῆς, apud Theophylactum. Hæc loca Caſaubono difficillima. Difficultas ablata. Theophanes Ceromeus de Tunica Chriſti ἀῤῥάφῳ. ἔνδυμα διπλῆς σινδόνος apud Ioſephum quid? Idem de Pallio Pontificis. M. Hujuſmodi veſtimenta texuntur non ſolum ſtando, ſed & ambulando, & quidem in orbem percurrendo. Egregius locus Artemidori. Tabula exhibens veterem texendi rationem, Telam ſc. ſive jugum textorum, in quo veſtimenta rotunda, manicata & undique clauſa detexi ſolebant. Explicatio figurarum. Hæc texendi ratio difficilior, majoreque ſumptu fiebat. Ideo in deſuetudinem apud pleraſque nationes abiiſſe videtur. Multum temporis in hiſce veſtimentis texendis inſumitur. Decem annos togam unam detexere. Triennium in veſte muliebri. Veſtis quæ ab una muliere uno menſe fieri poſſet. Opus αὐτῆμαρ apud Homerum. Hæc textura ars pretioſa. In texendo induſtria. מעשה אומן· πολυδαίδαλον ἱστὸν, ὑφάσματος σοφία. Ejuſmodi Artificio textæ fuere veſtes Sacerdotum. Ethnicorum Sacerdotes quoque veſtes textiles gerebant. Plato & Cicero allegati. Duas tunicas manicatas abſque ſuturas, ex ſubtiliſſimo Xylino apud Indos Orientales textas poſſidet auctor. Ejuſmodi jam ſex vidit. talem ex India ſecum attulit R. Terwold nuper ibi Paſtor. Aliam vidit auctor nuper

prope

prope Amſtelodamum egregie detextam. Aliam Cliviis ante viginti annos detextam in ducatu Juliacenſi, quæ reliquas omnes arte multum ſuperat. De ejuſmodi Romæ textis Joh. Ciampinus. Ejus Tabulæ. Jugum cum femina texente ex vetuſtiſſimo Codice virgilii.

CCXVIII. MOſes Exodi vigeſimo octavo cap. & trigeſimo nono, ubi de ſacris veſtimentis agitur, docet ea facta fuiſſe מעשה ארג *Opere Textoris*. Id quidem primum dicitur de מעיל *Pallio*, ſive *Tunica ſuperiori* Pontificis Maximi, cap. XXVIII. vers. XXXII. & cap. XXXIX. XXII. Sed ne quis putet *Tunicas lineas*, cum Pontificis Maximi, tum cæterorum Sacerdotum, alia arte factas fuiſſe, idem quoque traditur de omnibus tunicis; cap. XXXIX. commate XXVII. Septuaginta habent Ἔργον ὑφαντόν. Chaldæus עובדי מחי· Arabs صناعة نساج *Textoris opificium*. Quæ omnia texendi vim habent. Et ſane verbum ארג, *texere* ſignificare clariſſime conſtat. 1 Samuelis XVII. VII. & II. Sam. XXI. XIX. Prim. Chron. XII. XXXIII. & XX. V. Eſaiæ LIX. V. Jobi VII. VI. Secundo Reg. XXIII. VII. Vide & alibi.

CCXIX. Omnis tamen ars *plectendi* & *nectendi* ſæpiſſime *textura* dicitur a veteribus. Ideo opera *nexilia* & *textilia* confunduntur, & hoc pro illo ſumitur: ſic *corbes*, *alvearia*, *Naſſa*, *Rete*, *canopeum*, *crates*, *Storea*, & id genus alia infinita quæ fiunt ex viminibus, juncis, ſtramine, tenis, & materia fluminea aliisque rebus, dicuntur *texi*. Seneca *Epiſt.* XCI. *Non quamlibet virgeam cratem texuerunt manu.* Iſidorus *Orig. libro* XIX. *cap.* V. *Naſſa ex viminibus tanquam rete contextum. & Canopeum eſt rete in ſimilitudinem tentorii contextum propter muſcas & culices excludendos.* De *Alvearibus* Virgilius *Georg. lib.* IV.

Ipſa autem, ſeu corticibus tibi ſuta cavatis,
Seu lento fuerint alvearea vimine texta.

Nemo, ut puto, dicet hæc proprie texi, ſed tantummodo necti & plecti. At eo ipſo quod nectantur etiam texi dicuntur, cum tota textura nihil aliud ſit niſi nexus ſtaminis & ſubteminis, ſive connexio ſtaminis cum ſubtemine. Ideo Galenus *in Libro ad Traſybulum*. τὸ γοῦν ὑφαίνειν ἱμάτιον, οὐδὲν ἄλλο ἐστὶν, ἢ κρόκας στήμοσι διαπλέκειν. *Veſtimentum texere nihil aliud eſt, quam ſubtemen ſtamini adnectere.* Iterum κρόκαι στήμοσι διαπλακεῖσαι ποιοῦσιν ἱμάτιον. Hinc Vitruvius *Lib.* X. *cap.* I. *Connexu ſtaminis ad ſubtemen tota tela*

ſtructura conſtat. Ideo Nicophon apud Pollucem Lib. VII. cap. X. συνδῆσαι τὰ στήμονα, quaſi dixiſſet Texturam eſſe σύνδησιν τοῦ στήμονος πρὸς τὴν κρόκην. Eſt itaque Textura *implexum* quid ex ſtamine & ſubtemine, unde & Hebræorum Magiſtris נמלל *implexum* optime dicitur. Sed & ob eandem cauſam iſta opera quæ acu fiunt, aut acu ornantur & *acupicta* vocantur, qualia ſunt opera Phrygionica *texta dicuntur.* Iſidorus *Orig. lib.* XIX. *cap.* XXII. *Acupicta veſtis acu textilis aut acu ornata.* quia ſcilicet plura fila, inſtar ſtaminis & ſubteminis, per acum connectuntur. Omnia igitur opera quæ conſtabant ex pluribus filis, quæ inſtar Staminis & ſubteminis nectebantur & plectebantur, texta dicebantur. Ideo *Tela aranea* textura dicitur, quamvis revera magis ſit *nexum* quam *textum* quid, cum animalculum illud opera ſua eodem fere modo nectat, quo corbes, vanni & id genus alia nectuntur. Fila enim quædam primum hinc inde tendit & percurrendo alia fila iis adnectit. *Plexile* igitur ſive *nexile* ejus opus eſt, non *textile.* Nihilominus quia fila quædam hinc inde emittit & extendit inſtar ſtaminis, iiſque deinde alia fila inſtar ſubteminis adnectit per orbem, *textile* aliquomodo dici poteſt ejus tela: & eandem ob cauſam cætera opera hominum quæ ex viminibus, & ſtramine fiunt, uti alvearea, corbes &c. *texta* dicuntur

CCXX. Hæc fuit antiquiſſima & ſimpliciſſima texendi ratio, quæ originem proculdubio habuit a tela araneæ, & initium dedit Texturæ proprie ita dictæ, ſcil. ſubtiliſſimæ iſti arti, quam veteres tantopere laudarunt & quam nos hodie admiramur. Sane *araneam* retia ad capiendas muſcas mira aliqua arte texere, quotidie videmus. Unde auctores ſacri texendi artem atque induſtriam ei adſcribunt Eſaiæ cap. LIX. v. *Telas aranea texunt.* De araneæ autem in texendo induſtria & labore, multa egregia reperies apud cæteros auctores, imprimis apud Ariſtotelem *Hiſt. Animal. lib.* IX. *cap.* XXXIX. Ælianum *Hiſt. Animal. l.* I. *cap.* XI. *&* *lib.* VI. *cap.* LVIII. Plinium *lib.* XI. *cap.* XXIV. videatur Plutarchus, & alii. Igitur quemadmodum multæ artes repertæ ſunt, non quidem caſu, ut *Metallica, piſtrina* & aliæ; aut a Sapientibus, de quibus Senecam doctiſſime diſſerentem vide *Epiſtola* XCI. ſed etiam a brutis animantibus, ut *Agricultura* aut *Aratio* a Porcis, *Phlebotomia* ab Equis, *Clyſteres* a Ciconiis, *Lutea ædificia* ab Arundinibus, Plutarcho *Sympoſ. lib.* III. *Quæſt.* V. Plinio *lib.* VII. *cap.* LVI. aliiſque

aliiſque teſtantibus, ſic & *Texendi artem* homines primum edoctos fuiſſe videntur ab aranea. Obſervatu dignum eſt, quod *aranea*, ſi origiem & fontem iſtius vocis ſpectemus, ſit hebræa. Nemo, puto, negabit araneam deduci a Græco ἀράχνη: dicimus enim (ſecundum quoſdam) Latine *aranea* pro ἀράχνη, ut *lana* pro λάχνη, ejecta litera χ e medio, prout & aliquando ab initio negligitur, ut *ira* pro χαρὰ, *Læna* pro χλαῖνα &c. At vocem ἀράχνην fieri ab Hebræo ארג *Arag*, texere, ſive ארג *ereg* & ארוגה *aruga*, *tela*, mihi certiſſimum eſt: ut *aranea* Græcis dicta ſit a textura, quia texit, quemadmodum Germanis ein Spinne a *nendo* quia net. Nec eſt prætereundum Belgis telam araneæ *Rach* dici, quæ proculdubio eſt vox corrupta ab Hebræo ארג *ereg*, textura. Hinc, ut puto, nata eſt opinio *Arachnen* texturam inveniſſe, eamque homines docuiſſe *linum & retia*, ut ait Plinius lib. VII. cap. LVI. Clarius Tertullianus de *Pallio cap.* III. *Vos omnem lanicii diſpenſionem, ſtructuramque telarum Minervæ maluiſtis, eum penes Arachnen diligentior officina ſit.* Hinc egregia fabula apud Ovidium, de certamine minervæ & Arachnes de Textura certantium; quo certamine victa eſt Minerva, unde irata Arachnæ telam diſrupit eamque in puſillum animal (araneam) *mutavit, Metamorph. libro* VI.

——— *Doluit ſucceſſu flava virago,*
Et rupit pictas cæleſtia crimina veſtes. &c.

Poetice hæc omnia ab Ovidio dici minime dubito. Sub fabulis tamen aliquid veri latere ſolet. Quemadmodum per Arachnen araneam intelligit Poeta, ita per Minervam, mea quidem ſententia, exprimit hominum induſtriam & conſilium, e Jovis ſcilicet cerebro natum; omnis enim ars & induſtria mortalibus a D. O. M. data eſt. Ideo fortaſſis Minerva ab arachne victa fingitur in texendo, quod hominis induſtria, quantacunque etiam ſolertia & ingenio opus ſuum conficiat, ad ſubtilitatem tamen & celeritatem araneæ in nendo & texendo ſimul, accedere non poſſit, prout multis in rebus natura brutorum artem hominum ſuperat.

CCXXI. Ab araneis igitur homines texendi artem didicerunt. Sed illius opera imitari primum incepere texere tantum corbes, alvearea, ſtoreas, naſſas, canopeum, crates, & id genus alia ex ſtramine, juncis, viminibus, tenis, & materia fluminea. Tandem poſtquam lina reperta fuerant, retia quoque texere agreſſi ſunt. Notandum autem eſt, *Retia* ab antiquis texi ſolere, nec eodem mo-

do

modo facta fuiſſe quemadmodum hodie; iſtam enim artem retia ex uno filo nectendi, ut hodie ſieri videmus, in uſu fuiſſe apud veteres, veriſimile non eſt, cum nullam illius nectendi modi (quem belgice breyden / Galice *lacer* dicimus) mentionem fecerint. Et ſane de textura retium omnes auctores mentionem faciunt, cum ſacri tum profani. Eſaias capite XIX. verſu IX. loquitur de ארגים חורי *Textoribus retium*, prout hunc locum expoſuimus ſupra capite ſexto, paragrapho XCI. Notandum quoque eſt, a Talmudicis Retia dici אחלא & שותא quaſi diceres *texturas*, *ab* אזל & שתה quorum utrumque *texere* ſignificat. Plinius *libro* VII. *cap.* LV. idem videtur innuere, ubi dicit *Linum & Retia Arachne*, ſcilicet texere invenit. Sed clarius Nemeſianus in *Cynogetico*.

Nec non & caſſes idem venatibus aptos,
Atque plagas, longoque meantia retia tractu
Addiſcant raris ſemper contexere nodis.

Iſidorus *Orig. lib.* XIX. *cap.* V. *Naſſa ex viminibus tanquam rete contextum.* Pollux *libro* VII. *cap.* X. τὸ δὲ λεπτὸν ὑφὴν ἤτελον, ἐν Δικτυεργικοῖς Αἰσχύλος, εἰ καὶ μὴ ἐπὶ ἐσθῆτος, ἀλλ' οὖν εἴρηκε, Δικτύου δ' ὑφήτελα. *Tenuem texturam Æſchylus in opere retiario, non in veſtibus ponit. Retis Textura.* Sic & Pauſanias *in Achaicis*, ſive *Libro* VII. mentionem facit mulierum quæ κεκρυφάλους ὑφαίνουσι *reticula texunt* quod intelligit de capitis veſtimenti genere, quo utebantur mulieres; ita autem dicto quod formam retis haberet, hodie in Germania & alibi ſatis noto. Texebantur igitur *retia* apud veteres, non vero ut noſtra hodie, multis nodis & foraminibus ex unico tantum filo: ſed veriſimile eſt ſtamina multa in jugo juncta fuiſſe, ad talem latitudinem & foraminum amplitudinem, quam ad capturam piſcium, avium aut ferarum aptam judicabant, quibus ſtaminibus ſingulis aliud filum, inſtar tramæ aut ſubteminis, multis nodis adnectebant, manu quidem, non autem radio, ut in textura proprie dicta fieri ſolet, ut ſi non texeretur proprie ita loquendo ratione tramæ, tamen ratione ſtaminum ad texturam prope accedebat. Hinc eſt quod Plinius *libro* XIX. *capite* I. de retium ſtaminibus loquatur. Nam poſtquam de retibus ſubtiliſſimis & firmiſſimis mentionem feciſſet, (de quibus & nos ſupra plura) mox addit: *Singula eorum* (retium) *ſtamina centeno quinquageno filo conſtant.*

CCXXII. Ut ut ſit, a rudi hac textura, ars texendi veſtes initium

um ſumpſit. Non ex molli quidem & ſubtili materia, lana ſcilicet, lino, byſſo & ſerico, ſed ex eadem fere materia ex qua fiebant alvearea, Naſſæ, Storeæ, & id genus alia. Antiquitus enim veſtimenta fieri ſolebant non tantum ex pellibus, arborumque foliis, ſed etiam ex membranulis tenuioribus tiliæ, ex juncis, ex papyro, ex viminibus, & alia materia fluminea. Hæc enim in modum reſtis ſolebant torquere veteres, ex quibus, neſcio quæ, opera texebant, aut potius nectebant inſtar ſtoreæ & tegetum, quas *natte*, Belgice **matten** vocamus. Hiſce, inquam, rudi iſto ſeculo pro tegumentis & veſtibus uti ſolebant. Exſertis verbis hoc docet Herodotus libro III. ubi de Indis. Οὗτοι μὲν δὴ τῶν Ἰνδῶν φορέουσιν ἐσθῆτά τε φλοΐνην· μὲν ἐπεὰν ἐκ τοῦ ποταμοῦ φλοῦν ἀμήσωσι καὶ κόψωσι, τὸ ἐνθεῦτεν φορμοῦ τρόπον καταπλέξαντες ὡς θώρηκα ἐνδυνέουσι. *Illi autem Indi veſtem gerunt junceam, quam materiam ex flumine metunt, & findunt, unde plectunt tegetes inſtar thoracis, quam induunt.* Meletius de natura hominis. Διασχίζονται δὲ τὰ νεῦρα εἰς τοὺς θαλάμους, ὥσπερ ἂν τις λαβὼν πάπυρον, ταύτην εἰς λεπτὰ διατεμὼν καὶ διασχίζων ἀναπλέκεται πάλιν, καὶ ποιῇ χιτῶνα λεγόμενον ἀμφιβληστροειδῆ, ὅμοιον ἀμφιβλήστρῳ. ὄργανον δὲ τοῦτο θηρευταῖς ἰχθύων χρήσιμον. *Diffindunt autem nervos in thalamos, quaſi quis ſumeret papyrum, quam in tenues partes divideret & ſcinderet, & plecteret iterum, unde tunicam faceret reticulatam dictam, ſimilem reti, inſtrumento illi, quo utuntur piſcatores.* Ejuſmodi veſtes non adeo ſunt inſolentes ad hunc uſque diem apud Indos. Egregia enim opera vidimus ex materia fluminea, juncis, corticibus, foliiſque arborum, egregia arte texta aut plexa, etiam fulgenti & gratiſſimo omnis generis colore, ut cum purpura & conchylio certarent, figuris pulcherrimis ornata, inſtar operis phrygionici. Sed & ejuſmodi opera apud nos fieri quis ignorat, præcipue autem pileos, ex ſtramine, & tenis ſubtiliſſimis. Hoc autem genus veſtimenti ex tali materia, poſt pelles, eſt antiquiſſimum, ut videre eſt ex Tertulliano *de Pallio capite* III. *Denique* (edente Salmaſio) *cum ipſis Mercurium palpati arietis mollitie delectatum, deglubaſſe oviculam, dumque pertentat, & quod facilitas materiæ ſuadebat tractu proſequente filum eliquat, & in reſtis priſtini modum quem philyræ tenus junxerat exiſſe.* Ad quem locum optime notat Salmaſius *philyræ tenus* eſſe ipſam *philyram* aut *membranam tiliæ*, inſtar laquei ſive vinculi, ex quo reſtes torqueri ſolebant. Quicquid enim in longum tendebatur, ut fa-

ut faſciæ, laquei, & longiores virgæ, Græcis τένος eſt; unde & minutæ & tenues de virga præciſa teſſera *Tenus* dicitur. Hinc in lege Friſonum: *tali de virga præciſa quos tenos vocant.* Hæc Salmaſius, & optime quidem: nam non tantum de virga præciſa *Tenus* vocatur apud Friſones, ſed omnes virgæ longiores ſalicum tenuium, ex quibus fiunt corbes aliaque opera Belgis **teenen** dicuntur. Hinc nihil familiarius quam **een teene benne** corbis ex ſalicum virgis tenuioribus. Docet igitur Tertullianus dicto loco, veteres ex philyræ tenis, id eſt, ex membranulis tiliæ in reſtis modum contortis, veſtes feciſſe. Sed Mercurium tandem inveniſſe artem lanam ita torquendi & nendi, inſtar priſtini reſtis, ex qua molliores veſtes fiebant, quam ex philyris aut ex tiliæ membranulis, aut ex juncis, papyro, aliaque materia fluminea, de quibus etiam Herodotum & Miletum audivimus.

CCXXIII. Credendum tamen eſt artem lanam nendi a Mercurio inventam, non ſtatim ad eandem perfectionem perductam fuiſſe, ad quam pervenerat tempore Moſis, & poſtea. Sed Tertullianus videtur docere Mercurium inveniſſe artem lanam trahendi, in modum reſtis ſatis craſſi, inſtar philyræ, aut junci, ex quibus veſtes fieri ſolebant, ut inde fierent tegumenta tantum rudia & craſſa inſtar ſtoreæ, quales fortaſſis ſunt ſacci illi in quibus lana Hiſpanica nobis hodie aſportatur, quibus pauperes apud nos utuntur pro tegete & veſte. Veriſimile etiam eſt, ex ipſa lana ita craſſe in reſtis modum contorta, tegumenta & veſtes potius nexa fuiſſe quam texta, quemadmodum ex tenis, viminibus, juncis & alia materia fluminea magis nectebantur quam texebantur; nondum enim ars textorum, proprie ita dicta, inventa fuit. Hæc autem veſtis *nexilis* dicitur potius quam *textilis*, a Lucretio *libro* v.

Nexilis ante fuit veſtis, quam texile tegmen:
Textile poſt ferum eſt, quia ferro tela paratur:
Nec ratione alia poſſunt tam levia gigni
Inſilia, ac fuſi, radii, ſcopique ſonantes.

Igitur *nexilis veſtis* antiquiſſima. Quid autem intelligat Poeta per *nexile* neſcio, niſi veſtes pelliceas, quibus antiqui utebantur, ut eodem libro docet, & quas nodis aut ſpinis inſtar fibularum circa corpus adnectebant; deinde tegumenta quædam craſſa & rudia ex juncis, viminibus, philyris, papyro, & tandem ex lana in reſtis modum torta inſtar ſtoreæ plexis & nexis. Nec omittenda eſt ratio,

tio, quam addit Poeta, cur *nexile* fuerit ante *textile*; ſcilicet quod antiqui uſu ferri carerent:

Textile poſt ferrum eſt: quia ferro tela paratur.
Nec ratione alia poſſunt tam levia gigni
Inſilia, ac fuſi, radii, ſcopique ſonantes.

Tela enim, id eſt *jugum textoris*, cæteraque inſtrumenta quæ ars texendi requirebat, qualia ſunt *inſilia*, *fuſi*, *radii*, *ſcopi*, & alia fieri non poterant abſque inſtrumentis ferreis, puta *ſerra*, *malleo*, *ſecuri*, *terebro*, *dolabro*, & id genus alia. Poſt uſum ferri igitur ars texendi, ut multæ aliæ, inventa eſt.

CCXXIV. Credendum tamen non eſt, ſtatim poſt uſum ferri artem illam inventam fuiſſe. Minime gentium. Metallica enim, ſive uſus ferri, inventus eſt a *Tubalcaino*, uti docet Moſes Geneſeos capite IV. verſu XXII. id eſt a *Vulcano*: at uſus lanæ aliquot ſecula poſt a Chami filio *Chanaano*, ſive a *Mercurio*, ut ait Tertullianus, qui vixit poſt diluvium. Plinius *libro* VII. *cap.* LVI. docet, *Ægyptios textilia invenisſe*. Utrum autem intelligat rudem iſtam & barbaram texturam, de qua modo egimus, an vero ſubtiliorem ex lana & lino, neſcio. Saltem de lino non videtur intelligere, cum mox addat: *linum & retia Arachne*. Inventam autem hanc artem eſſe ab Iſide tradiderunt Ægyptii, a Minerva vero crediderunt Romani & Carthaginenſes. Tertullianus *de Pallio capite* III. *Cedo jam de veſtro quod Ægyptii narrant, & Alexander digerit, & mater legit ea tempeſtate Oſiridis, qua ad illum ex Libya Ammon facit ovium dives* &c. mox: *Sed vos omnem lanicii diſpenſationem ſtructuramque telarum Minervæ maluiſtis, cum penes Arachnem diligentior officina ſit.* Quidam, ut hæc conciliarent, Iſidem aut Oſiridem docent lanificium inveniſſe, Arachnen autem texturam lini. *Arcas Calliſtus* filius veſtium texturam totumque lanificium populares docuit, teſte Pauſania in Arcadicis. Ex his omnibus mihi probari videtur: Lanificii repertorem fuiſſe *Chanaanum* filium Chami. Id demonſtrari puto ex loco Tertulliani, modo allegato, ubi id *Mercurio* adſcribit: at *Mercurium* ipſum fuiſſe *Chanaanum* vix dubito, cum Mercurius ſit ſervus Deorum & fratrum ſuorum ut Chanaanus. Quis ignorat eum fuiſſe *mercatorem*, & mercatorum patronum? Sed quis neſcit כנען *Chanaan* Hebræis *mercatorem* ſignificare? Tandem *Alatus* fingitur Mercurius, ſcilicet quia poſteri Chanaani navigationem & vela

navium repererunt. Deinde *Ammon* ille de quo Tertullianus, proculdubio eſt ipſe *Cham*, Ammonis autem filius *Oſiris*, eſt ipſiſſimus *Mitzraïm*, filius *Chami*, de quo Moſes Gen. cap. x. Lanificium itaque inventum eſt a *Chanaano*, ſive *Mercurio*, & ab eo poſtea *Mitzraimo* ſive *Oſiridi* traditum. Non mirum igitur texturam & lanificium Ægyptiis adſcribi, cum Oſiris ſive *Mitzraim* Ægyptum occupaverit, unde & Ægyptus Hebræis *Mitzraim* dicitur.

CCXXV. Ut autem inventis facile eſt aliquid addere, tractu temporis ex rudi iſta & craſſa textura, quæ magis *nexus* quam *textura* dici debuit, nata eſt Ars iſta ſubtilius texendi, quemadmodum uſus ad hunc uſque diem obtinet. Hæc autem ſubtilior textura intelligenda eſt quum S. Scriptura illius mentionem facit: ut opus ejus proprie *Textile* ſit, non autem *Nexile*, quemadmodum vetuſtiſſima illa, tempore Chanaani ſive Mercurii, & ante illius tempora. Hoc inde ſatis clare mihi demonſtrari videtur, quod ſacra Scriptura, ubi quæſtio eſt de Textoribus & textura, ita deſcribat inſtrumenta Textoris, ut dubitari non poſſit, quin ſemper intelligatur textura ita proprie dicta. Sic I Sam. XVII. verſ. VII. II *S*am. XXI. XIX. & alibi. Haſta Goliathi & aliorum dicitur מנור אורגים quod Junius vertit *Iugum Textorum*. *S*eptuaginta μεσάντιον ὑφαντῶ. Lutherus & Belgæ ein Webers baum. Chaldæus אכסן quod proprie ſignificat jugum textorum; ſive liciatorium, lignum illud teres, circa quod licium ſive ſtamen intendunt textores. Latinis *Iugum*. Ovidius *Metam*. *Tela jugo juncta eſt* &c. Jarchius exponit per אינשובלא id eſt *Inſubula*, quod idem eſt ac ἀντίον, ut videre eſt in veteri Gloſſario. *S*ed ἀντίον inſtrumentum Textoris eſſe patet ex Polluce *libro* VII. *cap.* x. Judicum capite XVI. verſ. XIV. dicit *S*chimſon Dalilæ ſi texas במסכת. quam vocem Jarchius iterum exponit per אנשובלא. *Inſubulam*. Hæc tamen videtur differentia inter מנור & מסכת, ut prius ſit lignum cui ſtamen ſive licium involvitur, מסכת *Maſſechet* vero illud, cui involvitur tela, ſive ipſa textura. Unde optimo jure מסכת dicitur, quod proprie volumen ſignificat, & quod hac & illac volvi poteſt. Hinc liber ſingulus Talmudicus, ſive ſingulus *Codex* מסכת *Maſſechet* dicitur, ad indicandum, eſſe volumen aliquod ab aliis diſtinctum. Id eo magis intelligi debet, quod mox addatur, *S*chimſchonem expergefactum ad adventum Philiſtæorum ſecum abſtuliſſe *Maſſechet*, id eſt *volu-*

men textura, cui involui ſolebat, ſcil. id quod fuit detextum, & cui capilli ejus inſtar tramæ intexti erant.

CCXXVI. Eodem loco Judicum mentio ſit ῾ יתד הארג *Paxill textura*, ut habet Junius. Quid autem per *paxillum textura* intelligendum ſit, vix ullus adfirmare poterit ex interpretibus, cum inter ſe minime conſentiant, & conjecturas pro vero ſenſu obtrudere videantur. πάσσαλον habent Seniores. Belgæ **een pinne**. Lutherus ein Nagel. Galli *une Atache*. Diodati *Cheville*. Quid autem per ſuum *clavum*, per Nagel/ **pinne** aut *cheville* intelliganr, fateor me non poſſe capere. Quid quæſo clavo infigerent? Totumne jugum textoris? An *in parietem*, ut habent Græci? Sed quid opus erat jugum clavo parieti infigere, cum proculdubio ſatis fixum ſteterit? Non enim ita ſolent ſtare, ut facile moveantur loco. Deinde cur tam expreſſe additur הארג, ut ſit יתד הארג *paxillus* aut *clavus textura*, cum quilibet clavus ad hoc ſuffeciſſet. Sed ſi & mihi conjecturare licet, ego per יתד הארג *Paxillum textura* intelligi puto inſtrumentum illud textoris, quo compingitur ſubtemen, quod adnexum habet pecten, cum ad diſcernenda ſtamina, tum ad imprimendam tramam. De quo Ovidius *Metamorph. lib.* VI.

------- *atque inter ſtamina ductum*
Percuſſo feriunt inſecti pectine dentes,

niſi intellexerit aliud inſtrumentum ad hunc uſum aptum, quo utebantur veteres, & quod σπάθην *Spatham* Græci vocarunt, a ſimilitudine gladii, cujus ictibus ſcilicet ſubtemen condenſari ſolebat apud Veteres, ut optime Pollucem exponit Gualtherus. Eſt itaque יתד הארג *concus*, ſive pecten quo trama concutitur & imprimitur, aut *Spatha* ad eundem uſum deſtinata. Quando igitur dicitur ותתקע ביתד perinde eſt ac ſi dixiſſet, *& feriebat* (ſcilicet capillos Schimſchonis) *cum pectine* aut *ſpatha*, ut firmius cum reliquo ſubtemine ſtaminibus imprimerentur & adhærerent capilli. Ideo poſtea Schimſchon ad adventum Philiſtæorum, ſeſe expedire non poterat, quin abſtulit ſecum jugum, *pecten* ſive יתד & quidquid ei adhærebat & connexum erat. Jobi capite ſeptimo, commate ſexto, mentio fit de ארג quam vocem plerique Interpretes per *radium textoris* expoſuere. Et ita quidem ipſi Hebræorum Sapientes. Et ſane cum ibi mentio fiat de re quæ velociſſime tranſit, ea autem ſumatur a Textore, cum nihil in textura ſit quod velociter tranſeat præter radium, mirum non eſt ita exponi ab Interpretibus. Alias vox

iſta ארג generalis eſt, & potius ipſam texturam aut telam, quam aliquod inſtrumentum ſignificat. Sed ab omnibus interpretibus vox ארג non eodem ſenſu eſt expoſita. Plane alium, & toto quidem cœlo differentem, ſenſum reperies apud Seniores. ὁ δὲ βίος μου ἐστιν ἐλαφρότερος λαλίας *vita mea eſt levior loquela.* Vulgata: *Dies mei volocius tranſierunt, quam a texente tela ſucciditur*, ubi loquitur quidem de *tela*, ſed *radii* non meminit. Ut ut ſit, videmns ita de Textura, & de inſtrumentis textoris loqui ſacram ſcripturam, ut dubitare non poſſimus, quin ſit intelligenda ſubtilior iſta ars texendi, quæ ad hunc uſque diem obtinet, poſt tempora *Chanaani* ſive *Mercurii*. Ideo verpulis *Textura* eſt מעשה אומן· *Opus artificioſum.*

CCXXVII. Idem concludendum eſt, ſi examinemus materiam texturæ, aut potius partes ex quibus tela fieri ſolet. Supra jam oſtendimus, totam Texturæ ſtructuram nihil aliud eſſe quam *connexum ſtaminis ad ſubtemen*, ut auctor eſt Vitruvius *lib.* x. *cap.* I. aut σύνδεσιν τοῦ στήμονος πρὸς τὴν κρόκην, ſecundum Galenum, ut texere ſit κρόκας στήμοσι διαπλέκειν. Ex duobus itaque filis conſtat Textura; ex *ſtamine* ſcilicet & *ſubtemine*, quæ decuſſatim nectuntur inſtar crucis: unde etiam *Crux* verpulis per contemptum dicitur שתי וערב *Stamen & ſubtemen. Stamina* ſunt filamenta illa, quæ telam in longum tranſcurrunt. Græcis στήμων ἀπὸ τοῦ στῆσαι. Iſidoro *lib.* XIX. *cap.* XXVIII. *Stamen* dicitur, *quia rectum ſtat. Stare* autem dicebantur a Veteribus *ſtamina*, & quidem *rectum ſtare*, non tantum quia in jugo extendebantur, ſed præcipue quia ſurſum tenſa erant, & quaſi rectum inſtar hominis ſtabant, eodem fere modo, quo ſtare ſolent teni & vimina inſtar ſtaminis, quum eis alia vimina tanquam trama implectuntur, in conficiendis corbibus, de quibus plura poſtea. Hebræis quoque שתי dicitur, a verbo quod *ſtare* ſignificat. *Subtemen* (quod a temporibus Hieronymi male ſcribi ſolet *ſubtegmen*, ſcribendum enim eſt *Subtemen* pro *ſubteximen* a *texendo*, quemadmodum *ſemen* pro *ſerimen* a *ſerendo*.) ita dicitur, quod ſtamini ſubtexatur. Alias etiam *Trama* vocatur, quia *tranſmittitur*, ut habet *Iſidorus*, loco modo laudato. Græcis κρόκη, ῥοδάνη, & μίτον. Hebræis עֵרֶב *miſtura*, quod ſtamini immiſceatur. Ab utroque aliquando tota Tela denominatur. Sæpiſſime a *Stamine* dicuntur στημόνιοι κατάστημοι & πολύστημοι, id eſt, *multum habentes ſtaminis.* Hinc & ἀραιόστημοι

ϛημοι & μανόϛημοι *Staminis parum habentes.* Æſchylus

..... ἐν μανοϛήμοις πέπλοις.

Non raro a *ſubtemine* ut κροκωτοὶ *multum habentes ſubteminis*; & πολύμιτον *multum habens tramæ.* Hinc Belgis, & fere omnibus in Europa nationibus, notum eſt *Polimite*, quamvis vix ullus mercatorum, qui ea hodie conficiunt & magno lucro divendunt, vocis illius originem intelligat. Tales ſunt panni illi, ex lana caprarum, de qua nos ſupra plura cap. nono, & quos **grof greyn** aut *Camelot de Hollande* Belgæ & Galli vocare ſolent, quorum ſtamina ex duobus filis tantum, aut plurimum tribus, *ſubtemina* autem ex quatuor aut ſex conſtant. Tales ſunt *panni* etiam lanei, qui multo plus *ſubteminis*, quam *ſtaminis* habere ſolent, præſertim panni coactiles, unde & *panni* dicuntur a πήνη πῆνος, & Dorice πᾶνος, quod nihil aliud ſignificat quam *tramam* ſive *ſubtemen.* Hinc πανύκλιον Latinis *panucla* diminutivum *pani* (ſive panni) tramæ *involucri*, ut habet Nonnius. Hinc panni quorum trama conſtabat ex aureis filamentis, Græcis χρυσόπλωοι, Gallice *drap d'or*, & Belgice **goude laecken** dicuntur. De *ſtamine* & *ſubtemine* quoque leges Levit. cap. XIII. ubi ſatis fuſe de lepra in veſtibus. שתי וערב Græcis שתי eſt ϛήμων *ſtamen*, & ערב κρόκη *trama.* Apparet itaque quando in ſacra Scriptura fit mentio de veſtibus laneis aut lineis, id intelligendum ſemper eſſe de veſtibus ex lana aut lino textis, ſubtiliori iſta arte qua & hodie texi ſolent, miſcendo ſcilicet in jugo textoris tramam cum ſtamine.

CCXXVIII. Duo autem reperio genera texturæ in uſu fuiſſe apud Veteres, quæ ad hunc uſque diem multis in locis obtinent. In Europa vix alia nota eſt texendi ars, quam illa qua integri panni & telæ in jugo abſolvuntur, certæ alicujus longitudinis & latitudinis. Hos pannos aut has telas ita detextas, ſimplices telas aut pannos vocare poterimus. Hi pluribus veſtibus variæ formæ & ſexus conficiendis apti ſunt, cum a ſartore in plagas & fruſta diſcindi ſoleant, ut ex illis, acus opera conſutis & fibulis hinc inde connexis, veſtes fierent pro modulo corporis, & pro tali forma quæ requiritur. Ex ejuſmodi telis fiunt fere omnia veſtimenta noſtra, ut tunica, toga, pallium, feminalia, thoraces, tibialia, & id genus alia. Sed utrum ejuſmodi telas detexerint antiqui, & an ejuſmodi veſtimenta ex pluribus plagulis & fruſtis confecerint, non ſine cauſa quis dubitabit? cum vix *Sartoris* eodem ſenſu, quo apud

nos

nos ſumitur, fiat mentio apud probatos auctores. Sane ſilentio præterire non poſſum, quod jam ab aliis obſervatum eſt, Galenum in libro ad Thraſybulum, ubi de variis veſtimentis, & de arte veſtimenta conficiendi ſatis fuſe diſſerit, ſartorum tamen non meminiſſe, ſed ſolum textores agnoſcere, ſcilicet quia veſtes plerumque ſola textura abſolvebantur in tela. Fateor equidem Senecam *Epiſtola* XCI. mentionem facere *ſutrini inventi. Non multum*, inquit, *abſuit quin ſutrinum quoque inventum a ſapientibus diceret.* Hinc quidam probare conabantur aliam fuiſſe artem apud Veteres *texendi*, aliam vero *ſarciendi.* Ideoque diſtinguunt inter artes ἀκεστικὴν & ὑφαντικήν. Sed ex loco Senecæ ἀκεστικὴν, eo ſcilicet ſenſu quo apud nos ſumitur *artem ſartoriis*, qua veſtimenta ex pluribus partibus acus opera conſuuntur, nemo probabit. Per *ſutrinum* enim *inventum*, Senecam intellexiſſe puto artem iſtam, qua conſuuntur coria, ut fit in calceis & ejuſmodi aliis veſtimentis. Et hoc ſenſu quidem ſæpiſſime verbum *ſuere* ſumi debet apud veteres. *Suere* enim originem habet a *ſue*, aut potius a *ſetis*, quæ a *ſue* deſumuntur. Ideo *Sutores* quaſi *ſetores*, quia *ſetis* utuntur, *quod inſertis filo porcorum ſetis ſuant*, ut habet Iſidorus *Orig. libro* XIX. *cap.* XXXVIII. De *Textura* & *Sutrina* arte etiam leges apud Ciceronem *lib.* II. *de Natura Deor. Cultus dico agrorum, extructioneſque tectorum, tegumenta corporum vel texta vel ſuta.* Erant igitur tegumenta non ſolum *texta*, ſed etiam *ſuta.* At non conſtat per *tegumenta ſuta* Ciceronem intellexiſſe veſtes ex lino, lana aut ſerico. Fortaſſis reſpexit ad calceamenta, & alia tegumenta ex pellibus & corio. Sane *Caprarum* pelles conſui ſolebant, ut docet Philo Judæus *de victimis.* Sutorum igitur in calceis conficiendis, & eorum qui veſtimenta & tegumenta ex pellibus & corio parant, proprium eſt ſuere. Hinc proverbium: *Ne ſutor ultra crepidas.*

CCXXIX. Deinde ſæpiſſime quidem mentio fit apud auctores de *Sartore* atque *Sarcinatrice*, & de ſartoris inſtrumentis atque materia, ut de *acu* & *filo*, quibus conſuunt. Sed illa plerumque plane alio ſenſu ſumi debent, quam hodie apud nos: *Sartor* enim & *ſarcinatrix* raro ſignificant eos, qui veſtes concipiunt, qui telas in partes diſcindunt, & acus opera iterum jungunt, quos Gallice *Tailleurs* aut *couturiers*, Belgice **kleer-makers** dicimus. *Acus* apud Veteres eſt *fibula*, *ſutura* quoque *fibularum junctura*, & *ſuere*, *fibulis annectere*, ut *ſutum* ſit *fibulatum*, & *reſutum*, *refibulatum.*

quo

quo ſenſu dicitur tunica Auguſti *reſuta* (id eſt *reſibulata*, fibula ſcilicet ſoluta) quum *ad pedes decideret*, de quo vide Suetonium *in vita Auguſti cap.* XLIV. Ita hunc locum explicat Salmaſius, cui ſeſe tamen opponunt Ferarius & Rubenius. Nec mirum fibulam acum dici, cum nulla ſit fibula ſine acu. Vide Caſaubonum *ad Trebellium Pollionem de Divo Claudio*. Deinde per acus aliquando intelligunt craſſiores illas, quibus uti & hodie ſolemus in conſuendis ſarcinis, quas Belgice **pak-naelden** dicimus. Ejuſmodi plures reperies inter ſupellectila amiciſſimi noſtri Smetii, ſed ſubtiliores raro. Certiſſimum tamen eſt fibulam non ſemper ſumi pro acu, ſed rariſſime; nec *ſutum* ſemper eſſe *fibulatum*, & *reſutum*, *reſibulatum*. Non raro enim *fibula* a *ſutura* diſtinguitur. Heſychius: συμπορπητὸν, μὴ ῥαφαῖς συνειλημμένον κατὰ τοὺς ὤμους χιτῶνα. Non enim puto cum Salmaſio neceſſe eſſe negativum μὴ hinc tolli, ſed omnino retinendum eſſe. Eodem fere ſenſu diſtinguit Ælianus *Var. Hiſt. lib.* I. *cap.* XVIII. inter συῤῥάπτειν *conſuere* & περόναις συνέχειν, *fibulis jungere.* Deinde acus raro fibulam ſignificat, nec ſemper craſſior acus ad conſuendas ſarcinas, id eſt, **packnaelde**/ intelligitur, ſed ſubtilior iſta, qua & mulieres & ſartores noſtri hodie utuntur. Has proculdubio intelligit Plautus in *Menech.* quum ait: *acum inveniſſes.* Et in *Rudent.* *Rem acu tetigiſti.*

CCXXX. Acus opera veteres non raro utebantur in aſſuendis *clavis*, *loris*, *fimbriis*, *paragaudis*, *patagiis*, & in veſtibus ornandis opere phrygionico, unde *Babylonis acus.* Hinc & *acu picta veſtis*, *acu textilis* aut *acu ornata*, apud Iſidorum *Orig. l.* XIX. c. XXII. Tandem Sarcinatores & ſarcinatrices acubus etiam uſi ſunt in reſarciendis & reficiendis veſtimentis tritis, quum ſcilicet partes diſruptas filo per acum jungerent, quod hodie **ſtoppen** vocant noſtræ mulierculæ: aut etiam cum fruſtum ſive aſſumentum aliquod aſſuerent, quod **lappen** dicimus. Ad quod reſpexit Chriſtus Matthæi cap. IX. verſ. XVI. Lucæ V. XXXVI. & Marci II. XXI. Καὶ οὐδεὶς (ut habet Marcus) ἐπίβλημα ῥάκους ἀγνάφου ἐπιῤῥάπτει ἐπὶ ἱματίῳ παλαιῷ. εἰ δὲ μὴ, αἴρει τὸ ϖλήρωμα αὐτοῦ τὸ καινὸν τοῦ παλαιοῦ, καὶ χεῖρον σχίσμα γίνεται. Tale fuit tribonium illud lacerum ac detritum, de quo Lucianus *in Menippo.* πολύθυρον ἅπαντι ἀνέμῳ ἀναπεπταμένον, καὶ ταῖς ἐπιπτυχαῖς τῶν ῥακίων ποικίλον. *Lacerum & vento pervium, ac diverſorum pannorum aſſumentis variegatum.* Ejuſmodi veſtimentum *pannoſum* dicebatur, & *pannutia nuncupata*, ait

Iſidorus, *quod ſit diverſis pannis obſita.* Hinc apud Terentium, *Annis pannis obſita.* Idem forte eſt *cento*, quia multos pannos, & quaſi centum aſſutos habet. Hinc Sarcinator centonem ſuere dicitur a Lucill. apud Nonnium: *Sarcinatorem eſſe ſummum, ſuere centonem optume*, quaſi Belgice diceres: **Een goeden Lapper zijn.** Ideo apud Plautum in Aulularia *fullones* & *ſarcinatores* junguntur, quia uterque circa veſtimenta trita verſari ſolebat. *Petunt fullones, ſarcinatrices petunt.* Sic *Paulus in L. Fullo ff. de fur. Fullo vel ſarcinator qui polienda & ſarcienda veſtimenta accepit.* Notandum imprimis etiam eſt, Græcis Ἀκέομαι (quod Latini *ſarcire* dicunt) eſſe *mederi.* Sartor igitur non conficit novas veſtes, ſed vetuſtis & tritis medetur inſtar Medici. Optime in hanc rem Hippocrates *de Vict. Rat. lib.* I. Σκύτεες τὰ ὅλα κατὰ μέρεα διαιρέοντες. τεμνόντες δὲ καὶ κεντέοντες, τὰ σαθρὰ ὑγιέα ποιέουσιν. καὶ ἄνθρωπος δὲ τὸ αὐτὸ πάσχει. *Sutores totis in partes diviſis, ſecando & pungendo, corrupta integra reddunt. Idem etiam in homine contigit.* Et Xenophon *Cyropæd. lib.* I. ὥσπερ ἱματίων εἰσί τινες ἀκεσταὶ οὕτω καὶ ἰατροί. *Quemadmodum ſe habent veſtium Reſarcinatores, ſic & Medici.* De hiſce vide doctiſſimum Rhodium *de Acia capite* x. Quid ſit ἀκεστικὴ ſive *ars ſartoris* egregie docet Ælianus *de Animalibus libro* VI. *cap.* LVII. ubi illam attribuit Araneæ quemadmodum & ὑφαντικήν. Sed ἀκεστικὴν ponit non in rebus quidem de novo factis, ſed in reſtitutione telæ diſruptæ. Καὶ ἀκεστικὴν εὐπάλαμοι καὶ ὅτι ἂν διαῤῥήξῃ ἐκείνων τῆς εὐπήνου τε καὶ εὐμίτου σοφίας, ἄνδε ἀνακοῦνται καὶ ἀπαθὲς καὶ ὁλόκληρον αὖθις ἀποδεικνῦνται. *Et ſarciendi artificii peritæ ſunt; nam ſi quid diſruptum fuerit ex ſtaminibus, vel tramis, id reſarciunt, & in integrum reſtituunt.*

CCXXXI. Ex his omnibus ſatis clare conſtat, *Sartores ſarcinatores, ſarcinatrices &* ἀκέστρια in tritis & laceratis veſtimentis reficiendis plurimum operatos fuiſſe, non vero in novis conficiendis, nec fuiſſe eoſdem quales ſunt hodie noſtri Schneiders / **Kleermaeckers** / *Tailleurs* & *Couturiers*: Saltem nomen illud illis datum fuiſſe præcipue hac de cauſa, quod lacera reficerent & reſarcirent. Non tamen nego veſtes aliquando etiam a ſarcinatoribus factas fuiſſe novas, ex pluribus pannis diſſectis & acus opera conſutis, quemadmodum noſtra veſtimenta fiunt hodie. Egregium locum huic opinioni fulciendæ adfert Magnus Caſaubonus ex Servio *ad Æn. lib.* XII. *Sarcinatores concipere dicuntur veſtimenta, cum e diverſo*

diverſo conjungunt & adſuunt. vide Caſaubonum *Exercit* XVI. *Num.* CXVII. Quicquid eſt, ſuta fuiſſe veſtimenta quædam, in dubium revocari non debet. Tunicæ enim quæ ex duabus plagulis conſtabant, ſutæ erant. Varro *libro* VIII. *Si quis tunicam in uſu ita conſuit, ut altera plagula ſit anguſtis clavis, altera latis: utraque pars in ſuo genere caret analogia.* Joſephus *Antiquitatum lib.* III. *cap.* VIII. mentionem quoque facit tunicæ quæ ex duabus plagulis conſtat, & quæ in humeris ac lateribus ſuturas habet. ὁ χιτὼν ἔτος οὐκ ἐκ δυοῖν περιτμημάτων, ὥς ἡ ῥαπτὸς ἐπὶ τῶν ὤμων εἶναι καὶ τῶν παραπλευρῶν. *Hæc tunica non conſtat e duabus plagulis, ut ſuturas habeat in humeris & lateribus.* Clarius Theophanes Cerameus *Homil. in Paſſionem Domini Homil.* XXVII. ubi de tunica Chriſti: τοῖς Γαλιλαίοις, inquit, σύνηθες ἦν τοὺς χιτῶνας ποιεῖν δυσὶ φαρσίοις ἄνωθεν ὦμον συνεζευγμένας ῥαφῇ. *Mos erat Galilæis tunicas ex laciniis duabus conficere in humeris ſutura commiſſis.* De hac Heſychius loco a nobis ſupra laudato. συμπορπητὸν, μὴ ῥαφαῖς συνειλημμένον κατὰ τοὺς ὤμους χιτῶνα. Ælianus *Var. Hiſt. lib.* I. *cap.* XVIII. ejuſmodi tunicarum quoque meminit. De tunicis conſutis vide apud *Plautum in Amphitruone.* ubi Soſias: *Tunicis conſutis huc advenio, non dolis.* Sic & ἑτερομάσχαλος tunica erat ſervorum, ἀπὸ τοῦ τὴν ἑτέραν μασχάλην ἔχειν ἐρραμμένην, *ab altera parte habens alam aſſutam.* Ideo Xenophon *de Inſt. Cyri, lib.* VIII. diſtinguit inter χιτῶνας τέμνειν, *tunicas ſcindere*, & συντιθέναι *tunicam conſuere*, ſive *componere*, quemadmodum diſtinguit inter ὑποδήματα νευρορράπτειν *calceos nervis conſuere*, & σχίζειν *ſecare.* Caracallas etiam & μανδύας ex pluribus partibus conſutas fuiſſe, docemur ab Ælio Spartiano, *in vita Antonini Caracallæ.* & a Xiphilino ex Dione *lib.* LXXVIII. Καί τινα ἰδίαν ἔνδυσιν βαρβαρικῶς πως κατακόπτων καὶ συῤῥάπτων ἐς μανδύης τρόπον, προσεξεῦρε. *Proprium etiam aliquod veſtimentum excogitavit, barbarico more ſciſſum, & conſutum inſtar pænulæ.* Temporibus Hieronymi veſtimenta ex diverſis panni partibus conſui morem fuiſſe, clariſſime conſtat ex ejus *Epiſtola ad Fabiolam*, ſive de veſtibus Sacerdotum: ubi negat *braccas* ſive feminalia in tela abſolvi poſſe ſola textura; at ex pluribus partibus conſui debere adfirmat. Sed jam inde a temporibus Chriſti quaſdam veſtes, Sartoris arte & acus opera conſui ſolitas fuiſſe, patet ex Euangelii Hiſtorio-graphis ſacris; diſtinguunt enim inter ἄῤῥαφον & ῥαπτὸν, *conſutum* veſtimentum & *inconſutile*: ideo tunica Chriſti *inconſutilis* ſive ἄῤῥαφος dicitur

citur tanquam veſtis quædam peculiaris. Sed de hac tunica nos deinceps plura.

CCXXXII. Plurimam tamen partem veſtimentorum a veteribus ſola textura abſque acus opera, & ſine ſarcinatoris arte, facta fuiſſe, minime dubito. Optime itaque Salmaſius, ad *Ælium Lampridium in Caracallo*, ait, *pleraſque omnes veterum veſtes textura ſolum confici ſolitas ſine opera ſutoris ulla, & ut loquuntur Euangeliſtæ*: ὑφαντὲς δι' ὅλε. In eadem fuit ſententia Caſaubonus *in Exercit.* XVI. *num.* CXVII. *Hodie*, inquit, *rariſſime veſtis aliqua conficitur ſine ſarcinatoris opera; olim vero parandarum veſtium alia ratio fuit: textores enim veſtes abſolvebant; neque eorum opera, ut plurimum, utebantur, quos ſermo Gallicus vocat* Couturiers, *Latini* Sartores, *aut* ſarcinatores: *quæ vocabula refectorem veteris veſtis potius denotant, quam novæ confectorem.* Doctiſſimorum Virorum tamen mens non fuit, omnium generum veſtimenta in tela abſolvi, ſola textura, abſque ſartoris & acus opera. Negat enim ibi, immo pernegat Magnus Caſaubonus tunicas manuleatas ſine ſutura fieri poſſe, ideoque manus dat Hieronymo, cum dicat feminalia Sacerdotum *non poſſe in tela fieri.* In eandem ſententiam pedibus ivit Salmaſius πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων, ad *Vopiſcum in vita Aureliani*, ubi integrum etiam locum Hieronymi ſuæ ſententiæ firmandæ allegat. *Lineæ*, inquit, (veſtes) *quas vulgo Camiſias vocabant, quæ corporibus adſtrictæ & membris aptæ fiebant, nullo modo tales in tela fieri poterant. Manicatæ quoque tunicæ, &* ἄρραφοι, *qualis erat Domini tunica, ex inciſis partibus integrabantur, & acu ſuebantur. Exempli gratia in tunicis manicatis manicæ ex inciſis pannis adſuebantur, nec tota tunica ullo modo cum ſuis manicis in tela fieri poterat.* Apparet igitur viros doctos, qui dicunt aliam rationem fuiſſe parandarum veſtium apud veteres, atque hodie, veſteſque tunc textura ſolum confici ſolitas, ſine opera ſutoris, hoc intelligere de quibuſdam veſtibus tantum, de apertis ſcilicet, quadratis & id genus alia, non autem de rotundis, manicatis & undique clauſis, quales ſunt tunicæ, pænulæ, feminalia, & ejuſmodi aliæ. Sane hoc ſenſu & hodie quædam veſtes in tela abſolvuntur apud nos, qualia ſunt balthei, colli lora quæ *cravates* & *Daſſens* vocant Galli & Belgæ, tegumenta illa mulierum, quæ vocantur Gallice *un voile*, Germanice ein ſchleyer / & een faly / a Græco, ni fallor, φάλα, & ejuſmodi alia.

At

CCXXXIII. At olim non tantum veſtes apertæ & quadratæ ſola textura, abſque acus opera abſolvebantur, ſed quælibet aliæ, cujuſcunque fuerint formæ aut figuræ. Notandum primum eſt, apud veteres de qualibet veſte dici, *veſtem texi* in genere, nullo adhibito diſcrimine. Tibullus *lib.* II. *Eleg.* III.

Illa gerat veſtes tenues, quas fœmina Coa texuit.

ἐσθῆτα ὑφαίνεσθαι, & χλαῖναν ὑφαίνειν apud Pauſaniam, Athenæum, Suidam, Plutarchum, Homerum, & alios. Ulpianus, *veſtimentum, id eſt, quod detextum eſt, etſi deſectum non ſit, id eſt, ſi ſit conſummatum. cap.* XXII. *de auro arg. leg.* Idem etiam de ſingula veſte dicitur, eam ſcilicet *texi.* Hinc *Tunicam texere, lænam texere, chlamydem texere, togam texere,* immo & *ſaccos texere.* Pollux *libro* VII. *cap.* X. ubi de arte textorum, docet inter alia dici: χλαμυδουργίαν, & χλαμυδοποιΐαν, χλανιδοποιΐαν, χλανιδουργίαν & ἐξωμιδοποιΐαν: quaſi diceres *Textura Chlamydis, Chlænæ & Exomidis,* quod ſcilicet integræ Chlamydes, Chlænæ, & Exomides in tela, ſola textura, abſolvi ſolerent. Sic σπαθητὸς χλαῖνα, & σπαθητὸν ἱμάτιον. id eſt, *chlæna texta, & veſtimentum textum:* nam σπαθᾶν ibi eſt ὑφαίνειν, *texere.* Sed & ipſi ſacci texebantur. Unde Pollux *eodem libro cap.* XXXIII. Σακκιφάντην habet: quod proculdubio ſcribendum eſt σακχυφάντης *textor ſacci.* Citat hanc vocem Pollux ex Demoſthene in Olympiodorum. Et revera in editione Baſileenſi Demoſthenes habet σακχυφάνται, quod Wolfius optime reddidit per: *qui ſaccos texunt.* Integri enim ſacci in tela ſola textura abſolvebantur. Togas texi patet ex *Horatio lib.* I. *Ep.* XIX.

Exiguæque togæ ſimulet textore Catonem.

Hinc apud Titinnium: *quæ inter decem annos nequiſti togam unam detexere.* Et tunica texebatur. Plinius *lib.* VIII. *cap.* XLVIII. *Ea prima texuit rectam tunicam.* De hac forſan Iſidorus *Orig. lib.* XIX. *cap.* XXII. *Recta dicitur veſtis, quam ſurſum verſum ſtanteſque texunt.* Hinc Auguſtinus in Pſalm. XLV. de *tunica quæ texebatur* mentionem facit. Ejuſdem generis fuit quoque Tunica Chriſti. Ἦν δὲ ὁ χιτὼν, ut refert Johannes cap. XIX. verſ. XXIII. & XXIV. ἄῤῥαφος, ἐκ τῶν ἄνωθεν ὑφαντὸς δι' ὅλου. *Erat tunica illa inconſutilis, a ſummo contexta tota.*

CCXXXIV. Super explicatione horum verborum, quomodo ſcilicet tunica Chriſti fuerit ἄῤῥαφος ὑφαντὸς δι' ὅλου, maxima ingenia miſerrime ſeſe hactenus torſerunt. Tam acriter depugnatum

eſt de ſenſu hujus loci, ut Ombon & Tentyram adhuc ardere dicas. *Itaque*, ut optime Salmaſius ad Flavium Vopiſcum de Divo Aureliano, *nemo non hactenus deſudavit quærendo & inveſtigando quanam ratione tale detexi potuerit veſtimentum quod ſuturam non habuiſſet: non poſſe enim per artem in tela hujuſmodi veſtem fieri.* Doctiſſimus Caſaubonus in Exercitationibus Baronianis, multa præclara & docta ſuper hac re obſervavit: Tunicam ſcil. exteriorem fuiſſe manicatam ex lana, Sacerdotum tunicarum linearum inſtar. Addam & ego veriſimile eſſe ejuſdem fere materiæ & formæ fuiſſe ac מעיל *pallium* Pontificis Maximi. Erat enim veſtimentum rotundum & clauſum at non manicatum, ideoque rectius tunica exterior dicitur. Maxima autem difficultas in eo conſiſtit, quod dicatur ἄῤῥαφος & ὑφαντὸς ἐκ τῶν ἄνωθεν δι᾽ ὅλου. *Inconſutilis & tota textilis a ſummo.* In eo enim deſudarunt viri docti, ut inveſtigarent quanam ratione tale detexi potuerit veſtimentum, quod ſuturam non habuiſſet. Hodie ſi roges viros etiam non ex vulgaribus, quomodo Tunica illa *inconſutilis* facta fuerit; promptiſſime tibi reſpondebunt: id factum fuiſſe arte illa quam Galli *lacer*, *brocher*, & Belgæ **breyden** dicunt, qua hodie tibialia, tunicæ nocturnæ, chirothecæ & id genus infinita alia, ex uno filo binis prælongis ferris, aut acubus, ad formam veſtimenti nectuntur. In eadem ſententia fuiſſe videtur *Euthymius* quando dicit; *veluti ſunt apud nos capitis aut pedum hiemalia operimenta*, niſi *feltrum* intelligat Euthymius, quemadmodum eum exponit Caſaubonus *Exercit.* XVI. cui tamen adſtipulari non poſſum. Et quamvis de coactilibus loqueretur Euthymius, id etiam de operibus reticulatim uno filo textis, aut potius nexis, intelligi poſſet, cum non minus coactilia ſint, quam cætera ἐμπίλια. Fere ejuſdem operis fuiſſe tradidit doctiſſimus Ferrarius de re veſtiaria lib. III. cap. XVI. niſi quod differat a cæteris auctoribus in eo, quod alii dicant id prælongis iſtis acubus factum fuiſſe, ut fieri ſolet hodie, cum putet id forſan factum fuiſſe ſine acu ſolis manibus, qualia nunc reticula, & muliebres calanticæ fiunt, ſurſum verſum contextum. Sed quale illud artificium fuerit, quo veteres ſurſum verſum reticulatim texuerunt ſolis manibus, fateor me neſcire. Quid ſurſum verſum texere ſit, ex veterum monumentis eruemus infra. Sed quomodo id factum fuerit ſolis manibus, non docebo, cum nemo me hoc unquam docuerit. Multo minus facta erat prælongis iſtis acubus, uti hodie: cum


cum ars iſta reticulatim acubus nectendi (potius quam texendi dicam) apud veteres in uſu non fuerit: quandoquidem ejus nemo meminit, ne ipſe quidem Galenus *ad Thraſybulum* ubi de variis artibus veſtes conficiendi diſſerit, quod optime obſervavit Caſaubonus loco modo laudato.

CCXXXV. Ὁ πάνυ Salmaſius *ad Flavium Vopiſcum* hæc latis animadvertens, plane aliam viam inſiſtit, & ab omnium fere auctorum, qui rem iſtam hactenus explicare agreſſi ſunt, opinione receſſit, ſententiamque plane novam & incredibilem tulit. Hoc enim factum acubus minime cenſet. Ita etiam textam fuiſſe tunicam illam, ut fuerit rotunda, manicata, & undique clauſa ſola textura, ſine acus opera, audacter negat: immo rotundis verbis pronunciat id fieri minime potuiſſe. Ideo id quod omnes auctores, quod nos *inconſutile* dicimus, illud is *conſutum acu* adfirmat. Diſtinguit igitur inter tnnicas ῥαπτοὺς & ἀῤῥάφους. Priores ait circa latera & humeros apertas fuiſſe, ſed fibulis tantum adſtrictas. Cæteras autem ſutura acus opera clauſas circa latera abſque fibulis; ῥαφὰς & ῥαφίδας ſignificare non ſuturas, ſed fibulas; Hinc dici ἄῤῥαφον quaſi *ſine fibulis*, ſed cum ſutura. Quod igitur hactenus *inconſutile* dixerunt auctores, apud eum eſt *conſutum*. Sed acu ſutum non fibulis. At ſi Syrus ulla auctoritate apud eum valet, huic ſuæ expoſitioni non inhærebit mordicus. Sic enim ille apud Johannem ܟܘܬܝܢܗ ܕܝܢ ܐܝܬܝܗ ܗܘܬ ܕܠܐ ܚܝܛܐ ܡܢ ܠܥܠ ܐܪܓܝܬܐ ܟܠܗ *Tunica autem erat ſine ſutura a ſummo tota texta.* Jam vero ܕܠܐ ܚܝܛܐ *eſt ſine ſutura*, quæ fieri ſolet acu & filo: חיט enim Syris *ſuere cum filo*, a חוט *filo*, non vero a fibula. hinc חיט *Sartor*. Expreſſius Arabs: القميص غير مخيط من فوق بل منسوج كله. *Camiſia erat ſine acu a ſummo, ſed tota texta.* Non ſolum dicit *ſine ſutura*, ſed *ſine acu*, ſcilicet factam; ut conſtaret nullam omnino habuiſſe ſuturam quæ acu fieri ſolet: eſt enim ܡܚܛܐ inſtrumentum quo ſuitur, & proprie quidem *acus*, ſecundum *Gigæum*, ab eodem verbo, a quo Syrum & Chaldæum חוט & חיט deductum. Patet igitur ſine ſutura, ſive ἄῤῥαφον dici tunicam Chriſti, non quod fuerit *ſine fibulis*, ſed quod *non ſuta fuerit acu.* Deinde ipſa textura notat hanc tunicam textam fuiſſe

non

non ſutam: quorſum enim mentionem faceret Euangeliſta texturæ, ſi conſuta fuit, ut cætera veſtimenta vulgaria, & non peculiari aliquo artificio texta?

CCXXXVI. Tandem ipſe modus texendi videtur expreſsus, cum dicatur: ἐκ τοῦ ἄνωθεν ὑφαντός, de quo loquendi modo nos plura infra habebimus. Optime igitur mentem Euangeliſtæ expoſuit Theophanes Cerameus *Homil. in Paſſionem Domini* XXVII. Ἄρραφος δὲ ἦν ἐκ τοῦ ἄνωθεν ἐπειδὴ τοῖς μὲν Γαλιλαίοις σύνηθες ἦν τοὺς χιτῶνας ποιεῖν δυσὶ φαρσίοις ἄνωθεν κατὰ τὸν ὦμον συνεζευγμένας ῥαφῇ. τὸν δὲ χιτῶνα τοῦτον ἓν ὕφασμα δεῖ λαμβάνειν ἄρραφον. *Inconſutilis porro ſuperne erat, quoniam mos Galilæis erat tunicas ex laciniis duabus in humeris ſutura commiſſis. Hanc vero tunicam oportet intelligere uno contextu, fuiſſe ideoque inconſutilem.* Sed talem tunicam fieri rotundam, manicatam & undique clauſam, ut nullam omnino ſuturam haberet, ſive fibulis facta ſive acu, ſed ſola textura clauſam & manicatam, impoſſibile crediderunt magni viri Caſaubonus, Salmaſius, Ferrarius, alii. Immo ipſe Hieronymus in *Epiſtola ad Fabiolam* videtur crediſſe; *feminalia* & ejuſmodi alia in tela fieri non poſſe, quod tradidiſse docet Joſephum. מכנסי *Michneſe*, inquit, *Græce* περισκελῆ, *a noſtris feminalia, vel braccæ uſque ad genua pertingentes. Refert Ioſephus hæc feminalia de byſſo retorta ob fortitudinem ſolere contexi, & poſtquam inciſa fuerint, acu conſui. Non enim poſſe in tela hujuſmodi fieri.* Quonam in loco hæc dixerit Joſephus, neſcio. Sed Hieronymus reſpexiſse mihi videtur ad ea quæ Joſephus habet *Antiquit. lib.* III. *c.* VIII. μαναχασὴ λεγόμενον. βούλεται δὲ συνακτῆρα μὲν δηλοῦν. διάζωμα δ' ἐστὶ περὶ τὰ αἰδοῖα ῥαπτὸν ἐκ βύσσου κλωστῆς εἰργνύμενον. *Manachaſe* (legendum eſt *Michnaſe*) *uti vocatur, ſignificat conſtrictorium; eſt autem ſubligar circa verenda conſutum e byſſo retorta.* Sed quid ſibi velit per τὸ περὶ αἰδοῖα ῥαπτὸν *circa verenda conſtrictum*, non aſſequor. Id fortaſſis idem eſt ac *circa verenda conſtrictum*, aut *junctum & clauſum*, ut occulta tegerentur, qui verus uſus feminalium: Niſi velit ex duabus partibus fuiſse conſuta, circa verenda & ad femina, ut noſtra. Si *acu conſutum* intelligat Joſephus, fallitur proculdubio. At quidquid alii tradant, nuſquam dicit Joſephus, quantum ſciam, *feminalia & ejuſmodi alia in tela fieri non poſſe*, ut loquitur Hieronymus. Interim hoc μορμολυκεῖον, quod putarint optimi Auctores, id ſola ὑφαντικῇ fieri non poſse, eos a veritate in errorem pepulit,


Ulna Hollandica.
Tunica ἄῤῥαφος
Tota Textilis.
I.
E
F
G
A.
B.
C.
H
D.
II.

Tabula I.

lit, ut aut traderent celebrem iſtam tunicam Chriſti ἄῤῥαφον alia arte factam fuiſſe quam Textoris, aut omnino ſilentio præterirent.

CCXXXVII. Sed ut orbem tandem aliquando a μορμολυκείῳ iſto liberaremus, tunicas rotundas, manicatas, & undique clauſas, ideoque feminalia, Tibialia, pallia, immo chyrothecas, tandem omnia veſtimenta, cujuſcunque ſint formæ, ſola textoris arte abſque ſutura, abſque fibulis, aut ullo alio nexu fieri poſſe, ob oculos ponam tunicam ex byſſo, aut ſi mavis ex *Xylino* ſubtiliſſimo, ab Indis ad Hollandos delatam, egregie manicatam, rotundam & clauſam undique, ſine ſutura, ſine ullo acus veſtigio, ideoque vere ἄῤῥαφον, & ὑφαντὸν δι' ὅλȣ, quam hactenus poſſidet optimus vir *Lambertus Gromæus*, apud Leydenſes pannorum infector celeberrimus.

Prima hæc figura exhibet tunicam inconſutilem ex molli & tenui Xylino, apud Indos textam. Altera figura tunicam totam textilem quoque oſtendit, in hac civitate, in Batavorum ſcilicet Oppido textam, quam hactenus poſſidet amiciſſimus noſter Smetius, parentis venerandi cum virtutis tum cymeliorum hæres. Utramque quamplurimi, omnium ordinum viri, ante triennium mecum viderunt, & artificium admirati ſunt, tam in Gelria quam in Hollandia. Teſtes mihi erunt adhuc Illuſtres ac Nobiles Viri, Theodorus a Weldren, Imperii Neomagenſis Toparcha, van Heukelom, hujus Civitatis Conſul, & ad Ordd. Generales Deputatus. Pl. Venerandi Heydanus, Wittichius S. S. Theologiæ apud Leydenſes Profeſſores. Literatiſſimus Grævius apud Ultrajectinos Eloquentiæ Profeſſor. Romboutius apud Leydenſes Paſtor diſertiſſimus, aliique multi. Tandem Teſtimonium luculentum hujus rei mihi erunt literæ ſummi Viri Groenovii, τȣ̃ μακαρίτȣ, quas fere moribunda manu exaravit, & quas huic libro præfixi. Ejuſdem plane materiæ & formæ qualem prima figura exhibet, poſſidet *Holſteinius*, Mercator integerrimus apud Rotterodamenſes, & quam vidi Delphis Batav. apud egregium Virum *vander Lely*, Societatis Indiæ in eadem Civitate Graphiarium.

Secunda figura ἄῤῥαφον quidem tunicam exhibet. Sed operis rudioris, ex filo craſſiori, & non magni artificii, ſi eam cum priori conferas. Circa manicas & in infimis oris fimbrias videbis, quæ nihil aliud ſunt quam ſtaminis præſegmina, quæ manum indicant non periti Textoris.

At prima hæc figura, major ſcil. illa ex India allata, obſervatu eſt quam digniſſima & incredibilis fere artificii. Ulnam Hollandicam addidi, ut conſtaret de ejus magnitudine, ſcilicet Viro mediocris ſtaturæ veſtiendo aptam eſſe, & fere ejuſdem formæ, cujus ſunt hodie interiores tunicæ noſtræ lineæ, quas *Camiſias* ab Arabico vocamus. Circa collum limbum habet aſſutum, plane ut noſtræ Camiſiæ ſolent. Apertura ad immittendum caput deſcendit ad literam H, forcipe eo uſque deſciſſa videtur, & utrinque oram habet aſſutam. A litera D. uſque ad extremitatem quoque χιςὸς, in utraque parte oram aſſutam habet, ut & in ipſis extremitatibus, cum manicarum tum plagularum ſciſſarum. Præter hæc in tota tunica nullum veſtigium ſuturæ ſeſe prodit. Ut artificium clarius conſtaret literis A. B. C. exprimere volui axillis intexta eſſe mirabili arte fruſta illa quadrata, quæ Sarcinatrices noſtræ Gallice *Gouſſons* vocant, Belgæ Oxel-ſchropen. Eadem arte intextæ ſunt triangulares partes in humeris E. F. G. Quamvis totum opus ſit incredibilis artificii, tamen omnem artem ſuperare videntur partes iſtæ circa manicas ſupra humeros & ſub axillis. Et ſane niſi ipſe vidiſſem, dubitarem, an ἡ ὑφαντικὴ καὶ τὸ ὑφαίνειν καὶ τὰ δῶρα Ἐργάνης δαίμονος ad tantum miraculum ſufficerent, ut ſummi Literatoris Groenhovii verbis utar. Ceſſent tandem viri docti diſputare de textura tunicæ Chriſti. Ceſſent negare, id ulla ratione fieri poſſe ſola arte Textoris. Cum ejuſmodi non tantum plurimæ, quotidie apud Indos texantur, ut ex viris fide dignis audivimus, ſed duas (*hodie ſex*) ejuſdem artificii viderimus, totique Orbi litterato ob oculos jam poſuerimus. Si ejuſmodi Tunica facta eſt, utique fieri poteſt; cum *ab eſſe ad poſſe valeat conſequentia*, ut cum Philoſophorum turba balbutiamus. Atque ſic terriculamentum illud, quod tot viros doctos in errorem pepulit, a nobis fugatum & diſſipatum eſt, nec unquam, ut ſpero, inpoſterum eorum animis apparebit, ut a veritate diſcedant.

CCXXXVIII. Hiſce ita demonſtratis, operæ pretium judico ulterius progredi, ut tandem veterem texendi rationem; quo modo ſcilicet veſtimenta illa rotunda, manicata, & undique clauſa, quales ſunt Tunicæ, feminalia, immo tibialia & ipſæ chyrothecæ detexi ſolita fuerint, doceremus, quod hactenus neminem tentaſſe ſcio, ut ut multa & præclara quidem hac de re tradiderint viri eruditi, inter quos quidam veritatem etiam quaſi per nebulas conſpexiſſe

ſpexiſse videntur, imprimis magnus Salmaſius *ad Vopiſcum de Divo Aureliano*, & alibi, eruditus Caſaubonus, Rubenius, alii. Sciendum itaque eſt, duplicem modum texendi in uſu fuiſse apud Antiquos: quidam enim texebant ſedendo & deorſum, id eſt tramam ad inferiorem partem trudendo, unamque ſimplicem telam tantum abſolvebant. Ita texiſse puto eos qui pannos laneos, ſericos aut etiam lineos longiores detexebant, ex quibus plures veſtes tandem confici poſsent, quales ſunt panni & telæ quæ hodie apud nos detexi ſolent, eodem plane modo. Hoc modo fortaſſis etiam texebantur veſtes apertæ & quadratæ.

CCXXXIX. Sed alia fuit texendi ratio, quæ in deſuetudinem abiit apud nos, ſed veteribus ſatis uſitata, quamvis rarior, & majori ſumptu fieret. Hoc fiebat, quum texebant ſtando & telam percurrendo, ab uno latere ad aliud, tramam ſpatha ſurſum verſus, id eſt, ab inferioribus ad ſuperiora, detrudendo. De utroque texendi modo Herodotus *lib.* II. ὑφαίνουσιν οἱ μὲν ἄλλοι, ἄνω τὴν κρόκην ὠθένοτες. Αἰγύπτιοι δὲ κάτω. *Texunt autem alii, ſubtemen ſurſum pellentes; At Ægyptii deorſum.* Idem docet Theophylactus egregio loco, quem allegat Caſaubonus *ad Baronium, Exercit.* XVI. *cap.* LXXXIV, Ἄλλοι δὲ φασὶν ὅτι ἐν Παλαιστίνῃ ὑφαίνουσι τοὺς ἱστοὺς οὐχ ὡς παρ' ἡμῖν, ὄντων ἄνω μὲν τῶν μίτων καὶ τοῦ στήμονος, κάτω δὲ ὑφαινομένου τοῦ πανίου. καὶ οὕτως ἀναβαίνοντες. ἀλλὰ τοὐναντίον κάτω μὲν εἰσὶν οἱ μίτοι, ἄνω δὲ ὑφαίνεται τὸ ὕφασμα. *Alii quidem dicunt quod in Palæſtina telas non texant, quemadmodum apud nos. Quando licia ſuperne ſunt, deorſum texunt telam, atque ſic aſcendunt. At vero ſi licia ſint infra, ſurſum texunt telam.* Surſum verſus texebatur tunica *Regilla* teſte Feſto: *Regillis tunicis albis, & reticulis, utrinſque rectis, textis ſurſum verſum a ſtantibus.* Et *Recta*, de qua Iſidorus *Orig. lib.* XIX. *cap.* XXII. *Recta dicitur veſtis, quam ſurſum verſum ſtantes texunt.* Ad hunc texendi modum reſpexiſſe puto Euangeliſtam per ſuum ἐκ τῶν ἄνωθεν ὑφαντόν. Nihil enim aliud videtur intelligere per hanc phraſin, quam quod tunica illa texta fuerit *ſurſum verſus*, ut idem eſſet ἄνωθεν ὑφαίνειν ac ἄνω τὴν κρόκην ὠθεῖν. Cum enim trama ſurſum pellitur, tunc tela initium ſumit a partibus ſuperioribus, & inde paulatim ad inferiores deſcendit. Scio quidem τὸ ἄνωθεν a multis interpretibus referi ad τὸ ἄῤῥαφον, non vero ad τὸ ὑφαντόν; quaſi Euangeliſtæ mens fuiſſet: in ſuperioribus partibus, ſcilicet in humeris nullam ſuturam fuiſse. Sic

videtur intellexiſſe Arabs: القميص غير مخيط من فوق *Camiſia erat ſine acu* (ſine ſutura) *a ſummo*: nam illud من فوق *a ſummo* non poteſt referri ad τὸ منسوجا quod ὑφαντὸν denotat, eo quod præcedat particula disjungens بل. Ad hunc igitur modum verba Euangeliſtæ interpunctanda & interpretanda ſunt: ἄῤῥαφος, ἐκ τῶν ἄνωθεν, ὑφαντὸς δι' ὅλου. *Erat tunica inconſutilis, ſurſum contexta tota.* Nec abludit ab hac interpretatione Syrus. Sic ille: ܡܢ ܠܥܠ ܐܙܩܝܪܐ ad verbum: *a ſurſum verſus texta.* לעל enim motum ad ſuperiora plurimum denotat, id eſt, ſurſum verſus trudebatur trama, & a ſuperiori ad inferiora deſcendebat tela. Quod autem in Viennenſi editione punctum reperiatur poſt ܠܥܠ quaſi referendum eſſet ad ܚܝܛܐ *ſuturam*, nihili eſt. Poteſt enim tolli punctum. Audiatur etiam Chryſoſtomus in Johannem Homil. LXXXV. τίνες αὐτὸ τὸ εἶδος τοῦ χιτωνίσκου φασὶ τὸν Εὐαγγελιστὴν ἱστορεῖν. ἐπειδὴ γὰρ ἐν Παλαιστίνῃ δύο ῥάκη συμβάλλοντες, οὕτως ὑφαίνουσι τὰ ἱμάτια, δηλῶν ὁ Ιοάννης, ὅτι τοιοῦτος ἦν ὁ χιτωνίσκος, φησὶν, ἐκ τῶν ἄνωθεν ὑφαντός. *Quidam putant ipſam Tunicæ formam a Iohanne narrari. Nam quia ſolent in Palæſtina duos pannos committentes veſtimenta texere; Iohannes ut ſignificaret talem fuiſſe hanc tunicam, ait fuiſſe deſuper contextam.* Hæc textura dicebatur a Græcis ἀνακρούειν, & ἀνακρουστὸν ὑφαίνειν. Et veſtimenta quæ ita texta erant ἀνακρουστά. Iſidorus Peluſiota *Epiſtola* LXXIV. *lib.* I. καθ' οὓς ἢ μάλιστα, τὸ τοιοῦτον φιλεῖ γίνεσθαι ἱμάτιον, τέχνῃ τινὶ, ὡς αἱ στηθοδεσμίδες, ἀνακρουστὸν ὑφαινόμενον. *Apud quos vel maxime indumentum ejuſmodi ſolet fieri, & arte quadam, ut fit in faſciis pectoralibus, ſurſum texendo.*

In hujuſmodi textura ſtamina non eodem modo extendebantur ad jugum textoris, ut quaſi jacerent, quemadmodum hodie fieri ſolet; ſed in altum extendebantur, ut fere inſtar ſtaminum corbium & naſſarum, quas artifices noſtros hodie detexere videmus, rectum ſtarent. Hinc fortaſſis ab antiquiſſima texendi ratione *ſtamen* a *ſtando* dicitur. Ideo textores ejuſmodi telas non poſſunt ſedendo texere, ſed ſtando. Hinc *Feſtus* & *Iſidorus* locis modo allegatis: *Regilla & veſtis recta a ſtantibus texuntur.* Servius ad hunc verſum *Æn. lib.* VII.

Arguto tenues percurrens pectine telas.

Aut

Aut manu, ait, *percurrens tactu pectinis, ut videmus: aut quia apud majores ſtantes texebant, ut hodie linteones videmus. Eſt autem Homeri qui ait*: ἱςὸν ἐποιχομένην. Et ſane ad hunc locum Homeri, qui reperitur *Odyſſ. lib.* v. ἱςὸν ἐποιχομένην notant Grammatici ὄρθαι γὰρ ὕφαινον *Recta enim texunt.* Ab hoc genere texturæ tota tela ἱςὸς dicta eſt, quia ſtabat. Heſiodus Ergων. Πολυδαίδαλον ἱςὸν ὑφαίνειν. Et paulo poſt: τῇ δ' ἱςὸν ςήσατο γυνή. Hinc apud Heſychium ὀρθὸν ὕφος. & apud Artemidorum: ἱςὸν ὄρθιον leges. *lib.* III. *cap.* XXXVI. Hæc veſtimenta Latinis *Recta* dicebantur: Græcis ὀρθοςάδια. Heſychius: ὀρθοςάδιοι χιτῶνες, οἱ ςατοὶ, ὑπόκομμα οὐκ ἔχοντες. *Tunicæ rectæ, quæ ſtant nec inciſuram*, aut ſuturam *habent.* Scilicet quia rectum ſtant in tela quum texuntur.

CCXL. Hæc ſtamina quæ rectum ſtabant, & ſurſum verſus texebantur, non jungebantur jugo textoris ab utraque parte, ſed plurimum ponderibus ſuſpendebantur. Seneca *Epiſtola* XC. *Ecce Poſidonius, ut mea fert opinio, unus ex iis qui plurimum Philoſophiæ contulerunt, dum vult deſcribere primum, quemadmodum alia torquentur fila, alia ex molli ſolutoque ducantur: deinde quemadmodum tela ſuſpenſis ponderibus rectum ſtamen extendant.* Pollux *lib.* VII. *cap.* X. Ἀγνύθες γὰρ καὶ λεῖαι, οἱ λίθοι ἐξηρτημένοι τῶν ςημόνων κατὰ τὴν ἀρχαίαν ὑφαντικήν. *Agnythes & Lææ, lapides ſunt, qui ſecundum veterem texendi rationem a ſtamine dependebant.* Hæc pondera Græcis ἴτλαι dicebantur. Heſychius: ἴτλαι οἷς τείνουσι τὰς ὤας τῶν ὑφαινομένων. *Itlæ ſunt pondera quibus tendunt ora*, ſive quæ pendent ab extremitatibus *telæ.* Inſerebatur ſcilicet ſtaminibus lignum teres & oblongum medium, Græcis non raro ἱςὸς, ab extremitate ſtaminum, ut ea in ordine teneret, cui ligno appendebantur pondera ad extendendum ſtamen. Ideoque quamvis alias ſtare dicerentur ejuſmodi telæ, quia revera rectum ſtare videbantur, pendebant tamen magis quam ſtarent, idcirco *pendula tela* dici videtur ab Ovidio *Heroic.* I.

Laſſaret viduas pendula tela manus.

In ejuſmodi autem telis quæ rectum ſtabant & ſurſum verſus texebantur, non quidem pectine, ſed *ſpatha* feriebantur tramæ, ut in altum truderentur. *Spatha* erat inſtrumentum inſtar gladii, quoad formam, unde etiam Hiſpanis gladius *ſpada* dicitur. Cum enim ſtamen rectum ſtaret, facile fieri non poterat ut trama pectine ſurſum pelleretur; aliud igitur inſtrumentum adhibendum erat, ex-

cogitarunt itaque huic uſui *ſpatham*, ſive gladium quendam (ligneum proculdubio) qui una manu, dextra ſcilicet, facile immitti poterat medius intra ſtamina, ut eo feriretur ſubtemen. Seneca eodem loco, modo a nobis laudato, ubi mox addit: *quemadmodum ſubtemen inſertum quod duritiam utrinque comprimentis tramæ remolliat, ſpatha coire cogantur & jungi.* Pollux *lib.* VII. *cap.* X. σπάθη. ὅθεν καὶ τὸ σπαθᾶν, καὶ τὸ σπαθητὸς χλαῖνα παρὰ Σοφοκλεῖ. καὶ σπαθητοῖς ὑφάσμασι, καὶ σπαθίδα ἐκάλουν τὸ σπάθητον ἱμάτιον. Quæ non male a Rodolpho Gualthero in hunc modum vertuntur Latine: *Spatha inſtrumentum, cujus ictibus ſubtemen condenſatur, unde* Σπαθᾶν *(pro texere) & Tunica* (potius chlæna) *texta apud Sophoclem, & textis ſpatha telis; tum & ſpathida, vocarunt ſpatha contextam veſtem.* Heſychius σπαθητὸν τὸ ὀρθὸν ὕφος σπάθῃ κεκρουσμένον οὐ κτενί *Spathidum eſt textura recta, ſpatha condenſata non pectine.*

CCXLI. Hac ratione, ſtando ſcilicet ſurſum verſus, ſtamine extenſo ſuſpenſis ponderibus, & tramam ſpatha percutiendo texebantur tunicæ ἄῤῥαφοι, veſtimenta rotunda clauſa undique & manicata. Sed tum non unica tela tantum, aut unicum ſtamen detexebatur, ſed plurimum duo ſtamina jungebantur, ut uno eodemque radio, aut ſi mavis, uno eodemque tramæ filo ſimul duæ telæ, quaſi duæ plagulæ, contexerentur; unde neceſſario exſurgeret veſtimentum aliquod rotundum, quales ſunt tunicæ clauſæ, feminalia, tibialia & id genus alia. Nec alia excogitari poteſt ratio, qua ejuſmodi veſtimenta inconſutilia detexi poſſent. Hoc veteres dixerunt: *duos pannos in texendo jungi.* Chryſoſtomus *in Iohannem Homil.* LXXXV. ἐν Παλαιστίνῃ δύο ῥάκη συμβάλλοντες, οὕτως ὑφαίνουσι τὰ ἱμάτια. *In Palæſtina ſolent duos pannos committere, ſic enim texunt veſtimenta.* Theophylactus *in Iohannem* XVIII. ἐν Παλαιστίνῃ δύο ῥάκη συμβάλλοντες, ἤτοι δύο πανία ὑφαίνουσι τὰ ἱμάτια ἀντὶ ῥαφῆς χρώμενοι τῷ συνυφασμῷ. *In Palæſtina duos pannos jungunt, aut duas telas, quum veſtimenta texunt, utentes pro ſutura contextu.* Ita hunc locum reddendum puto. Silentio tamen præteriri non debet, quod dicat egregius hic auctor: hæc veſtimenta fieri συνυφασμῷ *contextu*, non autem ſimplici ὑφασμῷ *textu.* Nam etſi συνυφαίνειν ſæpiſſime idem ſignificet ac ὑφαίνειν, nihilominus ejuſmodi texturæ συνυφασμὸς magis convenit quam ſimplex ὑφασμός: cum non ſolum *texerentur* talia veſtimenta, ſed *contexerentur*, jungendo ſcil. per texturam duas telas, inſtar duarum plagularum, eodem

eodem radio aut ſubtemine. Erudiriſſimus *Caſaubonus* ingenue fatetur ad hæc loca: ſe capere non poſſe, *qui poſſit illa duorum pannorum commiſſura per texturam fieri*, ideoque dubitat utrum *alii id intelligant.* At ſi cogitaſſet: non duos quidem pannos jam detextos, alia textura jungi: ſed duo tantum ſtamina ita in una tela, aut jugo textoris inter texendum jungi, unoque radio & ſubtemine contexi, ita ut ex duobus ſtaminibus una tantum tela, aut potius unum veſtimentum fieret, clauſum & rotundum, (quemadmodum id poſtea a nobis clarius ad oculum demonſtrabitur) rem impoſſibilem non judicaſſet, ceſſaſſetque mirari ejuſmodi plagulas contextas. Theophanes Cerameus *Homil. in Paſſionem Domini* XXVII. Ἄῤῥαφος δὲ ἦν ἐκ τοῦ ἄνωθεν ἐπειδὴ τοῖς Γαλιλαίοις σύνηθες ἦν τοὺς χιτῶνας ποιεῖν δυσὶ φαρσίοις ἄνωθεν ὦμον συνεζευγμένας ῥαφῇ, τὸν δὲ χιτῶνα τοῦτον ἓν ὕφασμα δεῖ λαμβάνειν ἄῤῥαφον. *Inconſutilis autem ſuperne erat, quoniam mos Galilæis erat tunicas ex laciniis duabus conficere in humeris ſutura commiſſis. Hanc vero tunicam oportet intelligere unam texturam fuiſſe inconſutilem.* Idem fortaſſis intellexit Joſephus *Antiquit. lib.* III. *cap.* VIII. ubi de tunica *S*acerdotum, quam vocat ἔνδυμα διπλῆς σινδόνος βυσσίνης: quod Interpres vertit per *duplicatam telam*, & mea quidem ſententia non male; nihil enim intellexiſſe videtur per διπλῆν σινδόνα aliud quam *duos pannos*, aut δύο ῥάκη *duas telas commiſſas*, ut loquuntur Chryſoſtomus & Theophylactus. Et paulo poſt ubi de Pallio Pont. Max. ἔστι δ᾽ ὁ χιτὼν οὗτος οὐκ ἐκ δυοῖν περιτμημάτων ὥς τε ῥαπτὸς ἐπὶ τῶν ὤμων καὶ τῶν παρὰ πλευράν. φάρσος δ᾽ ἓν ἐπιμήκες ὑφασμένον. *Hæc tunica non conſtat ex duobus ſegmentis, ut ſuturas habeat in humeris ac lateribus: ſed unicum veſtimentum in longum contextum*, aut, ut non male habet Gelenius, *unica tela in longum contexta*; totum enim veſtimentum quaſi unica tela inter texendum abſolvitur.

CCXLII. Quum autem δύο ῥάκη ſive duæ telæ contexebantur ſimul eodem tempore, atque eodem radio, ut fieret veſtimentum rotundum, clauſum & ἄῤῥαφον, textores non ſolum ſtare debebant, ſed etiam ambulare, & quaſi continuo in gyrum percurrere ab una tela ad aliam. Radio enim, ſive trama per anteriorem telam tranſmiſſa, tramaque ſurſum verſus ſpatha detruſa & condenſata, textor ſtatim ad poſteriorem telam decurrere debebat. Quod Homerus *Odyſſ. Ε.* ἱστὸν ἐποιχομένη dicit.

Ἱςὸν ἐποιχομένη, χρυσείῃ κερκίδ' ὕφαινεν.

Telam percurrens aureo radio texebat.

Huc reſpexit Virgilius *Æn. lib.* VII.

Arguto conjunx percurrens pectine telas.


Hæc a Virgilio ex priori iſto loco Homeri deſumpta eſſe optime annotavit Servius. Idem videtur eſſe *circumtextum, quod Græce κύκλας dicitur. de quo Virgilius.*

Et circumtextum croceo velamen acantho.

Circumtextum autem dictum, quia eſt rotundum pallium. Ita ſane explicatur ab Iſidoro, *Orig. lib.* XIX. *cap.* XXIV. Sed an recte, docti viderint. Inſignis ſane locus huic rei probandæ reperitur apud Artemidorum *lib.* III. *c.* XXXVI. ἱςὸς ὄρθιος κίνησιν καὶ ἀποδεμίαν σημαίνει. χρὴ γὰρ περιπατεῖν τὴν ὑφαίνουσαν ὁ δὲ ἕτερος ἱςὸς κατοχῆς ἐςὶ σημαντικὸς, ἐπειδὴ καθεζόμεναι ὑφαίνουσιν αἱ γυναῖκες τὸ τοιοῦτον ἱςόν. *Recta tela, motum & peregrinationem ſignificat: Oportet enim textricem ambulando texere: Altera autem tela retentionem ſignificat, cum ejuſmodi telam mulieres ſedendo texant.*

CCXLIII. Hactenus ſatis clare me explicaſſe puto quid veteres intellexerint per *ſurſum verſus texere*, ἄνω ὑφαίνειν, ἀνακρέκειν, ἄνω τὴν κρόκην ὠθεῖν, ἄνωθεν ὑφαίνειν; quit ſit *ſtando texere*, ὀρθὸν ὑφαίνειν, ὀρθὸν ὕφος, ἱςὸς ὄρθιος, ὀρθοςάδιος, *tunica recta*; quomodo *ſtamen ponderibus ſuſpendi* ſoleret, quid fuerint ἀγνύθες, λεῖαι, & ἴτλαι; Quid σπάθη *ſpatha*, quid σπαθᾷν, σπαθητὸς, σπαθίδα, σπαθητὸν ἱμάτιον, σπάθῃ ὑφαίνειν, & σπάθῃ κρούειν; Quomodo *duo ſtamina, duæ telæ*, aut δύο ῥάκη *jungantur*, quid δύο ῥάκη συμβάλλειν *duos pannos committere*, quid χρῆσθαι τῷ συνυφασμῷ ἀντὶ ῥαφῆς? Tandem quid ſit ἱςὸν ἐποίχεσθαι, *telam percurrere*, & inter texendum *obambulare?* Atque ſic ſatis manifeſto patere puto, quomodo tunnicæ ἄῤῥαφοι inconſutiles, rotundæ, & undique clauſæ detexi potuerint abſque miraculo. Sed ut hæc cuivis meridiana luce clarius conſtarent, conſtrui curavi in hac civitate telam veterem, ſive jugum textoris, quo veteres uſos fuiſſe puto in hujuſmodi textura. Sane non parum negotii mihi fecit hæc ſtructura, cum non quilibet textorum in hac urbe mentem meam aſſequi potuerit, qui inſtrumenta conſtrueret, talemque tunicam ἄῤῥαφον detexeret. Nihilominus multum quærendo, & fabrum, & textorem reperi, qui & inſtrumenta textoris, ad veterem raram & jam deperditam artem iſtam, mihi conſtruerent, tunicamque ejuſmodi texerent.

Telam



B. Stoopendaal ſculp.

Telam itaque, ſive jugum textoris, cum omnibus ejus inſtrumentis, de quibus jam modo mentionem fecimus, & ipſam rationem texendi hæc tabula exhibebit.

Explicatio hujus Tabulæ, & quidem primæ Figuræ.

A A A A *Tela* ſive *jugum textoris* veterum. ἱςὸς ὄρθιος. *Tela recta.* Artemidorus *lib.* III. *cap.* XXXVI. Fortaſſis *Iugum* dictum ab Ovidio (*Tela jugo juncta eſt*) ob figuram, quæ non male jugum repræſentat. Quomodo autem jugum conſtrui ſoleret apud veteres, & quid fuerit *ſub jugum mittere*, ſatis clare docent Cicero *offic.* *l.* III. & Livius *lib.* III. ut & Auctores Rei Ruſticæ.

B. Tunica rotunda & clauſa, abſque ſutura, ideoque vere ἄῤῥαφος *inconſutilis.* qualis erat tunica Chriſti. Joh, cap. XIX.

Alias *Tunica recta.* Iſidorus *Orig. lib.* XIX. *cap.* XXII. ὀρθοςάδιος; & ςατὸς, & ὀρθὸν ὕφος. *Heſychius.*

Hæc tunica ſurſum verſus eſt texta: incipit enim textura a ſupremo filo C. C. atque ſic paulatim deſcendit ad D. Græcis ἄνω ὑφαίνειν, ἀνακρέκειν, ἄνω τὴν κρόκην ὠθεῖν. *Herod. lib.* II. Theophylactus *in Iohannem. Feſtus Chryſoſtomus in Iohann. Homil.* LXXXV. Iſidorus Peluſiota *Epiſt.* LXXIV. *lib.* I. Rotunda & clauſa eſt hæc tunica a B. uſque ad I. Inde autem χιςὸς uſque ad D. & E. quales eſſe ſolent hodie tunicæ interiores virorum.

C. C. filamenta quæ tramæ quidem partes, ſed ita protracta extra tunicæ corpus, ut deinde fieri poſſint ſtamen manicarum. Tunica enim ita detexta, a jugo textoris diſſecatur, & fila C. C. quoque diſſecta in extremitatibus C. C. poſtea invertuntur & eodem modo ad jugum extenduntur & detexuntur, quemadmodum B. D. atque ita fit tunica manicata.

D. E. Duo ſtamina, duæ telæ, Græce δύο ἔῤῥακη. D. eſt tela ſive ſtamen anterius, E. poſterius, quæ uno eodemque filo tramæ junguntur, & ſimul detexuntur. Græcis δύο ἔῤῥακη συμβάλλειν *duos pannos committere.* Chryſoſtomus *in Iohannem*, *Homil.* LXXXV. Theophanes Cerameus *Homil. in Paſſ. Domin.* XXVII. Joſephus *lib.* III. *c.* VIII. Sunt etiam *telæ pendulæ* Ovid. *Heroic. Ep.* I.

F. F. Ἀγνῦθες, λεῖα & ἴτλαι, ſive *pondera* quibus ſtamina in hoc genere texturæ ſuſpendi ſolebant. Seneca *Epiſt.* xc. Pollux *lib.* VII. x. Heſychius.

G. *Spatha*, σπάθη inſtrumentum cujus ictibus ſubtemen condenſari ſolebat. Seneca *Epiſt.* xc. Pollux *lib.* VII. cap. x. & Heſychius.

H. H. Mulier ἱςὸν ἐποιχομένη & περιπατοῦσα tunicam rotundam & clauſam detexens, dextra tenens ſpatham ad condenſandum ſubtemen, ſurſum verſus trudendo; ſiniſtra autem radium textoris. Porro *ſtando* texit non ſedendo. Iſidorus *Orig. lib.* XIX. *cap.* XXII. Servius *Æn. lib.* VII. Euſtathius *ad Homer. Odyſſ. lib.* V. Heſiod. *Ergon.* Heſychius. Artemidorus *lib.* III. *cap.* XXXVI.

Et *ambulando*, in orbem ſcilicet texit: radio enim ſive ſubtemine tranſmiſſo prius per telam aut ſtamina D. totum jugum circumire debet, ut eodem modo eundem radium atque ſubtemen tranſmittat per ſtamina E. quo fit ut telæ D. & E. jungantur *contextu* συνυφασμῷ, & hoc quidem eſt συνυφασμῷ χρῆσθαι ἀντὶ ῥαφῆς. Theophylactus *in Iohan.* Homerus *Odyſſ.* E. Virgil. *Æn. lib.* VII. Iſidor. *Orig. lib.* XIX. *cap.* XXIV. Artemidorus *lib.* III. *cap.* XXXVI.

Cætera quæ in hoc jugo conſpiciuntur eruditus lector ultro capiet, cum in hodiernis fere eadem reperiantur ad ſtructuram telæ.


Atque ſic veterem hanc texturam, ingenioſiſſimam ſane & rariſſimam artem, tot retro ſeculis deperditam, ex veterum tenebris in apricum protraximus, & bono publico, præſertim in literariæ Reipublicæ emolumentum, divulgavimus, minime inhiantes lucro, quod forſan inde corradi potuiſſet, ſi quorundam conſilium ſequi voluiſſemus, nec invidentes Artificibus, quibus hoc inventum fortaſſis aliquando erit fundus non inutilis. Hoc unicum a viris doctis pro hujus præclari inventi εὑρέτρῳ peto; ut in poſterum deſinant digladiari de tunica Chriſti ἀῤῥάφῳ: Deſinant ſuis diſputatiunculis, criticiſque eonjecturis dillacerare egregium illud veſtimentum, quod ne milites quidem Romani dillacerare auſi fuerunt. Deſinant nugas pro veritate divendere: Deſinant tandem imperite negare: *ulla arte fieri poſſe, ut tunica rotunda, manicata, & undique clauſa ſola textura, abſque ſutura, abſque acus opera & abſque fibulis, abſolveretur in tela*: ne nimis temere negando, optima ingenia

pag. 274.

Tunica ἄῤῥαφος

Detexta Novomagi. CIↃ.IↃCLXXVI.

K.



nia a veritate indaganda, & ab eximiis artibus excolendis abſterreant.

Secunda figura K. eſt ipſa tunica B. quam hoc jugo detexi curavimus rotundam, clauſam & manicatam.

CCXLIV. Hæc texendi ratio quanto rarior & ſubtilior, eo difficilior eſt; Ideo proculdubio in deſuetudinem abiit apud pleraſque nationes. Vix hodie ars iſta nota eſt per totum terrarum orbem, atque hanc ob cauſam a Viris doctis ignorata, unde etiam illis animus audax eo uſque, ut auſi fuerint pronuntiare, ejuſmodi veſtimenta rotunda, undique clauſa & manicata, abſque acus opera nulla ratione fieri poſſe. At ego non auſim adfirmare, artem iſtam plane deperditam fuiſſe: videtur ſiquidem ad hunc uſque diem in uſu eſſe, in Indiis Orientalibus, ut vel ex duabus iſtis tunicis ἀῤῥάφοις, quas ego vidi, & de quibus ſatis fuſe ſupra egimus, (qualem & ego poſſideo, quam ante paucos dies Amſtelodami nactus ſum, ſubtiliſſimi operis) patet. Sunt etiam qui adfirmant, ſe Indos Textores, qui ejuſmodi veſtimentis texendis & divendendis (non quidem magno pretio) vitam ſuſtentant, noviſſe, quamvis ſimul faterentur, ſe nec ipſa juga textorum nec textores unquam vidiſſe texentes. Difficiliorem autem hanc texendi artem eſſe, vel inde patet, quod multum temporis in veſtimentis texendis inſumpſerint Veteres. Cicero *in Verrem Actione* VI. meminit veſtis muliebris, in qua conficienda triennium conſumptum fuerit. *Inſula eſt Melita, ſatis lato ab Sicilia mari, periculoſoque disjuncta: in qua eſt eodem nomine oppidum, quo iſte nunquam acceſſit, quod tamen iſti textrinum per triennium ad muliebrem veſtem conficiendam fuit.* Sed hoc de unica veſte tantum intelligi vix auſim adfirmare, aut oportet valde fuiſſe pretioſam. Fuit enim Verres, ut in aliis rebus, ſic & in veſtibus, luxui nimium deditus. Idem Cicero eadem Actione: *Nulla domus in Sicilia locuples fuit: ubi iſte* (Verres) *non textrinam inſtituerit. Mulier eſt Segeſtana perdives, & nobilis, Lamia nomine, per triennium iſti plena domo telarum, ſtragulam veſtem confecit, nihil niſi conchylio tinctam.* Sic apud *Titinnium*, citante Nonnio: *Quæ inter decem annos nequiſti togam unam detexere.* In ſimpliciſſima, & minimi ſumptus veſte texenda, una mulier menſe videtur fuiſſe occupata. Quod ex Platone & Cicerone concludi poſſe videtur. Cum enim agant de rebus ſacris, & omnia quæ luxum referunt e fanis amovere conentur, inter cæ-

tera

tera ſtatuunt, veſtimentum ſacrum ſumptuoſius eſſe non debere, quam quod ab una muliere uno menſe detexi poſſit. Plato Νόμων ιβ. ὑφὴν δὲ μὴ πλέον ἔργου γυναικὸς μιᾶς ἔμμηνον. Quod Cicero ita reddidit *de Legib. lib.* II. *Textile nec operoſius, quam mulieris opus menſtruum.* Utrum autem de veſtimentis hoc intellexerint, an de alia ſuppellectile ſacra, non auſim affirmare. Saltem ſi de veſte, apparet etiam ſimpliciſſimum veſtimentum operoſius ſuiſſe quam ex noſtris pretioſiſſima: oportet enim magni pretii eſſe veſtimentum, in quo hodie mulier integrum menſem texendo inſumere cogatur: quot enim quæſo ulnas etiam ex ſubtiliſſimo lino non texeret una mulier ſpatio integri menſis. Deinde valde veriſimile eſt, id de veſtibus intelligi apud Platonem, cum plurimum textili veſtiti ſuerint Sacerdotes quod mox clarius patebit.

Pretioſa itaque & valde ingenioſa apud Veteres fuit hæc Ars texendi. Ideo πολυδαίδαλον ἱςὸν reperies apud Heſiodum *Ergων*, ubi ejuſmodi telam intelligi puto. Sane hæc noſtra texendi ars a Seneca Epiſt. xc. *Subtile genus* dicitur: *Textricum quoque artem a ſapientibus dixit inventam, oblitus poſtea repertum hoc ſubtilius genus in quo,*

Tela jugo juncto eſt, &c.

Hæc autem eum intelligere de texendi arte, de qua nobis jam ſermo eſt, ſatis conſtat ex precedentibus. Hinc eſt quod Nonnius veſtem Chriſti ἄῤῥαφον vocet χιτῶνα θέσκελον ἀμφιέποντα τύπον ξένον. *Tunicam Divinam formam habentem.* Texendi artem Chryſoſtomus *in* I. *Ep. ad Cor. Homil.* XXXIV. vocat ὑφάσματος σοφίαν. Et a Judæis dicitur מעשה אומן *opus artificioſum.*

CCXLV. Hac itaque arte veſtimenta Hebræor. ſacra texta fuiſſe minime dubito, cum fuerint מעשה אורג *opus textoris.* Fateor equidem noſtra veſtimenta quæ ordinaria texendi arte detexuntur, etiam dici poſſe מעשה אורג *opus textoris*; nam quicquid texitur textoris opus eſt. Sed Moſen hoc de textura intellexiſſe, hoc modo: ut veſtes integræ Sacerdotales in tela abſolverentur, minime dubito; cum, poſtquam ſatis clare præcepiſset de lana & lino ſive byſso ad conficiendas veſtes ſacras, addat eas oportere eſse מעשה אורג *opus textoris.* Satis fuiſset dixiſse, eas fieri debere ex *lana* & *byſſo*: cum ex byſso & lana, *purpura* ſcilicet, *coccino* & *conchylio* fieri non poſſint abſque textura. Sed manifeſtius infra patebit hæc noſtra ſententia, ubi de ſingulis veſtimentis, præſertim de מעיל ſermonem-

monem habebimus. Cæterum in hanc noſtram ſententiam adducemus teſtem, omni exceptione majorem, Joſephum *Antiq. lib.* III. *cap.* VIII. (quem locum ſupra jam adduximus) ubi de Pallio Pontificis Maximi: ἔςι δ' ὁ χιτὼν οὗτος οὐκ ἐκ δυοῖν περιτμημάτων, ὥς τε ῥαπτὸς ἐπὶ τῶν ὤμων εἶναι καὶ τῶν παρὰ πλευρὰν φάρος δ' ἐν ἐπιμήκες ὑφασμένον. *Hæc tunica non conſtat duabus plagulis, ut ſuturas habeat in humeris ac lateribus, eſt vero tela in longitudinem texta:* quæ omnino intelligi debent de veſte inconſutili. Eodem ſenſu illud מעשה אורג exponunt Hebræorum Magiſtri. Jarchius enim ad locum Exodi XXXVIII. verſu XXXII. habet מעשה אורג ולא במחט *Opus Textoris, non autem acu factum.* Sed imprimis audiendi ſunt Gemarici, Codice *Ioma cap.* VIII. בגדים שגורדין אותן כברייתן מכליהן ומשרדין מהן כלום מאי היא ריש לקיש אמ׳ אלו מעשה מחט מטיבי בגדי כהונה אין עושין מעשה מחט אלא מעשה אורג שנא׳ מעשה אורג אמר אביי לא נצרכה אלא לבית יד שלהם כדתניא בית יד של בגדי כהונה נארגת בפני עצמה ונדבקת עם הבגד ומגעת עד פיסת היד׃ *Veſtimenta quæ integra in tela texuntur, ita ut ſi tantillum ſit reſidui, quid eſt illud?* (reſiduum) *Reſch Lakiſch dicit eſſe opus acus. Sed objicitur: veſtes Sacerdotum non fiunt opere acus, ſed opere textoris: uti dicitur,* opus textoris. *Dixit Abai eo non opus eſſe, niſi de manica intelligatur, quemadmodum traditur: Manica veſtium Sacerdotum ſeorſum texitur, & veſti annectitur; pertingitque uſque ad volam manus* Ecce veſtimentum integrum texitur, aut in tela abſolvitur, exceptis tantum manicis, quæ ſeparatim texuntur, & aſſuuntur. Eadem fere de manicis repetit Maimonides *Hilch. Kele Hammikd. cap.* VIII. ubi de tunica lacuata. ובית יד שלה נארג בפני עצמו ומחברין אותו עם גוף הכתנות בתפירה *Et manica ejus* (tunicæ) *texitur ſeorſum, & corpori tunicæ adnectitur per acum.* Sed de manicis, utrum adſuantur, an ſimul cum tunica texantur, plura, libro ſecundo, ubi eo deventum fuerit.

CCXLVI. Ejuſmodi autem veſtimenta ἄῤῥαφα inconſutilia, ſola textura ſubtiliori iſta arte perfecta Ethnicorum Sacerdotes quoque geſtaſſe, non difficulter, mea quidem ſententia, probari poteſt. Textilia enim Diis grata & decora fuiſſe tradidit Plato *de Legibus lib.* XII. χρώματα δὲ λευκὰ πρέποντ' ἂν θεοῖς εἴη καὶ ἄλλοθι καὶ ἐν ὑφῇ. Quæ Cicero ita interpretatur *lib.* II. *de Legibus. Colores albi Diis decori ſunt, tum in cæteris tum in textili.* Et eodem loco: ὑφὴν δὲ

μὴ πλέον ἔργȣ γυναικὸς μιᾶς ἔμμηνον, id eſt, reddente iterum Cicerone, *Textile nec operoſius, quam mulieris opus menſtruum.* Pauſanias *Eliacor. poſteriori*, etiam tradit Sacerdotem Soſipolis habuiſſe: ἐπὶ τὴν κεφαλὴν ἢ τὸ πρόσωπον ἐφελκυσμένη ὕφος λευκόν. *In capite & facie velum textile album.* Ipſum Junonis peplum textile opus fuiſſe, idem docet Pauſanias eodem libro: Πεποίηται δὲ ταῖς γυναιξὶν ἐν τῇ ἀγορᾷ οἴκημα ταῖς ἑκκαίδεκα καλȣμέναις, ἔνθα τὸν πέπλον ὑφαίνȣσι τῇ Ἥρᾳ. *In ipſo enim foro, fœminis, quæ ſedecim vocantur, domus eſt, in qua Iunoni peplum texunt.* Itaque ſi non ſemper, ſaltem plurimum, textilia veſtimenta veterum habuere Sacerdotes. Sed an omnia ἄρραφα perinde ac noſtrorum Sacerdotum, diſquiſitioni doctiſſimorum relinquo, nos ſaltem aliquid lucis atuliſſe veſtimentis ſacris, non timemus adfirmare.

CCXLVII. Non poſſum quin pauca quædam de ingenioſiſſima texendi arte addam. Eodem anno quo hoc opus lucem viderat, Amſtelodami apud Mercatorem, qui lina Indica divendebat, duas vidi tunicas manicatas ſubtiliſſimi Xylini, egregia arte contextas ἀρράφȣς, illi, quam ſuperius ad paragraphum CCXLVI. exhibuimus, prima tabula, ſimillimas. Alteram a mercatore emi, eamque hactenus poſſideo, ac mille ſpectatoribus curioſis videre conceſſi. Anno præterito, nonageſimo ſcilicet quarto hujus ſeculi, aliam ex Indiis Orientalibus ejuſdem prorſus formæ atque materiæ, cum aliis Indorum rebus curioſis, dono ad me miſit Reverendus doctiſſimuſque Erneſtus De Witte, ante ſeptennium, meus, in hac Academia, diſcipulus diligentiſſimus, digniſſimus atque dilectiſſimus, jam Eccleſiæ Chriſti quæ inter Maccaſſerenſes colligitur paſtor diſſertiſſimus, ut nunc duas poſſideam indicas ſubtilis Xylini, ingenioſi ſane operis. Præter duas, quas hactenus poſſideo, & quatuor alias ἀρράφȣς vidi ejuſdem artis ex Indis allatas, illis quas poſſideo ſimillimas; Apud *Lambertum Gromæum*, pannorum apud Leydenſes infectorem primam: alteram Rotterodami apud Holſteinium Mercatorem: tertiam Delphis apud Vander Lely Societatis Indiæ in eadem civitate Graphiarium; quartam Amſtelodami, in poteſtate Mercatoris a quo unam emi. Sex itaque, ſi omnes enumerem, vidi manibuſque contrectavi. Hiſce ſimilem habere ſe, & ab eodem Reverendo De Witte dono accepiſse, aſseruit Rever. Terwoldt ante paucos annos etiam apud Indos paſtor. Ante annum, cum eſſem Amſtelodami, ejuſdem artis egregie textam in pago Slooter-

dijck

dijck dicto præſentibus reverendis viris Johanne Schmit, & Weſtereen Amſterdamenſis Eccleſiæ paſtoribus aliiſque, mihi viſendam aliam exhibuit Henricus van Vollenhoven, qui eam ex lino, magna arte detexerat, eodem, uti dicebat jugo, quo & quaſlibet telas texere ſolebat, puero ætatis ſeptem annorum veſtiendo aptam. Reliquæ autem quinque fere pedum fuerunt longitudine, adulto viro aptiſſimæ.

CCXLVIII. Præter haſce omnes, ante quindecim annos, hoc opere in lucem jam edito, aliam vidi Cliviæ; ante paucos annos detextam in Juliacenſi Ducatu. Hæc, quamvis ſubtilitate lini reliquis omnibus cedat, tamen arte omnes longe ſuperat. Non ſolum tota erat texta, abſque ulla ſutura: ſed & limbos in collo & ad carpum manus habuit, duplici lino, cum ſuis plicis attextos, ut etiam ſarcinatrix aut ſutrix, ſua acu, quanta valeat arte atque ingenio, elegantius nihil præſtare aut elegantiores limbos aſſuere potuiſſet. Sed & inferius ad pedes, ubi reliquæ, habent fimbrias ex ſtamine, aut ne fimbriæ conſpicerentur, & ne trama ſenſim excideret, habere ſolent aliquam ſuturam, quam mulierculæ Belgæ dicunt gepꝛofijlet / Gallæ *des Orlets*, hic nihil quod non textum ſit conſpicitur. Ut non adeo mirum ſit textores Juliacenſes arti magicæ omnia adſcripſiſſe, textoremque inſimulaſſe cum Diabolo habuiſſe commercium, ac ipſius arte, non opera hominis, tunicam contextam fuiſſe: ut tandem textor imperitorum hominum odio invida, & ſtulta accuſatione perteſus, patriam totamque texendi artem deſeruerit, & jam ab aliquot annis tabaci aliarumque rerum mercimonio ſeſe tradiderit, ut uxor ejus mihi narravit Nomen ingenioſiſſimi, immo & incomparabilis Textoris eſt *Gerhard Olffers*.

CCXLIX. Circa hanc materiam de textura veterum erudite obſervavit doctiſſimus *Iohannes Ciampinus Romanus*, in ſuo opere, *de Muſivis Sacrarum Profanarumque ædium Structuris*, *Parte* I. *cap.* XIII. *fol.* 103. 104. & 105. hujus texendi forma pulcherrimum exemplum eſſe in venerando antiquitatis Codice Virgiliano, mille & quadringentorum circiter annorum, qui in vaticana Bibliotheca aſservatur, ubi viſitur fœmina ſtans in perpendiculari jugo textoris telam conficiens. Hoc jugum, ob rei antiquitatem, & ut curioſi lectoris deſiderio ſatis fiat, hac Tabula, prout & in ejus Opere juxta jugum quod ego in hoc meo opere propoſui, quod & ſuo operi addere dignatus eſt, conſpicitur, exhibere vo-

lui,

lui. Addit vir doctus, & Romæ hodie morari duos textores, quos & ſuo nomine notat, qui non ſolum tunicas, ſine ſutura, ſola textura abſolverint, ſed & ſoccos, ſive calceos lineos immo mappam cum ſuis floccis ad nares detergendas: ac parvulam caſulam, vulgo planetam abſque ulla ucus ope, detexiſse. Gratum forte erit benevolo & curioſo lectori, ut quæ vir doctus de hiſce habet, ipſe legat, quare non piguit ea hic verbotenus apponere. Ita habet.

Johannes Ciampini Romani

Muſiva opera Sacrarum profanarumque ædium Structura.

Pars Prima. cap. XIII. fol. 103. 104. 105.

,, Hanc autem quæſtionem quod Antiqui Romani habuerint tex-
,, tas Veſtes non acu conſutas, jam movit Caſaubonus ad Ælium
,, Spart. in Caracalla, ubi ait: *Pleraſque omnes Veterum Veſtes tex-*
,, *tura ſolum confici ſolitas, ſine opere textoris ulla, &, ut loquuntur*
,, *Evangeliſtæ*: ὑφαντὸς δἰ ὅλȣ. Idem confirmat in exercitat. ad Ba-
,, ron. 16. n. 117. *Hodie* (inquiens) *rariſſime Veſtis aliqua confi-*
,, *citur ſine Sarcinatoris opere, olim Vero parandarum Veſtium alia*
,, *fuit ratio ... quam nova confectorem.* Fuſe ſuper hoc dubio diſ-
,, ſeruit Braunius *De.Veſtitu Sacerdot. Heb. lib.* 1. *cap.* 16. *num.* 10,
,, *& ſeqq.* quem adeundum curioſo Lectori relinquam.

,, Hic idem auctor, occaſione motæ quæſtionis, luculentiſſime
,, diſſeruit de modo texendi Veſtes in dicto cap. 16. Num. 19. ex
,, quo nonnulla delibavimus. Duo igitur apud Veteres texendi
,, genera fuere, unum ſedendo, ac deorſum, id eſt tramam ad in-
,, feriorem partem ſpata (a ſimilitudine gladii ſic dicta) loco pecti-
,, nis nunc uſitati, trudendo, unamque ſimplicem telam tantum-
,, modo abſolvebant, ut Videre eſt in Lib. XXXV. Fig. 2. Alterum
,, vero, quod apud nos in deſuetudinem abiit, antiquis tamen
,, uſitatiſſimum, erat hoc: illi qui texebant, ſtabant, telam per-
,, ducebant ab uno latere ad aliud, tramam ſurſum, ab inferiori-
,, bus ad ſuperiora ducendo. Hujus texendi forma pulcerrimum ex-
,, emplum eſt in Venerando antiquitatis Codice Virgiliano, mil-

,, le,

„ le, & quadringentorum circiter annorum, qui in Vaticana Bi-
„ bliotheca aſſervatur, ubi Viſitur femina ſtans in perpendiculari
„ jugo textorio telam conficiens. Figuram ex eodem Codice de-
„ promptam gratum lectori facturus, & confirmaturus ea, quæ
„ Braunius in dicto capite affert, exhibeo in eadem Tabl. xxxv.
„ Fig. I.

„ Nititur idem erudite demonſtrare antiquam Vetuſtamque ar-
„ tem texendi Veſtes præfatas in India coli adhuc; ac tunicam ex
„ byſſo, ſive Xylino ſubtiliſſimo ex Indiis ad Hollandos egregie
„ manicatam, ac undique clauſam ſine ſutura, ſine ulla acus veſtigio
„ delatam fuiſſe, quo exemplo motus Veterem hanc texturam
„ ingenioſiſſimam ſane, ac rariſſimam, tot jam retro ſeculis
„ deperditam, ex Veterum tenebris in apricum protraxiſſe, &
„ bono publico, præſertim in literariæ Reipublicæ monimentum
„ Vulgaſſe; Prout in ſequenti jugi textoris emblemate in eadem
„ tabula Fig. 2. apparet, cujus declarationem apud ipſum Brau-
„ nium Videre poteris.

„ Dum hæc ſcriberem ad aures meas pervenit, hac in Urbe ar-
„ tificem degere, qui ſimilia texeret. Diu ergo quæſitum inve-
„ ni, quem non ſolum mihi indicavit, Verum etiam domum
„ meam duxit eruditiſſimus Joannes Paſtricius Collegii Urbani *de*
„ *Proparaganda Fide* Contraverſiarum Lector, Græcæ Orienta-
„ liumque Linguarum ſupra fidem peritus, ac digniſſimus a ſecretis,
„ ſive Director, Collationis Eccleſiaſticæ hiſtoriæ a me inſtitutæ,
„ quæ in eodem Collegio quindeno quoque die fer. 2. habetur:
„ dixi, a me inſtitutæ, quoniam aliqui palmam mihi arripere ten-
„ tarunt, aliis tribuendo. Textorem igitur interrogavi, an tuni-
„ cam, Vulgo induſium ulla ſine ſutura ſciret intexere? Reſpondit
„ protinus; ſe talia elaborandi modum jam a triginta quatuor an-
„ nis excogitaſſe, ſuadente, ac premente nobili quodam Viro
„ Principis Thomaſii Contubernali, Addiditque: *Quatuor jam ab*
„ *illo ſcuta acceperam, ut opificio manus imponerem; ſedulamque*
„ *navabam operam, quum in manicis hæſi, veluti in ſicco, & inchoata*
„ *perficere plane jam deſperabam, Hinc maxime cogitabundus, ac*
„ *de pecunia reſtituenda ſolicitus, quam in familiæ ſuſtentationem*
„ *impenderam, quadam nocte texere, ſomniavi, obicemque difficulta-*
„ *tis evincere. Proſilivi ſtatim, & quod in ſomniis conceperam,*
„ *Vigil attentans, Voti compos effectus fui. Quatuor inde induſia*

,,*feci, quorum alterum in Hiſpaniam, duo in Sardiniam delata fue-*
,,*re. Quartum ſanc. mem. Clementi Papæ X. dono dedi, & in-*
,,*ſtante poſtmodum Eminentiſſ. Purpurato, ſoccos, ſeu calceolos li-*
,,*neos etiam texendi modum inveni.* Hæc ille. Quibus in fidem aſ-
,,ſtrueret, nondum abſolutum induſium oſtendit: Utque novum hoc
,,Artis inventum, ſeu Veteris reſtitutio magis, magiſque pateſce-
,,ret, publicæ illud Academiæ Phyſico-Mathematicæ, quæ do-
,,mi meæ pluribus ab hinc annis habetur, fideliter ſpectandum
,,propoſui, totque ſui teſtes, ac præcones habuit, quot ea die A-
,,cademiæ intervenerant.

,,Artificis nomen enim Franciſcus Maria Granchi, Natione Flo-
,,rentinus, novem jam ſupra quinquaginta annis in Urbe mo-
,,ratus, quo vix exacto novennio puer acceſſit: & quam ab eo
,,curioſus adhuc exquirens, qualis textoris jugi ad hæc opera for-
,,ma eſſet? ipſammet eſſe accepi, quæ ad pannum cujuſque gene-
,,ris adhibetur.

,,Poſt aliquot menſes fama per Urbem vulgaverat, inconſutile
,,induſium in præfata Academia oſtenſum fuiſſe. Unde quidam alius
,,ingenioſus artifex Franciſcus Guinot nomine, Natione vero
,,Burgundus, recurrit ad Dominum Abbatem Joſephum Pon-
,,thiam ejuſdem Academiæ a ſecretis, ut proprii ingenii in eadem
,,Academia pompam faceret in texendi non ſolum induſium,
,,verum & mattam cum ſuis floccis ad nares detergendas: Ac par-
,,vulam caſulam, vulgo Planetam abſque ulla ope, ſed ſola, &
,,ſimplici textura in ſolito jugo textorio propria ſcitaque Minerva
,,elaboratam protulit. Quare ex iterato molimine horum artificum;
,,quod bene, immo ultra ſpem cecidit, patet, quam ſit facile hu-
,,juſmodi tunicas inconſutiles texere. Si ergo apud antiquos mos
,,iſte vigeat in tunicis, quanto magis viguiſſe exiſtimandum eſt
,,in Palliis conficiendis, quæ non rotunda ut hodie, ſed quadrata
,,oblonga fuiſſe judico, & ab ea forma, nomen Palliorum qua-
,,dratorum ſumpſiſſe.

,,Singula tamen per ſe diſtincte texta fuiſſe arbitror, ut nunc
,,videmus Lectorum culcitas, quarum ſingulæ diviſione aliis te-
,,xuntur, habentque in altero ex angulis unam, vel duas literas
,,aut alium characterem, quo nomen artificis indicent, vel offi-
,,cinæ inſigne eſt. His ergo rationibus vel conjecturis allatis ab-
,,unde oſtenſum credo, literas, & alia ſigna laciniis Veſtium A-
,,po-


α
β
γ
δ

„, poſtorum, aliorumque Sanctorum, appoſita nil aliud omnino; niſi „, nomen Artificum indicare, ſeu notum inſigne eſſe, in eorundem „, officinis publico aſpectui apponi ſolitum.

En ipſum Jugum, de quo apud Doctiſſimum Ciampinum ex Codice Virgiliano, litera α. β. γ. δ.

Atque hæc de ipſa *Textura* ſufficient, nunc ad ornamenta.

Caput XVII.

DE שׁשׁ משזר SCHESCH MOSCHZAR VARIIS LICIIS IN SACRO VESTITU. תשבץ TASCHBETZ, FUNDIS ET TESSELLIS. מעשה חשב OPERE ARTIFICIOSISSIMO. ET מעשה רקם OPERE PHRYGIONICO.

Quæ faciunt ad ornatum veſtium ſacrarum ſunt תשבץ׳ חשב׳ רקם ושש משזר *Variæ interpretationes* ἔ תשבץ *Quid Græcorum* κοσυμβωτὸν *&* κόσυμβοι. *Epiſtola* I *Petri cap.* V. *allegata.* Tunica ſtricta. κροσσωτόν. *Error Diodati, qui habet* contrepointé. *fons erroris. Ioſephus male intellectus. Explicatus.* Vetement broché *Pſeaume* XLV. XIV. *Vulgatus, Galli & Lutherus a Græcis decepti.* תשבץ *non eſſe fimbrias. Eſt genus ornamenti. Certæ ſcil. figuræ. Belg.* **een Rock met oogkens**. Oculi *in veſtibus quid? Orbiculi* ὀπωπαὶ, **Popjes / Ganſen oogen**. תשבץ *non fit arte plumaria. Error Salmaſii. Teſſellatum.* τεσσάριον, *teſſellæ*, κύβος. *pavimenta teſſellata.* **Italiaenſche-vloer**. *Veſtes Conſtantinopolitanorum Imperatorum teſſellatæ. Tabula Iudæ Leonis & Leuſdenii de veſtitu. Scutulata veſtis. ſcutula.* pomelé, ὀπωρινόν. *Turnebus de Scutula.* rhombi, *Emplaſtrum oblongum ſcutula. virgæ. phalangæ.* σκυτάλη. *Retis maculæ.* ῥαβδοειδὲς σχῆμα. *Gallorum* ſagi. *Gallia inventrix ſcutulatæ veſtis.* πλινθίον *Sententia Rabinorum de* תשבץ. Laculata *veſtis.* Lacunar, πλινθίον. *Differentia inter Teſſellatam & laculatam veſtem. Teſſellata veſtis unita, & æqualis, abſque profunditate.* Lacuata *profundas habet foſſas, inſtar fundi annulli,* שבץ *quid? Verſio Gallica Pſalmo*

xlv. xiv. *laudata.* σφαγῖδες. *Iarchii* קשטינש. *An* כשורש chaſſures? Ciſta. ein kiſte. חשבץ *Iudæis* geƙaſtelt, חשבץ *ſimile ſtomacho animalium ruminantium*, *Medicis* reticulum. *Tabula exhibens figuras* חשבץ. *Locus* ii. *Sam.* i. ix. *explicatus. Tunica Schaulis* שבץ. רתיתא tremor. σκότ⊙, vertigo. *Veſtes* חשבץ *duræ. Belgarum interpretatio laudata.* **Een maille kolder.** *Diodati* une cotte de maille. *Lorica linea apud Veteres.* חשב *variæ interpretationes. Opus artificioſiſſimum.* Ingenieur, *quo ſenſu?* ποικιλτὸν, ποικίλον, ποικιλτοῦς *&c.* Variatum, variare, variator. *veſtes* coloreæ, pictæ. polymitum. πολύμιτον. Babylonicum. Plumarium, φιλοβάφ⊙. πλυμία. πλυμιςὰ, & ἐξεμπλωτά. Plumarium *a plumis avium. Ex freto Davis Fleſſingam advecta ejuſmodi plumata ex plumis.* רקם *variæ interpretationes.* ποικίλον *iterum & veſtis* picta. חשב *ſola textura pingitur.* רקם acu pictum. *Babylonica pictura. Polymita Alexandria.* De variantibus liciis *texere.* Ouvrage de tapiſſerie. **Tapijt-werck.** *Opera* Phrygionica. βελονοποικιλία, βελονοποικιλτής. Ouvrage de broderie, **geborduyrt.** חשב *majori fit artificio quam* רקם. *Figuram ab uno latere tantum repreſentat* רקם *Iarchii* פייטשא *tentatum. An* פייטשא ein peüſche. *Iudæis* cingulum. *Figura cherubinorum.* חשב *ab utraque latere pictum. Quo ſenſu* רקם *ab uno latere tantum. Quales figuræ in veſtimentis veterum.* Litteræ *in veſtibus.* Sigilla, Nomina, flores. *floridæ veſtes Palma veſtibus intexta. toga triumphalis* palmata. *In veſtibus* ſtellæ, *animalia. Belluata*, ζωγραφετόν. Alexander Magnus *veſtibus intextus*, & D. Conſtantinus. *De picturis elegantiſſimis in veſtibus Ovid. Metamorphoſ. l.* vi. *Pictura quales in veſtitu ſacro? In velo tabernaculi Cherubini. Sententia Ioſephi. In Balteo flores. Ioſephus & Iſidorus allegati.* כתונת פסים *Ioſephi & Thamaris. Græcis* ποικίλον. *Variæ interpretationes. Arabs* ثوب ذو كمين. نيغاج *Ionathanis*, *Bereſchit Rabba & Targum Ieruſalemitano* פרנודא paragauda. *Baal Turim & Bereſchit Rabba nugæ.* פסים *Aquila* καρπωτός. *Aquila contra Procopium defenditur* Talaris, manicata. פס planta *pedis*, & carpus, *aut* vola manus. *Rabinorum mens.* פס & פִּסָּה fruſtum, *Gallice* une piece. Paragauda. πεζοφόρ⊙. πέζαι, παραπέζια. Limbi. Inſtitæ. πέζα **Paſſements** / *ab Hebræo* פס. *Inde* **Paſſementen kanten** / dentel.

dentelles, Lijſten. Broder a Borduren, a bord, & boort, *ora*, פסים *in numero plurali*, *a multis loris*. Monolores. dilores. trilores, pentelores. une robe a une dentelle, ou paſſement, *a deux a trois* paſſemens. *&c. Sacerdotum veſtimenta apud Ethnicos colorea, polymita* & ποικίλα. שש משור & משור. *variæ interpretationes*. משור *abſque* שש *ſemel tantum Exodi* XXXXI. XXIV. *Obſervatio Maſoræ*. שזר torquere. משזר retortum. πολύμιτα *ob varia licia*. ἑξάμιτον, dimitum, trimitum, bilices, trilices. *Germ.* zwilch / trilch. *Belg.* geſteepert. pellen. *Gall.* ſervietes. πολύμιτον de variantibus liciis textum, *& ex pluribus filis in unum tortis*. *Hippii tunica Neoptolemi lorica. Xylina* IV. *filorum &c. ex India*. Ferandin, bout-de ſoye. Camelot de Hollande. de ſix fils. Ses draet. *&c.* שש ἓξ ſex, ſes. שש βύσσος. שש משזר Byſſus retorta, κεκλωσμένη. fin lin retors. gezwirnt: שש משזר ἑξάμιτον. *Sententia Rabinorum & aliorum. Sola byſſus* שש *retorta. An etiam lana? Fimbriæ in pallio P. M. an habuerint byſſum, cum lana & auro?* Stamina *linea apud veteres*. Trama *ex lana, ſerico, auro &c.* Subſerica. Aurum *in ſtamine nullum. Virgilius. Conjectura de veſtibus ſacerd. utrum ſtamina linea, an ex lana?* Baltei *ſtamen ex ſola byſſo. Sententia Ioſephi Quid de cæteris veſtibus? Sententia Talmudis & aliorum Rabinorum, de* numero filorum *in qualibet veſte*. Plagæ *quarum ſtamina* CL. *filorum*. Amaſis *thorax* CCCXXV. *filorum. Locus Exodi* XXXIX. III. *explicatus. Hæc veſtimenta dura ſunt*, קשים. Textores *& artifices in re veſtiaria*. Sapientes corde. רוח חכם. Repleti ſpiritu ſapientiæ. *Mulieres nentes*. Bezelel & Oholiabus. *Præfecti veſtium*. פנחס המלבוש *in Talmude*. conclave veſtiarii *in templo. Apud Antiquos fœminæ texebant. Etiam viri. Lex de Gynæciariis*.

CCL. Cum veſtimenta ſacra pretioſiſſima eſſe debuerint & rari operis, nullum in iis negligi debuit ornamentum. Multa itaque memorantur, quæ faciunt ad eorum ornatum & firmitatem: qualia ſunt שש׳ משזר׳ חשב, תשבץ & רקם, de quibus etiam aliquid dicere operæ pretium erit. Et primum quidem ocurrit τὸ תשבץ. Imprimis de *tunica* dicitur, jubet enim Deus fieri כתונת תשבץ verſu IV. cap. XXVIII. Exodi. Et verſu XXXIX. ושבצת הכתנת שש. Hanc vocem varie exponunt Seniores. Verſu IV. כתנת תשבץ reddunt

dunt χιτῶνα κοσυμβωτὸν, & verſu xxxix. pro שבצת כתנת שש habent καὶ οἱ κόσυμβοι τῶν χιτώνων ἐκ βύσσω. Lutherus : Ein engen rock. Vulgatus : *Tunicam ſtrictam* , Galli : *La chemiſe qui tienne ſerree* ; & verſu xxxix. *La chemiſe ioignante au corps.* Diodati *La Tunique contrepointee.* Junius & Tremellius *Teſſalatam* habent. Chaldæus מרמצא.

CCLI. Ex his interpretationibus vix ullus verum & genuinum ſenſum eliciet. Quid enim Græcorum κοσυμβωτὸν & κόσυμβοι ? An *tunica nodoſa*, aut *nodis ſtricta ?* Sane eo ſenſu à quibuſdam exponi videtur : eſt enim κόσυμβος ſive κόασυμβος Heſychio ἐγκόμβωμα, καὶ περίζωμα Αἰγύπτιον. Suidæ eſt ἀνάδεσμος. Apud Apoſtolum Petrum Epiſtola I. cap. v. ſignificat *ornare* , aut etiam *cingere*, veluti quum dicit τὴν ταπεινοφροσύνην ἐγκομβώσασθε. *Humilitate ornati* aut *cincti eſtote.* Fortaſſis Græci exiſtimarunt tunicam iſtam κοσυμβωτὸν *ſtrictam* fuiſſe , quia balteo ſtringebatur. Et hæc interpretatio vulgatum , Lutherum & Gallos in errorem duxiſſe videtur. Sed ne ipſi quidem Græci ſibi conſtant : non enim ſemper תשבץ illis eſt κοσομβωτὸν, ſed & κροσσωτὸν *fimbriatum* , Pſalmo xxv. xiv. Ideo & Suidas κόσυμβον exponit χιτῶνα κροσσωτὸν , *Tunicam fimbriatam.* Diodatum de hujus vocis ſignificatione non ſatis fuiſſe edoctum, manifeſto conſtat. Quid enim ſibi vult per ſuum *contrepointee*, & per *ouvrage contrepointé* ? Mirabilem ſane dat explicationem hujus vocis in ſuis notis ; eſſe ſcilicet veſtimentum interius corpori adhærens : *compoſé de deux pieces de fin lin contrepointés.* id eſt , *factum ex duabus telis lineis acu ornatis.* Sed vehementer errat, cum in ejuſmodi tunicis acu picti nihil conſpiceretur. Sed non mirum eſt, optimum virum male expoſuiſſe τὸ תשבץ, cum ad opinionem ſuam probandam adducat Joſephum , qui ne γρῦ quidem habet de ejuſmodi opere *contrepointé.* Subolfacio tamen quid illi anſam erroris dederit. *Antiquitatum lib.* III. *cap.* VIII. Joſephus dicit ; tunicam Sacerdotum fuiſſe ἔνδυμα διπλῆς σινδόνος βυσσίνης. Hinc Diodatus expiſcatus eſt proculdubio ſuum *deux pieces de fin lin* , & quidem non male: Sed ſuum *contrepointé* peſſime addidit. Reſpexiſſe enim videtur Joſephus ad genus texturæ, ut ſcil. *duæ telæ* δύο ῥάκη contextæ fuerint , de quibus nos ſatis fuſe capite præcedenti, paragrapho CCXLI. Quam dubio animo hanc vocem verterit Doctiſſimus Diodati, vel inde patet, quod eam non ubique eodem modo intellexerit : nam cum hic habeat *contrepointé.* Pſalmo XLV. XIV. vertit *veſtement broché.* Quid ſibi velit per illud

lud *brocher*, fateor me ignorare. Scio equidem Gallis *brocher* idem eſſe ac *lacer*, id eſt binis prælongis acubus reticulatim unico & continuo filo integrum aliquod veſtimentum conficere, quemadmodum fieri ſolent hodie noſtra tibialia, & veſtimenta alia nocturna. Sed ſi hæc fuit mens doctiſſimi viri, turpiter ſibi imponi paſſus eſt, cum ars iſta, ut ut hodie vulgatiſſima, plane ignoraretur apud veteres, quemadmodum id clarius demonſtravimus capite præcedenti.

CCLII. Nec felicius Vulgatus, Galli & Lutherus *tunicam ſtrictam* reddunt, fortaſſis decepti à Græcorum κονσυμβωτῷ quod ἀνάδεσμον aut etiam περίζωμα Αἰγύπτιον exponunt alii. At male, cum hic quæſtio non ſit de cingulis, nec de nodis, nec de ulla ſtrictura, ſed de certo genere ornamenti in veſtibus, quod vel ex ſolo Pſalmo XXV. verſ. XIV. patet, ubi veſtimentum Sponſæ Chriſti dicitur משבצות זהב. Quod non poteſt reddi: *auro ſtrictum*, ſed *auro ornatum*, certis quibuſdam figuris ex auro intextis. Sane ipſi Seniores in Pſalmo id de nodis aut ſtrictura minime intelligunt, ſed de certo aliquo genere ornamenti, ideo vocem κοσυμβωτὸν ibi non uſurparunt, ſed τὸ κροσσωτὸν, aureis *fimbriis ornata*. Nequaquam tamen intelligendæ ſunt fimbriæ, ſaltem ubi de veſtibus Sacerdotum quæſtio eſt: Nullum enim ornamentum habuere in fimbriis, præter P. M. pallium. Deinde Hebræis fimbriæ ſunt ציצית non autem תשבץ & משבצות. Vix aliam vocem apud Hebræos reperies ad ſignificandas fimbrias, niſi forte idem intelligant Rabini per Græcorum כרוספדין & Chaldæi אמרא.

CCLIII. Eſt itaque תשבץ *Taſchbetz* genus aliquod ornamenti: certæ ſcilicet, ſunt quædam figuræ, quæ veſti intexuntur, ſive id fiat auro, ſive alia materia. Sed quales figuræ fuerint quæritur? *Oculos* fuiſſe Belgæ crediderunt. Hinc כתנת תשבץ illis eſt **een Rock met ooghkens** / ſive *ocellata*. Magnus Salmaſius *ad Vopiſcum in vita Carini*, eodem ſenſu exponit hanc vocem תשבץ *Hebræi*, inquit, *quoque maculas in veſtibus rotundas acu plumarii intextas, ocellos vocitare conſueverunt. hinc verbum שבץ, veſtem oculare, & opere plumario oculos veſtibus intexere, &* תשבץ *quod oculatum eſt, & oculis intextum.* Ejuſmodi veſtes ocellatas in uſu fuiſſe apud Veteres facile demonſtrari poteſt. Tertullianus *libr. de Pudicitia*, (quem locum etiam allegat Salmaſius) *Sed enim pleroſque interpretes parabolarum etiam exitus decipit, quem in veſtibus*

bus purpura oculandis ſæpiſſime evenire eſt. Per oculos in veſtibus veteres intellexiſſe certos aliquos orbiculos, aut figuras rotundas inſtar oculi, aut inſtar clavi capitis, plurimis ibidem probat Salmaſius, ut *ocellatæ veſtes* nihil aliud fuerint quam veſtes rotundis quibuſdam maculis aut figuris diſtinctæ. Hinc & Pantherarum maculæ *oculi*, *orbiculi* & *oculati circuli* dicuntur Plinio & Solino. Græcis ὀπωπαὶ, uti videre eſt apud Opianum, *lib.* III. *Cyneg.* Eſt hodie certum aliquod genus lini notum apud Belgas, ex quo fiunt mappæ, mantilia & veſtimenta quædam interiora & nocturna, quod Belgice vocamus **noppjes** aut etiam **ganſen oogen** / *oculos anſerinos*. Sed tale fuiſse תשבץ non auſim adfirmare, immo nego. Deinde figuras iſtas in Sacerdotum tunicis fuiſse rotundas inſtar oculi, tam facile demonſtrari non poteſt. Sed craſsum admodum errorem erravit Salmaſius, cum dixerit שבץ *Hebræis eſſe maculas rotundas acu plumarii intextas*, ſi id intelligat de tunicis Sacerdotum, quæ textæ fuerunt ex lino tantum, nulla adhibita acu, nulla purpura aut arte plumaria. Id fortaſse dici poſſit de ornatu ſponſæ Chriſti Pſalmo XLV. cujus veſtimenta erant משבצות זהב *auro ornata* aut *ocellata*.

CCIV. *Cæterum* Hebræorum תשבץ figuras habuiſſe plane rotundas inſtar oculorum, nulla auctoritate probari puto. Angulos autem varios habuiſſe nullus dubito. Propius itaque accedunt Junius & Tremellius qui habent *Tunicam Teſſellatam.* Voces iſtas *Teſſellam* & *teſſeram* Græcas eſſe & quamlibet figuram quadratam ſignificare, vel ex τεσσάρα ſive τετάρα ſatis conſtat. Teſſellæ itaque in veſtibus ſignificant figuras quadratas intextas. Has Salaminii κύβους dixerunt. Heſychius οἱ Σαλαμίνιοι λέγουσι κύβον, τὸ τοῦ ἱματίου σημεῖον. Cubum quadratum eſſe ſciunt illi qui ſciunt quid ſit cubus. Iſidorus *Orig. lib.* XIX. *Teſſelæ ſunt e quibus domicilia ſternuntur, a teſſeris nominatæ, id eſt quadratis lapillis per diminutionem.* De ejuſmodi *teſſeris* ſive *teſſellis* in pavimentis multa & doctiſſima reperies apud Caſaubonum *ad Suetonium in vita Iulii Cæſaris cap.* XLVI. Quid pavimentum teſſellatum ſit, neminem puto in Belgio ignorare, cum vix ulla domus reperiatur, aut ruſticorum caſa, quæ ejuſmodi pavimenta non habeat ex terra figulina aut latere. Marmorea, multiplici figura & colore ornata non ſunt rara Amſtelodami; Belgis **Italiaenſche vloeren** / (a marmore ſcilicet ex Italia advecto) *pavimenta Italica.* Ejuſmodi autem figuras quadratas non

non raro fuiſse in veſtimentis veterum, præter auctores, manifeſto probari poteſt ex nummis Imperatorum, præſertim ex Conſtantinopolitanorum, *Iuſtiniani*, *Fil. Germani*, *Theodoſii*, *Leonis*, *Theophobi*, *Manuelis*. *Commeni*, *Manuelis Iunioris*, *Othonis W.* & aliorum. Tales quoque fuiſſe figuras in tunicis Sacerdotum multi tradiderunt, & inter Judæos Juda Leo, qui tabulas edidit *de veſtitu Sacerdotum*, & quem ſecutus eſt Leuſdenus, ſed male.

CCLV. Ejuſmodi veſtes a veteribus *ſcutulatas* vocatas fuiſſe nonnulli crediderunt. De *Scutulatis* veſtibus vide Plinium *lib.* VIII. *cap.* XLVIII. *Iſtriæ, ac Liburnicæ lanam pilo propiorem, quam lanæ, & ideo pexis veſtibus alienam, & quam ſola ars ſcutulata textu commendat in Luſatia.* Et paulo poſt: *Scutulis dividere Gallia inſtituit.* Et *libro* XI. *cap.* XXIV. *Scutulatum rete* habet. Juvenalis *Sat.* II.

—— *Scutulata & galbina raſa.*

Prudentius

—— *Scutulis perfundere corpus.*

De iiſdem vide *Cod. Theod. leg.* XI. de ſcenicis, *uti ſane hiſdem ſcutulatis, & variis coloris ſericis auroque ſine gemmis, collo brachiis, cingulo non vetamus.* Quales autem fuerint illæ figuræ ſcutulæ in veſtibus, inter Doctos diſcepatur. Sunt qui notas aut figuras rotundas eſse contendant. Inter hos agmen ducit Iſidorus *Orig. lib.* XII. *cap.* I. *Scutulatus vocatus propter orbes quos habet*, quod intelligit de equis, quos Galli *pomelés* pomelatos dicunt, a pomorum rotunda figura. Oppiano ὀπωρινὸν quaſi fructus autumnalis, qualia ſunt *poma* & ejuſmodi alia. Sic nulla eſset differentia inter ſcutulatam veſtem & ocellatam, de qua nos ſupra. Scutulas tamen in veſtibus non fuiſse figuras rotundas, ſed potius quadratas, optime docuit Turnebus *Adverſ. lib.* XXVII. *cap.* XXIV. Et revera *ſcutula eſt rhombus, quod latera paria habet, nec angulos rectos ſimiles ſcutulæ*, ut videre eſt ex *fragmentis Cenſorini.* Tales fuerunt veſtes Epheſiorum, quæ rhombos intextos habuere apud Athenæum *lib.* XII. παρὰ δὲ τῶν ἰώνων ἰοβαφῆ καὶ πορφυρᾶ, καὶ κρόκινα ῥόμβοις ὑφαντά. Eandem figuram ſcutulæ videtur adſcribere Vitruvius *lib.* VII. *cap.* I. *Nulli gradus in ſcutulis aut trigonis aut quadratis.* Et Palladius *lib.* I. *tit.* IX. *Vel teſtaceum accipiant pavimentum, vel marmora, vel teſſeras aut ſcutulas.* Ex hoc loco etiam videtur concludi poſ-

ſe, *ſcutulas* fuiſse *teſſellas*, & *ſcutulatas* veſtes, *Teſſellatas*. Saltem verum eſt, ſcutulas figuras eſse quadratas, ſive angulis rectis & lateribus paribus, ſive non rectis angulis, & lateribus paribus, ut rhombi, ſive etiam rectis angulis, ſed lateribus non paribus, ut paralellogramma. Ejuſmodi enim paralellogramma Plin. etiam ſcutulam appellat *lib.* XVII. *cap.* XVI. Vocat enim emplaſtrum quod eſt longum IV. & latum III. digitos, *ſcutulam.* Nec mirum, ſi *ſcutula* a ſcuto diceretur, cum ſcuta oblonga eſſe ſolerent. Salmaſius *ad Vopiſcum in vita Aureliani & Carini* contendit *ſcutulas* proprie eſſe *virgas*: ut *ſcutulatæ* veſtes eædem ſint, quæ *virgatæ*. σκυτάλη, inquit, *idem eſt quod* ῥαβδὸς; putat enim ſcutulatas veſtes dici, non a *ſcuto*, ſed a Græco σκυτάλη, quod *phalangas* & *virgas* ſignificat, quæ ſubjiciuntur navibus ad eas in mare deducendas & impellendas, de quibus Cæſar *de bello Civili lib.* III. Itaque ſecundum Salmaſium ſcutulata veſtis eſt, *quæ pluribus virgis hoc eſt viis tranſverſim decuſſatimque ductis erat diſtincta, unde multa in medio quadratæ notæ relinquebantur, quales in retibus, aut reticulatis operibus apparent.* Doctiſſimo tamen Rubenio *lib.* I. *de Re veſt. cap.* XXV. Salmaſii opinio non placet, eo quod non omnis veſtis virgata ſcutulata fuerit. Sed licet omnem veſtem virgatam non fuiſſe ſcutulatam, certum tamen eſt, ſcutulatam etiam virgatam dici, ob virgas quæ tranſverſim & decuſsatim veſtem percurrunt; ideoque retis maculas aut ſcutulas revera repræſentant: habent enim maculæ retium ῥαβδοειδὲς σχῆμα ſi extendatur, teſte Polluce, quo reſpexiſse mihi videtur Plinius *lib.* XI. *cap.* XXIV. ubi rete *ſcutulatum* dicit. Et Gallorum ſagos ῥαβδωτὰς vocat Diodorus Siculus, quod proculdubio intelligit de Gallorum veſte ſcutulata, *Gallia enim ſcutulis dividere inſtituit.* Teſte Plinio *lib.* VIII. *cap.* XLVIII. ſed addit Diodorus eos eſse πλινθίοις πολυανθέσι καὶ πυκνοῖς διειλημμένους, *crebribus laterculis variis floribus depictis diſtinctos*, quod non aliter eſt intelligendum, quam quod plura ſpatia fuerint inter ſingulas virgulas; quæ ſpatia πλινθία *laterculos* vocat, ob quadratam figuram inſtar teſſellæ. Utut ſit, in hoc conveniunt viri docti, ſcutulatam veſtem quadratas habuiſſe figuras, inſtar retis macularum, aut inſtar lancis & ſcutulæ, in qua ſententia eſt & ipſe Salmaſius; ut ab opinione Turnebi non recedat, niſi quoad Etymon vocis tantum: utrum ſcil. a Græcorum σκυτάλη, an vero a *Scuto*, an a *ſcutula*, aut a *lance* dicatur. Quicquid autem alii ſentiant de Ety-

Etymologia vocis *ſcutulæ*, ego valde ſuſpicor, eam deduci a *ſcuto* potius quam ab ulla alia. Saltem in illa opinione videtur fuiſſe Chaldæus, qui maculas pardi (qui *ſcutulati* dici poſſunt non minus quam Equi illi pomelati, ſcutulati dicti ab Iſidoro, uti ſupra monuimus) שלטי *ſcuta* vocat. Ezech. XXVII. XVI. שלט enim Hebræis & Chaldæis eſt ſcutum, unde proculdubio Germanis & Belgis ein ſchildt.

CCLVI. Tales fuiſſe figuras תשבץ in veſtibus Sacerdotum, ſcilicet inſtar plagæ retis, videntur crediſſe ii qui eas *teſſellatas* aut *ſcutulatas* dixerunt. Nec ab hac opinione plane alieni ſunt Hebræorum ſapientes. *Kimchius* ad verſum XVIII. capitis III. Eſaiæ, ad hæc verba: ביום ההוא יסיר אדני את תפארת העכסים והשביסים vocem שביסים eandem judicat cum voce תשבץ, putat enim ſcribendum eſſe ץ pro ס quaſi שביצים pro שביסים a radice שבץ. Nam ad vocem והשביסים hæc obſervat: כמו בצ״די מן ושבצת את הכתנת שש׳ והוא כלי עשוי כמלאכת השבץ: *Quaſi cum* צ *ſcriptum eſſet, quemadmodum & tunicam teſſellatam facies ex byſſo. Et hoc quidem eſt veſtimentum inſtar operis Taſchbetz.* Igitur שביסים & תשבץ idem eſt At vero Jarchius eodem loco illud שביסים putat eſſe ſpeciem retis ad ornandum caput מיני שבכה ait, לתכשיטי הראש והרבה יש בלשון משנ׳ שבים של שבכה: *Species retis, ad ornandum caput, reperitur ſæpe in Miſna Schebis Schibcha ad indicandum fila retis.* Ideo fortaſſis שביסים & שביצים reticulatum opus cenſetur a Jarchio, quia תשבץ multos habet πλινθίας & plagas inſtar retis.

CCLVII. Iſidorus *Orig. lib.* XIX. *cap.* XXII. mentionem facit veſtis *laculatæ. Laculata*, inquit, *eſt quæ lacus quadratos quoſdam cum pictura habet intextos aut additos acu.* Salmaſius *ad Vopiſcum in vita Carini*, *ſcutulatum* & laculatum unum idemque putat. Sed ſcribendum exiſtimat *lacuata* pro *laculata*; ut *lacuata tecta.* At ſive ſcribamus *laculata* ſive *lacuata*, utrumque a lacu derivatum videtur, & utrumque habet figuram *quadratam*, aut *lacus quadratos*, ut habet Iſidorus. Et *Lacunar* a lacu dici credibile eſt, ſed lacunar etiam πλινθίον dicitur a Vitruvio, ut obſervat Salmaſius loco modo laudato. πλινθίον autem eſt *ſcutula* ut ſupra oſtendimus. Non mirum igitur ſi veſtes teſſellatæ, ſcutulatæ, & lacuatæ confundantur, quaſi una eademque eſſet.

CCLVIII. Suſpicor tamen fuiſſe aliquam differentiam inter *teſſellatam* & *lacuatam* veſtem. Per *Teſſellatam* enim veteres nihil

 aliud

aliud videntur intellexiſſe auctores, quam veſtes illas quæ intextas habuerunt figuras quadratas inſtar teſſellarum pavimentorum: ſed ita ut figuræ illæ planæ & æquales fuerint, nulla apparente profunditate aut eminentia filamentorum in textura, prout & pavimenta teſſellata plana & æqualia eſſe ſolent. Sed *laculata*, ſive *lacuata*, ut exiſtimo, non ſolum figuras quadratas habuit, ſed tales quæ ſimul depreſsæ fuerunt & profundæ, ita ut maxima inæqualitas eſſet filorum in textura, quædam enim aliis eminebant, alia infra alia deprimebantur: ita quidem ut quodlibet quadratum ſive πλινθίον profundius fuerit virgis & viis illis ſive ῥαβδοῖς quæ texturam decuſsatim tranſcurrebant. Et hoc quidem optime convenit cum lacubus aut lacunari a quo *lacuata* ſive *laculata* dicitur, ſolent enim *lacus* & *lacuaria* profunda & depreſſiora eſse. Idem ſane de ſcutulata veſte intelligi poteſt, ſive ita dicatur a ſcuto, ſive a ſcutula, ſive a lance, ſive etiam a Græcorum σκυτάλη. Quis enim neſcit ſcutulas & lances eſse cavas & profundas, inſtar lacunaris. Martialis *lib.* 11.

Et leves ſcutulas cavaſque lances.

Si ſcutulata veſtis a σκυτάλη derivetur, idem plane dicendum erit. Cum enim σκυτάλη ſit ῥαβδὸς, phalangæ ſive virgæ quæ ſubjiciuntur navibus ad eas in mare deducendas, & cum ejuſmodi phalangæ neceſsario emineant ſupra terram, ita ut ſub ſe habeant aliquam profunditatem, inſtar lacunaris aut cavæ lancis, in ſcutulata veſte etiam concipi poſſunt virgæ iſtæ atque viæ ut eminentes ſupra reliquum texturæ, quæ virgæ & σκυτάλαι ſi tranſverſim currant neceſſario πλινθία & lacunaria profunda intra ſe relinquunt, inſtar tot fundarum & annulorum palarum. Et ſane quando propius examino veſtimenta Imperatorum de quibus ſupra mentionem feci, mihi videntur omnino ejuſmodi texturam repreſentare: Præſertim *Fl. Iuſtiniani*, *Fl. Germani*, *Flavii Theophobi*. *Michaelis* IX. *Manuelis Iunioris*, &c. In pretioſioribus veſtimentis lacus iſti & πλινθία videntur fuiſſe ex lino, lana aut ſerico, ſed non nunquam figuris & floribus ornata, quales fuiſſe Gallorum ſagos ex Diodoro Siculo jam modo audivimus, erant enim πλινθίοις πολυανθέσι καὶ πυκνοῖς διειλημμένοι, Virgæ autem iſtæ, ſive phalangæ ex alia erant materia. Aliquando forſan πλινθία ex auro, & phalangæ ex lana, aut ſerico, aut etiam phalangæ & virgæ ex auro, & πλινθία ſive lacunaria ex lana aut ſerico. Et hoc fortaſſis intelligit

Pſal.

Pſalmiſtes Pſalmo XLV. verſ. XIV. per משבצות זהב, quaſi diceres *lacnata* aut *ſcutulata auro*. Quod tamen non eſt intelligendum de omnibus veſtibus *laculatis* aut *ſcutulatis*. Fuerunt enim quæ nullum aurum, nullamque purpuram intextam habuerunt, ſed ex lino tantum, ita ut & profunditates & virgæ eminentes ſimul fuerint ex lino.


CCLIX. Quicquid alii cenſeant de veterum veſtibus ſcutulatis & laculatis, Sacerdotum tunicas tales fuiſſe quales eas jam jam deſcripſimus mihi eſt perſuaſiſſimum: Habuiſſe nempe vias & virgas eminentes quæ totam tunicam transverſim & decuſſatim decurrebant, ita ut depreſſas & cavas aliquas figuras, ſive quadratas ſive πολύγωνας, intra ſe relinquerent, inſtar lacunaris aut fundæ annuli, quibus includuntur gemmæ & lapides pretioſi. Et ſane verbum שבץ ſignificare *fundis includere*, & משבצות *fundas*, & משבצות זהב *fundas aureas* quibus gemmæ includuntur in Pectorali, & alibi in veſtibus Pontificis Maximi, nemo, qui Hebraica legit, eſt qui dubitet. Id clariſſime patet Exodi XXVIII. verſ. XI. XIII. XIV XX. XXV. & cap. XXXIX. verſ. VI. XIII. XVI. Optime itaque verſio Gallica Pſalmo XLV. verſ. XIV. ubi ſponſæ Chriſti veſtimentum dicitur; משבצות זהב *ſon vetement eſt ſemé d'enchaſſures d'or*, id eſt, *veſtimentum ejus conſitum eſt fundis aureis*. Ita omnino vertendus eſt locus iſte. Nec inſolens fuit apud Græcos ejuſmodi fundas annulorum attribui veſtibus: idem enim intellexiſſe mihi videntur per σημεῖα ſigna illa, quæ alias σφραγῖδες dicebantur. Heſychius σφραγῖδες αἱ ἐπὶ τῶν δακτυλίων καὶ τὰ τῶν ἱματίων σημεῖα. Hæc ſane de ejuſmodi fundis in veſtibus intelligit Salmaſius ad *Vopiſcum in vita Carini*; quod tamen doctiſſimus Rubenius *lib.* I. *de Re Veſt. cap.* X. intelligit de certis quibuſdam ſignis atque notis veſtibus intextis tamquam gentis inſignibus, veluti in ſigillis. Verum quidem eſt σφραγῖδες intelligi poſſe de ſigillis & alicujus gentis inſignibus, nec ſemper de annulorum fundis capi debere; nam & pardalis σφραγῖδας attribuit Opianus *Cyneg. lib.* II. quibus ſcilicet intelligit eorum maculas. Inde tamen concludi non poteſt, lacunaria & profundas figuras illas inſtar fundarum non dictas fuiſſe σφραγῖδας. Nec aliter explicant Judæi ſuum תשבץ in ſuis commentariis. Sic enim Jarchius ad verſum IV. capitis XXVIII. Exodi תשבץ עשוי משבצות לנוי, inquit, והמשבצות הם כמין גומות העשויות בתכשיטי זהב למושב קביעת אבנים טובים ומרגליות כמו שנא׳ באבני האפוד כוסכות משבצות

זהב ובלע״ז קורין אותו קשטײנש : *Taſchbetz eſt opus Miſchbezoth ad pulchritudinem. Et* משבצות *illæ ſunt quaſi foſſæ quæ factæ ſunt in annulis aureis quibus infiguntur lapides pretioſi & margaritæ, ut dictum eſt de lapidibus Ephodi* (Exodi XXVIII. XI.) *incluſi fundis aureis, quas barbare vocant* kaſtens. Sic vocem iſtam קשטײנש lego & interpretor: nempe kaſtens Germanice eſt enim ein kaſten ciſta, (forte kaſten Germnorum a Latinorum *Ciſta*, aut hoc ab illo) ita ſcilicet dicta funda cui inſeruntur lapides pretioſi, quia eſt inſtar ciſtæ, tum quia in ea gemmæ ſervatur tanquam in ciſta, tum quia eſt cava & profunda inſtar ciſtæ. Hinc & ad hunc uſque diem Judæi כתנת תשבץ vocant ein gekäſtelter Rock. Forte etiam ſcripſit Jarchius Gallice כשו״רש *chaſſures* & non קשט״ינש, Eſt enim Gallis *chaſſure* funda aut pala annuli.

CCLX. Hæc poſtquam ita examinaſſem, ſtatim mihi venit in mentem certus quidam ſtomachus, qui reperitur in animalibus ruminantibus, quem, ni fallor, *reticulum* vocant Medicorum filii, ob figuras quæ retis maculis ſunt valde ſimiles, & ita quidem ut diceres totum ſtomachum annulorum fundis eſſe conſitum. Hæc jam ante aliquot annos ita menti meæ ſeſe obtulerunt, quod quemlibet facile ita concipere poſſe puto, modo ſciat quid ſit משבצות & quænam ſit ſtructura hujus ſtomachi. Sed hiſce ita a me conceptis & chartis jam mandatis, expertus ſum revera nihil dici, nihilque ſcribi, quod non ſit dictum, & ſcriptum prius; etiamſi nobis videatur res inaudita, & noviſſime a nobis excogitata. Nam ecce eadem reperies apud Maimonida *Kele Hammikdaſch cap.* VIII. *Sect.* XVI. ubi משבצות in tunicis ſacris omnino comparat cum tali ſtomacho. הכותנות בין של כג׳ בין של כהן הדיוט משבצת היתה שהיא בתים בתים באריגתה כמו בית הכוסות כדרך שעושין האורגין בגדים הקשים. *Tunica cum Sacerdotis Magni, tum cæterorum Sacerdotum, fundis conſita erat, habuit enim multas domos in ſua textura, quemadmodum ſtomachus quem reticulum dicunt, prout textores facere ſolent veſtes duras,* Quum enim dicit Maimonides שהיא בתים בתים באריגתה perinde eſt ac ſi dixiſſet: *multos habet locos* (quales ſunt annulorum fundæ) *intextos.* Et בית הכוסות ejuſmodi ſtomachum ſignificare, patet ex Codice *cholin. cap.* III. ubi iſta vox occurrit, & quam Gloſſa ait eſſe סוף הכרס שקורין פנ״צא עשוי בית ככובע וקרוי הכוסות וכו׳ *Eſt inferior pars ſtomachi, quem vocant pence, & factus eſt inſtar Galeæ, vocant autem beth haccoſſoth, &c.* hunc ſtomachum Judæi Ger-

Pag. 295.

בית הכוסות
Sive
RETICULUM id est STOMACHUS
Animalis ruminantis



Germani vocant ein kaſſe hauß / id eſt *operimentum ſponſæ.* De his plura reperies *Codice Sucah. cap.* III. Ex his patet quam male hæ figuræ, quæ תשבץ dicuntur, exprimi ſoleant à pictoribus, & iis qui hæc minus accurate examinarunt, quam miſere ſibi imponi ſiverint; Præſertim doctiſſimus *Samuel Lee* Anglus, in ſuo Opere quod edidit Anglice, *de Templo Salomonis*, in quod nuper incidi, cum depingi curaverit Sacerdotem ſummum, veſtitum tunica oculis humanis undique conſita. Ut autem lector facilius hujuſmodi Texturam in ſacris tunicis capere poſſit, ejuſmodi ביתיהכוסות ſive *ſtomachum*, quem *Reticulum* vocant, depictum ob oculos hic ponere operæ pretium credidi.

CCLXI. Ex iis quæ jam dicta ſunt manifeſto conſtat, quid ſit תשבץ & משבצות. Unicus adhuc reſtat locus II. Samuelis cap. I. verſ. IX. qvem ſilentio præterire non poſſum. Legimus ibi Schaulem, populo Iſraelitico jam in fugam acto, ſibi manus inferentem, quod ſolus præſtare non poterat, ad ſe vocaſſe puerum Amalekitam, quem forte ibi vagantem vidit, eumque rogaſſe ut ſe morte afficeret, additis his verbis: כי אחזני השבץ. vocem השבץ derivari a verbo שבץ, quemadmodum, תשבץ & משבצות nemo eſt qui dubitet. Sed varie accipitur ab interpretibus. Judæi habent רתת & Chaldæus רתיתא quod *tremorem* ſignificat, quaſi Schaul dixiſſet: *quia me prehendit tremor.* Hanc interpretationem ſecutus videtur Lutherus, ich bin bedrengt Umbher. & Galli: *Angoiſſe m'a ſaiſy.* Rabini plerumque exponunt der Krampf / id eſt, *Spaſmus.* Septuaginta σκότος tenebras habent. Ab hac interpretatione non recedit doctiſſimus Coccejus in ſuo Lexico, ubi שבץ *vertiginem* reddit. Kimchius etiam morbum ſignificare docet. שבץ, inquit שם חולי אולי יקרה לאדם מחכת מכרת חרב. *Schabatz eſt nomen morbi, quo forte aliquis corripitur, ſi gladio percutiatur*, quod putat idem eſſe cum Chaldæi רתיתא. Sed quicquid dicant interpretes, cum voces שבץ, תשבץ & משבצות nuſquam in S. Scriptura ſignificent *morbum*, *tenebras*, *tremorem*, aut *vertiginem*, ſed conſtanter *ornatum* in veſtibus, quales ſunt palæ & fundæ annulorum, nullam video rationem ob quam a nativa ſignificatione hic recedam, cum eodem ſenſu plane, quo alibi exponitur, hic etiam intelligi poſſit. Erat itaque tunica illa Schaulis השבץ *ſcutulata* ſive *lacunata*, ut veſtimentum elegantiſſimum, quale decebat Regem Judæorum.

Atque

CCLXII. Atque ſic non mirum ſi dicat אחזני השבץ *tunica illa ſcutulata me retinuit*, vel *impedivit*, quo minus me potuerim transfigere gladio. Erant enim ejuſmodi veſtimenta משבצות dura; ideo בגדים קשים *veſtes duræ* vocantur a Maimonide, *Kele Hammikd. cap.* VIII. *ſect.* XVI. Tales & ipſæ lineæ tunicæ fuere multo magis duræ erant Regum, quæ auro ſcutulatæ erant, prout & Virgilius *Æneid. lib.* I. *Pallam auro rigentem* dicit, quod ſcilicet *dura fuerit propter aurum, ſicut & novas veſtes videmus*, explicante *Servio*. Talis igitur tunica auro rigens & propter aurum dura, gladio reſtitit. Hoc ſenſu expoſuit *Ralbag*, ſive *Rabi Levi Ben Gerſon* הרצון בזה, inquit, לפי מה שאחשוב שהלבוש שהיה משובץ להוסיף לו חוזק באופן שלא יוכל החרב לחתכו בקלות ואמר שאול שהחנית שנפל טליו אחז לו השבץ ולזה לא היה יכול לעבור: *Senſus, ut mihi videtur, horum verborum hic eſt: veſtimentum, quo veſtitus fuit, fuiſſe ſcutulis conſitum, ad dandum ipſi robur, ne gladius tam facile penetraret, ut eum confoderet. Ideo dixit Saul, quod ſcutulata veſtis impediverit, quo minus haſta in quam ſe conjecit, penetraret. Atque hanc ob cauſam non potuit ſeipſum confodere.* Belgæ hoc non ignorarunt, ideo **een maelje kolder** verterunt, & Diodatus *la cotte de maille.* Junius & Tremellius, *chlamys ocellata.* Quod videntur intellexiſſe de certis quibuſdam annulis ferreis, inſtar ocellorum, quibus veſtimenta militum ſolent conſui, & quibus ſeſe induere ſolent milites inſtante pugna, ne tam facile ab hoſtibus confoderentur. Si tale fuit veſtimentum Saulis, ejuſmodi ſcil. annulis conſitum, quod *Maille* vocamus, tunc videtur dictum fuiſſe שבץ ob aliquam ſimilitudinem: annulli enim iſti fuerunt inſtar πλινθίων & retis macularum. qualis fortaſſis fuit lorica Neoptolomei apud Virg. *Æneid. lib.* III. quam dicit.

Loricam conſertam hamis, auroque trilicem.

CCLXIII. Utut ſit, tunicam Schaulis ibi intelligi per ·שבץ·, non autem morbum, multos, & inter Hebræorum Magiſtros celeberrimos, credidiſſe, vel inde patet; quod putent id illi obveniſſe ob peccatum quod commiſit in Nobo, cum occidi juſserit per Doeg octoginta quinque illos Sacerdotes, qui tunicis *ſcutulatis* ſive משבצות veſtiti erant. 1. Sam. cap. XXII. XXVIII. Quid ſi diceremus totam lineam fuiſse veſtem illam *Schabatz* Schaulis, ſed ad uſum belli factam: fieri enim ſolebant tunicæ & loricæ lineæ quæ in aceto decoctæ, duritie ferrum & leonum pantherarumque dentes

dentes repellerent. Talis creditur lorica Imp. Galbæ, de qua vide Caſaubonum. Et Ajacis apud Homerum *Iliad. B.* & illa quam Iphicrates inſtituit apud Nepotem. Eandem forſan intelligit Sil. Ital. *lib.* IV. *per multiplex linum.* quomodo autem multiplex dici poſſit docet Caſaubonus ad Suet. in vita Galbæ. vide etiam Ferrarium *de Re veſt. part.* II. *lib.* II. *cap.* XI. Ejuſmodi etiam ex lana fiebant, teſte Plinio *lib.* VIII. *cap.* XLVIII. Nec ſilentio prætereundum quod Plin. *lib.* XIX. *capite* I. refert de thorace Amaſis Ægypti Regis; de quibus infra plura. Igitur כתנת תשבץ ego verterem, *Tunicam ſcutulatam*, aut *tunicam lacuatam*, aut etiam *tunicam fundis conſitam.*

CCLXIV. Secunda vox qua exprimitur ornamentum in ſacro veſtitu, præcipue Pontificis Maximi eſt חשב: dicitur enim: מעשה חשב. De *Ephodo* vide Exodi XXVIII. verſ. VI. & cap. XXXIX. II. III.

ועשית את האפוד זהב תכלת וארגמן תולעת שני ושש משור מעשה חשב:

Et facies Ephod ex auro hyacinthino, purpura, cocco, & byſſo, opere choſcheb. De *cingulo* Ephodi Exodi XXVIII. VIII. וחשב האפדתו אשר עליו כמעשהו ממנו יהיה זהב וגו׳ De *Pectorali* eodem cap. verſu XV. ועשית חשן המשפט מעשה חשב כמעשה אפוד De utroque cum de Ephodo tum de Pectorali Exodi XXXIX. VIII. ויעש את החשן מעשה חשב כמעשה אפד זהב תכלת וגו׳ Sic & פרכת dicuntur חשב Exodi XXVI. I. XXXVI. & XXXVI. XXXV. Tandem & cherubimi Exodi XXXVI. VIII. Græci aliquando habent ἔργον ὑφαντὸν ποκιλτȣ̃ ut Exodi XXVIII. VI. Et verſu XV. ἔργον ποικιλτȣ̃ nulla facta mentione τȣ̃ ὑφάσματος. Capite XXXIX. VIII. ἔργον ὑφαντὸν ποικιλίας. Et verſ. III. ejuſdem capitis ἔργον ὑφαντόν. Et capite XXVIII. verſu VIII. השב אפרתו illis eſt ὕφασμα τῶν ἐπομίδων nulla facta in illis locis mentione τȣ̃ ποικιλτȣ̃. Sic Exodi cap. XXVI. I. ubi de velis Tabernaculi: ἐργασίᾳ ὑφάντȣ, & verſu XXXI. ἔργον ὑφαντόν. Eadem reperies cap. XXXVI. verſ. XXXV. Vulgatus: *variatum opere plumario, & opus polymitum, & opere polymitario.* Belgæ: **het alder koſtelijckſte werck**. Lutherus: künſtlich, Galli: *Ouvrage exquis.* Diodati *ouvrage de deſſein.* Junius: *Opus artificioſiſſimum.* Chaldeus, עובד אומן Arabs صناعة حاذق *Opus acuti viri*: eſt enim حذق *intuitus eſt acute vidit.*

CCLXV. Ergo מעשה חשב eſſe *opus artificioſiſſimum*, vel ex ſola Etymologia probari poteſt; ſiquidem חשב eſt *meditari*, *Excogitare*, Etwas auß fünden / *Inventer quelque choſe.* Hinc & Machinæ illæ quas invenit *Uzzia* Rex II. Chron. XXVI. XV. dicuntur חשבנות מחשבת חושב quaſi diceres: *Excogitata cogitatione cogitantis*, quia erat opus ingenioſiſſime excogitatum. Hinc non male interpretes; *machina ingenioſiſſime excogitata*, aut *machina ingenioſiſſima ab artifice ingenioſiſſimo excogitata*; Galli dicerent *Des inventions tres-Ingenieuſes*, *inventées par les plus exellens Ingenieurs* Eſt itaque חושב fere idem quod Gallis *un Ingenieur*, ita ſcilicet dictus ab *ingenio*, rebus novis excogitandis apto, niſi quod hodie *ingenieur* fere ſemper intelligatur, ubi de rebus bellicis quæſtio eſt.

CCLXVI. At quæritur in quonam artificium illud conſiſtat, & qua arte factum ſit? Conſiſtere autem in certis quibuſdam figuris & varietate colorum, nemo eſt, quod ſciam, qui dubitet. Hoc imprimis ſignificant Græci per τὸ ποικιλτόν. Eſt enim ποικίλλειν *variare*, & ποικίλον *varium*, & ποικιλία *variatio*, & ποικιλτὴς *variator.* Igitur quidquid aliquam patitur varietatem, Græcis ποικίλον dicitur. Sic τῶν ὀνομάτων ποικιλία apud Hermogenem. Et ποικίλος λόγιος apud Appianum. Hinc Ælianus ποικιλίας ἱστορίας. Quin & Cantus ποικίλος, Et ποικιλῳδὸς dicitur is qui cantum variare peritus eſt. Hinc & compoſita ποικιλόβουλος, ποικιλόδορος & ποικιλομήχανος. Uno verbo. ποικίλον apud Græcos tam lato ſenſu ſumitur, quam apud Latinos *varium.* Sed de veſtimentis maxime intelligitur, ideo toties reperies ποικίλην ἐσθῆτα, ποικίλον περιβόλαιον & ποικίλοι χιτῶνες. Aliquando op varios colores tantum. Sic Pavones ob varios colores in plumis ποικίλοι ὄρνες dicuntur. Eſt & avis quædam quæ ποικιλὶς dicitur ab Ariſtotele *Hiſt. Animal. lib.* IX. *cap.* I. propter varios plumarum colores; & alia animalia quæ aliqua varietate notantur, ζῶα ποικίλα. Sic & veſtimenta ob varios colores tantum ποικίλα ſæpiſſime dicuntur, ut ποικίλα ἱμάτια idem ſit quod Latinis *veſtes coloreæ.* aut *varia veſtis.* & ποικιλόχρωμα *varii coloris veſtes.* Vide Terentium in Eunucho, Vopiſcum *in vita Aureliani*, & alibi plurimis in locis. Sed veſtes non tantum variis coloribus, etiam certis quibuſdam figuris diſtinctæ, ποικίλοι dicuntur. Et quod Latinis eſt *veſtis picta*, aut *toga picta* illis eſt ποικίλη ἐσθὴς, & ποικίλον περιβόλαιον. Maxime autem ποι-

κίλα

κίλα veſtimenta, quæ non tantum colore variata, ſed & pulchris quibuſdam figuris, floribus, aut animalibus & varia materia picta & ornata ſunt. *Sic* apud Herodianum *lib.* v. reperies: ἐσθῆτα χρυσῷ καὶ πορφύρᾳ πεποικιλμένην. *veſtem auro & purpura pictam* aut *variatam.* In ſacro Hebræorum veſtitu, varias fuiſſe materias & colores, ſupra fuſe demonſtravimus: factæ enim erant ſacerdotum veſtes ex *byſſo*, *lana* & *auro*, coloribus *albo hyacinthino*, *purpureo*, *coccino* & *aureo* variatæ & ornatæ; non mirum igitur ſi ποικίλοι dicuntur.

CCLXVII Sed a vulgato Hebræorum מעשה חשב aut Græcorum ποικιλτὸν *Opus polymitum* dicitur. Quid ſit πολύμιτον Capite præcedenti Paragrapho CCXXVII. docuimus, nempe id quod plura habet licia, qualia ſunt hodie varia genera pannorum ex ſerico & pilis caprarum, Gallis *Camelot de Hollande*, & id genus alia. Hoc ſenſu ſumitur apud Plinium *lib.* VIII. *cap.* XLVIII. *Plurimis vero liciis texere, quæ* πολύμιτα *appellant, Alexandria inſtituit.* Si vocis Etymologiam ſpectemus, *polymitum* nihil aliud ſignificat, quam id quod multa fila tramæ habet, eſt enim μίτος *trama*, *licium filum.* Sed uſus voluit ut & multa alia ſignificaret; non tantum quod ex pluribus liciis conſtat, ſed & id quod pluribus coloribus, & grata aliqua varietate colorum atque figurarum diſtinctum & ornatum eſt Iſidorus *Origin. lib.* XIX. *cap.* XXII. *Polymita multicoloris. Polymitus enim textus multorum colorum eſt.* Sic veteres Gloſſæ *Babylonicum* ψιλὴν πολύμιτον reddunt. Et Heſyſchius ποικιλτὴν τέχνην ait πολυμιταρικὴν eſſe. Atque ſic ποικιλτὸν eſt *polymitum* & ποικιλτὴς *polymitarius.* Hoc ſenſu ſane veſtimentum Pontificis Maximi *polymitum* dici poteſt.

CCLXVIII. Deinde & *plurimum* dicitur ab eodem vulgato, quod iterum ſignificat ποικίλον: eſt enim *plumare* ποικίλλειν. In veteri Gloſſario *plumarius* πιλοβάφος, aut potius ψιλοβάφος. Et ſecundum Gloſſas βασιλικῶν: πλουμία ſunt ποικιλτὰ ὑφάσματα. *Sic* & opera Babylonica, quæ proprie ποικιλτὰ ſive *picta* ſunt, de quibus Martialis *lib.* I.

... Babylonica picta ſuperbe
Texta Semiramia quæ variantur acu;

a Publico Syro *plumata* vocantur.

Plumata amictus auro Babylonico.

De eodem opere Lucanus

.... Aut auro plumata nitet.

Hieronymus *Epiſt.* cxxx. *choſcheb* etiam plumatum vocat. *In Exodo*, inquit, *cæteriſque locis, ubi deſcribuntur veſtes plumaria arte contexta, opus cherubim, id eſt varium atque depictum eſſe deſcribitur.*

De Plumatis vide etiam vopiſcum *in vita Carini*: *Quid Tyrio & Sidone tenuitate perlucidas, micantes purpura, plumandi difficultate pernobiles.* Plumaria jam inde a vetuſtiſſimis temporibus nota fuerunt Romanis. Nonnius; *Plumarium (a plumando) Varro Cato de liberis educandis*: *Etenim nulla quæ non didicit pingere, poteſt bene judicare, quid ſit bene pictum a plumario, aut textore in pulvinaribus plagis.* Ecce *plumarium* pingitur a plumario aut a textore, eſt itaque *veſtis picta* ſive ποικίλος. Recentiores Græci Latina voce eadem vocant πλουμία & πλουμιστά, ut & ἐξομπλωτά quaſi *exemplata* quia variis exemplis atque figuris ornata erant, de quibus vide Euſtathium. Et clavum Græcis vocari πλουμίον, docet Salmaſius, atque probari putat ex Procopio περὶ κτισμάτων ἰστιν. χιτὼν ἐκ μετάξης ἐγκαλλωπίσμασι χρυσοῖς πανταχόθεν ὡραϊσμένος, ἃ δὴ νενομίκασι πλουμία καλεῖν. Et illud χρυσᾶ πλουμία βασιλικὰ ex Faſtis Græcis, ſcilicet ex *Chronico Alexandrino* vertit. Clavos aureos Regios intextos. Sic & Tunica Thamaris II. Reg. XII. a Procopio Gazæo opus πλουμαρικὸν dicitur, χιτὼν ἀστραγαλωτὸς, inquit, Σύμμαχος χειριδωτός. Ακυλας καρπωτὸς ἀντὶ τοῦ καρποὺς ἐνυφασμένους ἔχων οἱ νῦν δὴ αὐτὸν καλοῦσι πλουμαρικόν. *Tunica talaris*; *Symmacho manicata. Aquila* καρπωτὸς, *quia fructus habet intextos, hodie dicitur plumata.* Hoc autem genus ornamenti qualia ſunt τὰ ποικίλα & πολύμιτα, *Plumaria* & *plumatum* dicuntur proculdubio a plumis avium variis coloribus, quaſi eleganti arte diſtinctis. Hinc columbæ *argento & flavo auro tectæ* dicuntur, Pſalmo LXVIII. XIV. Et *Aquilæ* (majori ſcilicet illi, quam χρυσαίετον vocat Ælianus *Hiſt. Animal. lib.* II. *cap.* XXXIX.) adſcribitur הרקמה (nota רקמה etiam dici ποικιλτὸν *& plumarium) opus Phrygionicum.* Idem docet Prudentius.

—— Hunc videas laſcivas præpete curſu.
Venantem tunicas, avium quoque verſicolorum.
Indumenta novis texentem plumea pennis.

Cum itaque ποικιλτοὺς colores & totum ornatum in plumis avium imitetur, mirum non eſt, eum *Plumarium* & ejus opus *plumatum* dici.

dici. Conſtat etiam ex ipſis avium plumis, varia & elegantiſſima opera fieri, cum ad tegumenta hominum, tum ad eorum veſtimenta. Qualia multa vidimus advecta ex Freto Davis Fleſſingam in Zelandia, anno CIↃ IↃCLVI. quorum quædam, ni fallor, adhunc uſque diem poſſidentur a Nobiliſſimis Viris Lampſenio, La Portio & aliis. Et licet a gente Barbara facta & concinata, & pro ſpolio ſatis vili inde advecta habita fuerint, tanta nihilominus arte & pulcherrimorum colorum varietate, ſuavique ordine ac diſpoſitione luſerunt, ut etiam ſolertiſſimi Phrygionis manum ſuperare viderentur. De ejuſmodi operibus ex plumis, ideoque vere *plumatis*, plura obſervavit Fullerus in *Miſcel. lib.* I. *cap.* XX. ex Corteſio, qui de Plumatis operibus Mexicanorum imperatoris hæc tradidit: *Ea vero ex plumis talia erant, quod nec in cera, nec in rebus ſericis, acupictis, mirabiliora fieri poſſent.* Ac rurſus alibi: *Ex plumis fabrefacta tam mirabilia habuimus, ut ſcriptis demonſtrari non poſſent; nec eorum exellentia comprehendi videatur.*

CCLXIX. Tertia vox qua utitur Moſes ad exprimendum ornatum in veſtibus ſacris, eſt רקם, Exodi cap. XXVIII. commate XXIIX. ואבנט תעשה מעשה רקם *Et balteum facies opere Rokem.* vide quoque capite XXXIX. XXIX. In ſacro veſtitu de ſolo *balteo* dicitur quod fuerit *Rokem.* Hinc Judæi והאבנט לבדו רקם *Et balteus ſolus eſt Rokem*; Ejuſdem tamen operis fuerunt etiam *tegumenta portæ tentorii.* Exodi XXVI. XXXVI. & XXVII. XVI. & XXXVIII. XVIII. Sed & alia præter ſacra dicuntur רקם. Judic. V. XXX. inter optima ſpolia etiam numerantur רקמה & רקמתים. Et Ezechielis XVI. X. ואלבישך רקמה Et *veſtivi te Rikema.* videatur & verſu XIII. & verſu XVIII. ubi veſtimenta & operimenta Idolorum dicuntur רקמה. Et ſponſam Chriſti legimus veſtitam לרקמות Pſal. XLV. XV. Græci τὸ רקם iterum reddunt ἔργον ποικιλτόν. Vide Exodi XXVIII. XXXIX. & XXXIX. XXIX. Sic & XXVI. XXXVI. & alibi. Nulla igitur differentia inter חשב & רקם. vulgatus rurſum quoque *opere plumarii*, & *arte plumaria*, Exodi XXVIII. XXXIX. ubi de balteo, & alibi. Sed Judic. cap. V. XXX. veſtes diverſorum colorum. Et Ezech. XVI. X. *diſcoloria.* Et verſ. XVIII. *multicoloria.* Et verſ. XIII. ejuſdem capitis XXVII. XXIV. *polymitum* habet. & cap. XXVI. XVI. *Varia.* Galli *Ouvrage de broderie.* Diodati, *ouvrage de brodeur.* Belgæ *geborduurt.* Judic. V. XXX. **van verſcheide verwen geſtikt.** & illud רקמתים reddunt **van verſcheide verwen**

wen an beide ſyden geſtikt. Ezech. xvi. x. xiii. xviii. & xxvi. xvi. & xxvii. xxiv. Et Pſalmo xlv. xv. & Exodi xxxviii. xviii. geſtikt werck. Eodem plane modo quo Lutherus, qui fere ſemper habet geſticket. Ideo *balteus* illi dicitur ein geſtickter gurtel. Exodi vero cap. xxvi. xxxvi. & xxvii. xvi. habet gewircket/ & ſic alibi Chaldæus עבד ציר quod nihil aliud ſignificat quam τὸ ποικιλτὸν; eſt enim Chaldæis ציר *Pictor*, *formator*, ideoque idem ac *Acupictor*, & ציור *pictura* a ציר formare. Arabs صناعة راقم *Opus Rokem.* Itali τὸ *Rokem* retinent dicunt enim *recamata* pro *acupicto*, & *recamare* pro *acupingere.* Et Hiſpanis *Recamodura* eſt opus Phrygionicum. Ex his omnibus apparet חשב & רקם in eo conveniſſe, quod utrumque *veſtem pictam* ſignificaret, Græcis ποικίλον. Nam quemadmodum τὸ ποικιλτὸν ſignificat quicquid variatum eſt, ita & רקם apud Hebræorum ſapientes, eadem fere ſemper ſignificat. Sic maculæ pardi Jeremiæ xiii. xxiii. dicuntur שלטי רקמתיה pro quo in Hebræo habetur חברברותיו. Et ovum *figuratum* illis eſt ריקמה vel המרוקמת *Cholin cap.* vii. in Miſna ביצה השרץ המרוקמת טהור ניקבה כל שהו טמא: *Ovum animalis reptilis figuratum mundum eſt, ſi vero perforatum tantillum, immundum eſt.*

CCLXX. Differunt tamen חשב & רקם in eo quod חשב *textum* credatur, nulla adhibita acu, רקם autem *acupictum* ſit. Sic in Codice *Ioma cap.* ix. חשב מעשה אורג *Choſcheb eſt opus textoris.* Et *Iarchius* ad verſum i. capitis xxvi. Exodi, ubi de cherubimis qui dicuntur מעשה חשב hæc ad τὸ *choſcheb* adnotavit היו מצוירין בהם באריגתן ולא ברקימה שהוא מעשה מחט *Pingunt eos* (cherubimos) *textu, non autem rekama quia hoc fit acu.* Huc, mea quidem opinione, reſpexerunt Græci, qui aliquoties habent ἔργον ὑφαντὸν, & ἔργον ὑφαντὸν ποικιλτοῦ, & ἔργον ὑφαντὸν ποικιλίας, ἐργασίας ὑφάντου, quemadmodum id ſupra, paragrapho cclxiv. oſtendimus. Aben Ezra tamen auctoritati ſuorum doctorum, & ipſi Talmudi (grande peccatum in Judæo!) ſeſe opponere audet. Exodi xxxvi. v. i. מעשה חשב איננ רוקם ולא אורג רק של דרך שעושין בגדי משי כי הצורה שעלתה בלב היא השבון ומחשבה ויציירנה בלוח: *Opus choſcheb non eſt opus Rokem, nec Textoris, ſed tantum factum eſt eodem modo, quo fieri ſolent veſtes ſericeæ, ubi quis talem figuram efficit in aliqua tabula, prout ipſi cogitatio venit in mentem.* Textu tamen fieri, opinio eſt

eſt doctiſſimorum, & quidem ipſorum Gemaricorum. Sed opus *Rokem* acu pictum creditur, non autem textum, quod iterum docet *Codex Ioma dicto capite* IX. רוקם מעשה מחט *Rokum eſt opus acus.* Jarchius iterum quoque Exodi XXVI. quem locum jam modo allegavimus, ait רקימה eſſe מעשׂה מחט *Opus acus*, ſcilicet *acu pictum.* Et ad verſum XXXVI. רוקם הצורות עשויות בו מעשה מחט *Rokem eſt illud cujus figuræ fiunt opere acus.* Hinc Chaldæis מחט עבד ציור *opus acu pictum* Nec omnia veſtimenta, de quibus mentio fit apud veteres, eodem pingebantur. Quædam ſola textura variis figuris ornabantur, quædam autem acu. Hæ figuræ intextæ Ariſteneto *Epiſt.* XXVII. *lib.* I. αἱ ἀπὸ κερκίδος γραφαί, *picturæ per textorem* appellantur. De iiſdem Vitruvius *lib.* X. *cap.* I. ubi dicit; *connexum ſtaminis corpora ſubtemen, non modo a tegendo tueri, ſed etiam ornatus adjicere honeſtatem.*

CCLXXI. De figuris & imaginibus quæ ſola textura fiebant, dulciſſime canentem audi Ovidium. *Metamorph. lib.* VI. *fabula* I. & II. ubi de certamine Palladis & Arachnes. Talis eſt fortaſſis veſtis κατάστικτος de qua Pollux *lib.* VII. *cap.* XIII. ſiquidem χιτὼν ἐστὶν ὁ ἔχων ζῶα ἢ ἄνθη ἐνυφασμένα *Eſt tunica habens animalia & flores intextos.* Tales ſunt *tunicæ* illæ & *limbi & penulæ matronales quæ Alexandri effigiem monſtrent*, non quidem acupictam aut acu adſutam, ſed *de liciis variantibus*, id eſt quæ texta erant. Vide Trebellium Pollionem *in vita Macrini.* De ejuſmodi opere ſolo textu *de variantibus liciis* picto, egregium locum ad hanc rem allegat Salmaſius, ex *Homilia de Lazaro Aſterii Amaſeæ Epiſcopi*: ἀλλὰ τινὰ καινὴν ὑφαντικὴν ἐξευρόντες περίεργον, ἥτις τῇ πλοκῇ τοῦ στήμονος πρὸς τὴν κρόκην τῆς γραφικῆς μιμεῖται τὴν δύναμιν καὶ πάντων ζώων τοῖς πέπλοις τὰς μορφὰς ἐνσαμαίνεται τὴν ἀνθινὴν καὶ μυρίοις εἰδώλοις πεποικιλμένην φιλοτεχνοῦσιν ἐσθῆτα ἑαυτοῖς τε καὶ γυναιξὶ καὶ πασίν. *Aliquam autem novam texturam curioſam invenientes, quæ connexu ſtaminis & ſubteminis pingendi artem imitatur, quæ omnium animalium formas pingebant floribus mille figuris arte variabant veſtes, ſibi, uxoribus & aliis omnibus.* Ecce illa ſolo connexu ſtaminis & ſubteminis, ideoque ſola textura fiebant. Talia fuerunt opera Babylonica texta, etſi nonnunquam acupicta etiam Babylonica dicerentur. Ita quidem dicta quia Babylonia eorum inventrix erat, teſte Plino *lib.* VIII. C. XLVIII. *Diverſos colores picturæ intexere Babylon maxime celebravit, & nomen impoſuit.* Martialis,

——— *Babylonica ſuberbe*
Texta Semiramia quæ variantur acu.

Idem intelligit Plautus per *Babylonica periſtromata.* Illa quæ textura ſola picta erant, vera ſunt πολύμιτα: *Polymita enim pluribus liciis texta ſunt, quæ Alexandria inſtituit*, ut ex Plinio ſupra audivimus. Nam in texendis ejuſmodi operibus neceſſario utendum erat plurimis liciis. Hæc ſunt illa quæ Belgice diceremus **tapijtwerck**/ *Gallice ouvrage de tapiſſerie*; ſolent enim hodie tapetes, plurimam ſaltem partem, texi & pectine variari, non acu. Et hoc quidem eſt מעשה חשב. *Acupicta autem* id eſt illa quæ acu, non textu, fiebant *opera Phrygionica* & Phrygionia dici ſolent, quia Phryges eorum inventores creduntur, ut Plinius iterum docet: *lib.* VIII. *cap.* XLVIII. *Pictas veſtes jam apud Homerum fuiſſe, unde triumphales natæ. Acu facere id Phryges invenerunt, ideoque Phrygiones appellatæ ſunt.* Varro apud Nonium: *Phrygio qui pulvinare poterat pingere Solios defigebat.* Plautus in *Menechmis*:

Pallam illam quam dederat dudum ad Phrygionem.
ut deferas,
Ut reconcinnetur, atque ut opera addantur quæ volo.

Hæc Græcis βελονοποικίλα dici poſſent. Eſt enim βελονοποικιλτὴς *accupictor.* ὁ τῇ ῥαφίδι ὕφη ποιῶν ἢ ζωγραφῶν *qui acu texturas facit & pingit*, ut habet Heſychius. Eadem & ῥαφιδευτὰ dicuntur, ab *acu*; eſt enim ῥαφὶς acus. Hæc Gallis *ouvrage de broderie*, Belg. **geboꝛduyrt.** De utroque genere variationis & ποικιλίας, cum de *Babylonico* quod fit radio & pectine in tela, tum de *Phrigionico* quod poſt texturam acu ornatur, Tertullianus *de habitu Mulierbi. Age nunc ſi ab initio rerum & Mileſii oves tonderent, & Seres arbores nerent, & Tyrii tingerent, & Phryges inſuerent, & Babylonii intexerent.*

CCLXXII. Differunt etiam חשב & רקם eo quod חשב majori artificio fieret quam רקם, quod vel ex ſolo verbo חשב videtur colligi poſſe: ſignificat enim *excogitare*, & ſolertiam hominum. Hinc opus *artificioſiſſimum* a Tremellio dicitur, & a Belgis **het alder koſtelijckſte werck**/ a Chaldæo עבד אומן *opus artificis*, quaſi excellentiori ſenſu, quia omne aliud artificium ſuperare videtur, cum רקם tantum dicatur עבד ציר *opus pictoris.* Capite præcedenti jam demonſtravimus texturam omnem dici מעשה אומן, ob artificium

cium & induſtriam, ſed quia חשב rariori fit induſtria & arte, ideo חשב quaſi *excogitatum* dicitur. Certe Babylonis *acum* pectine id eſt textura vinci, ſubtiliora ſcilicet & majori artificio facta eſſe, ea quæ ſolo textu pinguntur, quam quæ acu ornantur, diſcimus ex Martiali *in Epigrammate*, cui lemma *Cubicularia Polymita.*

Hæc tibi Memphitis tellus dat munera: victa eſt
Pectine Niliaco jam Babylonis acus.

Et ſane multo elegantiori artificio factum fuiſſe τὸ חשב quam רקם clamant omnes Hebræorum Doctores: Hoc enim figuram ab unico latere tantum repræſentabat, illud autem ab utroque, ideoque διπρόσωπον aut ἀμφιπρόσωπον dici poteſt. *Ioma cap.* IX.

רוקם מעשה מחט לפיכך פרצוף אחד חושב מעשה אורג לפיכך שני פרצופות׃

Rokem eſt opus quod fit acu, ideoque figuram unam (id eſt ab uno latere) *tantum habet; Choſcheb autem eſt opus Textoris, ideoque duas habet figuras:* id eſt ab utroque latere depictum eſt. Jarchius ad Exodi cap. XXVI. verſ. I. ad hæc verba מעשה חשב תעשה אתם ſic commentatur. כרובים (quæſtio enim eſt de *Cherubimis*) היו מצוירין בהם באריגתן ולא ברקימה שהוא מעשה מחט אלא באריגה בשני כותלים פרצוף אחד מכאן ארי מצד זה ונשר מצד זה כמו שאורגין חגורות של משי שקורין בל״עז פיי״שישא׃ *Cherubimi figuras habent per texturam, non arte Phrygionum; quia hoc eſt opus acus, ſed per texturam, & quidem ab utraque parte, figuram ſcilicet ab hoc latere & figuram ab illo latere: veluti Leonem ab hac parte & Aquilam ab illa parte, ut texi ſolent cingula ſerica, quæ vocant barbare* ein peûtſche. Sic expono vocem ein peûtſche; puto enim Germanicam eſſe vocem, ideoque ſcribendum eſſe פיי״טשא pro פיי״שישא alias fateor me iſtam vocem non intelligere: At vero פיי״טשא, quod fit levi mutatione, Judæis ſignificat *cingulum*, ideo & cingulo pro loro uti ſolent in ſuis ſynagogis, quando penitentes cædere ſimulant. Niſi mavelis בורשא *bourſe, crumena*, ut corrupte ſcriberetur פיישישא. Aben Ezra eodem loco: מעשה חשב׳ אמרו חכמים כי מעשה חושב שנים פרצופים ורוקם פרצוף אחד ונכון הוא על דרך הפשט׃ *Opus Choſcheb, tradunt ſapientes noſtri ab utraque parte habere figuram; ſed Rokem ab una tantum, quod quidem ex ſenſu literali elicitur.* Sic & Maimonides Hilch. *Kele Hammikdaſch*, *cap.* VIII. *Sectione* XV.

כל מקום שנא׳ בתורה מעשה רוקם הוא שתהיינה הצורות הנעשות באריגה נראות

מצר אחר פני האריגה ומעשה חושב הוא שתהיה הצורה נראית משני צדדין פנים ואחר: *Ubicumque in lege dicitur Opus Rokem, id intelligendum eſt, quod picturæ, quæ fiunt in tela, ab unico latere telæ tantum conſpiciantur. At opus Choſcheb, quod figuræ conſpiciantur ab utroque latere, ante & pone.* Rationes autem cur tradant Judæi opus *Choſcheb* ab utroque latere telæ pone & ante habuiſſe figuras, videntur ſumi a velo Tabernaculi, quod dividit Sanctum Sanctorum a Sancto. Exodi XXVI. XXXI. dicitur enim fuiſſe חשב. Et revera, quia conſpici debuit, & tam in adyto quam extra adytum gloriam & Majeſtatem Dei repræſentare oportebat, indecorum enim fuiſſet habitaculo Dei ſi aliqua parte rude & ſordidum opus apparuiſſet, qualia eſſe ſolent noſtra periſtromata & tapetia, quæ ab una parte tantum picta ſunt dum in altera nihil conſpicitur, præter ingrata quædam filamentorum ſegmenta. Jarchius ad iſtum locum videtur ſtatuere, non tantum חשב ſed & רקם habere picturas ab utraque parte texturæ, ſed ita tamen ut hoc in utroque latere eandem repræſentet figuram: ſcil. ſi in Rokem conſpicias florem ab uno latere, aut bovem, eundem florem aut bovem, etiam conſpicies ab altero latere: at, ſi conſpicias in חשב ab hoc latere, puta leonem, ab altero conſpicies aquilam. Ita ſane ſe explicat ad verſum XXXI. כבר פירשתי שזה היא אריגה של שתי קירות והציורין שמשני עבריה אין דומין זה לזה: *Antea jam expoſuimus eſſe telam duorum parietum. Sed illius figuræ quæ a duobus lateribus apparent, ſibi non ſunt ſimiles.* Sic ad verſum I. cap. XXVI. ubi de Cherubimis, quem locum modo allegavimus, ſtatuit fuiſſe ארי מצד זה ונשר מצד זה *leonem ab hoc latere & aquilam ab altero latere.* Rokem autem eaſdem figuras habuiſſe ab utroque latere, docet ad verſum XXXVI. ejuſdem capitis. רוקם inquit, הצורות עשויות בו מעשה מחט כפרצוף של עבר זה כך פרצוף של עבר זה: *Rokem eſt cujus figuræ acu adpictæ ſunt, & qualem figuram habet ab uno latere, talem etiam habet ab altero.* Ut ut ſit, magna fuit differentia inter חשב & רקם.

CCLXXIII. In hoc autem conveniebant quod utrumque ποικίλον variis coloribus & figuris depictum & ornatum fuerit. Et ſane ejuſmodi ποικίλα, *varia*, *Polymita*, & *Plumata* variorum generum figuras habuiſſe, omnes auctores docent. Et aliquando quidem literas quaſdam tantum intextas habebant. Suidas de τριβωνοφόρῳ. ὁ φορῶν ϛολὼ ἔχουσαν σημεῖα ὡς γραμμάτια, *Gerens ſtolam habentem ſigna ut literas.*, ubi pro γραμμάτια quidam legunt

gunt *γάμματα* habentem ſigna gammæ Γ. Sed & plures aliæ litteræ intexebantur, ut obſervari poteſt in picturis veterum cœmiteriorum, quas exhibet Boſius *in Roma ſubterranea*, ubi ſæpe I litteram, aliquando τὸ H; ſæpe Υ, aut X, aut alias literas laciniis palliorum intextas videmus, ut Muſivo Triclinii Leoniani, in pallio D. Petri τὸ L, in aliorum paliis aliæ literæ rubro colore ſcriptæ ſunt. Ita Boëtius *lib.* I. *de Conſolatione de veſtibus Philoſophiæ: Harum in extremo margine Π, in ſupremo vero Θ legebatur intextum atque inter utraſque litteras in ſcalarum modum gradus quidam inſigniti videbantur, quibus ab inferiore elemento ad ſuperius eſſet aſcenſus.* Hæc ex Doctiſſimo Rubenio *De Re Veſt. lib.* I. c. x. exſcribi operæ pretium fore puto. Hinc etiam doctiſſimus vir ſuſpicatur Græcis in uſu fuiſſe, ſigilla aut monogrammatia patriæ aut gentis ſuæ tamquam inſigne palliis intexere, ut in bello & clypeis ſuis primariam patriæ ſuæ literam præferebant, quod ex Xenophonte conſtare putat *lib.* IV. *Hiſt. Græc.* Huc etiam referri putat Heſychii σφραγῖδες, de quibus & nos ſuperius. Sed & integra nomina aliquando intexebantur. Apocal. cap. XIX. com. XVI. occurrit Tunica Chriſti, in qua ſcriptum erat: REX REGUM, & DOMINUS DOMINORUM. Plinius XXXV. *cap.* IX. de Zeuxi. *Opes quoque tantas acquiſivit, ut in oſtentatione earum olympiæ aureis litteris in palliorum teſſeris intextum nomen ſuum oſtentaret.* Et Vopiſcus in vita Carini: *Inſcriptum eſt adhuc in choraulæ pallio Tyrianthino, quo ille velut ſpolio nobilitatis exultat, Meſſallæ nomen & uxoris.* Plura vide apud eundem Rubeniũ, & *jam apud Ciampinum, in Muſivis ſacris.*

CCLXXIV. Aliquando floribus pictæ erant veſtes. Ejuſmodi picturas Græci ἀνθινὰ vocabant, ut ut & purpuram aliquando ἄνθος dixerint, prout fuſe ſatis demonſtratur a conſultiſſimo & literatiſſimo viro Cupero in doctis ſuis Obſervat. lib. III. cap. VIII. Hinc fortaſſis *Aquila* τὸ משׁ Ezech. XVI. X. ἀνθινὸν reddidit, de quo plura vide ſupra cap. VIII. Sic Sacerdos Herculis apud Plutarchum in *Problematicis Græcis* dicitur induiſſe ςολὴν ἀνθινὴν, *ſtolam floridam.* Sic & Caligula triumphavit in ἐσθῆσιν ἀνθηραῖς *veſtibus floridis.* Dio *lib.* LIX. Illæ autem veſtes floridæ mulieribus erant propriæ. Artemidorus *lib.* II. *cap.* III. Γυναιξὶ δὲ ποικίλη, καὶ ἀνθηρὰ ἐσθὴς συμφέρει. *Mulieri autem floridæ & variatæ veſtes conveniunt.* Et Meretrici attribuit floridas veſtes Suidas in voce ἑταῖρος. Ἑταιρῶν ἀνθινῶν. νόμος Ἀθήνησι, τὰς ἑταίρας ἄνθινα

 φορεῖν.

φορεῖν. *Meretrices ut haberent veſtes floridas.* Hæc cauſa fuit proculdubio, quod rideretur ille qui in Theatro, veſtibus coloriis & floridis conſpiciebatur, apud Lucianum *in Nigrino*, cum dicerent ſpectatores: ἔαρ ἤδη, καὶ πόθεν ὁ ταὼς οὗτος, καὶ τάχα τῆς μητρός ἐστιν αὐτοῦ. *Ver eſt, & unde nobis pavo hic, & fortaſſis matris ipſius hæc eſt.* Illi autem flores crocei aliquando erant. Sic Euripides *Hecub.*

Ἐν δαιδαλέαισι ποικίλλ',
Λουσ' ἀνθοκρόκοισι πήναις.
In artificioſis variegans,
Croceo flore decoris tapetibus.

Sed & nonnunquam *palma* intexebatur. Unde togæ palmatæ, tam celebris veſtis, nomen. Iſidorus *lib.* XIX. *cap.* XXIV. *Toga palmata dicebatur quam merebantur ii qui reportabant de hoſtibus palmis intextas haberet.* Et Feſtus: *Tunica palmata a latitudine clavorum dicebatur, quæ nunc a genere picturæ* (ſcilicet palmæ) *appellatur.* Hæc erat toga triumphalis & conſularis, quæ in nummis Auguſti conſpicitur ſatis clare: qualem etiam expreſſam reperies apud Rykium, *de Capitolio, cap.* XIX. Hæc antiquiſſimis temporibus erat tunica Jovis Capitolini, quam triumphantes inducebant, cum triumpharent. Sed & ſtellæ aliquando depictæ erant, de quibus Appianus *lib.* I. *Punicorum*; dicit enim illam fuiſſe πορφυρᾶν, ἀστέρων χρυσῶν ἐνυφασμένων. *purpuream habentem aureas ſtellas intextas.* De ejuſmodi fortaſſis Euripides *Phœniſſ.*

Ἒ ἒ ὡς γαυρὸς, ὡς φοβερὸς
Εἰσιδεῖν, γίγαντι
Γηγενέτᾳ προσόμοιος
Ἀστερωπὸς ἐν γραφαῖσι.
Heu quam ſuperbus, quam terribilis,
Aſpectu, Giganti
Terrigenæ ſimilis,
Syderis inſtar vultu ſplendens in picta veſte.

CCLXXV. Et Animalia, ut bellua, intexebant. Græcis ζῶα & Plauto *Belluata*; talia fuerunt præcipue opera illa Polymita Alexandrina texta, non acu picta, de quibus Plautus in *Pſeudolo*: *Neque Alexandrina belluata conchyliata tapetia.* Hinc Heſychius ποικιλτὸν ἱμάτιον, reddidit ζωγραφητόν. De iiſdem Pollux *lib.* VII. *cap.* XIII. ὁ δὲ κατάστικτος χιτὼν ἐστὶν ὁ ἔχων ζῶα ἢ ἄνθη ἐνυφασμένα. quem

quem locum modo laudavimus, Vide etiam quod allegavimus ſupra, paragrapho CCLXX. ex Aſterio Amaſeæ Epiſcopo, ubi memorantur, pepli & veſtes quibus intextæ erant, *variorum animalium formæ, flores & infinitæ aliæ imagines.* Ammianus *lib.* XIV. *ut longiores ſimbriæ quæ perſpicue luceant, varietate liciorum effigiatæ in ſpecies animalium multiformes.* Perſarum-Rex, teſte Curtio *lib.* III. *pallam habuit auro diſtinctam aurei accipitres, velut roſtro inter ſe corruentes.* Tandem & viros illuſtres depictos habebant in veſtibus, quemadmodum *illæ tunicæ & limbi & penulæ matronales, quæ Alexandri Magni effigiem de liciis variantibus monſtrabant*, ut teſtatur Trebellius Pollio *de Triginta Tyrannis.* De ejuſmodi Auſonius *ad Gratianum: Palmatam, inquis, tibi miſi in qua D. Conſtantinus parens noſter intextus eſt.*

CCLXXVI Sed lubet Poetam dulciſſime canentem adducere. Ovidium, *Metamorphoſ. lib.* VI. *Fab.* I. & II. ubi ut elegantiſſimam texturam, ita & in veſtibus picturas, quæ omnem hominum captum longe ſuperant deſcribit, cum celebri iſta pugna Palladis & Arachnes, cujus jam aliquoties mentionem fecimus:

Tela jugo juncta eſt: ſtamen ſecernit arundo:
Inſeritur medium radiis ſubtemen acutis.
Quod digiti expediunt, atque inter ſtamina ductum
Percuſſo feriunt inſecti pectine dentes.
Utraque feſtinant &c.

Jam de tela Minervæ ſic canit:

Cecropia Pallas ſcopulum Mavortis in arce
Pingit, & antiquam de terræ nomine litem.
Bis ſex cœleſtes medio Iove ſedibus altis
Auguſta gravitate ſedent ſua quemque Deorum
Inſcribit facies: Iovis eſt regalis imago.
Stare Deum pelagi, longoque ferire tridente
Aſpera ſaxa facit, medioque e vulnere ſaxi
Exiluiſſe fretum, quo pignore vindicet urbem.
At ſibi dat clypeum, dat acutæ cuſpidis haſtam,
Dat galeam capiti, defenditur ægide pectus,
Percuſſamque ſua ſimulat de cuſpide terram
Edere cum baccis fœtum canentis olivæ,
Mirarique Deos: operis victoria finis.
Ut tamen exemplis intelligat æmula laudis

Quod pretium ſperet pro tam furialibus auſis,
Quattuor in partes certamina quattuor addit,
Clara colore ſuo, brevibus diſtincta ſigillis.
Threiciam Rhodopem habet angulus unus, & Æmum,
Nunc gelidos montes, mortalia corpora quondam,
Nomina ſummorum ſibi qui tribuere Deorum.
Altera Pigmaa fatum miſerabile matris
Pars habet. hanc Iuno juſſit certamine victam
Eſſe gruem, populiſque ſuis indicere bellum.
Pinxit & Antigonem auſam contendere quondam
Cum magni conſorte Iovis, quam regia Iuno
In volucrem vertit: nec profuit Ilion illo,
Laomedonve pater, ſumptis quid candida pennis
Ipſa ſibi plaudat crepitante ciconia roſtro.
Qui ſupereſt ſolus Cynaram habet angulus orbum:
Iſque gradus templi natarum membra ſuarum
Amplectens, ſaxaque jacens lachrymare videtur.
Circuit extremas aleis pacalibus oras.
Is modus eſt, operiſque ſua facit arbore finem.
Maonis eluſam deſignat imagine tauri
Europen: verum taurum, freta vera putares.
Ipſa videbatur terras ſpectare relictas,
Et comites clamare ſuas tactumque vereri
Aſſilientis aqua, timidaſque recondere plantas,
Fecit & Aſterien aquila luctante teneri.
Fecit olorinis Ledam recubare ſub alis
Addidit ut Satyri celatus imagine pulchram
Iupiter implerit gemino Nycteida fœtu.
Amphitryon fuerit, cum te Tirynthia cepit.
Aureus ut Danaen, Aſopida luſerit ignis.
Mnemoſynen paſtor, variuſque Deoida ſerpens.
Te quoque mutatum torvo Neptune juvenco.
Virgine in Aeolia poſuit. tu viſus Enipeus.
Gignis & Aloidas: aries Biſalpida fallis.
Et te flava comas frugum mitiſſima mater
Senſit equum: te ſenſit equum crinita colubris
Mater equi volucris: ſenſit delphina Melantho.
Omnibus his faciemque ſuam, faciemque locorum

Red-

Reddidit. eſt illic agreſtis imagine Phœbus:
Utque modo accipitris pennas, modo terga leonis
Geſſerit: ut paſtor Macareida luſerit Iſſen.
Liber ut Erigonem falſa deceperit uva.
Ut Saturnus equo geminum Chirona crearit.
Ultima pars telæ tenui circumdata limbo,
Nexilibus flores hederis habet intertextos.
Non illud Pallas, non illud carpere Livor
Poſſit opus. doluit ſucceſſu flava virago. &c.

CCLXXVII. Ex his ſatis manifeſtum eſt, qualeſnam fuerint picturæ iſtæ in veterum texturis atque veſtibus. Sed quale genus picturarum veſtimenta ſacra habuerint, altum eſt in ſacra Scriptura ſilentium. Quantum ad velum Tabernaculi כרובים *Cherubimos* intextos habuiſſe, docemur a Moſe, Exodi XXVI. verſ. XXXVI. quos Jarchius (ut jam ſupra oſtendimus) tradidit habuiſſe formas ab altera parte *Leonis*, ab altera autem *Aquilæ*. Si Joſepho fides adhibenda eſt, aliquid de picturis in velis Tabernaculi nos quoque docet *lib.* III, *Antiq. cap.* V. ὕφος ἦν πορφύρας φοινίκας σὺν ὑακίνθῳ καὶ βύσσῳ πεποιημένον πολλῶν αὐτῷ συνανθούντων καὶ ποικίλων ὁπόσα μὴ ζώων ἐξετυποῦντο μορφάς. *Contextum erat ex purpura, cocco hyacinthino & byſſo, variis floribus pictum, aliiſque ornamentis decoratum, præter animantum formas.* Hæc de velo extrinſeco. Et paulo poſt: Ὡραῖον δὲ τὸ φάρος ἄνθεσι παντοίοις ὅσα γῆθεν ἀνέρχεται διαπεποικιλμένον, τοῖς δὲ ἄλλοις ἅπασι ἐνυφασμένον, ἃ κόσμος εἶναι ἔμελλον, πλὴν ζώων μορφῆς. *Fuit autem hæc tela omnis generis floribus, quæ terra fert, variata, omnibuſque aliis ornamentis contexta, præter animantium formas.* De eodem velo inter Sanctum & Sancta Sanctorum loqui videtur; atque ſic Cherubimi in hoc velo videntur ſtetiſſe inter mille flores aliaſque picturas. Sed de hiſce fuſius alibi, ubi de Tabernaculo diſputabimus. Cum hæc dicantur מעשה חשב & רקם a Moſe, niſi nos fallat Joſephus, concludi licet, veſtimenta ſacra ejuſmodi picturas, flores ſcilicet aliaque ornamenta præter animalia, habuiſſe intextos, & acu adſutos. De *balteo* ſive אבנט qui etiam מעשה רקם *opus Phrygionicum* eſt, idem Joſephus *Antiq. lib.* III. *cap.* VIII. hæc tradit: Ἄνθη δ᾽ εἰς αὐτῶν ἐνύφανται φοίνικι καὶ πορφύρᾳ μετὰ ὑακίνθου καὶ βύσσου πεποικιλμένα. *Flores illi intexti erant, ex cocco, ſcilicet purpura, hyacinthino & byſſo variatus erat.* Iſidorus *Orig. lib*, XIX. *cap.* XXI. *Abanem* (lege *abnet*) *cingulum*

ſacer-

ſacerdotale rotundum polymita arte ex cocco, purpura, hyacinthinoque contextum, ita ut flores & gemmæ in eo videantur eſſe diſtinctæ.

CCLXXVIII. Hæc quæ jam dicta ſunt de חשב & רקם opere *plumario, polymito, vario,* & ποικίλῳ ſufficerent. Quia tamen in S. Scriptura mentio fit aliarum veſtium, quam earum, quæ ſunt חשב & רקם, quæ a Græcis etiam ποικίλοι dicuntur, quales ſunt veſtes Joſephi & Thamaris Geneſ. XXXVII. & III. & II. Samuelis XIII. XVIII. lectori non ingratum fore puto, ſi & illas ſub incudum revocemus; ut, quales proprie fuerint, examinaremus. Quantum igitur ad tunicas illas, utraque dicitur כתנת פסים Sed non eodem modo exponuntur a Græcis. Tunicam Joſephi Gen. XXXVII. III. exponunt χιτῶνα ποκίλον. Vulgatus quoque *polymitum.* Lutherus ein bunten rock. Belgæ **een veel-verwigen rock/** q. d. *coloream*, quod varios habuerit colores. Galli *Hoqueton* (quæ vox a כתונת originem ſumpſit) *bigaré*, & *cotte bigarée.* Junius, *verſicolorem.* Diodati *juppe Rayée*, & *robe rayée.* Arabs توذية من ديباج *Tunicam ex ſerico*, aut potius *tunicam pictam*, ſive ex picturis conſtans. Et ſane ديباج *pictum* videtur ſignificare potius quam *ſericum*; cum verbum دبج ſignificet *figuris ornare* aut *pingere.* Non igitur videtur ſericum ſignificare, ſaltem in hoc loco, (quemadmodum a quibuſdam exponitur) niſi ob figuras, & picturas, quod ſerici panni plerumque picti ſint. Ideo illud توذية من ديباج Belgice diceres **een rock van gebloemde ſtoffe/** Græce χιτῶνα ποικίλον, ſive ἐκ τȣ̃ ποικίλȣ Jonathan & Bereſchit Rabba פרגודא *paragaudam.* Clarius adhuc Targum Hieruſ. פרגוד מצויר *Paragaudam colo:atam,* aut *pictam.* Nihil jam dicam de variis interpretationibus Bereſchit Rabba & Baal Turim, quam miſere hæc verba torqueant per Gematriam & Notariacon, ut more ſolito, populo nugas obtruderent. Nam quæcunque de tunica Joſephi dicuntur, dici etiam poſſent de Thamaris. Ex omnibus iſtis interpretationibus colligi deberet, tunicam iſtam coloream & pictam fuiſſe, non minus quam חשב & רקם. Aben Eſra כתונת מרוקמות *tunicam phrygionicam.* Non mirum igitur ſi a Græcis ποικίλος & a vulgato *polymitum* dicitur.

CCLXXIX. Cæterum כתונת פסים *chetunet paſſim* non ſemper ποικίλος a Græcis redditur, ſed & καρπωτὸς, ut Thamaris tunica,

II. Sam.

II, Sam. cap. XIII. XVIII. Eodem modo & Aquilas. Sed Aquilas nihil aliud intellexit per ſuum *καρπωτὸν* quam ſeptuaginta per τὸ ποικίλον, putat enim ita dictam fuiſſe ἀπὸ τοῦ καρποῦ a *fructu*, quod ſcilicet fructus intextos habuerit. Ita ſane explicatur a Procopio Gazæo. Χιτὼν, inquit, ἀϛραγαλωτός. Σύμμαχος χειριδωτός. Ἀκύλας καρπωτὸς ἀντὶ τοὺς καρποὺς ἐνυφασμένους, ἔχων οἱ νῦν ὃ καλοῦσιν πλουμάριον. *Tunica aſtragalotos, Symmachus Cheiridotos, Aquilas* καρπωτὸς *propter fructus, quos habet intextos, quod nunc plumarium dicitur.* Sane ſi hanc ob cauſam καρποτὸς diceretur, optimo jure etiam ποικίλος, & *plumata* & *polymitum* vocari deberet. Sed fallitur Aquilas, ſi hæc fuit illius mens. Suſpicor tamen Procopium hæc de ſuo addidiſſe. Doctior fuit Aquilas in Hebraicis, quam ut tam craſſum errorem erraret. Καρπωτὸς igitur dicitur a Septuaginta & Aquila, non propter intextos fructus, non, inquam, ut ſignificaretur fuiſſe polymitum, plumatum & ποικιλτὸν, ſed quod talaris fuerit, & manicata uſque ad carpum, ſeu volam manus. Sane ita deſcribitur à Poſidonio Stoico apud Athenæum *lib.* XII. ἐφ' ἧς χιτωνίσκον ἐνδεδυκὼς ποδήρη μέχρι καρπῶν χειρίδας ἔχοντα. Nota hanc tunicam, quam dicit habuiſſe *manicas uſque ad carpum* vocari *talarem.* Scilicet quia καρπωτὸς & ποδήρης eſt eadem, cum talaris ſemper manicas habere ſoleret, & manicatæ plurimum talares fuerint. Hinc effeminati iſti Juvenes, qui in partibus Catilinæ erant, a Cicerone II. *Catil.* dicuntur veſtiti *manicatis & talaribus tunicis.* Hæc etiam ratio eſt, quod eadem tunica פסים *paſſim* Thamaris, ut a Septuag. dicitur καρπωτὸς, a vulgato *talaris* vertatur. Nemini, qui vel mediocriter verſatus eſt in Judæorum commentariis, mirum videbitur, tunicam פסים a Græcis, præſertim ab *Aquila*, qui inter Hebræos doctiſſimus fuit, verti καρπωτὸν, quaſi diceres *talarem & ad carpum manicatam.* Sic enim hanc tunicam explicare ſolent. *Bereſchit Rabba, Paraſch.* LXXXIV. שהיתה מגעת על פס היד: *quia pertingebat* (ſcilicet manicæ pertingebant) *ad carpum manus.* Et ſane non mirum, cum Hebræis פס *pas* ſignificet & volam, ſive carpum manus, & plantam pedis, ut optime & *talaris* ob plantam pedis, & *manicata* ob volam manus dici potuerit. Idem intellexiſſe videtur Baal Hatturim, cum dicat פסים per Gematriam eſſe פס יד לו, id eſt utriuſque literas facere cxc. Quod addit Bereſchit Rabba פסים dici שהיתה דקה וקלה ביותר ונטמנה בפס יד: *quia erat valde tenuis & levis, ut*

in vola manus abſcondi potuerit, inter Judæorum ſuavia deliria numerandum eſt.

CCLXXX. Sed ne diutius inhæreamus aliorum interpretamentis, multo minus Rabbinorum nugis, dicam quid & ego ſententiam de *tunica paſſim.* Manicatam & talarem, ideoque vere καρπωτὸν fuiſſe, vix dubito; tunicam etiam pictam fuiſſe, opus polymitum, & ποικίλον, non auſim negare; immo talem fuiſſe eo facilius inducerer ut credam, quia tunica Thamaris regium veſtimentum dicitur, aut ſaltem tale quod Regum proſapiam decebat. Sed totam conſtitiſſe ex ejuſmodi polymito, etiam non habeo quod me plane perſuaderem. Nullus igitur dubito פסים *paſſim* dictam fuiſſe ob præcipua ornamenta, quibus decorabatur, & quæ ſunt ipſiſſima Passim. Hæc autem fuiſſe puto, non integram texturam, ſed certas quaſdam inſtitas, ſive limbos quos habuit aſſutos, quos etiam lora & paragaudas vocare ſolent veteres. Notum eſt פס & פִּסָּה Hebræis *fruſtum* eſſe, partem, ut Pſalmo LXXII. XXVII. פסת בר *Particula frumenti.* Et hinc puto derivari Gallorum *piece, fruſtum*, aut *pars.* Hebræorum itaque כתנת פסים, ad verbum eſt, *Tunica fruſtorum*, Gallice *une robe de pieces.* Ita ſane habet Chaldæus כתונא דפסי, quod aliter non poteſt verti, quam *tunica particularum.* Sed quando Latini ita non amant loqui, vertere mallem: *Paragaudam* cum Targum Hieroſolymitano & Jonathane. Græci dicerent χιτῶνα πεζοφόρον, quod idem eſt ac ſi diceres *paragaudam.* Eſt enim *paragauda* veſtis, pannis & inſtitis variorum colorum & picturarum, prætexta, uti docet Salmaſius *ad Vopiſcum in vita Divi Aureliani.* Sic πέζαι & περιπέζια ſunt *limbi & inſtitæ*; & πεζοφόρον quod ejuſmodi limbos prætextos habet Pollux *lib.* VII. cap. XIII. τὸ δὲ ζῶμα, ἔστι μὲν ἐπιτήδειον ἐνδύναι. πέζας δὲ ἔχει ὡς Αἴσχυλος δηλοῖ πεζόφορα ζώματα ἀποκαλῶν. *Zoma eſt veſtimentum commodum. Habet autem limbos, teſte Æſchylo, qui id vocat Zoma habens limbos.* Et *capite* XIV. ubi de paribus veſtimentorum αἱ δὲ περὶ τὰς ὤας παρυφαὶ, καλοῦντες πέζαι καὶ πεζίδες, καὶ περίπεζα, τὰ οὕτω παρυφασμένα· οἱ δὲ πεζοφόροι χιτῶνες ἢ οἱ ποδήρεις, ἢ οἱ πέζας ἔχοντες, Ξενοφῶν ἔφη κανδύλιν ὁλοπόρφυρον. *Quæ autem circa oras ſunt prætexta, pezæ* (limbi) *vocantur, & limbi, & limbis ornata, qui ita prætexta ſunt. At vero tunicæ limbiferæ ſunt aut talares tunicæ, aut illæ quæ limbos habent. Xenophon Candyn totam purpuream vocat.* eodem ſenſu accipitur Heſychio, quem vide ſi placet.

Pas-

CCLXXXI. Passim itaque in tunicis Joſephi & Thamaris, fuerunt πέζαι ſive limbi & fimbriæ circa oras tunicis adſutæ. Ideo πέζαι a Polluce dicto loco inter μέρη τῶ ἐσθητῶν numerantur. Audacter etiam auſim adfirmare vocem illam πέζαν Hebræam eſſe, eandem ſcilicet, cum פס פסה & Gallorum *piece*. Nota quæſo ſemper idem ſignificare quod Hebræorum פס *pas*, & פסה *piſſa*. Non tantum ejuſmodi inſtitas, limbos & fimbrias in veſtimentis, ſed & *carpum* manus & *plantam* pedis. Ergo כתנת פסים eſt χιτὼν πεζοφόρος, quæ habet inſtitas & limbos adſutos: de qua *Horatius*:

Quorum ſubſuta talos tegit inſtita veſte.

Et cum πέζαι & פסים quoque ſignificent talos pedum & carpum manus, non mirum ſi ejuſmodi tunicæ dicantur, modo *talares*, modo *manicatæ*, eo magis ita dici poſſunt, cum ejuſmodi tunicæ talares etiam manicatæ eſſe ſolerent, & inſtitas, limboſque habere ſolitæ fuerint adſutos ad talos, ut ait Horatius, & ad carpum manus. Optime igitur Salmaſius *ad Flavium Vopiſcum, in vita D. Aureliani. Quemadmodum talares tunicæ circa extremitatem inſtitis erant prætextæ, & faſciis verſicoloribus, ſic etiam circa manum, ubi manicæ variis & picturatis limbis variegatas & fimbriatas fuiſſe minime dubium eſt. Cæſar Iulius, referente Suetonio, utebatur laticlavia tunica ad manus fimbriata. Veſtis igitur illius Hebraicæ notio ex diverſis pannis conſutæ in Ioſepho & Thamare, tam talari tunicæ quam manicatæ convenire poteſt.*

CCLXXXII. Ex his quæ jam dicta ſunt facile colligi poteſt, unde originem ſumpſerint, noſtra **paſſementen**/ ut Germanice & Belgice dicuntur, Gallice *paſſemens*. Ego minime dubito eadem eſſe ac Hebræorum Passim. Nam etſi hodie per *paſſements* certum aliquod genus tantum faſciarum & fimbriarum ex argento, ex auro & ſerico, quibus veſtes ornare ſolemus, intelligamus, commode tamen omnes *limbi, inſtitæ, fimbriæ, faſciæ, lora, paragaudæ* & id genus alia, quibus veſtes prætexi ſolent hodie, & quæ a nobis vocantur *Kanten*, Gallice *dentelles*, cum apud nos plerumque dentata eſſe ſoleant, & Germanorum Leiſte/ *Paſſements* dici poſſunt, ſi reſpicias originem vocis, nempe פסים PASSIM. Silentio non eſt prætereundum, veteres tunicas, talares & manicatas præcipue, pinxiſſe & arte plumaria ornaſſe, circa oras ad talos & ad manus. Hinc Belgarum **boorduren** plumare, a **boort** quod Belgis oram veſtis ſignificat, & ab hoc Galli ſuum ſumpſerunt,

runt, *brodé*, quaſi *bordé*, a *bord* aut potius Belgarum **boozt**. Nota etiam vocem hanc in numero plurali ſumi פסים non autem פס, quia plura habuit ejuſmodi lora & limbos. Tales enim plerumque eſſe ſolent veſtes ornatiores, cum apud veteres tum apud nos, ad hunc uſque diem. Hinc *monolores* tunicæ, quæ unico loro aut limbo tantum ornatæ erant, aliæ *dilores*, *trilores* & *pentelores*, quaſi diceres: *une robe a une dentelle ou paſſement, à deux paſſements, à trois paſſements, & à cinq paſſements.* **Met een kante / of paſſemente / met twee / met drie / of met vijf paſſementen of kanten**; de quibus vide Vopiſcum *in vita D. Aureliani.* כתנת פסים igitur Joſephi & Thamaris nihil aliud fuit quam χιτὼν ποζοφόρος limbis & loris prætexta, quam Germanice & Belgice diceres, **Ein rock mit paſſementen.** Gallice, *Une robe aux paſſements.*

CCLXXXIII. *Tunicam* Joſepi Patriarchæ, *tamquam* κειμήλιον *pretioſiſſimum, reſervari in Bibliotheca Bodleiana, mihi narravit Nobiliſſimus Ienkinſius, Magnæ Britaniæ Regis in Comitiis Neomagenſibus legatus*, anno CIϽIϽCLXXVIII. *Ejuſdem deſcriptionem a me deſiderari, cum audiviſſet, vir Excellentiſſimus, ut ex Anglia ſibi mitteretur, curavit, eamque, hiſce typis jam exaratis, mihi tradidit. Qualiſcumque illa tunica & in cujus uſum olim fuerit confecta, docto atque curioſo Lectori non fore ingratum confido, ſi & ejus Deſcriptionem, qualis mihi eſt exhibita, hic nunc addam. Patebit eam non male convenire, cum iis quæ de* TUNICA PASSIM *diximus, præſertim quæ obſervavimus de* fruſtis, inſtitis & paragaudis. *En tibi ipſam Deſcriptionem.*

Inter Bibliothecæ Bodleianæ κειμήλια ſervatur variegata quædam Tunica, quæ vulgo Joſephi eſſe dicitur, longitudine quatuor pedes cum dimidio æquat, quaſi paulo infra genua vel ad medias ſuras promiſſa fuerit. Manicas habet laxiores ſed breves. Vix ultra brachii cubitum pertingentes. Nullas umquam habuit fibulas, nec quidvis aliud quo anteriora clauderentur: ſed aperta ſemper manebat ad modum veſtis quam Angli nuperis annis gerentes vocabant Tunicam, cujus etiam formam apprime æmulatur non enim corpori ſtricte adhæret, ſed paulo laxior dependet. Unde venerit, vel quis fuerit primus poſ-

poſſeſſor hodie ignotum. Conſtat ex pellibus agninis breviori lana aut villa tectis: quæ quidem pelles ſunt partim candidæ, partim vero ceruleæ & ſubfuſcæ, ea arte & curioſitate conſutæ, ut nihil eo in genere pulchrius fingi poſſit. Univerſa enim Tunica conſarcinata eſt ex parvis fruſtulis, egregia arte & ſummo labore compoſitis ſecundum varias figuras (non autem florum nec animalium) quæ alternatim eo ordine collocata ſunt, ut intuentibus haud parum delectationis afferat. Jam vero lacera eſt, aliquid a vetuſtate & contrectantium injuria paſſa. Ex libris rationum Academiæ conſtat, eam olim publicis impenſis refectam, ſub nomine Tunicæ Ioſephi.

CCLXXXIV. Quarta & ultima vox, quæ circa texturam & ornatum veſtimentorum ſacrorum explicanda nobis reſtat, eſt משזר *moſchzar* aut שש משזר *ſcheſch moſchzar* Primum de Ephodo dicitur quod fuerit שש משזר Exodi XXVIII. VI. & cap. XXXIX. II. Deinde de חשב אפדה cap. XXVIII. VIII. & XXXIX. V. Tandem de חשן ſive pectorali. cap. XXVIII. XV. & cap. XXXIX. VIII. *S*ed & de multis partibus Tabernaculi quoque legitur, ut de יריעות Exodi XXVI. I. & פרכת eodem cap. verſ. XXXI. & cap. XXXVI. XXXVII. Et מסך לפתח האהל: Exodi XXVI. XXXVI. Et XXXVIII. XVI. Et קלעים. Exodi XXVII. IX. Et XXX. VIII. IX. XVI. Et החצר Exodi cap. XXVII. XVIII. Semel reperitur משזר abſque שש ut Exodi XXXIX. XXIV. ubi de רמונים על שולי המעיל: *ſacris fimbriis in pallio* P. M. Obſervandum tamen eſt ibi Maſoram annotare חסר שש *Deficit* שש. Cenſet itaque ibi quoque legendum eſſe שש משזר ut ubique alibi. Et ſane fuiſſe Codices quoſdam in quibus vox שש juncta erat in iſto loco, cum משזר, concludere quis poſſet ex ſeptuag. qui habent βύσσον κεκλωσμένῳ, quemadmodum τὸ שש משזר ſemper exponunt. Habent tamen & βύσσον νενησμένῳ ut Exodi XXXVI. XXVI. XXXI. & cap. XXVII. XVIII. Sed & hoc factum fuiſſe videtur incuria librariorum, nam in utroque loco coccinum dicitur κόκκινον κεκλωσμένον, cum alias νενησμένον diceretur. Videtur itaqne byſſo adſcribi, quod coccino attribuere ſolent Græci. Vulgatus habet *byſſum retortam*. Lutherus, gezwirnt. Galli, *fin lin retors*, Belgæ **fijn getwernt linden.** Chaldæus בוץ שזיר Arabs. كتانا مفتولا Omnes iſtæ in-

terpretationes eo redeunt; שש משזר *Scheſch Moſchzar* fuiſſe *byſſum retortam.* Et optimo quidem jure: שזר enim ſignificat *torquere.*

CCLXXXV. Supra jam oſtendimus *polymita* dici, non tantum propter varietatem ornamentorum & colorum, ſed & propter plurima licia, quæ genuina eſt ſignificatio τ πολυμίτου: eſt enim μίτος filamentum. Ideo Plinius: *plurimis liciis texere quæ polymita appellant.* Hinc ἑξάμιτον, *ſex liciorum*, & *dimita*, & *trimita. bilices* & *trilices*, ut & Germanis vox corrupta Zwilch & Trilch: quamvis ejuſmodi telæ Germanis ſic videantur dici, non quidem ob fila & licia retorta, ſed propter licia variantia in jugo inter texendum, quo tela ornatior & denſior firmiorque fieret, quod Belgæ **gekepert** vocare ſolent, quales ſunt telæ lineæ illæ quas Belgæ **pellen/** Galli *ſerviettes* appellant, & panni ſerici Gallis & Belgis *du ſatin.* Sic *variantibus liciis* varias picturas intexi ſolere, audivimus jam ſupra ex *Trebellio Pollione*, & ex *Ammiano.* Quamvis autem veriſimile ſit elegantiſſima illa polymita in veſtitu ſacro, ita texta fuiſſe de variantibus liciis, tamen non auſim adfirmare, hanc ob cauſam tantum dicta fuiſſe משזר aut שש משזר. Sed ideo quia fila ipſa duplicata & contorta fuerunt. Et ſane licia ita ſæpiſſime fuiſſe contorta, patet ex iis quæ jam jam attigimus, nempe ex ἑξαμίτοις *dimitis*, *trimitis*, *bilicibus*, & *trilicibus.* Tunicam ex triplici licio habuiſſe Hippium, legimus apud Apulejum *lib.* II. *florid. Habebat tunicam interulam tenuiſſimo textu, triplici licio.* Sed & Neoptolemum habuiſſe, *Loricam conſertam hamis, auroque TRILICEM*, ſupra ex Virgilio audivimus. Ex Indiis Orientalibus nobis quotannis advehuntur telæ ex Xylino ſubtiliſſimo, ex filis retortis, quorum ſingulum tribus aut quatuor filis conſtat. Tales ſunt etiam plures panni ſerici quos *ferandin*, *bout de ſoye* vocamus, & noſtrorum Hollandorum ex pilis caprarum panni, quos *Camelot de Hollande* dicunt Galli, quorum ſtamina eſſe ſolent ex filis binis aut tribus, ſubtemina ex tribus, IV. V. etiam VI. filis in unum retortis, adeo ut, ſi ſtamen ſit duorum, ſubtemen autem quatuor filorum, id Gallis dicatur: *Camelot de ſix fils*, Belgis, **ſes draet.** Si ſubtemen VI. filorum, id eſt ſex duplum intexitur ſtamini duorum filorum, vocatur *huit fils*, **acht draet/** i. e. octo filorum, & ſic de reliquis. משזר idem omnino ſignificat, id eſt texturam non tantum de variantibus liciis, ſed & quorum ſtamina & ſubtemina ex pluribus filis retorta erant.

Sed

CCLXXXVI. Sed quot fuerint filorum ſingula licia, tam facile definiri non poteſt. Ex voce שש quæ ſemper cum τῷ משור juncta reperitur, videtur poſſe colligi ſextuplicia fuiſſe ſingula lina, שש enim *ſex* ſignificat, unde & Græcorum ἕξ & fere omnium populorum *ſex*. Sed quoniam eadem vox materiam quoque ſignificat, puta linum aut byſſum, ut ſupra oſtendimus capite ſexto, videtur, magis debere intelligi de materia quam de certo aliquo numero. Ideo שש משור ſignificare videtur, non *ſexduplo retortum*, ſed *byſſum retortam*. Hoc ſenſu ſane ſumitur a vulgato, Luthero, Gallis, Chaldæo, & a Græcis, ideo ſemper duas has voces copulant: βύσσος κεκλωσμένη שזיר בוצא *byſſus retorta*, *du fin lin retors*, & Lutherus gezwirnte Seyde / ubi Lutherus tamen errat, cum habeat *ſericum* pro *byſſo*, quemadmodum id ſupra oſtendimus. Quotuplicia autem fuerint fila illa inde non conſtat. Dicitur tantum שש משור *byſſus retorta*, ſed quot fila in unum torta fuerint non exprimitur. Quoties illud משור de byſſo dicitur, verpuli volunt id ſexduplum fuiſſe, id eſt ſex fila in unum fuiſſe contorta; ut illis idem ſit ac Græcorum ἑξάμιτον Gemarici *Ioma c.* VII. ת״ר דברים שנ׳ בהם שש חוטין כפול ששה. *Docent doctores noſtri, res de quibus dicitur*, שש, *de illis intelligendum eſt, fila ſexdupla eſſe.* Et in *Codice Sevachim cap.* II. בגדים שנ׳ בה בד צריכין שיהו של בוץ חרשים שזורין שיהא חוטן כפול ששה. *Omnes veſtes de quibus dicitur BAD, neceſſe eſt ut ſint ex byſſo, novæ, retortæ ut ſint ex ſextuplici filo.* Hinc Maimonides *Kele Hammikd. cap.* VIII. כל מקום שנאמר בתורה שש או שש משור צריך שיהי׳ החוט כפול ששה׳ ומקום שנא׳ בד אם היה חוט אחד לבדו כשר ומצוה מן המובחר שיהיה כפול ששה: *Ubicunque in lege reperitur* שש *aut* שש משור *neceſſe eſt ut fila ſint ſexdupla. Et ubi dicitur bad, ſi ſit unicum filum ſimplex, legitimum eſt. Sed præceptum de optimo requirit ut ſit ſexduplum.*

CCLXXXVII In tota ſacra ſcriptura τὸ משור nunquam dicitur, niſi de שש ſive *byſſo*, ſaltem quantum ego obſervavi. ideoque videtur ſolam *byſſum* in S. Veſtitu fuiſſe retortam, non autem lanam, quæ dicitur, תכלת ארגמן תולעת שני *hyacinthinum*, *purpura* & *coccinum*. Unicus tamen locus exſtat ubi משור reperitur abſque שש, ideoque videtur hyacinthino, purpuræ & cocco quoque convenire: nempe Exodi XXXIX. XXIV. ubi de ſacris fimbriis, in pallio P. M. quæ jubentur fieri ex תכלת ארגמן תולעת שני משור *hyacinthino*, *purpura*

& cocco retorto. Sed, quemadmodum jam modo obſervavimus, Maſora ad locum iſtum adnotavit, ibi deficere שש, ita ut ſecundum Maſoram, & ipſæ fimbriæ factæ fuerint, non tantum ex hyacinthino, purpura & cocco, ſed & byſſo, de qua proculdubio illud משזר *retortum* intelligi debet: de quibus fuſius, ubi ad מעיל deventum fuerit. Et ſane ſi de veſtibus ſacris & earum textura judicamus ex veterum arte, qua polymita & *ποικίλα* texi ſolebant, ego facile inducerer ut crederem, nulla fila ſexdupla fuiſſe præter byſſina; lanea non ita, niſi quod aurum fortaſſis filis laneis immixtum fuerit. Et cum hæc veſtimenta fuerint שעטנז *duplicis materiæ*, ex lana & lino, videntur ſtamina eorum ex byſſo ſexduplum contorta ſubtemen autem ex lana & auro, conſtitiſſe, quamvis Judæorum Magiſtri nullam agnoſcant differentiam inter ſtamen & ſubtemen, ratione contorſionis filorum, omnia enim eodem modo retorta fuiſſe, & ſtamina & ſubtemina docent, ut mox oſtendemus. Sane ſtamina linea fuiſſe, quando linum miſcebatur cum lana, ſerico, aut goſsypio, varii auctores monent. *Pollux lib.* VII. *cap.* XVII. ubi de goſsypio, docet ex eo ſubtemem fieri ſolere, ſed ſtamen eſse lineum, *ἀφιοῦ*, inquit, *κρόκη γίγνεται, τὸν δὲ στήμονα, ὑφιστᾶσιν ἀπὸ λινοῦ*. Talia ſuiſse ſubſerica, tempore primorum Imperatorum, quorum ſtamina fuerint linea, ſubtemen autem ſericum, ſupra obſervavimus. In veſtibus quibus aurum intextum fuit, aurum in ſubtemine tantum reperiebatur, non in ſtamine, ſiquidem aurum eſt durum & rigidum, quod cum ſtamine, quod tenax & molle eſse debet, quo facilius moveretur inter texendum, convenire non poteſt. Ideo Virgilius *Æn. lib.* III. ſubtemini aurum adſcribit.

Fert picturatas auri ſubtemine veſtis.

Ad quem locum Servius optime annotavit *aurum in trama reperiri, in ſtamine non poſſe.* Suſpicor itaque veſtes Sacerdotum quoque habuiſse ſtamina ex byſso ſenis filis retorta, ſubtemen autem ex lana & auro, ex quibus variantibus liciis inter texendum, ut & acu, variæ figuræ adpingebantur. Balteum ſtamen habuiſse lineum, tramam autem laneam docet Joſephus *Antiq. lib.* III. *cap.* VIII. *ἄνθη δ' εἰς αὐτὴν ἐνύφανται φοίνικι καὶ πορφύρᾳ καὶ ὑακίνθου, καὶ βύσσου πεποικιλμένα. στήμων δ' ἐστὶ μόνη βύσσος.* Igitur variatus fuit quidem balteus laneis filis, coccineis ſcil. purpureis, & hyacinthinis, ex quibus per acum elegantiſſimi flores adpingebantur, ſed ſtamini

byſſino

byſſino ſenis filis duplicato. Utrum idem non intelligat de omnibus veſtibus, quæ ex lana & lino conſtabant, quales erant Ephod & pectorale, valde dubito, eo magis cum id tam expreſſis verbis addat, tunc cum primum veſtimentum ex lana & byſſo deſcribit, *ſtamen autem byſſus tantum eſt.*

CCLXXXVIII. Nihilominus ſi Hebræorum Magiſtris fides adhibenda eſt, non tantum byſſus retorta fuit, ſed & cætera filamenta omnia lanea, *hyacinthina*, *purpurea & coccinea.* Tradunt enim שש ſignificare *ſexduplum*, משור *octo*, in pallio fuiſſe duodecim fila duplicata, in pectorali & Ephodo viginti octo. Sed ut eorum mentem clarius intelligamus, illos ipſos audiamus. *Ioma cap.* VII.

ת״ר דברים שנ בהם שש חוטן כפול ששה משזר שמנה מעיל שנים עשר פרכת
עשרים ארבעה חשן ואפוד עשרים ושמנה כפול ששה מנא לן דאמר קרא ויעשו
את הכתונת שש ואת מצנפת שש ואת פארי המגבעות שש ואת מכנסי הבד שש
משזר חמשה קראי כתיבי הד לגופיה דכיתנא. ניהוו וחד שיתא חוטן כפול ששה
וחד שיהיו שזורין וחד לשאר בגדים שלא נאמר בהן משזר שמנה מנא לן דכתיב
שש וחד לעכב וגו ועשו על שולי המעיל רימוני תכלת וארגמן Et paulo poſt
ותולעת שני משזר ויליף משזר מפרוכת מה להלן כ״ד אף כאן כ״ד דהוה כל הר
וחד תמני ונילף מחושן ואפור מה להלן כ״ח אף כאן כ״ח דוין דבר שלא נאמר בו
זהב מדבר שלא נאמר בו זהב לאפוקי חושן ואפוד שנא׳ בהן זהב אדרבה דנין בגד
מבגד לאפוקי פרוכ׳ דאוהל הוא אלא דנין מאבנט ודנין בגד ודבר שלא נאמר בו
זהב מבגד ודבר שלא נא בו זהב ואין דנין דבר שאין בו זהב מדבר שיש בו זהב
רב מרי אמר תעשנו כתיב תעשנו לזה ולא לאחר רב אשי אמר ועשית כתיב שיהו
כל עשיות שוות והיכי נעביד תלתא דעשרה הוו להו תלתין נעביד תרי דתשעה תשעה
וחד דעשרה אמר קרא ועשית שיהיו כל עשיות שוות מעיל שנים עשר מנא לן דכתיב
ועשית את מעיל האפוד כליל תכלת ויליף תכלת תכלת מפרוכת מה להלן ששה אף כאן
שש׳ ונילף משוליו ורימוניו מה להלן שמונה אף כאן שמונה דנין כלי מכלי ואין
דנין כלי מתכשיט כלי אדרבה דנין גופו ואין דנין גופו מטלטא היינו דאמרינן לשאר
בגדים שלא נא בהן שש פרכת עשרין וארבעה דשיתא שיתא לא זינא
ולא דיינא חושן ואפוד עשרין ושמונה מנא לן דכתיב ועשית חושן משפט מעשה חושב
כמעשה אפד תעשנו זהב תכלת וארגמן ותולעת שני ושש משזר ארבעה דשיתא שיתא
עשרין וארבעה זהב ארבעה הא עשרין ותמניא ואימא זהב נמי ששה אמר רב אחא
בר יעקב אמר קרא וקצץ פתילין פתיל פתילים הרי כאן ד׳ רב אסי אמר אמר קרא
לעשות בתוך התכלת ובתוך הארגמן היכי נעביד נעביד ארבעה דהרי תרי הוו
להו תמניא נעביד תרי דתרי תרי ותרי וחד וחד ועשית שיהיו כל עשיות שוות׃

Docent Doctores noſtri: in rebus de quibus dicitur שש *oportet ut fila ſena retorta reperiantur:* משור *octona: Pallium filo duodeno conſtat:*

velum viginti quatuor: Pectorale & Ephod viginti octo. Unde autem diſcimus ſena fila fuiſſe retorta? Quia Scriptura dicit: (Geneſ. xxviii) & facient tunicam שש, & tiaram שש, & ornamenta pileorum שש, feminalia linea משזר שש. *Quinque loca in Scriptura reperiuntur. unus propter veſtimentum ipſum, quod deberet eſſe ex lino: unus ut eſſent fila ſena; unus ut eſſent retorta. Unus propter cætera veſtimenta, de quibus שש non exprimitur; & unus ad impediendum* (ſcilicet ad indicandum, aliter fieri non poſſe ſine piaculo.) *Unde diſcimus octona retorta? Ex eo quod ſcriptum eſt,* Geneſ. xxxix. & facient fimbrias pallii malogranata ex hyacinthino, purpura, & coccino retorto. *Quomodo fuerit retortum, docemur ex velo. Sed quid ibi obſervamus? viginti quatuor ſcil. conſtitiſſe filis, igitur & hic viginti quatuor reperiri debent, quia quodlibet filum* (quælibet ſpecies filorum, hyacinthinum, purpureum, & coccinum) *octo filis conſtabat. Sed diſcamus ex pectorali & Ephod. Quid? ſi ibi reperiuntur viginti octo fila, totidem itaque & hic reperiri deberent. Oportet judicari de re in qua non eſt aurum ex alia re quæ non continet aurum, ut exciperentur Pectorale & Ephod quæ conſtant ex auro. Multo magis judicandum eſt de veſtimento ex alio veſtimento, ad excipiendum velum Tentorii. Sed judicandum eſt ex balteo, ex veſte & ex re de qua non dicitur aurum, ſecundum aliam veſtem & rem de qua etiam non dicitur aurum. Non autem judicamus de re in qua non eſt aurum, ſecundum rem in qua non eſt aurum. Doctor Mare dicit legimus:* facies illud; *At* facies illud, *de hoc quidem ſcriptum eſt, non de alio. Doctor Aſche dicit ſcriptum eſt:* Et facies, *ut omnia opera ſimilia eſſent ſibi. Sed quomodo faciemus? Sumamus ter decem, habebis triginta. Sumamus bis novem & ſemel decem. Scriptura dicit:* & facies, *ut omnia opera eſſent ſimilia. Pallium duodeno filo conſtitiſſe, unde probatur? Quia ſcriptum eſt:* & facies Pallium Ephodi totum hyacinthinum. *Diſcimus hyacinthinum ex hyacinthino veli. Sed quid ibi reperies? Dicam ibi ſex fuiſſe, ideo & hic ſex fuiſſe. Igitur id diſcemus ex fimbriis & malogranatis. Quid ibi erat? Octo,* (ſcil. fila) *etiam hic ſunt octo. Iudicamus veſtes ex veſte, non autem veſtes ex ornamentis veſtium. Multo magis judicamus rem ipſam,* (i. e. in qua eſt ornamentum) *non autem rem aliquam in genere. Et hoc eſt quod diximus de reliquis rebus, in quibus nulla reperitur byſſus. Quantum ad vela, quod conſtiterint viginti quatuor filis, quater ſcilicet ſenis, nemo eſt qui dubitet.*

bitet. Sed unde probabimus Pectorale & Ephodum viginti octo conſtitiſſe? Quia ſcriptum eſt: & facies pectorale judicii, opus pectoralis facies ut opus Ephodi, ex auro, hyacinthino, & purpura, & coccino, & byſſo retorta. *Quater ſena facient viginti quatuor, & quatuor fila aurea, facient viginti octo. Sed dicam ego: ſunt etiam ſex fila aurea. Ad hæc reſpondet Doctor Acha, filius Iacobi: Scriptura dicit:* (Exodi XXXIX.) Et ſcindes filamenta, *filum ex filis binis; ecce erunt quatuor fila aurea. Doctor Aſſe dicit: Scriptura dicit:* erunt inter hyacinthinum, & inter purpuram. *Quomodo hoc fiet? Sumamus quatuor fila quæ ex binis conſtant, habebimus octo fila. Sumamus duo, quæ binis conſtant, & duo quæ unico tantum conſtant. Sed legimus,* facies, *ut omnia opera ſibi eſſent ſimilia.* Codice *Sevachim capite* II. בגדים שנא׳ בהם בד צריכין שיהו של בוץ חדשים שזורין שיהא חוטן ששה: *Veſtimenta quæ dicuntur BAD, debent eſſe byſſina, & nova, retorta ſenis filis.*

CCLXXXIX. Ex his cæteri Hebræorum Magiſtri deſumpſerunt ea quæ tradiderunt de ſacro veſtitu, imprimis Maimonides *Hilch. kele Hammikd. cap.* VIII. כל מקום שנא בתורה שש או שש משזר צריך שיהיה החוט כפול ששה ומקום שנא׳ בד אם היה חוט אחד לבדו כשרי ומצוה מן המובחר שיהיה כפול ששה ומקום שנא׳ בו משזר בלבד צריך שיהיה חוטן שמונה: *Ubicunque dicitur in lege* שש *aut* שש משזר *neceſſe eſt ut fila ſint retorta ſexdupla. Ubi autem dicitur BAD, legitimum eſt ſi unico filo tantum conſtet. Sed præceptum de Optimo requirit ut ſit ex filo ſexduplo; Et ubi dicitur* משזר *tantum, neceſſe eſt ut ſit ex octo filis retortis.* Et *capite* IX. מעיל *pallium* docet factum ex filis duodecim duplicatis. המעיל כולו תכלת וחוטיו כפולין שנים עשר. *Pallium totum eſt hyacinthinum, & fila ejus retorta ſunt ex duodecim filis.* Et paulo poſt ubi de fimbriis in pallio: מביא תכלת וארגמן ותולעת שני כל מין משלשתן שזור שמונה לפי שנא׳ בשוליו משזר נמצאו חוטי השולים כ״ח׳ *ſumit hyacinthinum, purpuram & coccinum, omnes tres illas ſpecies retortas octonis filis, quia dicitur de fimbriis* משזר, *ſic reperiuntur in fimbriis viginti octo fila.* Et mox *Halac.* v. clarius docet qua ratione jungantur fila aurea, hyacinthina, purpurea & coccinea, ut fierent viginti octo fila. לוקח חוט אחד זהב טהור ונותנו עם ששה חוטין של תכלת וכופל השבעה חוטין כאחת׃ וכן הוא עושה חוט זהב עם ששה של ארגמן׃ וחוט אחד עם ששה של תולעת שני וחוט עם ששה של פשתים׃ נמצאו ארבע חוטי זהב׃ ונמצאו כל החוטים שמנה ועשרים שנא׳ וירקעו את פחי הזהב וגומר לעשות בתוך התכלת׃

תכלת ובתוך הארגמן ובתוך תולעת שני ובתוך השש מלמד שחוט זהב כפול בתוכן׃ *Sumunt filum aureum unum ex auro puro, & jungunt illud cum ſex filis hyacinthinis, & torquent ſeptem in unum. Sic etiam miſcent filum aureum cum ſex purpureis, & unum cum ſex coccineis, & unum cum ſex filis lineis: ita reperiuntur quatuor fila aurea; atque ſic reperiuntur in totum viginti octo; prout dicitur* (Exod. XXXIX. verſ. III.) Et extenderunt bracteas auri, & inſerebant inter hyacinthinum & inter purpuram, inter coccinum & inter byſſinum. Unde docemur filum auri fuiſſe inter ea. Sed nemo clarius quam Jarchius ad cap. XXVIII. verſ. VIII. חמשת מינים הללו שזורין בכל חוט וחוט היו מרדדין את הזהב כמין טסים דקים פתילים מהם וטווין אותו חוט של זהב עם שש חוטין של זהב עם שש חוטין של ארגמן וכן בתולעת שני וכן בשש שכל המינין חוטן כפול ששה וחוט זהב עם כל אחד ואחד ואחר כך שוזר את כלם כאחד נמצא חוטן כפול עשרים ושמנה׃ *Quinque iſtæ ſpecies*, (hyacinthinum, purpura, coccinum, byſſinum & aurum) *ſingulæ torquentur ſeorſum in filum unum. Extendunt enim bracteas aureas, inſtar laminæ tenuis, & ſcindunt ex iis fila quædam, nempe filum auri cum ſex filis hyacinthini, & filum auri cum ſex filis purpuræ. & ſic agunt cum coccino, cum byſſo, ut ſingula ſpecies conſtaret ex ſex filis, filumque auri miſcent cum ſingula ſpecie, deinde torquent omnia iſta fila in unum, atque ſic reperiuntur viginti octo fila in unum torta.* Hæc autem omnia probat ex Talmude & S. Scriptura. Sic enim mox addit: וכן מפורש במסכת יומא ולמד מן המקרא הזה וירקעו את פחי הזהב וקצץ פתילים לעשות את פתולו הזהב בתוך התכלת ובתוך הארגמן וגו׳׃ *Atque ſic exponitur in Codice Ioma, doceturque ex hoc loco Scripturæ*: Et extendent laminas auri, & ſcindent fila ut miſcerent illa cum filis hyacinthinis, & cum filis purpuræ, &c.

CCXC. Ex his itaque docemur, fila in veſtibus ſacris non tantum retorta fuiſse, ſed etiam ex multis filis fuiſse retorta: & ſimul diſcimus quot fila adhibita fuerint in quolibet genere veſtimentorum. Sed utrum Magiſtrorum Judæorum argumenta procedant, docti viderint. Nobis ſufficiat illa indicaſse. Hoc ſaltem dicere auſim, illud argumentum quo probare conantur τὸ משזר octono filo retortum ſignificare in מעיל *pallio*, Exodi XXXIX. verſ. XXIV. eſse plane ſtramineum, cum fortaſſis ibi plures ſpecies fuerint quam illi putant, ſcilicet non tantum purpura, coccinum & hyacinthinum, ſed & byſsus: ſiquidem Maſora ad locum iſtum animadvertit

tit (uti ſupra docuimus) שש הסר id eſt, *Scheſch deficit*, quod eo magis veriſimile eſt, cum Septuaginta vocem βύσσον non omiſerint. Sane ſi veſtimentorum illorum quædam conſtabant ex viginti quatuor, aut viginti octo filis in unum tortis, cum in ſtamine tum in ſubtemine, non poſſum comprehendere quomodo חשב & רקם id eſt polymitum, plumarium & variis floribus variatum opus, fieri potuerit: cum in ποικίλοις operibus eadem fila, & iidem colores, non ubique adhiberi poſſint, id enim nec per texturam nec per acum fieri poteſt, alias per totam telam ubique eoſdem colores figuraſque conſpiceres. De variantibus itaque liciis id fieri poteſt, ut colores varient, & diverſas figuras componant, cum ſcilicet nunc albus color adhibetur, nunc hyacinthinus, nunc purpureus, mox coccineus, tandem aureus. Quicquid igitur tradiderint Hæbræorum ſapientes de XXIV. aut XXVIII. filis, id omne inter Rabbinorum ſuavia deliramenta numerandum videtur. Nec eſt quod id probent ex c. XXXIX. Exodi v. III. ubi aurum jubetur inſeri inter hyacinthinum, inter purpuram, inter coccinum & inter byſſum; hoc enim non ſignificat, ut illi tradunt, omnes iſtas ſpecies ita debere jungi & in unum torqueri; ſed tantum quod aurum adhibitum fuerit non minus quam cæteræ ſpecies, unumquodque ſuo loco & tempore, juſta quadam concinnitate & ordine, prout ars plumaria id requirebat, in texendis aut ſuendis figuris ad veſtium ornatum, alias neſcio an ullas figuras habere potuerint abſque miraculo. Deinde ſi filamenta ita erant duplicata & retorta, ut ſingula ſtamina & ſubtemina viginti octo filis conſtiterint, oportet ſane ut veſtimenta illa admodum dura & craſsa fuerint, & forſan craſſitiei palmæ, inſtar veli Tabernaculi, ut magiſtri docent, quam traditionem ſuo loco, ubi de Templo agemus, examinabimus: aut dicendum erit, fila iſta ſubtiliſſima fuiſse, & mira tenuitate neta. Fateor tamen illud tam mirandum non eſſe, ſi reſpiciamus ad ſubtiliſſima opera iſta, de quibus Plinius *lib.* XIX. *cap.* I. ubi plagas memorat, quarum ſingula ſtamina centeno quinquageno filo conſtabant; & quod magis mireris, thoracem Amaſis, cujus ſingula fila tot conſtabant filis, quot numerantur in anno dies. Ipſum Plinium audiamus: *Sed Cumanæ plagæ concidunt apros, & hæ caſſes ve ferri aciem vincunt. Vidimusque jam tantæ tenuitatis, ut annulum hominis cum epidromis tranſirent, uno portante multitudinem qua ſaltus cingerentur. Nec id maxime mirum, ſed ſingula earum ſta-*

ſtamina centeno quinquageno filo conſtare, ſicut paulo ante Iulio Lupo, qui in præfectura Ægypti obiit. Mirentur hoc, ignorantes in Ægyptii quondam Regis quem Amaſin vocant, thorace in Rhodiorum Inſula oſtendi in Templo Minervæ CCCLXV. *filis ſingula fila conſtare.*

CCXCI. Utrum autem hanc ob cauſam, an ob aliam rationem, veſtimenta ſacra *dura* dicta fuerint a Talmudicis neſcio. Hoc ſaltem ſcio, illorum eſſe traditionem veſtes ſacras eſſe קשים id eſt *duras*. Cum enim vetitum fuerit omnibus Judæis, non tantum Iſraelitis, id eſt Laicis, & Levitis, ſed & ipſis Sacerdotibus, ne veſtes שעטנז duplicis materiæ gererent, permiſſum tamen erat Sacerdotibus iis uti in Templo, etiam tunc cum Miniſterio non vacabant, eo uſque etiam ut iis noctu incubarent, uti traditur Codice *Tamid. cap.* III. & alibi. Quærunt itaque, cauſa quæ fuerit quod Sacerdotes veſtibus mixtæ materiæ uterentur in templo, (etiam extra miniſterium) cum tam ſevere prohibitum fuerit lege Dei, illud fieri extra Templum, etiam ipſis Sacerdotibus? Reſpondent ſapientes, ut hanc difficultatem auferrent, id Sacerdotibus permiſſum eſſe, quoad veſtes ſacras, quia בגדי כהונה קשין הן *veſtes Sacerdotum duræ ſunt.* ideoque illa non reputari inter כלאים veſtes *duplicis materiæ.* Vide Cod. *Ioma cap.* VII. Gloſsa autem addit, veſtes iſtas duras non debere pro veſtibus mixtæ materiæ haberi, quia iis Sacerdotes non calefiunt. קשין הם ואינן מחממין לפיכך אין בהן משום כלאים: *Sunt duræ, nec in iis calefiunt, ideo non peccant in illis, ob duplicem materiam*: Eadem fere repetuntur in Toſephoth ad Codicem *Schab. cap.* VI. Hoc autem de Pontificis Maximi veſtibus dici mirum non eſt, ſi cogitemus eas non tantum contextas fuiſſe ex tot filis in unum retortis, uti tradunt Hebræorum doctores, & de qua re ſatis fuſe diſputavimus, ſed etiam quod auro & gemmis rigerent. Talem credo fuiſſe pallam illam, quam Virgilius I. Æneidos *gemmis auroque rigentem* dicit. Hanc enim Servius ad locum iſtum *duram* vocat, quaſi dixiſſet קשה *Duram*, inquit, *propter aurum ſicut & novas veſtes videmus.* Idem fortaſſis fuit *Patagium.* Sic enim vocabatur, ſecundum quoſdam, a πατάσσω *cum ſtrepitu palpito*, aut potius a παταγέω *ſtrepo*, *fragorem edo*, quod ejuſmodi veſtimenta auro dura fuerint, ut ſtrepitum ederent inter ambulandum. Ejuſmodi veſtes Belgice diceremus: **Stijf van gout.** Valde etiam dubito an non tales fuerint tunicæ illæ

illæ quas Græci vocabant *ςαδίȣς* & *ςατȣ̃ς ſtantes*, ideo ſcilicet quod rigore & duritie ultro ſtarent, (niſi aliter exponas cum Salmaſio in notis Ad Pallium Tertulliani) unde fortaſſis Germanorum Stadtlich: eſt enim illis veſtis pretioſa ein ſtadtlich Kleyt / ſtatlich proculdubio a *ςατῷ* aut a *ſtando*. Memini etiam me alicubi legiſſe veſtes Sacerdotum eſſe עומדים *ſtantes*. Hoc tamen de veſtibus Pontificis Maximi tantum, non debet dici: Sed & de veſtitu cæterorum Sacerdotum. Omnes enim veſtes, præſertim lacuatæ קשים dicuntur a Maimonide *Hilch. Kele Hammikd. cap.* VIII. *ſectione* XVI. הכותנות בין של כהן ג׳ בין של כהן הדיוט משבצת היתה שהיא בתים בתים באריגתה כמו בית הכוסות בדרך שעושין האורגין בבגדים הקשים: *Tunicæ, ſive ſummi Pont. ſive minorum Sacerdotum, lacuatæ erant, id eſt multas habuerunt cavitates intextas, inſtar certi cujuſdam ſtomachi, quemadmodum textores facere ſolent in veſtibus duris.*

CAP. XVIII.

DE VESTIUM SACRARUM TEXTORIBUS, DEQVE IIS QVI IN CONFICIENDIS VESTIBUS OPERABANTVR.

Summa Capitis.

Lana & linum neri debebant. Id fiebat a Mulieribus. Qui in veſtitu operabantur erant חכמת לב *ſapientes corde, Exod.* 35: 25. *Opus mulierum.* Sardanapalus *muliere corruptior. Operabantur in S. Veſtitu & viri* חכמי לב *ſapientes corde, c.* 28: 3. Baal Hatturim *vana expoſitio. Artifex* חכם *ſapiens dicitur* Ἀρχιτέκτων 1. Cor. 3: 10. אריגה ὑφάντρια מעשׂ אומן, opus πολυδαίδαλον. *Inter Iudæos periti fuerunt artifices, in Ægypto. Præcipui* Bezelel *&* Oholiabus. *Auctores rei veſtiariæ ſacræ. Magnus numerus Sacerdotum. An omnes veſtes ſacras geſſerint in Templo. Quot veſtes fuerint? Singulis annis novæ veſtes fiebant.* Pinchas *Rei veſtiariæ præfectus. Fœminæ nebant. Viri texebant veſtes*

ſacras.

ſacras. Fœminæ etiam texebant apud Græcos, & Romanos. Venus *filio* Priapo *veſtem texuit. Textura* Penelopes. Minérva & Arachna *texebant.* Alexandri M. *ſoror.* Auguſti *Imp. uxor, ſoror & neptes. Apud Ægyptios viri texebant. Apud Hebræos fœminæ.* 2. Reg. 23. 7. Prov. 31. Anna *filio* Samueli. 1. Sam. 2. 18. *Virgo* Maria *Tunicam Chriſto texuit. Sacerdotib. Hebræor. matres veſtes conficiebant. Omni tempore fœminæ texebant, & hodie. Maxime in clauſtris Monachalium.* Hippias *vir texuit.* Gynæciarii *viri textores.* Cod. l. 11. tit. 8. Gynæciarii *tamen a mulierculis dicti Textores,* Limbolarii & Arcularii *apud Plautum. In veſtitu ſacro primi textrinorum Procuratores* Bezelel & Oholiabus. *Sub Templo ſecundo in ipſo Templo erat Gynæcium. Ejus præfectus* Pinchaſus. *Poterant tamen a mulieribus texi Veſtes ſacræ. Veſtimentum a muliere detextum tradi debuit tali cœtui, & a Patribus ſacerdoti. Idem intelligendum de omni ſupellectile ſacra.*

CCXCII. HÆc de textura veterum, & de ornamentis per texturam in ſacro veſtitu dixiſſe ſufficiat. Antequam ad alia procedamus, non puto fore inutile, ſi & de ipſis veſtium ſacrarum Textoribus, aliiſque auctoribus, aliquid dicamus. In veſtibus conficiendis itaque duo præcipue requiruntur. Primum ut materia præparetur, cum lanæ & lina nentur. Deinde ut fila connexione ſtaminum & ſubteminum, arte Textoris telam conficiant in jugo. His addi poſſent ea quæ ornatum ſpectant, ut lanarum infectura, ars aurum ducendi, pretioſos lapides ordinandi & inſerendi, ut & tota ποικιλτική. De lanis tingendis in ſacra ſcriptura altum eſt ſilentium: ut minime dubitem, quin infectæ fuerint ab iiſdem a quibus texta ſunt veſtimenta ipſa. Ante omnia oportuit lanam & linum neri. Hoc præſtitum fuiſſe a mulieribus, traditur a Moſe Exodi XXXV. v. XXV. וכל אשה חכמת לב בידיה טוו ויביאו מטוה את התכלת ואת הארגמן את תולעת השני ואת השש *Omnis fœmina ſapiens corde manibus ſuis nevit, & attulit quod neverat, ſcilicet hyacinthinum, & purpuram, coccinum & byſſum.* Illæ ipſæ etiam neverunt lanam ad conſtructionem tabernaculi, verſu XXVI. Optime quidem hic verti ſolet τὸ חכמת לב *mulieres induſtriæ*: illud enim חכמת לב *ſapientia cordis* nihil aliud ſignificat, quam induſtriam in rebus raris artificioſis conficiendis neceſſariam. Eſt autem hic receptus

ceptus modus loquendi apud Hebræos, qui viros peritos, ſapientes & induſtrios חכמי לב *ſapientes corde* vocare ſolent. Et hoc quidem ſecundum vulgi opinionem apud veteres, qui לב *cor* ſedem mentis & animæ, in qua omnis ſapientia & induſtria ſita eſt, crediderunt. Nec mirum artem iſtam lanam & linum nendi attribui mulieribus, cum revera opus mulierum, potius quam virorum, fuerit: quod vel ex ſolo Juſtino ſatis conſtat *lib.* I. ubi Sardanapalum, *virum muliere corruptiorem*, docet fuiſſe inter ſcortorum greges purpuram colo nentem, penſaque inter virgines partientem.

CCXCIII. Textura autem, cum toto opere Tabernaculi, ejuſque vaſis, iterum attribuitur viris induſtriis, quos Deus O. M. ſuis donis, quæ hiſce rebus neceſſaria erant, donavit. De his Moſes Exodi XXVIII. verſ. III. ואתה תדבר אל כל חכמי לב אשר מלאתיו רוח חכמה ועשו את בגדי אהרן לקדשו לכהנו לי׃ *Et tu dices omnibus viris ſapientibus corde, quos replevi ſpiritu ſapientiæ ut faciant veſtes Aharonis* (id eſt Aharoni) *quibus conſecraretur & Sacerdotio mihi fungeretur.* De חכמי לב nihil dicam, cum ea jam modo explicaverimus. Notandum ſolummodo eſt, hic addi: אשר מלאתי רוח חכמה *quos replevi ſpiritu ſapientiæ*: quod perinde eſt ac ſi dixiſſet: *quos ſingulari induſtria atque arte donavi.* Significat enim ſæpiſſime רוח *Spiritus*, in ſacra Scriptura donum Dei, artem & induſtriam in rebus arduis & ingenioſis. Putida eſt interpretatio *Baalis Hatturim* ad hunc locum, qui contendit: verba חכמי לב אשר ſignificare בגימטריא idem quod יראת *timor*, cum utrumque faciat DCXI. ideoque חכמי לב אשר ſignificare: quos מלאתי יראת יהוה *replevi timore Dei*, prout dicitur ראשית חכמה יראת יהוה *Initium ſapientiæ eſt timor Domini.* רוח חכמה *Spiritus ſapientiæ* ſæpius quidem ſignificat ſapientiam illam, quæ in negotio Religionis requiritur, aut etiam in rebus politicis, quo ſenſu Chriſtus dicitur habere רוח חכמה Eſ. XI. II. Nec non ſcientiam ſublimiorem in rebus Philoſophicis, eorum qui naturam rerum perſcrutantur. Sed & artes Mechanicæ חכמה appellantur, ut ars lignaria & cæteræ: ut חכם *ſapiens* ſit *peritus in ſua arte, peritus artifex.* Ideo Ἀρχιτέκτων a Paulo I Cor. III. X. dicitur σοφὸς, id eſt חכם. Idem de ארגה ſive ὑφαντική aut arte Texendi dici debet. Ideo Judæis eſt מעשה אומן, & Græcis opus πολυδαίδαλον. Sed quouſque artes mechanicæ a multis dictæ fuerint *Sapientia*, videre eſt apud Senecam *Epiſtola* XCI. Quando itaque dicit artifices

tifices veſtimentorum ſacrorum fuiſſe חכמי לב, intelligit eos fuiſſe viros induſtrios, in hac arte peritos. Sed quum addit: אשר מלאתי רוח חכמה quos replevi ſpiritu ſapientiæ, hoc indicat, ut mihi videtur, homines iſtos, quamvis alias hac arte edocti atque celebres fuerint, tamen hæc eorum dona Deum auxiſſe, eoſque repleviſſe induſtria quadam extraordinaria, & miraculoſa, ad præſentem uſum, in rebus ſacris præcipue, neceſſaria. Igitur quamvis induſtrii & periti fuerint in ſua arte, videntur tamen majori induſtria atque ſapientia opus habuiſſe, ut opera tam inſignia, in veſtitu ſacro, ut & in tota ſtructura Tabernaculi, efficerent, quam peritiam ſapientiamque Deus ipſis benigniſſime largitus eſt. Homo itaque non habet quod glorietur coram Deo, cum Deus eo non indigeat, imo cum homo omnia accepta habeat a Deo, *Patre luminum, & auctore omnis doni perfecti.* Jacob. cap. I. verſ. XVII. Cum itaque Hebræorum Magiſtri quærant, unde tanta ars tam elegantia opera conficiendi, artificibus iſtis Judæis, qui dura ſervitute in Ægypto ad lutum & latera coacti fuerunt, magis quam ad opera rerum pretioſarum, in purpura, hyacinthino, coccino, byſſo, auro & gemmis? facile reſponderi poteſt, Deum aliquos ex Hebræis in medio flagrantiſſimarum perſecutionum, duriſſimæque ſervitutis conſervaſſe, qui in ſubtilioribus artibus inſtruerentur; fieri namque potuit, ut, Deo moderatore, quidam inter Hebræos latuerint, qui in artibus liberalibus, uti vocari ſolent, cum in Philoſophicis tum in Mechanicis, inſtructi eſſent (quemadmodum & ipſe Moſes in omni arte Ægyptiorum edoctus fuit, teſte Stephano Act. VII.) quibus poſtea, ubi opus erat, artem & induſtriam per miraculum auxit.

CCXCIV. Quinam autem fuerint *Sapientes* illi *corde & repleti Spiritu Dei,* cap. XXVIII. Exodi, ubi de ſacro veſtitu tam luculenter agitur, non quidem expreſſis verbis dicitur: colligi tamen poteſt ex capite XXXI. ab initio uſque ad verſum XII. fuiſſe *Bezelelem*, filium Achiſamachi ex tribu Danis. Sic enim Deus ibi loquitur: ראה קראתי בשם בצלאל בן אורי בן חור למטה יהודה׃ ואמלא אתו רוח אלהים בחכמה ובתבונה ובדעת ובכל מלאכה׃ לחשב מחשבות לעשות בזהב ובכסף ובנחשת׃ ובחרשת אבן למלאת ובחרשת עץ לעשות בכל מלאכה׃ ואני הנה נתתי אתו את אהליאב בן אחיסמך למטה דן ובלב כל חכם לב נתתי חכמה ועשו את כל אשר צויתך׃ את אהל מועד וגו׳ *Ecce vocavi nomine Bezelelem filium Uri, filii Churi, ex tribu Iehudæ, & implevi*

plevi eum Spiritu Dei, ſapientia, & intelligentia, & induſtria in omni opere, ut excogitaret res ingenioſas, ad operandum in auro, in argento, & in ære, & in opere gemmario, in ſculpendo & inſerendo, & in artificio lignario, ad operandum in omni opere. Et ecce dedi ei Oholiabum filium Achiſamachi, ex tribu Danis, dedique omni animo ſapienti corde, ſapientiam, ut facerent quæcunque tibi præcepi. Tentorium conventus, &c. Sed iiſdem opus in re veſtiaria ſacra quoque demandatum fuit; ideo verſu x. addit: ואת בגדי השרד ואת בגדי הקדש לאהרן הכהן ואת בגדי בניו לכהן: *Et veſtes miniſterii, & veſtes ſacras Aharonis Sacerdotis, & veſtes filiorum ejus ad fungendum Sacerdotio.* Quod attinet opus Tentorii, de eo alibi, ubi de Tabernaculo & de Templo agemus. Sufficit ex hoc loco demonſtraſſe Bezelelem cum Oholiabo fuiſſe auctores veſtitus ſacri. Non quod propria manu ipſi omnia confecerint, (id enim fieri non potuiſſet) ſed quod fuerint præfecti operis; alias ex hoc ipſo loco, non minus quam ex aliis ſatis clare conſtat, eos ſub ſe habuiſſe multos artifices, qui ejuſmodi opera conficerent: ideo poſtquam de Bezelele & Oholiabo verba feciſſet, ſtatim addidit ובלב כל חכם לב נתתי חכמה *Et omni animo ſapienti corde, dedi* (id eſt auxi) *ſapientiam* ſive *induſtriam.* Fuerunt igitur duo illi viri *Bezelel* & *Oholiabus* hujus operis præfecti ac moderatores. Atque hi fuerunt primi auctores tempore Moſis rei veſtiariæ ſacræ.

„ *CCXCV.* Cum Sacerdotium Aharonis primum inſtitueretur, „ pauci fuerunt Pontifices, ut non multæ faciendæ fuerint veſtes. „ At circa tempora Davidis proles Aaronis valde fuit aucta: ut „ pius Rex, ne multitudo pareret confuſionem, eos in viginti quatuor „ diſtinxerit ἐφημερίας, quarum ſingulis hebdomadibus una mini„ ſterium perageret. I. Chron. cap. XXIV. Multo fuit auctior „ circa tempora Chriſti, Rep. Judaica vergente ad interitum. In„ gens fuit Sacerdotum numerus jam tempore Regis Joaſi, circa „ captivitatem Babylonicam; nam ſi Talmudicis credimus, ob Za„ chariam filium Summi Sacerdotis Jehojadæ trucidatum, de quo „ legimus II. Chron. cap. XXIV. (jam non examinabo an fuerit „ *Zacharias filius Barachiæ*, de quo Servator Math. XXIII. com. „ XXXV. an idem de quo Joſephus, *de bello Iud. lib. v. cap. xv.*) „ Nebuzaradan ſupremus militum Nebucadnezaris præfectus, cru„ deliſſimam in Sacerdotes fratricidas exercuit vindictam: octo„ ginta enim millia juvenum Sacerdotum, ob cruentum ſcelus in

,,virum innocentem, interfecit. Gemara Hieruſ. cod. *Taanith*
,, *cap.* IV. אמר רבי יוחנן שמונים אלף פירחי כהנים נהרגו טל דמו של זכריה וג׳
,, *Dixit Rabbi Iohannes, Octoginta millia juvenes Sacerdotum truci-*
,, *darunt propter ſanguinem Zachariæ* &c. Animadverti debet maxi-
,, me, quod dicantur פירחי כהנים *flores Sacerdotum*, quos Hebræo-
,, rum ſapientes, in ſuis (uti dici ſolent) Gloſſis, exponunt כהנים
,, בחורים שמתחילין זקנם לפריח *Sacerdotes juvenes, quibus incipit barba*
,, *creſcere.* Si tot millia, iſtis temporibus, fuerunt ſacerdotum
,, juvenum, quantus fuit numerus, ſi addantur profectioris ætatis
,, viri atque ſenes? Fortaſſis hic, uti ſolent Hebræorum ſapientes,
,, de magnis majora loquuntur. Ingentem tamen jam iſtis tem-
,, poribus Sacerdotum fuiſſe numerum, inde colligendum eſſe
,, puto.

,, CCXCVI. Admodum accrevit Aharonis progenies circa tem-
,, pora Fl. Joſephi. Si enim vera docet, *Contra Apionem libro*
,, *ſecundo*, pauciores iſtis temporibus non fuerunt, quam tempore
,, Joaſi. Tradit ſcilicet ibi, quatuor fuiſſe tribus Sacerdotum, qua-
,, rum quælibet conſtat ex quinque millibus: Hac computatione
,, ultra viginti millia Sacerdotum non fuerunt. At multo fuiſſe
,, plures nullatenus dubito. Verba Joſephi ita ſeſe habent Latine:
,, *Licet enim ſint tribus quatuor Sacerdotum, & harum tribuum ſin-*
,, *gulæ habeant hominum pluſquam quinque millia.* At quid intelli-
,, gat per *Sacerdotum tribus*, neſcio. Multo minus capio, quæ ſint
,, *quatuor* Sacerdotum *tribus*. *Duodecim* totius populi Iſraelitici,
,, ex duodecim Jacobi filiis, fuiſſe *tribus*, cuilibet notum eſt. Ne-
,, mo etiam neſcit, præterea fuiſſe *tribum Levi*, ex qua oriundi
,, ſunt Sacerdotes. De *tribu* vero *Sacerdotum*, aut de eorum tri-
,, buum numero, non memini alibi quidquam legi. Dolendum
,, eſt, in Joſephi opere Græco tantum exſtare hiatum. Vix dubi-
,, to quin aliter ſcripſerit Joſephus, ſi Græca integre ad nos per-
,, veniſſent. Viginti quatuor Sacerdotum fuiſſe ἐφημερίας jam in-
,, de a temporibus Davidis, ex cap. XXIV. prioris libri Chronico-
,, rum antea monuimus. Verum eſt memorari quatuor Sacerdotum
,, Claſſes aut Familias, quæ ex Captivitate redierunt, nempe *Ie-*
,, *dajæ*, *Harim*, *Paſchur*, & *Immeri*. At nemo, qui Hebræo-
,, rum Antiquitates prioribus attigit digitulis, ignorat quamlibet
,, diviſam fuiſſe in ſex ἐφημερίας, ſive Claſſes, eodem numero ex-
,, ſtitiſſe notaſque fuiſſe a reditu ex captivitate uſque ad Reip. Ju-
,, daicæ

„ daicæ everſionem; ut non perſuadere mihi poſſim Joſephum ad
„ quatuor iſtas reſpexiſse familias. Ipſe ſane Joſephus, quoties
„ agit de Sacerdotum ordinibus, viginti quatuor enumerat, eas-
„ que vocat εἴκοσι τέσσαρας πατριάς, *viginti quatuor cognationes.*
„ *Antiquit libro* VII. *cap.* XI. Et *in vita ſua*, ab initio, ἐφημε-
„ ρίδες εἰκοσιτέσσαρες. De *quatuor* autem *Tribubus*, quantum ſcio,
„ nihil habet. *Viginti quatuor* Joſephum ſcripſiſse *cognationes*, vel
„ *claſſes*, certum eſt, ſi recte legit Sigonius. Ita enim ille, *De Rep.*
„ *Hebr. lib.* V. *cap.* III. *Licet ſint viginti quatuor Claſſes Sacerdo-*
„ *tum, quarum ſingulæ plus quam* V. *millia hominum habeant.* Qua-
„ lem Sigonius habuerit Codicem, in quo talia legantur, ſcire ve-
„ hementer deſidero. Genevenſis, quo utor, aliter habet. Doctiſſimus
„ Seldenus, *De Succeſſione in Pontif. Hebræor. lib.* I. *cap.* I. locum
„ qui apud Joſephum contra *Apionem lib.* II. corrigendum putat
„ ex loco, a nobis jam modo allegato, *De vita ejus*, ac pro
„ *quatuor Sacerdotum Tribus*, legendum eſse: *Tribus viginti qua-*
„ *tuor.* Non renuo; lubentius tamen legerem *cognationes*, vel
„ *ordines*, quam *tribus.*

„ CCXCVII. Si autem viginti quatuor intelligat ordines, qua-
„ rum quælibet habeat hominum ultra quinque millia, ingens ſane
„ iſtis temporibus Sacerdotum fuit numerus, centum ſcilicet &
„ viginti millia minimum. Id tamen incredibile nemini videri de-
„ bet, ſi verum eſt, quod docet Codex *Thaanith*, tempore
„ Joaſi fuiſse octoginta millia פרחי כהנים *Sacerdotum juvenum.*
„ Cum igitur quælibet Claſſis conſtiterit ex quinque minimum mil-
„ libus hominum, colligi inde debet, in Templo (ſi omnes totius
„ Claſſis fuerunt præſentes) ſemper tot fuiſse Sacerdotes, præter
„ Levitas & Iſraelitas. At vero omnes adfuiſſe, dici non poteſt:
„ cum multi non ſolum per totam Terram Canaan, ſed & per
„ Aſiam, Africam & Europam diſperſi, ſua hebdomada raro ſe
„ præſentes ſtiterint Hieroſolymis.

„ CCXCVIII. Legimus in Codice *Thaanith cap.* IV. *ſect.* II.
„ Sacerdotes, Levitas & Iſraelitas, qui ſuis vicibus ſacris vaca-
„ rent, ex ipſa civitate Hieruſolymitana atque Jerichunte lociſque
„ vicinis acceſſiſſe, reliquos per totam Terram Iſraelis, & in aliis
„ Regionibus, domi remanſiſſe Deumque in ſuarum urbium Sy-
„ nagogis, non ſolum precibus & lectione alicujus ſectionis ex le-
„ ge, ſed & die Lunæ, Martis, Mercurii & Jovis jejuniis Deo

 „ ſup-

„ſupplicaſſe, ut fratrum ſuorum, qui in Templo ſacra faciebant, „ſacrificia atque oblationes gratas haberet. Ita enim habet Miſna:

התקינו נביאים הראשונים עשרים וארבע משמרות על כל משמר ומשמר היה מעמד בירושלם של כהנים של לוים ושל ישראלים הגיע זמן המשמר לעלות כהנים ולוים עולים לירושלם וישראל שבאותו משמר מתכנסין לעריהם וקורין במעשה בראשית:

„*Ordinarunt priores prophetæ viginti quatuor vigilias*, (claſſes, ἐφημερίας) *Quælibet vigilia habebat ſtationarios Hieruſolymis ex Sacerdotibus, ex Levitis & ex Iſraelitis. Appropinquante tempore vigiliæ alicujus, ut Sacerdotes & Levitæ aſcenderent Hieruſolymas, Iſraelitæ iſtius Claſſis* (ſcilicet qui procul habitabant) *conveniebant in Synagogis ſuarum civitatum & legebant in opere creationis*. Ad „hunc locum utraque Gemara, cum Hieruſolymitana, tum Babylonica, docet eos qui in templo ſacra curabant plurimam partem „domicilia ſua habuiſſe in ipſa civitate Hieruſolymitana, Jerichunti, „ac in locis vicinis; ex iis autem qui in locis remotioribus, per „Terram Canaan & extra Terram habitabant, paucos acceſſiſſe. „Ex quibus manifeſto patet, integram cohortem (non ſolum Levitarum & Iſraelitarum, ſed ne ipſorum quidem Sacerdotum) „in Templo non fuiſſe. Non ſingulis hebdomadibus ibi fuiſſe „quinque millia Sacerdotum, ſed multo pauciores.

„ CCXCIX. Sed quotquot fuerint, etiamſi tot millia adfuiſſent in „Templo, tamen non multis opus habuiſſent veſtimentis ſacris. „Nemo enim iis induendus fuit, niſi cui ſorte Templi miniſterium „demandatum fuit circa altare. Abſque altaris miniſterio, in ipſo etiam Templo, habebantur זרים *peregrini*, id eſt homines „ordinarii, ut & reliqui omnes Levitæ & Iſraelitæ, veſtibuſque „incedebant ſuis ordinariis, quibus & extra Templum induti fuerunt. Hinc axioma in Talmude notiſſimum: בזמן שבגדיהם עליהם כהונתן עליהם אין בגדיהם עליהם אין כהונתם עליהם: *Quo tempore veſtiti ſunt veſtibus ſuis, Sacerdotes reputantur, veſtibus autem ſuis non induti, Sacerdotes non reputantur*. Gemara Babyl. *Sevachim cap.* II. „vide & *Thoſephot ad cap.* VII. *Ioma*, & Maimon. *Hilch. kele Hammikdaſch. cap.* X. quæ loca inferius allegamus libro II. cap. XXV. „Sed & illi ipſi qui ſorte ad miniſteria altaris fuerunt deſtinati, „veſtimenta ſacra deponebant, reſumptis veſtibus ordinariis, quamprimum miniſterio ſuo fuerunt functi. Verum quidem eſt, conceſſum fuiſſe aliquem ſacrarum veſtium uſum, etiam peracto miniſte-

„ niſterio, poterant enim iis in Templo veſtiti incedere tota eadem
„ die; tamen deponendus erat balteus, propter שעטנז *materiam*
„ *mixtam.* At vero hoc nomine dicebatur מחוסר בגדים *deficiens ve-*
„ *ſtibus*, ut Sacerdos non exiſtimaretur, ſed ut זר homo gregarius
„ haberetur. Si quis veſtes ſacras toto die retinuiſſet, tamen no-
„ ctu deponendæ fuerunt, ac capiti eas ſupponere poterat.
„ CCC. Quot veſtiti fuerint veſtibus ſacris, colligi poteſt ex
„ numero eorum, qui ſortibus ad miniſteria altaris fuerunt deſtina-
„ ti, de quibus Miſna Codice *Tamid. cap.* III. *Sect.* I. Fuſius & cla-
„ rius *Codice Ioma cap.* II. Sacrificium juge mane offerri ſolebat
„ per novem Sacerdotes: Veſpertinum per undecim. In Sabba-
„ tho & die feſto per duodecim. Narratur Codice *Tamid. cap.*
„ IV. quo ordine ſteterint, qui partes animalis ad altare aſporta-
„ runt, & quo ritu attulerint membra agni, cum ſimila, frixis
„ & vino. Horum enumerantur novem, quibus addendi ſunt,
„ qui mactaret victimam, qui ſanguinem ſpargeret, qui altare exte-
„ rius purgaret, qui ab altari interiori cineres auferret, qui lu-
„ cernas curaret, & tandem qui ſuffitum adoleret in loco ſancto
„ ad altare aureum, erunt quindecim. *Codice Ioma. Capite*
„ II. quatuor numerantur ſortes. *Prima* erat, quis altare exte-
„ rius purgaret. *Secunda*, tredecim eligebantur; quis mactaret;
„ quis ſpargeret ſanguinem, quis cineres ab altari interiori aufer-
„ ret; quis lucernas purgaret; præterea novem, qui membra ani-
„ malis, ſimilam, frixa & vinum ad altare portarent. *Tertia* ſors
„ erat, quis ſuffitum faceret; & *quarta*, quis portaret membra a gra-
„ dibus ad altare. Hi omnes ſi jungantur, erunt numero ſedecim.
„ Eodem die Aries offerendus fuit, ubi XI. operabantur Sacerdo-
„ tes. Vide ibidem *Ioma cap.* II. *ſect.* VI. Et Juvencus eodem
„ die oblatus fuit a XXIV. viris. ibidem *ſect.* VII. Omnibus his jun-
„ ctis, ſedecim, undecim & viginti quatuor, exſurget numerus
„ quinquaginta Sacerdotum præter unum. Sedecim enim opera-
„ bantur circa ſacrificium juge, undecim circa arietem, & viginti qua-
„ tuor circa juvencum; eoſdem enim ſedecim & undecim fuiſſe in-
„ ter viginti quatuor, (quamvis alias מוספים *ſacrificiorum addita-*
„ *menta* quæ aliquando offerebantur ultra תמידים *jugia*, fierent ab
„ iiſdem qui jugia ipſa offerrebant) non exiſtimo, cum illo die om-
„ nia fuerint magnifica magnoque apparatu fieri ſolerent. Quam-
„ vis feſta ſemel in anno celebrarentur, ut ſingulis annis unica
Claſſis

,,Claſſis tantum tot haberet opus, tamen cum ſequentibus annis ,,& in alias Claſſes incidere potuerit, dubitari non poteſt, quin ,,omnes Claſſes eundem habuerint numerum veſtimentorum.

,, CCCI. Præter hos magno numero alios fuiſſe veſtibus ſacris ,,indutos, non eſt credibile. Reliqui qui Templum cuſtodiebant, ,,illud verrebant, purgabant, cibos coquebant, Muſici qui vel ,,ore, vel inſtrumentis cantabant cantica, omnia illa veſtibus præ- ,,ſtare poterant ordinariis: cum a quolibet Iſraelita fieri potue- ,,rint, & nonnulla ab iis facta fuerint, adeoque ſine veſtibus ſa- ,,cris.

,, *CCCII.* Nihil jam dicam de Templi Principibus, quales fue- ,,runt סגן S. Pontificis *Vicarius*; duobus קתוליקין *Katholikin, præ- ,,fectis theſauri*; ſeptem אמרכלים *Amarcalim, Principibus cuſto- ,,dum Templi*; tribus גזברים *Giſbarim, vicariis Amarcalim*; De ,,ראש המשמר *Principe Claſſis* & ראש בית אב *principe familiarum*; qui ,,omnes fuerunt numero quindecim. Nihil addam de xv. aliis ,,ממונים *Templi præfectis*, qui curam habebant ſigillorum, libami- ,,num, ſortium, turturum, ægrotorum, fontium & canalium, ,,de Præcone, qui curabant portas, flagellationes, cymbalos, ,,cantores, piſturas, ſuffitus, vela, & tandem ipſa veſtimenta. ,,Non examinabo utrum omnes fuerint Sacerdotes, utrum omnes ,,habuerint veſtes ſacras, an non ordinariis in Templo ſemper om- ,,nia præſtiterint? Utrum non aliquando Sacerdotio ſive mini- ,,ſterio altaris functi ſint, & utrum tunc peculiares ſibi habuerint ,,veſtes, an non eiſdem veſtiti fuerint, quibus & alii ad miniſte- ,,rium ſorte electi? Silentio etiam prætereo, utrum non aliquot ex ,,illis ſingulis hebdomadibus, ex nova ἐφημερίας prioribus remo- ,,tis, acceſſerint, an vero iidem ſemper eadem dignitate gaviſi ,,ſint? quemadmodum vix dubito, quin ממונים *præfecti* iſti quin- ,,decim, quos ſtatim recenſuimus, in officio ſuo ad vitam reman- ,,ſerint, cum quilibet proprio ſuo indicatus fuerit nomine. Om- ,,nia hæc, inquam, cum hujus loci non ſint, jam fuſe non exa- ,,minabo. Sufficit oſtendiſse, in qualibet Claſse LI. minimum ,,fuiſſe veſtes.

,, *CCCIII.* Quamlibet tamen ἐφημερίαν plures habuiſse, quam ,,quinquaginta unam veſtes, exiſtimo. Lacerari aliquando poterant, ,,vel ſorditie inquinari, paratas itaque alias habere debebant ad ,,manus, quibus, ſi ejuſmodi quid accidiſset, uterentur. Quod

de

,, de reliquis in templo ſacris dicitur inſtrumentis, id proculdubio
,, etiam eſt intelligendum de ſacro veſtitu, cum & veſtes Pontifi-
,, cum dicantur כלים *Kelim*, *inſtrumenta*, non minus quam reli-
,, qua. At omnia כלים *inſtrumenta* ſive *vaſa ſacra* bina in tem-
,, plo, vel trina habebant, ne in neceſſitate deeſſent. Codice *Cha-*
,, *gigah. cap.* III. *Miſna* VIII. כל הכלים שהיו במקדש יש להם שניים
,, ושלישים שאם נטמאו הראשונים יביאו שניים תחתיהם *Omnia vaſa quæ*
,, *ſunt in Templo; ſunt bina, vel trina, ut ſi ſordida facta fuerint,*
,, *adferant alia pro iis.* Excipiuntur tamen altaria. vide ibidem.
,, Nihilominus etiamſi quælibet Claſſes LI. tantum habuiſſet, non
,, exiguus earum fuiſſet numerus, tot enim fuiſſent vigeſies quater,
,, quot fuerunt Claſſes. Fuerunt itaque mille ducentæ viginti qua-
,, tuor. ſi bis vel ter uumeres, habebis minimum duo millia qua-
,, dringentas quinquaginta. Tot feminalia, tot tunicæ, tot baltei tot-
,, que pilei: Poterat itaque (ut & hoc notem) Pontifex Max. ſe-
,, cum ad Alexandrum Magnum ducere, mille ducentos viginti qua-
,, tuor ſacerdotes. Si non plures, fere uſque ad tria millia.

,, CCCIV. Auctor *Schilte Haggiborim*, *capite* LXVII. enumerat
,, viginti quatuor Sacerdotes, ad ſacrificium juge matutinum, ſed,
,, iis de quibus diximus, additis duobus qui cornu canebant, ad
,, menſam adipis, qui panes coquebant aliaque præſtabant. Immo
,, enumerat quadraginta ſex; præſertim die Sabbatho, niſi tamen
,, eſſent qui duo peragunt miniſteria. Maximum numerum Sacer-
,, dotum, putat poſtulaſſe מוספים ſacrificia jugibus addita, feſti
,, Novilunii, ubi multa offerenda fuerunt ſacrificia, juvenci duo,
,, aries unus, & agni ſeptem, omnia holocauſta, & hircus pro pec-
,, cato. Numeror. XXVIII. Quot autem Sacerdotes adhibiti fuerint,
,, fatetur ſe ignorare. Putat itaque tunc in ſortitione matutina plu-
,, res fuiſſe electos, quot nempe ſufficiebant. Fatetur tamen Mai-
,, monidem exiſtimaſſe, eos qui mane deſtinati fuerunt ſorte, ad
,, offerendum ſacrificium juge, etiam offerre potuiſſe מוספים *addi-*
,, *tamenta*; cui ſe nolle contradicere addit. Sane ſi multi requi-
,, rebantur ad ſacrificia addita in feſto Novilunii, non puto pau-
,, ciores operatos fuiſſe diebus reliquis feſtis, præſertim tribus fe-
,, ſtis רגלים *Regalim*, Paſchatis, Pentecoſtes & Feſto Tabernaculo-
,, rum. Die *Paſchatis* eadem ſacrificia jugibus addebantur, quæ
,, & in Noviluniis, duo juvenci, aries unus, agni ſeptem & hæc
,, quoque omnia holocauſta. Ut totidem requiſiti fuerint ſacerdo-

 tes,

,, tes, minimum, quot ad ſacrificia Novilunii. De quo vide Mai- ,, mon. *Tmidim Umuſaphim. cap.* VII. *Par.* III. Die Penteco- ,, ſtes plura oblata fuerunt. Nam præter ea quæ Noviluniis immo- ,, labantur, ſeptem agni immaculati, vitulus unus, arietes duo, ,, hircus pro peccato, & duo agni anniculi. Levit. XXIII. & ,, Numer. XVIII. Deut. XVI. Maimon. Codice jam modo allega- ,, to, *cap.* VIII. *Par.* I. præter duo jugis ſacrificia immolatos ,, fuiſſe docet juvencos tres, tres arietes, quatuordecim agnos, ho- ,, ſtias quadrupedes numero viginti, omnes in holocauſta, tum hir- ,, cos duos in hoſtias pro peccato comedendas, & agnos duos in ,, victimas pacificas, quæ comedebantur. Primo die Tiſri, ſi for- ,, te incidiſſet in Sabbatum, non pauciora immolanda fuiſſent. Præ- ,, ter jugia, ea quæ requirebat feſtum, Sabbathum & Calendæ. ,, Decimo die Tiſri, die ſcilicet ſolennis Expiationis iterum multa ,, offerrebantur. Sed omnium feſtorum plurima offerenda fuerunt ,, feſto Tabernaculorum, ſpacio octo dierum: uno ſcilicet die, ,, præter jugia, triginta, viginti octo, viginti ſeptem, quotidie ,, unum diminuendo, uſque ad diem octavum. Levit. XIII. Numer. ,, XXIX. *Maimonid. Tmidim Umuſſaphim, cap.* X. Hæc paucis ,, Sacerdotibus viginti ſcilicet, vel viginti quatuor potuiſſe præſtari, ,, non facile credo, cum non totus dies fuerit impendendus, ſed ,, certæ tantum horæ. Nunquam tamen, uti puto, plures addeſſe ,, debebant Sacerdotes, quam die Paſcatis. Nam ut non repetam ,, ſacrificia addita jugibus ſacrificiis iſtius diei, de quibus modo ,, diximus, incredibilis multitudo agnorum circa veſperam immo- ,, landa fuit. Tradit Joſephus *De bello Iud. lib.* VII. *cap.* XVII. ultimis ,, fatis Reip. Judaicæ, tempore Ceſti, feſto Paſchatis, immolatos ,, fuiſſe *agnorum ducenta quinquaginta ſex millia, & quingentos.* ,, Hæc autem paucis horis fieri debebant. Fateor quemlibet Iſrae- ,, litarum, ſi fuiſſet mactandi peritus, ſuum potuiſse mactare ag- ,, num in Atrio Templi. Levitas idem quoque præſtare potuiſse. Non ,, etiam ignoro, mactationem non fuiſse עבודה *Avodah*, miniſte- ,, rium a ſolo ſacerdote peragendum. Tamen ſanguis cujuſlibet ,, agni erat excipiendus, & ad altare ſpargendus: quod non niſi a ,, Sacerdotibus fieri poterat. Ideo ordo multorum Sacerdotum a ,, loco mactationis, uſque ad altare ſtabat, alter alteri vas ſangui- ,, ne repletum porrigebat uſque ad altari proxime adſtantem, qui ,, ad altare ſpargebat. Deinde adeps & inteſtina in altari combu-

renda

„renda fuerunt; eo autem deferenda fuerunt per ſacerdotes veſti-
„bus ſacris ornatos. Et cum hæc omnia fieri debuerint בין הערבים
„*inter duas veſperas*, id eſt ab hora, uti hodie inter nos numera-
„mus, ſecunda pomeridiana, uſque ad ſextam, ſpatio, præter
„propter, quatuor horarum, ſane magnum ſacerdotum numerum
„adfuiſse, neceſsario colligendum eſse puto.

„ CCCV. Si Maimonidi credimus, tota Familia Sacerdotum qui in
„Templum aſcenderant, ſingulis diebus veſtita fuit veſtibus ſacris,
„eodem momento. *Hilchoth Tmidim Umuſaphim cap.* IV. *ab initio*,
„docet, omnes ſacerdotes familiæ iſtius diei intrarunt in conclave la-
„pidibus ſtratum, dictum הגזית *Haggaſſith*, ibique veſtiebantur veſti-
„bus Sacerdotii. Accedit הממונה *Hammemonah* præfectus, ſortitur qui-
„nam iſto die operaturi ſint, & quale miniſterium cuilibet ſit obeun-
„dum. Hoc peracto, illi quibus ſorte miniſterium deſtinatum fuit, ad
„ſua opera progrediebantur; quibus ſors minus favebat, veſtibus ſa-
„cris illico exuebantur, veſteſque ſuis locis reponebantur. Ex
„hiſce patet maniſeſtiſſime, plures fuiſse veſtes ſacras, quam ſa-
„cerdotes, qui ſingulis diebus operabantur. Immo tot paratas
„fuiſse, quot fuerunt ſacerdotes in qualibet familia. Et ut hæc
„clariora fiant, notandum eſt, quamlibet Claſsem, ſive ἐφημερίαν
„in plures fuiſse diſtinctam familias; non enim in qualibet Claſ-
„ſe idem fuit numerus Familiarum. Fuerunt claſses quæ quinque,
„aliæ ſex, aliæ ſeptem, aliæ octo, aliæ novem habebant familias.
„De hiſce legat, cui datum eſt; Gemara *Thaanith. Ieruſale-
„mit. cap.* IV. Enimvero, ſi quævis claſſis minimum habebat
„quinque millia ſacerdotes viros, uti ſupra ex Joſepho notavimus,
„facile colligetur plures fuiſse familias. Ex quot autem viris, ſub
„Templo ſecundo, quælibet familia conſtiterit, ignoratur. Si ta-
„men claſſis quinque, ſex, ſeptem, octo, vel novem habuit fa-
„milias, & ſi quælibet Claſſis quinque millibus conſtabat viro-
„rum; ſequitur familias plures fuiſse quingentorum, ſexcentorum,
„fere uſque ad mille virorum. Sed & hoc notum eſt, ex iis quæ
„diximus, non omnes ſacerdotes quotidie fuiſse præſentes, ſed
„quoſdam ſolummodo; eorum qui Hieruſolymis, Jerichunti &
„in locis vicinis habitabant. Quotquot fuerint, cum ſacerdotes
„plurimam partem ſatis fuerint diligentes in peragendis rebus ſa-
„cris, ut eorum ſapientes glorientur, vix credibile eſt, infra
„millenos adfuiſse, præſertim diebus feſtis ſolennioribus, qualia

„, erant tria רגלים *Regalim* feſta Paſchatis, Pentecoſtes & Taber-„naculorum, quibus omnis maſculus, decimum quartum agens „annum, ex omnibus Iſraelitis, multo magis ex Sacerdotibus, „addeſse debebat. Iſtis diebus, ſi integra Claſſis adfuit in Tem-„plo, quælibet familia proculdubio conſtabat ex pluribus quam ex „quingentis viris. Credibile eſt fuiſſe minimum mille virorum. Utrum „autem quilibet ſuam habuerit veſtem ſacram, non auſim adfirmare. „Si id adfirmetur, quælibet claſſis habuiſſet, quingentas mini-„mum, uſque ad mille veſtes. Cum autem XXIV. fuerint claſſes, „ſequeretur inde viginti quatuor, aut duodecim millia minimum „fuiſſe veſtimentorum ſacrorum. Ex hiſce quæ dicta ſunt, certiſ-„ſime conſtat, veſtimentorum ſacrorum magnum fuiſſe numerum: „ut ſi aliquot millia dicam, me errare non putem.

CCCVI. Cum tantus fuerit numerus Sacerdotum, qui in ſacris operabantur, & ſacris veſtibus indigebant, proculdubio quotidie aliquot conterebantur, quæ poſtea lacerabantur & lucernis in Sanctuario deſtinabantur, quemadmodum id infra demonſtrabitur. Opus itaque erat poſt tempora Moſis ejuſmodi artificibus, qui novas conficerent. Hoc autem ita factum fuiſſe exſertis verbis nos docent Talmudici (*Cod. Schekalim cap.* v. ubi inter quindecim Præfectos Templi numeratur etiam פינחס על המלביש *Pinchas ſuper veſtitum.* Quod Gloſſa ſic exponit: פינחס המלביש היה מלביש הכהנים בגדיהם הוה מתעסק בהצנעתן ובעשייתן: *Pinchas veſtiarius, erat is qui Sacerdotes veſtiebat veſtimentis ſuis, & qui curam habuit ut deponerentur, & conficerentur,* (ſcil. novæ, in locum tritarum) *veſtes.* Eo reſpexit, mea opinione, *Codex Middoth cap.* I. ubi Doctores mentionem faciunt cellæ cujuſdam in porta Nicanoris, quæ dicitur: לשכת פנחס המלביש (*Conclave Pinchaſii veſtiarii.* Bartenora quidem locum iſtum exponit de eo tantum, qui Sacerdotes tempore miniſterii veſtiebat, deinde eos exuebat, qui veſtes reponebat & cuſtodiebat. Sed Maimonides id omnino intelligit de eo qui conficiendis veſtibus præfectus erat. *Hilchot Kele Hammikd. cap.* VII. ſectione ultima זה הממונה על מעשה בגדי כהנים עוסק בהבנת בגדי כהנים הדיוטים ובגדי כהן גדול ובאריגתן ומתחת ידו נעשה הכל ולשכה היה לו במקדש: *Hic eſt Præfectus ſuper opus veſtium Sacerdotum, qui occupatus eſt in conficiendis veſtibus Sacerdotum, cum Minorum, cum Sacerdotis Magni, & in earum textura: illius autem cura omnia fiunt, habet etiam ſuum conclave in Templo,*

CCCVII. Fœ-

CCCVII. Fœminæ itaque neverunt byſſum & lanam, hyacinthinum ſcilicet, coccinum & purpuram: ſed veſtes ipſæ textæ & variegatæ fuerunt a viris ſapientibus atque induſtriis, quorum ſolertiam atque induſtriam D. O. M. donis ſuis auxit. Omnia autem facta fuerunt curantibus Belzele & Oholiabo. Fœminas lina & lanas neviſſe apud veteres, ut fieri ſolet apud nos ad hunc uſque diem, ſupra jam attigimus. Sed eaſdem quoque texuiſſe, etiam moris erat, ut totam veſtem perficerent nendo & texendo. Capite præcedenti ex Homero *Odyſſ. E.* jam oſtendimus Nympham ἱςὸν ἐποιχομένην *telam percurrentem*, quod Virgilius *Æn. lib.* VII. conjugi etiam attribuit.

Arguto conjunx percurrens pectine telam.

Artemidorus *lib.* III. *cap.* XXXVI. de textura verba faciens, eam mulieribus proprie attribuit, nulla facta mentione de viris. Καθεζόμεναι ὑφαίνουσιν αἱ γυναῖκες τὸν τοιοῦτον ἱςόν. *Ejuſmodi telam mulieres ſedendo texunt.* Heſiodus *Aſcræi dies. Verſ.* 779.

Τῇ δ' ἱςὸν ςήσαιτο γυνή.

Hac telam ordiatur mulier.

Platonem & Ciceronem de mulieribus texentibus ſæpiſſime loqui, patet ex iis quæ capite præcedenti ex eorum *libris de legibus* allegavimus. Venus filio ſuo Priapo dicitur texuiſſe veſtem; teſte Caſſiodoro *lib.* VI. *cap.* XXI. Textura Penelopes imprimis celebris eſt apud Homerum. Capite præcedenti fuſe diſputavimus ex Ovidio, de certamine, ob texturam inter Minervam & Arachnen. Alexander Magnus veſte indutus fuit, quæ erat, *ſororum non tantum donum ſed & opus*, ut habet Curtius *libro* V. Suetonius *in vita Auguſti cap.* LXXIII. teſtatur: Auguſtum *veſte domeſtica non alia uſum fuiſſe, quam ab uxore & ſorore & filia neptibuſque confecta*, quod a Carolo Magno etiam obſervatum eſt, ſi *Eginhardo* fides adhibenda eſt. Principes itaque fœminæ Deæque texuerunt. Non omittendus eſt locus Tibullli, qui de fœmina Coa texente mentionem facit:

Illa gerat veſtes tenues quas fœmina Coa
Texuit.

CCCVIII. Adeo verum eſt mulieres texuiſſe apud veteres: ut Herodotus *lib.* II. *cap.* XXXV. doceat, apud Ægyptios, quorum pleraque inſtituta plane erant contraria & toto cœlo a cæteris nationibus diverſa, morem fuiſſe fœminis negotiari & cauponari, ἀγο-

ράζειν

ράζειν καὶ καπηλεύειν, *Viros* autem κατ᾽ οἴκους ὑφαίνειν, *intra domos texere.* Quaſi dixiſſet: *alibi fœminæ texunt, apud Ægyptios viri.* Apud Hebræos texuiſſe, Sacra Scriptura manifeſto docet. Nihil jam dicam de fœminis ædicula texentibus, quæ memorantur II. Reg. XXIII. VII. Prov. XXXI. ſummopere laudatur uxor diligens, quæ veſtimentorum mariti totiuſque familiæ curam habet, & quæ ipſa סדין עשתה· *veſtimenta pretioſa facit.* Celebris eſt locus I Samuelis cap. II. XVIII. ubi legimus Annam filio ſuo Samueli feciſſe מעיל קטן *palliolum.* quod non aliter intelligo, quam eam ipſam palliolum iſtud filio ſuo texuiſſe propria manu. Antiqua traditio eſt, tunicam Chriſti inconſutilem textam fuiſſe ab ejus matre Beata Virgine Maria. Idem docetur *Codice Ioma cap.* III. ubi tradunt Gemarici, licitum eſſe Sacerdoti veſtem induere & unius diei miniſterium in ea obire, ſi mater ei veſtem fecerit. Simul exempla allegantur, de *Sacerdotibus, Iſmaele,* & *Eliezere,* quibus matres veſtes fecerunt. Sed de his plura ſuo loco. Morem iſtum, quod fœminæ texerent, viguiſſe ad tempora Chryſoſtomi uſque, patet ex ejus *Homilia* XXXIV. *prioris ad Corinthios,* ubi ſæculo ſuo convitium dicit, quod propter mulierum mollitiem, hoc inſtitutum a fœminis tranſiret ad mares. Quis neſcit ad hunc uſque diem ubique locorum reperiri mulieres quæ texunt lineas telas, maxime autem in Cœnobiis? Non tamen ſolæ fœminæ texebant apud veteres, ſed & ipſi viri. Audivimus jam modo ex Herodoto, apud *Ægyptios viros texere.* Hippias, ut erat homo *multiſcius,* uti loquitur Apulejus *Florid lib.* II. *tunicam interulam, tenuiſſimo textu, triplici licio, purpura duplici, ipſe ſolus domi texuit.* Temporibus B. Chryſoſtomi artem texendi a mulierculis ad viros jam fuiſſe derivatam, ex ipſo Chryſoſtomo jam modo audivimus. Id ipſum in uſu fuiſſe tempore Conſtantini, patet ex *Codice lib.* XI. *tit.* VIII. *De Murilegulis & Gynæciariis. Gynæciarii* ſunt viri textores, & non fœminæ. Non poſſum quin hic obſervem, textores *Gynæciarios,* & textrinum, ſive officinam textorum, *Gynæcium* dici, ἀπὸ τῆς γυναικὸς *a muliere:* ideo ſcilicet quod apud antiquos, ejuſmodi munera mulieribus magis quam viris demandata fuerint. Sed dubitare neutiquam poſſum, viros texuiſſe jam ante tempora Julii Cæſaris; cum ipſe Plautus mentionem faciat de *Textoribus, limbolariis & arculariis.* Vide *Aul. Sc.* V. *act.* III. Et Cicero *pro Plancio: Si* (mancipium) *pro fabro*

aut

aut textore emimus. Vide etiam Juvenalem, *Satyra* IX. & alios Apud Hebræos.

CCCIX. Sacerdotales veſtes non a fœminis, ſed a viris contextas fuiſſe, colligi poteſt, ex iis quæ jam diximus. Fuerunt itaque primi textrinorum Procuratores (liceat ita loqui cum Theodoſio & Valentiniano Imperatoribus, *Cod. l.* XI. *tit.* XI.) *Belzelel* & *Oholiabus.* Deinde ſub Templo ſecundo, in ipſo Templo, ſcilicet ad dextrum portæ Nicanoris, ſuum habuerunt Gynæcium ſive Textrinum, ubi veſtes ſacræ, cum velis aliiſque texturis ad Sacerdotium neceſſariis, detexebantur: cujus Textrinæ Præfectus, aut Procurator celeberrimus fuit quidam *Pinchaſus.* Hoc tamen non eſt ita intelligendum, quaſi Sacerdoti non fuerit integrum ſuum obire miniſterium in alia veſte, quam quæ in Templi Textrina detexta fuit. Nihil refert in qno loco, & a quibus hominibus confecta fuerit, modo materia formaque, & figuris ad legem Dei fuerit. Ita legimus Maſſechet *Ioma cap.* III. (quem locum modo allegavimus) matres filiis ſuis Sacerdotibus Iſmaeli & Eliezeri tunicas pretioſiſſimas fecisſe, quibus miniſterio functi erant magno die piaculari decimo Tiſri. Hæc tamen conditio requirebatur, ut ejuſmodi veſtimenta prius traderentur toti cœtui, atque ut ſic a cœtu Sacerdotibus darentur. Veſtes enim ſacræ, ut omnia vaſa & ſacra ſupellex, publicis ſumptibus fieri debebant, non autem privatis. Sed ſi quis privatus aliquid dare volebat in uſum publicum ſacrum, permiſsum erat ut reciperetur & ut eo in ſacris uterentur, hac tamen lege, ut toti cœtui primum fuerit traditum, a quo ad Sacerdotes deferretur, & miniſterio conſecraretur. Sed de hiſce poſtea, ubi de pretio & ſumptibus veſtium ſacrarum: quod fiet libro ſecundo, Cap. XXIV. poſtquam de ſingulis veſtibus ſeorſum egerimus.

FINIS LIBRI PRIMI.

INDEX RERUM
LIBRI PRIMI.

Paragraphi notantur.

A.

A*Bel* an habuerit veſtes Sacerdotales. paragr. 11.
Abrodata Rex. Ejus tunica hyacinthina pretioſa. 184
Acus. 228. Major ad conſuendas ſarcinas. *ibid.* Apud veteres eſt fibula. *ibid.* Sed raro 230. *Acus* ſubtilior. *ibid.* Ejus uſus apud veteres. *ibid.*
Acupicta texta dicuntur. 228. 275
Acupictor. 274
Adamus primus Sacerdos. 12. 60. Bovem obtulit. 61. An *hircum*. 61. Ex mandato Dei ſacrificavit. 60. Primæ ejus veſtes quales. 11. 12. An habuerit veſtes ſacerdotales. 11. Habuit veſtes ex pellibus villoſis. 58. Ejus veſtium *virtus*. 62. *Odor gratus*. *ibid.* An ejus veſtes pelliceæ Sacerdotales? 71. Poſt peccatum ſacrificavit. 12. Creatus in monte Moria 37. Ibi ſtruxit aram. *ibid.*
Ædificia lutea ab hirundinibus inventa. 229
Ægyptiorum ſacerdotes veſtiti. 10
Ægyptum texturam inveniſſe. 233. Ob mercaturam lini eſt celebris. 99. 100. Lini & Equorum ferax. 124. Inacceſſa facta equitatui. 125. Dicitur Hebræis *Mitzraim*. 233. Cum Hollandia comparari poſſe. 124
Æneas læna amictus. 147
Agricultura & aratio a porcis inventa. 229
Aharon Pontifex Max. 26. Ejus filii Pontifices. *ibid.*
Albi Dii, & albæ victimæ 165
Albæ veſtes. 163. 164. &c.
Albæ veſtes in Eccleſia Rom. 164 165. une *Aube*. 16
Alba opera. 91
Albus color. 163. Diis gratus. 164.
Albæ veſtes ſacrificantibus in ſomniis fauſta ſignificant. 16
Alexander Severus. 225. Veſtem holoſericam nunquam habuit. 111. Ejus lex veſtiaria. 255
Allegoria. 36
Alkermes. 207. 210. Ejus confectio. 201
Almanac, *Alambyx*, *Alchymiſta* an voces Arabicæ? 119
Alvearia olim texebantur. 228
Amaſis Ægypti Rex. Ejus *Thorax*. 268. 293.
America multas alit aves. 56
Amethiſtinus color. 286
Amiantus lapis *Asbeſtinus*. 94
Aminæarum vitium genera. 86
Ammon, Chamus. 145

(a) *Amor-*

Amorgus inſula. 202
Anagogia. 38
Anemona flos purpureus. 189. 203.
Angeli an confecerint Adami veſtes. 59
Animalia veſtibus intexta. 280 &c.
Apices apud Hebræos vocibus adſcribuntur. 216
Apoſtoli prædicant Euangelium. 39. quo habitu. *ibid.*
Aqua farinæ. 203
Arabes nudi ſacrificant. 9. Voces Græcas adoptant. 119. 210. Eorum ſapientes & ſacerdotes lana veſtiuntur. 248. Sæpe intelliguntur per Arabas Judæi qui inter eos habitant. 119
Arachnes & *Minervæ* certamen. 229.
Aranea texit & nectit. 228. Unde dicta. 229. Eſt inventrix texturæ. *ibid.* & 230. texit & reficit retia ſua. 239
Arbores lanigeræ. 85
Arcas Caliſtus texturam populares docuit. 233. Arcadum religio. 6
Arcularii. 299
Argaman unde dictum. 202. ſignificat colorem. *ibid.* & 204. 219.
Argema. 202. 203.
Argemon. 16
Argentum veſtibus ſacris nullum intextum. 157. Quo tempore ejus uſus in re veſtiaria. *ibid.*
Arietes teguntur ad conſervandam lanam. 144
Ars artem trahit. 122
Artes Mechanicæ vocantur ſapientia. 295
Artes repertæ caſu, aut a brutis animantibus. 229
Artificioſiſſimum opus eſt *choſcheb* 270.
Asbeſtinum linum. 90. 94.
Athenienſes veſtibus albis ſacra faciunt. 164
Athenæ. An lanificium ibi inventum. 149
Attalus an docuerit veſtibus aurum intexere. 158. *Attalici.* *ibid.*
Augurale veſtimentum. 201
Auguſti jocus de purpura 188
Aurigo. 169
Aurum in veſtibus ſacris. 150. 151. Ejus color. 169. 170. *Auri* varia genera in Talmude. 151. *Aurum Meſukak*, & *aurum Tob.* 152. Ex *Ophir.* *ibid.* Ex *auro* ſolido veſtes. *ibid.* Ex quo genere *auri* veſtes ſacræ fiant. 153. *Aurum* laneis veſtibus tantum intextum, non lineis. *ibid.* *Auri* abuſus in veſtibus & in ædificiis 154. *Aureæ* veſtes 155. 156. &c. Regum ornatus. *ibid.* *Aurum* veſtibus intexere quis invenerit. 158. Quomodo in filamenta deductum antiquitus. 159. Et hodie. *ibid.*

Aurum textile. ibid. Auri uſus magnus in rebus ſacris. 156. In Templo Jeruſal. *ibid.* Ejus color. 168. viride. *ibid.* Fulvum, & Rufum. *ibid.*
Auri plus perit quam argenti. 155.
Auri plus in rerum natura quam Argenti eſſe. 157
Auro ornatum *Taſchbetz.* 258
Azur. 177

B.

B*Aal-Peoris* ſacra. 7. 8. Dicitur *Bel-Phegor. ibid.* De eo lepida fabula. *ibid.* Ejus ſacra turpiſſima. 8. Eſt *Priapus* & *Saturnus. ibid.*
Babylonica opera. 268. *Picta textura & acu.* 271. *Periſtromata ibid.*
Babyloniis acus vincitur pectine textoris. 272
Bacchus. Νεϐρώδης & Νεϐροδόςολ@. 51. 66. Pelle hinnuli veſtitus. *ibid.* A Judæis dicitur adorari 71. Ejus cultus. 34. An Iudæi ipſi ſacrificent. 51
Bacchantes ſindone Veſtiti. 102
Balteus Sacerdotum. 23. Eſt duplicis materiæ. 78. 163. Pontificis Max. die Expiationis eſt lineus 96. *Balteus.* 84. Sacerdotum eſt operis *Rokem.* 269. &c. Ejus ſtamina & ſubtemina. 287
Baum-wol, Xylinum. 85
Belgarum ædes teſſellata habent pavimenta. 254
Belluata veſtimenta. ſive *Bellua* veſtibus intexta. 275. &c.
Beltz a pellé 58
Bellica ornamenta tincta. 164
Bengala abundat goſſypio. 104
Benus pro *bonus.* 69
Beſtia a βόσκημα. 206
Bezelelus veſtes ſacras fecit 294. &c.
Bilices. 285
Bis tincta non omnia ſunt dibapha. 214
Blatta. 189
Blutum pro *ablutum.* unde *bleu, blau.* 180. *Blauw, dönker blau* 178 186.
Bleu-mourant. 178
Bombyces ſericæ. 113. Earum nidi quomodo redordiantur. 88
Bombacina. 88. an differant a ſerico. *ibid.*
Bombace, Bombaggio. 88
Bombaſijn Belgice a *Bombyce. ibid.*
Bos. Qualem Adamus obtulerit. 61.
Brachæ conſuuntur. 231. Quomodo texantur. 280
Brachmanes diſcalceati ſacra faciunt. 50. Eorum veſtes lineæ. 94. Et ex lapide Amiante, & Sindone. 102
Brocards panni aurei, ab aureis bracteolis ſic dicti. 153
Brocher: Vide *lacer* & *breiden.* Veſtement *broché.* 251
Breiden, Gallice *lacer*, *brocher*,

ars veteribus ignota. 221. 234. 251.
Britanorum Religio. 9
Broderie & *Ouvrage de broderie.* 269. 274. 282.
Βροντᾶος Iupiter. 8
Borduren. 269. *Broder* quaſi *border*, a Belgarum *Boort.* ora. 282.
Buccinum. 180
Byſſus. 17. ſubtiliſſima. 18. *Byſſus* & purpura junguntur. 82 Utrum ſit lana? 89. An *goſſypium*, aut ſericum? 89. Eſſe linum pretioſum. *ibid.* *Byſſus* celeberrima eſt Eliaca. *ibid.* Seritur ut canabus. *ibid.* Ex ea texuntur veſtes & reticula. *ibid.* *Byſſus* Judaica 90. Eſt linum Indicum. *ibid.* pretioſiſſimum linum. 91. *Byſſinas* veſtes geſtandi jus qui habuerint. 125
Byſſina verba. 91

C.

C. H. K. permutantur. 92
C. mutatur in T. 206
Cain an habuerit veſtes Sacerdotales. 11.
Calaſaris genus veſtis ſacerd. 147
Calcei veſtes viliſſimi 44. *Lunati.* *ibid.* ſignum Senatoriæ dignitatis. *ibid.* *Calcei* conſuuntur. 228. 230. &c.
Calceos exuere ſignum humilitatis. 45. Afferre, ſolvere &c. vile miniſterium. 44. *Calceorum* corrigiam ſolvere. *ibid.*
Calcei Sacerdot. Ægypt. papyracei. 47. Phœnicum linei. *ibid.* Athenienſium albi. 164
Calcei coccinei. 194. Patriciorum. 216. Gemmati Imperatorum 161.
Calcei exuebantur die jejunii. 45 In mortuorum luctu. 46. A Moſe extrahuntur. 37. A Ioſua & Sacerdotibus. 41
Calceatus. Larenſium Pontifex. 47. Sacerdotes Athenienſes & Alexandrini. 47
Calceis quidam Sacerdotes carent. 48.
Calceos non habent Sacerd. Hebræorum 36. Prohibiti ſunt. 38.
Calcei Empedoclis Philoſophi. 84. Ruſticorum apud Hiſpanos. 36
Calcei Moſis ſtraminei. 36. Ex ſpina Chriſti. *ibid.*
Cameli. Eorum magna copia in Iudæa. 133. Eorum lana. 57. In uſu apud Iudæos tempore Chriſti. 133. Molliſſima in Caſpia. 136
Camelot de Hollande, genus panni Hollandici. 101. 227. 267 285. Fiunt ex lana caprina. 141.
Camiſia. Alba, ſigillata, holoſerica & chryſoclava. 154
Canabus inter ſpecies *piſchtim*, id eſt lini. 92. dicitur a ſimilitu-

litudine cannæ. 92
Caneſas, chanvre. 92
Cancamus. 194
Candidati. 165
Candys quid? 280
Candelabra ſeptem. 25
Cantus dicitur *varius*. 266
Capræ. In Oriente quales. 142. Earum lana pretioſa & mollis. 140. *Capros* Barbari ſuis terris non ſinunt exire niſi caſtratos. 142. Optimæ capræ in inſula Scyro. 139
Capra & lana caprina. 135. 137. 138. 139. &c. Inde non ſit *thechelet*. 143. Veſtes Sacerdotales. *ibid*. Inde fiunt aulæa tabernaculi. 137. Smirna hodie adfertur. 141. Mollis. 138.
Caprarum pilorum uſus. 138. Craſſa lana caprarum. 140. dicitur *Merhazi* pro *Amerhazi*. *ibid*.
Capras nere quid? 140
Capra ex hirco & ove. 137
Capreæ Geitenſtein, prope Ultrajectum. 142
Caracallæ conſuuntur ex pluribus partibus. 231
Carmeſinus color 193. 194. Unde fiat? *ibid*. & 201. Hodie a coccino diſtinguitur. 201. Gallis dicitur *cramoiſin*, Germanis Carmeſin. 189. 201. 210
Caro. carne viri delectantur 126
Carmentæ ſacello pellem inferi nefas. 70
Carminare lanam. 73
Cea vide *coa*.
Cento. 230
Cereris ſacra in veſtibus albis 164.
Chamus. *Ammon*. 149
Chemiſe qui tienne ſerrée contrepointée &c. an *chetunet Taſchbetz*. *ibid*.
Chermes pro Kermes. 202
Chanaanus Chami filius lanificii repertor. 224. eſt *Mercurius*. *ibid*.
Cheirothecæ. An Sacerdotes iis utantur. 32
Cherubimi quid? 277. fiunt *Maaſeh choſcheb*. 265. 270. 277. Quales habeant figuras. 272
Chriſtus per *hircum* repreſentatur. 61. dicitur *Agnus* Dei. 61. Albis veſtibus induitur. 165.
Cidaris. 84
Ciclades quantum debeant habere auri. 155
Cilicia veterum Chriſtianorum. 135. 138. In Cilicia inſula capræ tondentur. 138
Cinctus æreus. 49
Cirri fœminarum ex pilis caprarum. 139
Ciſta. hinc Germanorum Kiſte. 259.
Claſſes Sacerdotum 302. & ſeqq.
Clavis in veſte Græcis vocatur plumion. 268
Clauſporte pro *Clauſiporca*. 206
Cleopatra. 161
Clyſteres cyconia invenit. 220

Co, & *Coa* inſula ubi. Patria Hypocratis. 88. 121. Differt a *Cea*. *Coa* veſtis utrum de lana, an de Serico dicatur? 122. Ibi lanificium claruit. *ibid.*

Co & *Coa* inſula differunt a *Cea* 88.

Co inſula, an hoc nomine nota tempore Salomonis, 122. An tempore Latoi. *ibid.*

Coccinum. 118. purpura dicitur. 187. 216. Inſtar roſæ micat. 188. *Coccinea* dicuntur purpurea. 199. In *coccino* igneus fulgor. 199. *Coccinum* dicitur *dibaphum*, ſed male. 198. Differt a purpura plebeja, Tyria & Hyſgino. 199. *Cocco* tingitur. 200. Cocco tincta veſtis. 200. *Coccini* calcei. 194.

Cocci cultura. 202. Ejus locus natalis. 202. Quomodo dictum Judæis. 207. Dicitur *Vermiculus acutus.* 215

Coccus. 188. Inde *Lacca.* 194. Qualis fructus *coccus?* 200. *Coccinus Tyrius.* 207. *Coccinum* peſſime dicitur *dibaphum*, & *bis tinctum.* 214. *Coccinum duplum retortum.* 212. *Coccinum* cur dicatur *Schani.* 215. & *Sen. ibid.* Eſt color pretioſiſſimus. 216. Eo uſus eſt Alexander Severus. 216. Sacerdotibus & Auguribus ornamento eſt. 216. Et Salomoni. *ibid.*

Coccinum dicitur *Galaticus color.* 200. 216.

Coccinati milites. 208. 209.

Cochenille. 204

Cœruleum, *cæſium* quaſi *cœlium.* 175. Quomodo tingatur? 180 vide *Hyacinthinum*

Colores quid? 82. *Colores* veterum nobis ſæpe ignoti. 162. *Colores* in ſacro veſtitu. 163. 164. &c. Quot in ſacro veſtitu. 167. Quo referantur. 177. *Colores Miſti.* 192. *Color Regius.* *ibid.*

Columna Trajani Romæ: 9.

Conchylia. Inde fit color pretioſus. 175. 176. &c. *Conchyliata veſtis* 175. 180. *Conchylium* diſtinguitur a purpura. 180. Eorum genera. *ibid.* pretia. 184. Quomodo tingatur. 190. Conchylium. *ibid.*

Conopeum texebatur. 219

Conſpicilla. 53

Contrepointé. 251

Cor ſedes mentis creditur. 292

Corbes texebantur. 219

Corum. 139

Corium & *Cortex* idem. 58. rubrum. 194. an a *Caro.* 58. Coccino tingitur 207. *Coria* conſuuntur. 228

Coſculium & cuſculium. 204

Cotinus frutex. 179

Coton. Belgice **Catoen.** 87

Cotoneum malum. 87. Ab Arabibus in Hiſpaniam delatum. *ibid.*

Cothurni. 51
Crappe. color ruber. Ejus ferax Zelandia. 189
Crates texuntur. 219
Cravates. Colli lora. 232
Crepidæ. 51. *Crepidatus* Domitianus. 47. Crepidæ propriæ Sacerdotibus Dial. & Flavial. *ibid.*
Crepitus ventris in cultu Baalis Pehoris. 8
Crepos quid? 8
Cretati. 165
Crinale 116. Crinale aurum. *ibid.*
Crux in textura. 227. quomodo dicatur a Judæis. *ibid.*
Cynocephali populi. 104.

D.

Daſſen. Colli lora. 232
David veſtibus tectus quo ſenſu. Cur in iis non potuerit calefieri. 75
Dentelles. 212. 282.
Deſertum apud Judæos quid. 134. Ibi prædicavit Johannes. *ibid.*
Dialis Sacerdos. 197
Dibaphum. vide Purpura. Pro Auguratu. 197. 214. Male de coccino dicitur. 214. 215.
Dii Deæque albis veſtibus amicti. 164.
Diogenes Cynicus. 144. Ejus acre dictum in Megarenſes. 146.
Diſcalceati Judæi quando. 46
Diſcoloria. 269
Draet / *filum.* **Ses draet / acht draet** / genus panni Hollandici. 285
Drap d'or. pannus aureus. 227
Druidæ Gallorum albas habent veſtes. 164
Dolabrum. poſt uſum ferri. 223
Dominica in Albis. 165
Domitianus. 197
Dormire ab Hebræorum *Radam* 69.
Dormire in Templo ſolent Sacerdotes & Levitæ. 69
Duos pannos, duas telas jungere per texturam. 241. &c.
Duplicata tela. 241
Duplicatio. 212. *Duplicia*, & veſtes duplices. 213

E.

Elias propheta. Ejus veſtis. 65
Eliezer Pont. 106
Elychnia pro Sabbatho unde fieri debeant. 128
Emplaſtra non debent reperiri intra carnem & veſtem Sacerdotis. 31
Epheſiorum veſtes habent rhombos intextos. 255
Ephodum eſt *Schaatnez*, duplicis materiæ. 78. Eſt *Maaſe choſcheb.* 264.
Equi. Flavi in Dania. 118. *Pomelé, pomelati equi.* 255. *Equi* Salomonis. 123. *Equi multi in* Ægypto. 124. & Thebis. *ibid.*
Equum conſcendere quis docuerit?

rit? 124. *Equos habendi jus* apud Hebræos 125. *Equorum pretium* certum ſtatui nequit. *ibid.*

Erucæ damnificæ beſtiæ. 88

Eſcarlatte. 185

Eva non erat Sacerdos. 12. 63. Ejus veſtes non erant Sacerdotales. *ibid.*

Expiatio Magna. Dies Expiationis dictus *Iom Hakkipurim.* 107 Illo die Pontifex Max. in veſtitu faſtum deponit. 107. Non intrat adyta cum veſtibus aureis. 107. In Albis veſtibus miniſtrat. *ibid.* Reliqua omnia tunc ſplendida *ibid.* Ex aureo labro lavat manus & pedes. *ibid.* Vaſa aurea tunc pretioſiora quam reliquis diebus. 107. Illo die Sindon byſſina tendebatur in templo 108. 163. Pontif. Max. lino veſtitus albo. 163

F.

F. & K. apud Arabas uno apice tantum differunt. 201. F. Mutatur in V. Apud Græcos F & γ quomodo differant. 201

Faly. Een Faly genus veſtimenti noſtrarum mulierum a φάλα. 232

Faſciæ in veſtibus. 282

Fel, *vel*, a *pelle.* 58

Feminalia, *Brachæ.* 84. Hieronymus male credidit non poſſe texi, 231. 236.

Ferandin, genus panni ſerici. 285

Feu couleur de Feu. 186

Feuille morte, color. 169

Fibula. Eſt *acus* 229. A *ſutura* nunquam diſtinguitur. *ibid.* Nulla ſine acu. *ibid.*

Fibulatum & *reſibulatum.* *ibid.*

Fides, *fido*, *fœdus.* 59. *Fidei ſacra.* 32. Ejus flamen. 164

Fileſel, genus fili ſcrici. 128

Filum. ſix fils, huict fils, genus panni Hollandici. 285

Fimbriæ in veſtibus quomodo Hebræis dicantur. 252. In veſtibus ſacris nullæ. *ibid.* Quæ in veſtibus. 282

Flachs German. Flas Belgic. *Filace* Gall. *linum* 92. 99. Fijn flas. 120

Flaviales: 197

Flamen. Dialis habet album galerum. 164

Flamines Fidei manus velant albo panno 164. *Flaminibus* lana peculiaris, 148. *Flamines* dicuntur quaſi *Filamines.* 148. Quomodo tegant caput. *ibid.*

Flaminica apud Romanos, ſi tunicam laneam lino conſutam habuit piaculum commiſit. 81

Flos Flores hyacinthini. 176. Ex Ajacis ſanguine creſcunt. 176

Flos lanæ caprinæ. 138

Floribus pictæ veſtes. 274. 277.

Floridæ veſtes propriæ mulieribus. Et quidem meretricibus. 274.

Flores intexti velis tabernaculi, 277.

Fœdus unde dictum. 39 Fœdera ſancire. *ibid.* Sancitur fœdus cum ſignis notabilibus. 59 In ſanciendis fœderibus victimæ adhibentur. 59. Quid ſignificet. *ib.* In fœderibus comminatio. ibid.
Folia ficulnea. 56. umbroſiſſima. 56. Inde veſtes. *ibid.*
Foliis ſeſe tegit Ulyſſes. 56.
Fratres Arvales. Eorum Sacerdos ſpiceam habet coronam. 164. Et albam infulam. *ibid.*
Fullones. Veſtes dealbant & lavant. 165. Junguntur cum *ſarcinatoribus.* 230.
Fulvus color quomodo mixtus. 167.
Frontalia. 53.
Funes. Quibus ligatus Simſon. 91.
Fructus veſtibus intexti. 279.
Fuſi. Poſt uſum ferri. 223.
Fundæ annulorum formas habent figuræ in tunica Sacerdot. 259.
Funus deducentes nudis pedibus. 46.

G.

G *Littera* permutatur. vide K.
Galantes. 147.
Galericulus. vulgo une *Peruque.* 139. Ex pilis caprarum, *ibid.*
Galerus Albus Flaminis Dialis. 164.
Galigula Sericatus. 111.
Gallia quomodo purpuras tingat. 190.
Gallorum procerum veſtes aureæ. 155.
Garlaticum pro *Galaticum* & *Eſcarlaticum*, *Eſcarlate.* 206.
Geiten-ſtein. Villa prope Ultrajectum. Sic dicta ob capras Orientales. 142.
Gemmæ in veſtitu ſacro. 160. 161. Cælatæ in Calceis. 161. Leges contra veſtes gemmatas. *ibid.*
Gemma Hyacinthus. 174. &c.
Gemma Hæmatites. 189.
Gematria ſpecies Cabalæ Judæorum. 278.
Generoſa. 91. 118.
Germani tecti agninis pellibus. 67.
Germanica toga pro Græcanica. 197.
Getæ pelliti. 67.
Geyß. ab Hebræorum *Es.* 137.
Goliati haſta comparatur cum inſtrumento textoris. 225.
Goſſampini. Frutices qui *goſſypium* ferunt. 86.
Goſſypium. Parum habet firmitatis. 91. Eſt *Xylinum* 99. Differt a lino 104. ubi naſcatur? 99. Ejus eſt abundans *Bengala.* 104. Ex *Goſſypio* veſtes Sacerdot. apud Gentiles. 164. Cum lino an poſſit miſceri. 74.
Gouſſon fruſtulum tunicæ Gallis

lis ſic dictum. 237. tunicæ mirifica arte intexitur. *ibid.*
Goude laecken. pannus aureus. 227.
Grex liniger Sacerdotes. 94.
Gris de lin. color. 186.
Groſ Grein. Genus panni ex lana caprina, apud Belgas. 227.
Gynæcium, Gynæciarii. De iis lata lex. 308.

H.

H. littera mutatur in G. K. 92.
Halm/ pro *culmus.* 92.
Hanf/ **Henep** a *Canabo*, & Heb. Kanbos. *ib.*
Haudt, pro *cutis* 92. Haut. **Huydt.** 67.
Haruſpex varicoſus. 84.
Hemels Bleau. 172. 177.
Heekelen *Carminare* lina. 73.
Heliogabali calcei gemmati. 161.
Hemo pro *Homo*, ut *benus* pro *bonus* 69.
Hercules pelle Leonis veſtitus. 66. Ejus Sacerdos *laticlavia* veſtitus. 148. Ejus amica. 190. Ejus canis inventor purpuræ. *ibid.*
Herculis Lindii ſacra cum diris imprecationibus. 7.
Heroes priſci pellibus veſtiti. 66.
Heroinæ pellibus veſtitæ. *ibid.*
Hes, Hex, Katz/ **Catti/Heſſen** idem. 92.
Himmel blauw. 177
Hippias ſibi veſtem texuit. 308.
Hircus Chriſtum ſignificat. 61.
Hircum ab alis. 62.
Hollandi optimos pannos conficiunt ex lana hiſpanica. 113.
Hollandia cum Ægypto comparanda. 124.
Holoſerica veſtis. 111. Ejuſmodi veſtem nunquam habuit Alexander Severus. *ibid.*
Hoqueton tunicula a *chetunet*. 278.
Hunni & *Hungari* pelliti. 67.
Hyacinthus gemma. vide Gemma.
Hyacinthus flos. vide flos.
Hyacinthus color qualis. 172. &c. 183. Quomodo tingatur. *ibid.* & 180. 183. Eſt color nigricans inſtar atramenti. 178. Auſter *ibid.* Aeris naturam refert. *ibid.* Non omne eſt *thechelet*. 179. ſolo ſanguine conchylii tingitur. *ibid.* Quomodo hodie tingatur. *ibid.* Non niſi lana eo tingitur. 147.
Hyena. Ejus pellis contra vulnera. 67.
Hyſginus color. 192. 195. 203. Augurale veſtimentum. 192.

I.

I*Acinthe la belle.* 174
Iacobi veſtes, vide Veſtes.
Ichtyophagi. 56.
Ignis & *fulmina* in fœdere. 59.
Imperatorum Paludamenta alba. 165,

165.
Ingenieur. Choſcheb. 265.
Incubare Deo. Æſculapio &c. 68.
Incubare pellibus. 69. An Moſi ritus iſte notus. *ibid.* Cur Moſi attribuatur. *ibid.*
Inconſutile apud Johannem non ſignificat *ſine fibulis.* 235.
India unde dicta. 105. ferax *lini.* 104. & *Xylini.* 104. *Indica lina* præſtantiſſima. *ibid.* *Indicum linum byſſus.* *ibid.*
India quidquid ultra mare mediterraneum, & *Æthiopia.* 105. *Ioppe* urbs, & *Arabia India.* *ibid.*
Indi Nigri. 105.
Indicus color, harundinum ſpuma. 179.
Indumentum. 116.
Inſilia. 223.
Inſubula inſtrumentum texoris. 225.
Inſula Cos. Κῶ 113. 121.
Inſtita in veſtibus. 282.
Jahannes Baptiſtes. Ejus veſtes. 65. Conveniebant regioni montanæ. 134. Quæ de eo dicuntur communis vitæ ratio tulit. 134.
Ionathan Haſmonæus Pont. 28.
Joſephi aliorumque ſcripta corrupta. 162.
Joſephi fil. Jac. tunica paſſim. 278. &c.
Iſis inventrix lanificii. 149. 224.
Iſmael f. Paphi Pont. Max. 106.
Italiaenſche vloer / Pavimentum Italicum. 254.
Iteratio. 212.
Iugum textorum. 225. Depicta in tabula. 243. Ejus explicatio. *ibid.*
Jupiter βροντῶς & πορδῶς. 8.
Juvencus quando oblatus. 300.

K.

K. mutatur in C. G. H. & T. 92. 180. 206.
Kammen / *Carminare.* 73.
Kanten. 212. 282.
Kalle. Kalle haube. operimentum ſponſæ dicitur ſtomachus animalis ruminantis. 260.
Karmeſijn. 189. 193.
Kartas. 207.
Kaſten a *Ciſta.* Funda annuli. 259. Gekaſtelter rott. Tunica *Taſchbetz.* 259.
Keeperen. Gekeepert ſtoffe. 285
Kermes, coccinum. 202.
Kleermaecker. 229. 231.
Klinkant. 159
Kloſſe / een Kloſſe Gaeren / a κλωςȣ̃. 212
Kokus noot. 202.
Kolder. Maalje Kolder. 262.
Koninghs Couleur. 186.
Koreiſchitarum Religio, apud Arab. 9.
Krampf. *Spaſmus.* *Haſchabetz.* 261.
Kunſtlich. **Het aller konſtelijkſte werck.** 264.

L.

L. littera veſtibus intexitur. 273.
Labia rubentia. 215.
Lacca color ruber. unde. 194. Tyria. 207.
Lacer, **breyden** / *brocher.* veteribus ars ignota. 234.
Lacuata. 257. 258. *Lacunar. ibid. Lacuata tecta. ibid.*
Laculatum. veſtis *laculata taſchbetz.* 257. 258.
Læna a *lana* quaſi *lanea.* 147. vide χλαῖνα. *Coccina læna. ibid.* & 213. Hyacinthina. *ibid.* Texitur. 233. Veſtis Cæſaris & Imperatoris. 147. Æneæ & Sacerdotum. 147. Læna quid? 213.
Lacken. Goude Laecken. panni aurei. 227.
Lætitia virorum & mulierum. 126.
Lagena. 139.
Lana. Vulgatiſſima materia veſtium. 73. Inde veſtes Sacerd. 110. Pretio non cedit ſerico *ibid.*
Lana & *linum* pro veſtibus ipſis. 73.
Lanam cum lino in veſtibus miſceri vetitum. 73.
Lana vitis. Goſſypium. 86. *Marina pinnicum.* 128.
Lana camelorum. 57. 65. Non facit *Schaatnetz.* Cum lino miſceri poteſt. 74. In uſu tempore Chriſti. 133. Inde veſtes Joh. Baptiſtæ. *ibid.* In Inſula Caſpia molliſſima 135. Inde veſtes delicatiorum. *ibid.* Et Sacerdotum *ibid.* & Arabum. *ibid.* Non valde mollis in Judæa. 135. Ex ea fiunt veſtes viles & Cilicia *ibid.*
Lana. Adhibetur ad veſtes ſacr. 131. Inde veſtes Regum. Servii Tullii. *ibid.* Late ſumitur pro goſſypio & ſerico. 132. Varia *lanarum* genera. 126. Agnorum *ibid.* Quouſque cum lino miſceri queat. 133. *Lana* Mileſia moliſſima. 135. Caprina in veſtibus ſacris nullum habet uſum. 143. An *lana* arietum non fœminarum? *ibid.* In ovibus pura conſervatur. 144. Ovilla ſola prohibetur ne miſceatur cum lino. *ibid.* Sola peniculamentis indiget. *ibid.* In veſtitu ſacro eſt optima. *ibid.* *Lanarum genera* moliſſima. *ibid.* *Vigonica*, *Perſica*, *Hiſpanica.* 145. *Mileſia. ibid.* Judæis notiſſima. *ibid.* Dicta ab urbe *Mileto. ibid.* Omnis *lana* moliſſima & pretioſa Mileſia dicitur. 145. *Hiſpanica lana* molliſſima. Inde panni Leydenſes optimi. *ibid.* *Appula*, *Gallica*, *Tarentina*, *Selgica*, *Damaſcena.* Lanæ Altinates. *ibid.* Judaica *lana* molliſſima. 146. *Lana* fuſca &

& rubra nigræ tincturæ inepta. 146. Alba adhibetur in veſt. ſacris. *ibid.* Ejus fit mentio in S. Scriptura. *ibid.* Lanæ uſus in ſacris. 147. *Lana* veſtiti Sacerdotes Ethnicorum. *ibid.* Lana nulla in veſtibus Sacerdotum Iſidis. 147. *Lana* Flaminibus peculiaris. 148. Arabum ſapientes lana veſtiti. *ibid.*

Lanam nendi artem invenit Mercurius. 223. 224.

Lanificium in Inſula Coa claruit. 122. In uſu tempore Moſis. 149. Attribuitur Ægyptiis, Iſidi & oſirdi. *ibid.*

Lana veſtium ſacr. tingitur, non panni detexti. 217.

Lana Caprina miſceri poteſt cum lino. 74. Inde veſtes. 137. Hodie magna copia Smirna nobis advehitur. 141.

Lapper. 230. **Lappen.** *ibid.*

Laticlavia tunica. 148.

Latous quando vixerit. 122.

Lectus ex pellibus. 67.

Leeder/ Germ. Letter / corium. 58.

Lepra. Quænam veſtes ea poſſint infici. 137.

L' Eſpaule Mercator celebris Amſtelodamenſis. 142.

Lex Rhodia. 112. De Murilegiis & Gynæciariis. 308

Lex veſtiaria. 73. Alex. Severi. 155.

Leyſte / Inſtitæ veſtium. 282.

Licia. De *Variantibus liciis* pingere. 271. *Multa licia.* 285. Ex quot liciis fuerint veſtes ſacræ. 287. Judæorum de his deliria. 290.

Ligamenta intra carnem & veſtem Sacerdotis vetita. 31.

Limbi in veſtibus. 280. 281. 282.

Limbolarii. 308.

Linum. vide lana.

Linum ubi naſcatur. 99. Quomodo flaveſcat. 118. Candor ejus damnoſus in retibus. *ibid.* *Linum* firmum. 91. Ex eo fiunt retia. *ibid.* Et funes quibus ligabatur Simſon. *ibid.* *Linum* tenax. 91. *Lini* ſemen. 92. In culmum creſcit, & ſtipulas habet. *ibib.* *Linum* pectinatum. 120. *Linum* Ægyptiacum. 97. Merx Ægypti celeberrima. 99. Indicum. 100. Eſt præſtantiſſimum. 104. 105. India olim *lini* ferax. 104. Hodie non multum ex India affertur. *ibid.* *Linum* & Goſſypium in India differunt. *Lina Harlemenſia* pretioſa. 106.

Linea veſtis. vide veſtis. *Linea veſtis* Herculis. 94. Joſephi. *ibid.*

Lineas veſtes purpura aut auro ornare dementia. 154.

Liniger grex, ſacerdotes. 94.

Lini inventor an Pythagoras. 94. *Linum* in uſu ante tempora

Moſis. *ibid.* *Lini texturam* quis invenerit. 224.
Lini Ægyptiaci pretium certum. 125.
Linyphones, *lini textores*. 99.
Lintea Sindon. 101.
Littera varia veſtibus intextæ. 273.
Locuſta cibus vulgaris apud Judæos. 134. An preces faciendæ propter locuſtas *ibid.*
Londres pro *Londes* & *London*. 206.
Loen. **Een Loen** homo deſes. ab Hebræo *Loun*, cunctari. 213.
Lora in veſtibus. 282. *Monolores*, *dilores*, *trilores*, *pentelores*. *ibid.*
Lorica decet virum fortem. 112. Neoptolemi *lorica*. 263. 285. Galbæ & Ajacis. 263.
Loricæ lineæ in aceto decoctæ. 263. Ex lana etiam fiebant. *ibid.*
Luctus in pellibus. 66.
Lupercalia. 4 cum ſacris Baalis-Pehoris conveniunt. 8.
Lutetia pro *Leuketia*. 206.

M.

Machinæ quomodo Hebræis dictæ. 265.
Mactari in navi vetitum. 9.
Mactatio apud Iudæos fit cum precatione. *ibid.*
Magra rubrica Synopica. 193.
Maille. Cotte de Maille. **Een maille Kolder.** 262.
Malleus. 223.
Manibus tectis ſacra fiebant. 32.
Manicæ tunicis attexuntur, non aſſuuntur. 245.
Manor inſtrumentum textoris. 225.
Mare. Ejus color. 175. *Viride marinum*. Vide viride. Mare mortuum. 182. Salſum *ibid.* Maria terræ ſanctæ ſeptem. *ibid.*
Margaritæ Cleopatræ. 161.
Margian. 193.
Marmor repræſentans nudos popas & ſacrificantes. 9.
Maroquin du Levant. 194.
Maſſechet. Significat inſtrumentum textoris, & Codicem Talmudis. 225.
Matten Belgice ſtoreæ. 222.
Medici Sacerdotum. 34.
Megarenſes tegunt oves. 146.
Mel agreſte pauperum cibus. 134.
Mercaton & *Melicoton*. 87.
Mercatorum ſocietas. 123.
Mercurius. Invenit artem lanam nendi. 223. 224. Eſt chanaanæus. 224. *Mercator*, ſervus Deorum. *ibid.* Alatus. *ibid* Tradidit lanificium Mitzraimo, ſive Oſirdi. *ibid.*
Merhazi, pro *Amerhazi* lana caprina. 140.
Meſcha rude panni genus. 140. Inde fiunt tentoria & ſacci apud

apud Arabas. *ibid.*
Metallica ars quomodo inventa. 220. 224.
Midianitæ. Eorum Religio. 7.
Mikveh quid? 124.
Miniſtri Principum albas habent veſtes. 165.
Mileſia lana optima. 145. 146. &c.
Milites Lacedæmonii & Babylonii coccinati. 208. 209.
Minerva ab Arachne in texendo victa. 220.
Minium Græcis quid? 118. 207.
Mitum, *dimita*, *trimita*, *ἄμιτος*. 285.
Mitzraim Chami filius. 149. 224. dicitur *Oſiris*. 224. Ægyptum occupavit. *ibid.*
Mixtura in veſtibus. Vide veſtes. in agris prohibita. 76. In ſatis & animalibus. *ibid.* In veſtibus quo ſenſu Judæis permiſſa. *ibid.*
Moabitæ. 7.
Mombas Rex. 107.
Monachi artem ſericum conficiendi ex India attulerunt. 112
Monolores. 282.
Mons Moria ſanctus. 37.
Moſes in omnibus artibus Ægyptiorum edoctus. 293.
Muliebris luxus die Paſchatis. 126.
Murex. 179. *Murices* ubi capiantur ad tingendum. 182. Vivi capiuntur. 182. ſtatim debent contundi. *ibid.* *Sacer Murex*. 196. *Tyrius murex*. 199. *Murice rubere*. 190. Lex de *Murilegiis*. 308.
Muſtela. 67.

N.

Nelde *acus*. **Een Packnaelde**. 229.
Nagel. 226.
Naker. 186. 192.
Natte ſtorea. 222.
Nautæ Hebræis dicuntur *Melachim* a ſalſugine maris. 182.
Nectere eſt *texere*. 219.
Nere. Fœminæ nent. 307. &c. Nendi artem inveniſſe Mercurium. 222. *Lanam* & *linum* veſtium ſacrarum quis *neverit*? 292.
Netum. 212.
Nexile. 223. &c. fuit ante *textile*. 223.
Niger color. 173.
Nimaigre, pro *Nimegue* 206.
Nimbrodo veſtes Adami eripuit Eſavus. 62.
Noppies **Ganſen oogen**. genus panni linei ocellati. 253.
Notariacon. Species Cabalæ. 278.
Nudi Dii. 9.
Nudi naſcimur. 1.
Nudi Laniones. 9. & *Popæ*. 9. & *Sacerdotes*. 3. 9.
Nudi Britanni ſacra faciunt. 9.
Nudus Concionator Antonius. 5.
Nudipedalia. 46.

Nummi varii. 9. 254.

O.

O *Cellata veſtis.* 253. **Ganſen oogen/ een rock met oogkens/** 253.
Oculi attribuuntur veſtibus ſacris, ſed male. 253.
Oholiabus cum *Bezelele* ſacras veſtes confecit. 294. &c.
Ophir. Aurum Ophir. 152.
Opus acuti viri. 264.
Ordire. 127
Ornamenta mulierum ridicula ex pilis caprarum. 139.
Oſiris inventor lanificii. 149.
Oſſen bloet. 186. 189.
Oves teguntur ad conſervandam lanam. 144. 146. &c. Variæ & punctatæ. 146.
Ouvrage de deſſein. 264. *Exquis. ibid.* **Oorelſchroeven** / Gallice *guoſſons.* vide *gouſſon.*

P.

P. mutatur in F. & V.
Pagoda Indorum templa. 50.
Palla auro rigens. 155. 158. 162.
Pallas ægide tecta. 66. χλαυκῶπις dicitur. 173. Ejus certamen cum Arachne de textura. 271. 276. &c.
Pallium Pontif. Max. 234.
Pallium Sinhar ex qua lana. 145. 158.
Paludamentum ex auro textili. 155.
Palma veſtibus intexitur. 274.
Pamphila Latoi filia invenit artem ſericum conficiendi. 113.
Panni optimi conficiuntur in Hollandia. 113.
Pannus a πήνη. 127. & Dorice πᾶνος. 227.
Panni purpura Tyria infecti. 102.
Pannutia, veſtis *ponnoſa.* 230.
Pannucla. 227
Pannos duos committere per texturam, quomoda a veteribus factum. 241. *Panni duo.* 241.
Panthea uxor Regis Abradatæ. 184.
Pantherarum maculæ oculi dicti. 253.
Pantufla inter calceos non numerantur. 39.
Papirus. Inde veſtes veterum. 149.
Paragauda. 278. 280. 282.
Parabola de Epulone. 126.
Paſchatis die luxus mulierum erat linum. 126. **Beſt Paeſch pronck.** 126. Quot agni oblati die Paſch. 304
Paſſemens, **Paſſementen.** Inſtitæ & limbi in veſtibus. Sic dicuntur a *Paſſim* & *Piſſa* Hebræorum & Græcorum Pezæ. 282.
Paſſim tunica Joſephi & Thamaris quid? 280. 281.

Pa-

Patriarchæ quibus veſtibus ſacrificent. 62.
Pavones variæ aves. 266. color eorum colli. 180.
Paxilli texturæ. Inſtrumentum textoris. 226.
Pectorale Schaatnez duplicis materiæ. 78. 79. *choſcheb.* 264. &c.
Pedes lavat Abrahamus. 43. Lothus Angelis. *ibid.*
Pedibus nudis ſacra fiunt. 33. Sacerdotes nudis pedibus templum intrant. 35.
Pede nudo Sabbatha obſervare Judæos quo ſenſu? 45.
Pedibus nudis Virgines Veſtales. 48. Matronæ Romanæ. *ibid.* Auguſtales. *ibid.* Dianæ Sacerdotes & mulierculæ apud Cimbros. *ibid.* Triumphales. 40. Brachmanes Indorum & Turcæ. *ibid.*
Peye genus panni apud Belgas, quaſi *pili.* 135.
Pelagium. 188.
Pelles primæ veſtes. 12. 51. *Pelle hinnuli* Pontifex Maximus apud Judæos veſtitus male dicitur a Plutarcho. 51
Pellis. 57. Victimarum ſacerdoti cedit. 60. Suuntur acu. 228
Pellibus tectum Tabernaculum & vaſa ſacra. 69. *Pellis* in ſacris. 68. In *pelle dormire* vates. *ibid.*
Pelles pretioſiſſimæ hodie ex Moſcovia advehuntur. 67. Auro ornatæ. 155. *Pelle hyenæ* indutus vulnerari nequit. 67
Pelliti qui 67. 68. 70. *Pelliſſon, pelletier.* 58. *Peltz, vellus, vel,* **fel** &c. vide ſuis locis.
Peluſium urbs Ægypti. 98. 99. Unde dictum. 99. 103. *Monumentum Ægypti. ibid. Peluſiacum linum.* 103
Penelopes textura. 307
Peniculamenta Judæorum hodie non ſunt cœrulea. 183.
Periſtromata aurea. 155.
Perones. 44.
Perſarum ſacra impura. 7. Eorum veſtes aureæ. 155. Eorum Reges habent veſtes gemmatas. 161.
Peruque. 139. unde ſic dicta. *ibid.*
Perdrix dicunt Galli pro perdix. 206.
Pézæ veſtium lora, inſtitæ, & limbi. 280.
Phæcaſia. 44. 47. Athenienſium Sacerdotes habent *Phæcaſia alba.* 164.
Phalanges ſunt virgæ in veſtibus. 255. 258.
Philo Judæus. Ejus ſcripta non pervenerunt ad nos integra. Nos ſæpe fallunt. 162.
Phlebotomia ab equis reperta.
Phrygionica opera texta dicuntur. 219. Et acupicta. 271. Phryges iſtius artis inventores. 271.
Phyliræ tenus quid? 222.
Pictura in veſtibus, & pictæ ve-

veſtes. &c. 270. 271.
Piece Gallis fruſtum a *Peza* Græc. & hoc ab Hebr. *piſſa.* 280. 281.
Pilei. Caſtorei. Holocaſtorei, *Subcaſtorei. Caſtor entier*, *demy Caſtors.* 145. Pileus Larenſii Pontif. ex pelle ovilla. 70.
Pingere veſtes quis invenerit? 271. Varie pinguntur veſtes. 272. &c. Pingebantur aliquando ſola textura. 271.
Pinna. Lana marina. 74.
Pinne. Inſtrumentum textoris ſic dictum. 225.
Pinchaſus. Præfectus templi ſuper veſtes. 306.
Piſcium oſſa. Inde fiunt naves & ædes. 56.
Piſtrina ars quomodo inventa. 220.
Plagæ tenuiſſimæ. 91. Cumanæ ex lino. *ibid.*
Plectere pro *texere.* 219
Pluma lanæ. 138. *Plumata*, *plumarium*, *plumare*, *plumarius.* 268. 279. Veſtes a *plumis* avium dictæ. 268. Ex *plumis* avium veſtes pulcherrimæ ex freto Davis Fleſſingam allatæ. 268. *Plumarium* opus. 268. *Plumaria* ars. 269. *Plumata* quales habeant figuras. 273.
Pœnula. Ejus uſus. 213
Polymitarium opus. 267. 269. Quales figuras habuerit. 273.
Polymitum. 116. 267. 278. 287. Quis invenerit. 271. Inde Belgice **Polymiten** / genus panni ex pluribus filis. 227.
Ponceau. Color accedit ad veterem purpuram. 189.
Pontifices initiantur unctione & veſtibus ſacris, 27. 28. Eorum habitus. vide veſtes.
Pontifex Max. Judæorum. Ejus veſtitus ſecundum Plutarchum. 51. 71. Decimo die Tiſri totus lineus. 96. Ejus veſtes ex byſſo pretioſiſſima 93. 97. Obviam it Alexandro Magno. 52.
Popæ nudi ſacrificant. 9
Porphyrion avis. 187
Præadamitæ. 57
Prætexta. 197
Primogeniti ante Moſen an habuerint veſtes ſacerdotales. 12
Princeps Templi. 302
Prophetæ. Eorum habitus. 64
Pſychi pro *pſyche.* 119
Pulvis idololatricus non eſt inferendus terræ ſanctæ. 43
Puniceus color quomodo tingatur apud Judæos. 205
Purpura an byſſus. 82. Purpura ſacra. 147. *Purpura* non niſi lana tingitur. 147. *Purpura* veſtes Veſtalium. *ibid.*
Purpura quomodo tingatur in Gallia 176. Tyria. 102. 195. ponitur inter res pretioſiſſimas. 196. Adhibetur ad veſtitum Pontificum. 196. 197.

Purpureus amictus quid? *ibid.* *Purpura* dicta a *puritate*, ſive *pura* luce. 199. Clara purpura. 199. *Commodior purpura*. 214. *Purpura dibapha*, quia bis tincta. *ibid.*

Purpura De purpura qui ſcripſerint. 182. 185. &c. *Indica*. 186 Variæ purpuræ. *ibid.* Ejus tria genera. 188. *Plebeja*. 189. violacea? 182. An violacea. 189. An ea veſtiti fuerint Sacerdotes? 197. *Tyria purpura* dibapha. 188. 191. *Laconica. ibid.* *Purpura* omnis rubra. 187. *Purpurea mors*, *ibid.* *Pupuræ* genuinus color. 188. Antiqua collata cum moderna. *ibid.* Eſt inſtar ſanguinis concreti. 189. Quibus floribus comparari debeat. *ibid.* Quomodo tingatur. 190. Incomparabilis in templo Iovis Capitolini. 190. *Pupuræ* varia epitheta. 190. *Sarrana*. 190. Ejus Inventor Hercules. 190. Pluries tincta. 191. Cur dicatur *bis tincta? ibid.* Genuina *purpura* mare ſignificat. 195. *Purpura* privatis interdicitur. 196

Pythagoræ veſtis linea. 94.

Q.

Quiſquiliæ. 204. Sic dicitur *coccus*. quare? *ibid.*

R.

R. littera aliquando vocibus inſeritur, ut *ſtirps* pro ϛιπος. &c.

Radii textoris. 223. 226

Ramſes urbs Ægypti. 100

Ranunculi flores accedunt ad purpuram veterem. 189

Rach / Belgice tela araneæ, ab Hebræo *Arag*, *texere*. 220

Recamadura ab Hebr. *Rokem*. 269

Recta tunica ſtando & ambulando texitur. 239

Regilla ſurſum verſum texitur. 239

Retia fiunt ex lino. 91. Et quidem ex optimo lino. 91. 120. Non fiunt ex goſſypio. 91. Olim texebantur. 219. 221. *Retium textores. ibid.* *Retium ſtamina.* 221

Reticulum. Stomachus animalis ruminantis repræſentat figura in tunica Sacerdotum, quæ *Taſchbetz* dicitur. 260. Tabella in qua depingitur. 260

Retortum filum retortum. 286

Rhenonum pelles. 67

Rica. 148. Eſt lanea. *ibid.* Veſtis purpurea. 197

Rikema, *Recamare*, *Recamata*. vide in *Rokem*.

Rock / tunica. Ein engen rock. 250. Ein bunten rock / 278. Rock met paſſemente. 282. Robe avec paſſement. *ibid.*

Rokem opus Phrygionicum. 269. *Balteus* ſolus eſt operis *Rokem*. Et Tegumenta portæ tentorii. *ibid.*

Rokem & *Choſcheb* quomodo differant. 270
Roſinroth. 198
Ruber color igneus. 170
Rubigo. 169
Ruſticus lepide deceptus ab infectoribus Delphenſibus. 173
Ruſtici ſenes apud Græcos pelliti. 67

S.

S. mutatur in T & Z. 190. Aſſumit ante ſe E. 206
Sabbathi honor eſt gulæ & luxui indulgere. 45
Sabbathi Zebi, falſus Meſſias. Ipſius uxor. 63
Sacci quibus advehitur lana Hiſpanica craſſiſſimæ texturæ. 223.
Sacerdos. Primus Adam. 12. 60. *Sacerdotes* veterum plerumque Philoſophi & Aſtrologi. 148. *Sacerdotes* Ethnicorum aureas veſtes habebant. 156. Et Gemmatas. 161. Et albas ex goſſypio. 164. *Sacerdotes Ægyptiorum* linigeri. 94. *Sacerdotes* dibapho veſtiti. 147. *Sacerdotes nudi.* vide *nudi. veſtiti.* vide *veſtes & ſacci.*
Sacerdotes Hebræorum non eſſe pellitos. 71
Sacerdotum minorum veſtes ſunt lineæ & albæ. 163. Eorum balteus habet lanam & eſt coloratus. 163
Sacerdotes inter ſacrificandum habere phylacteria. 53. Eorum ſupplicatio. 52
Sacerdotes fœminæ apud Judæos nullæ. 63. Apud Germanos albas habent veſtes. 164
Sacerdotes quot? 295. & ſeqq. Sacerdotum quot Claſſes & familiæ. quot in qualibet. 296 & ſeqq. non omnes in Templo operabantur. 298. non ſemper veſtibus ſacris in Templo veſtiti erant. 299. 300
Sacerdotes: vide *Pontifex.*
Saccis utrum Sacerdotes veſtiti. 51.
Sacrificantes apud Athenienſes, a ſcurris quomodo dicti ob colorem veſtium. 164
Sacrificia quo tempore plurima oblata. 304
Sagi Gallorum ῥαϐδωτοί. 255
Sanctio, & *ſanctum* a *ſanguine.* 59
Sanguis avis an debeat tegi apud Judæos. 194
Sanguine fit *lacca.* 194
Sandyx. Indica purpureus color. 190. 205.
Salomon. Magnum quæſtum fecit ex equis Ægyptiis. 125. Contrahit cum Pharone. *ibid.*
Sara Abrahami uxor. De ea lepida fabula Judæorum. 130. Ejus ſtupenda pulchritudo. *ibid.*
Sar, *Sara*, & *Sarra* Tyrus. 190. 207

207.
Sarranum oſtrum. 190. 207.
Sarlaka, *Sarlacum* pro *Scarlatum*. 206. 207. *Sarlacca. ibid.* Eſt *coccinum*. 207. Hinc
Scharlaken color coccinus. 185. 189. a *Scharlatto*. 189. 198. 205. 207. *De l' Eſcarlate* Gallice. 189. 205. Vocis origo. *ibid.* & 206. Scharlach Germanice. 205
Sartores qui veſtes de novo concipiunt & conficiunt, quales hodie vocamus Schneyder / *couturiers*, apud veteres vix noti. 228. 229
Sartores apud veteres non erant ii qui novas veſtes conficiunt, ſed laceras reficiunt. 230. Nonnunquam tamen veſtes faciunt. 231
Saſgon color. Vide *Hyſginus*.
Satin a ſindone. 102. a *Seta. ibid.* an a *Syndone*. 103. Pannus ſericus. 285
Saturnus adoratur ab Arabibus Amonitis & Moabitis. 8. Ejus ſacra. 8
Saulus Rex quare ſeſe non potuerit interimere. 262. 263
Schabatz quid? 263
Schani coccinum. 212. 215. Cur ita dictum. 215. quaſi acutus color *ibid.*
Scharlaken. vide **Scharlaken**.
Scheſch. 210. 184. &c
Schneider / qui novas veſtes concipit & conſuit. 231
Schorten. 57
Scolecion. 211. vide σκώληξ.
Scopi. 223
Scortum meretrix Belgice. **een del.** 58
Scripta veterum non ſunt integra, & nos ſæpe fallunt. 162
Scutula & Scutulata veſtis. 255. Rete. *ibid.* Scutula in veſtibus quid? *ibid.* &c. Emplaſtrum ſcutula dicitur. *ibid.* a ſcuto. *ibid.*
Scyrus Inſula. 139
Securis poſt uſum ferri. 223
Semen pro *ſerimen*. 227. *Semen piſchtim.* i. e. lini. 92
Senatores Romani pelliti. 66
Sericum a Vermibus. 83. *textura*. 88. 228. 229. *Retortum*. 212. dicitur pro byſſo, ſed male. 286.
Sericum Arabice. 278. *Sericum* an poſſit cum lino aut lana miſceri? 74. Ejus nulla fit mentio in ſummo luxu veſtium. 126. Non eſt *tholaat Schani*. 209. Natura album eſt *ibid.*
Sericum. 102. 109. In veſtibus ſacris nullum habet uſum. 110. Nec in Tabernaculo. 115. Non ſuperat pretio lanam. 110. Quomodo innotuerit apud Romanos. 112. Non decet fortem virum. *ibid.* Libra *Serici* libra auri. 110. 112. Eſt auro pretioſius. 130.

Unde ad Romanos delatum. 112. Ejus cultura. *ibid.* Ars *Sericum.* conficiendi. *ibid.* Ejus origo. 113. Aſſyriacum *Sericum* diſtinguitur a ſerico inſulæ Co. 114. Serica hodie a Gallis & Anglis conficiuntur. *ibid.* Magna copia ex India & Perſia ad Hollandos affertur. *ibid.* Ejus nulla fit mentio in V. Teſtam. 114. 126. Tempore Ezechielis ignotum. 116

Sericum. 119. 120. &c. Quomodo vocetur ab Indis? 172. *Sericum* vox peregrina, non Hebræa. *ibid.* Ornamentum fœminarum. 110. & 126. Rarum apud Judæos tempore Chriſti. 126. Quomodo vocetur a Rabinis. *ibid.* Hodie Græcis dicitur πήνη. 127. Judæis innotuiſſe poſt imperium Græcorum. *ibid.* Ab omni ævo Judæis notum fuiſſe fabula. 130. Ex ſerico fiunt veſtes Regiæ. 129. Et Ahaſſueri. *ibid.* An notum ſub templo primo. 129. An tempore Abrahami? *ibid.* Tempore Moſis Judæis ignotum. 85. Olim pretioſiſſimum. 110 Viris interdicitur ſerico. 110 Imperatoribus negatum. *ibid.* Apud Romanos ſerica veſte primus uſus eſt Heliogabalus. 111. *Serica vela.* 111.

Sericatus Empedocles. 110. & Caligula. 111

Subſerica veſtis. 111

Sericum Galli *Soye*, Germanis Seyde a *Seta.* 102. Gezwirnte ſeyde. Seydener Schleyer. 115. 212.

Servius Tullius Rex. Ejus veſtes laneæ. 131

Servorum oppigneratio. 44

Serviettes. 285

Serra poſt uſum ferri. 223

Seſonchides docuit equum conſcendere. 124

Sindon. Optimum linum Peluſiacum 103. *Sindones* Mileſiæ. 145.

Sindon unde dicta? 103. *Sindone* veſtiti. 102. Nota luxus. *ibid.* Philoſophos non decet. Attribuitur Bacchantibus. 102. Et Brachmanibus. *ibid.* *Sindon* pro veſte. 101. Lintea *Sindon.* 101. *Sindon* aliquando veſtis ex vili materia. 101. Clitoris. *ibid.* An idem quod Satin? *ibid* *Syndon* goſſypium. 102. Ægyptiaca. *ibid.* Sumitur pro velo. 108. Ex byſſo. *ibid.* *Sindon* byſſina. 108.

Smaragdus gemma viridis. 196.

Soye ſericum *bout de Soye.* 285.

Spaſmus, *vertigo*, der krampf. *Haſchabetz.* 261

Spina coronæ Chriſti. 36

Spuere. Chriſtus conſputus. 42

Spatha. inſtrumentum veterum textorum. 226. 240

Stare ſupra re aliqua in Templo nefas 33 *Stare* texendo. 227. 239. 240
Stamen ex byſſo, & trama ex lana. 287
Stamen. 227. Sic dictum *quia rectum ſtat.* 227. 239. 240. &c. Ex variis filis ſtamen. 287.
Statlich / ſtatlich kleyt a ſtando. 291.
Stellæ veſtibus intexuntur. 274.
Stomachus animalis ruminantis rerepræſentat figuras in tunica taſchbetz. 260
Storeæ olim texebantur. 219
Stoppen / reficere veſtimenta. 230.
ſtute. Ein ſtute. Multitudo equorum. 123
Subtilia. 116
Subtegmen male pro *ſubtemen.* 23. In *ſtamine* & *ſubtemine* fila ordine diſponuntur. 127. *Subtemen.* 227. pro ſubteximen.
Suere a *ſetis*, aut a *ſue.* 228. *Suere* & *reſarcire* Medicorum eſt. 230.
Sutores calceos conficiunt. 228.
Sutrinum inventum. 228
Sutum, *reſutum*, *refibulatum.* 229
Supellex dicitur a pelle. 67
Superſtitio contra erucas. 46
Symbolum Pythagoricum. 49
Syricum, color. 118
Syrma, *Syrmata.* 137
Syrius color. 195
Syrtes, *Syrias* & *Scyrus.* 139.

T.

T. mutatur in K. 180. in S. & Z. 190
Tabernaculum. ex pellibus. 67. pellibus tectum. 69. Ejus materia. 72
Tabrobana. 152. 169.
Tailleurs, *couturiers.* 229. vide *Sartores.*
Talaris tunica ſolet habere manicas. 279
Tapetes, *tapiſſerie*, **Tapijt werck** 271.
Taſchbetz, quales fuerint figuræ. An oculi? 253. Veræ figuræ. 256. 259.
Tebennæ. Veſtes quales. 197
Tectum ex pellibus. 67
Teenen Belgice, τένῳ tenus. 222. **Een teene benne.** *ibid.*
Tela. &c. araneæ. 219. 220.
Tela pendula apud veteres quid? 240.
Tela quæ rectum ſtat. 240. Quomodo detexi ſoleat. 241. Telam percurrere & obambulare apud veteres quid? 243.
Telæ veterum ſtructura, in tabula ænea. 243
Templum ſecundum Jeruſalemit. quibus rebus caruerit. 27.
Templum conſpuere peccatum. 42. Ei nullus pulvis inferri debuit. *ibid.*
Templi honor. 37. Eſt domus Sacerdotum. 39. In *templo*

ſedit

ſedit Chriſtus quo ſenſu. 39.
Templum intrare cum baculo, marſupio &c. aut brevioris viæ cauſa, 39. 40. Et cum calceis. 42
Templi Principes. 302.
Terebra poſt uſum ferri. 223.
Terra Iſraelis. 36. Ei non eſt inferendus pulvis idololatricus. 43
Teſſellæ in tunicis. 254. &c. differunt a πλινθίοις. 258
Texere quid? 127. 219. 227. &c. *Textura* quid? 219. 225. Quæ res antiquitus texebatur. 219. 221. 225. *Texturæ* genera duo antiquitus. 228. 238. *Texere veſtem*, tunicam, lænam, chlamydem, togam, ſaccos. Et *textura* chlamydis, chlænæ, exomidis & chlæna texta, veſtimentum textum dicebant veteres, quia per ſolam texturam abſolvebantur. 223. *Texebatur* tunica. *ibid.*
Texere ſurſum verſum, & *deorſum* quid? 234. 238. 239. &c.
Textores ſtando & ambulando texunt. 239. &c. 242. *Textores* retium. 91. Saccorum. 233. *Textrices*, ſive fœminæ maxime texunt. 307. &c. Et aliquando viri. 308. *Textorum* procuratores. 309
Textoris jugum vetuſtiſſimum ex Codice Virgilii. 249.
Textura ſola plerumque abſolvebantur veſtes apud veteres, abſque ſutura acus. 228. 232. 237. Hodie quædam veſtes texuntur. 308
Textrina templi. 309
per *Texturam duos pannos committere*, & *uti textura pro ſutura* quid? 241
Textilia Diis grata. 164. 146. *Textili* veſtiti ſunt Sacerdotes. 244. Texuntur veſtes ſacræ. 218. &c.
Texendi ars ab aranea inventa. vide *aranea*. *Textura* veterum difficilis. Ideo in deſuetudinem abiit. 244. Eſt adhuc in uſu apud Indos, ſed raro. 244. Multum temporis requirit. *ibid* Triennio tunica una texitur. Toga decem annis. 244. Simpliciſſima veſtis menſe uno. *ibid.* Hodie uno menſe multæ veſtes. *ibid.* & 246. *Textura* veterum eſt divum opus. 244. Opus artificioſum. *ibid.* Ejus mentio fit apud Moſen. 245
Texendi ars quando inventa. 224.
Textura veterum impoſſibilis credita ab Hieronymo, Salm. Caſaubono & reliquis viris doctiſſimis; tandem a nobis explicatur, & auctores illuſtrantur. 238. &c. In tabula ænea elegantiſſima depingitur 243.
Texta tunica rotunda manicata, un-

undique clauſa, tabula ænea exhibetur. 237. Altera detexta in ædibus noſtris. 243.

Thebæ equorum abundantes. 124.

Thechelet. vide hyacinthinus. 196

Thechelet, *Argaman* & *tholaat Schani*, id eſt *hyacinthus*, *purpura* & *coccus* omnium colorum pretioſiſſimi. Jungi ſolent in S. Scriptura, & a profanis auctoribus. 216. 217.

Tholaat Schani. Non eſt ſericum. 209. Eſſe coccinum. 198. 199 &c. 209.

Thorax Amaſis. 263.

Tikve quid? 125.

Tiliæ membranulæ. 222.

Tinctura veſtium ſacr. Ejus nulla mentio. 292.

Tintinnabula aurea in veſte Regis Perſarum. 155.

Tiſcha beaf dies. 45.

Tiſri Menſis. Decimo Tiſri dies expiationis. Illo die Pontif. Max. Judæor. totus albus. 80. 95. 96. Convivium dat peractis ſacris. 34.

Toga inter decem annos detexi nequit. 244. *Toga* purpurea aureis ſtellis. 155. *Toga* palmata. 247

Totaphoth quid. 53.

Trabea quid? 216.

Tropologia. 38.

Trama a tranſmittendo. 227. Trama ex aureis filis quid Græcis? 227. *Trama* antiquis πήνη. 127.

Trilices, German. trilch. 285.

Triumphales, veſtes aureas gerunt. 255.

Tubalcainus eſt Vulcanus 224. Inventor artis metallicæ. *ibid.*

Tunica Hippii ex trilici lino. 285.

Tunica Chriſti inconſutulis. 231. &c. De ea opiniones virorum doctorum 234. 235. *Tunicæ* inconſutiles tres depictæ variis tabulis æneis. 237. 243. Nos duas poſſidemus, quarum altera in noſtris ædibus detexta eſt. 244. Hodie duas poſſidemus eleganter textas apud Indos. 247. De tunica inconſutili manicata rotunda & undique clauſa doctorum ſententiæ. &c. 236. 241.

Tunica. 48. Ejus forma. 57. 234. Aurea. 155. *Tunica ſtricta.* 250. *Teſſellata. ibid. Nodoſa, fimbriata, contrepointee, Teſſelata. Taſchbetz.* &c. 251. 254. *Tunica* Joſephi. 278. &c. Thamaris. 280.

Turcæ diſcalceati. 50.

Tyrus Inſula 190.

Tyr ab Hebr. *Zur.* 190. 207.

V.

V. mutatur in G. & K. 201.

Vacca rufa. Quibus veſtibus comburatur. 263. 164.

Varia. 269. *Variatum* opus. 264. 266. *Variare* & *varium* apud Latinos quid? 266. De veſtibus dicitur. *ibid.*

Vates mulierculæ canæ apud Cimbros. 49. Nudis pedibus incedunt. *ibid.*
Vela Tabernacula craſſa. 290. cujus operis? 264.
Vellus, Germanice. Ein Fel. Belgic. een Vel. a *Vellenda*. 58. & Vlies. *ibid.*
Vellera Serum. 88. *Velleris* pulli veſtis 166.
Venatores pelliti. 67.
Verba byſſina. 91.
Verres luxui deditus. Multa habuit textrina. 244.
Vermis an ab Arab. *Kermes*. 201. — *Vermitinctum*. 203. *Vermiculum*, *vermilion* & *vermeil* Gal. 200.
Verſicolores. 278.
Veſtis vox generalis. Significat quodlibet tegumentum. 75. Quid apud Romanos? 75.
Veſtes antiquitus unde. Earum materia. 56. &c. 222. *Veſtes* ex materia fluminea, juncis, corticibus, ſtramine, foliis arborum. *ibid.* Veſtis *nexilis* & *textilis*. 223. *Pelliceæ*. 64. Ex pellibus villoſis. 58. Victimarum. 59. Adami pelliceæ unde? an ab Angelis confectæ. 59
Veſtium origo a Deo, non a Pelaſgo, Mercurio, Minerva aut Arachne. 12
Veſtis teſtimonium peccati. 1. Eſavi quales? 58. 62. Veſtes ex plumis. 56. Ex auro ſolido. 153.
De Veſtibus Romanorum qui veterum egerint. 10. Veſtes plures in Templo. 302. ubi Sacerdotes eas induebant. 305
Veſtes primæ Adam ex foliis arborum. 56. ex pellibus. 57. Cur Adamo datæ poſt peccatum. 60. Sunt gratiæ Dei ſymbolum. 60. Adami veſtes an ſacerdotales? *ibid.* An iiſdem ſacra fecerint Noachus, Abrahamus &c. 62
Veſtes lineas auro aut purpura ornare dementia. 154. *Veſtes* gemmatæ. 161. Pictæ. 269. *Veſtes* Chriſto ſtratæ. 75. Sternuntur *veſtes* Jehu. 75
Veſtis omne quod tres digitos longum & tot latum eſt. 31
Veſtes Regiæ ex ſerico. 129. Veſtes *Paraginæ* & *Paradinæ*. 129 *Veſtis clara* coccinea. 199.
Veſtes ex lino & lana mixtæ vetitæ. 73. 77. Sacerdotibus Hebræos permiſſæ. 78. 80. Abſque veſtibus duplicis materiæ nunquam ſacra faciunt, præter decimum diem Tiſri. 80. 291
Veſtes multæ mixtæ inter Judæos prohibitæ non ex lege Dei, ſed ne ſint offenſæ infirmis. 74
Veſtes ſacræ texuntur. 218. &c. Floribus ornantur. 277. Earum materia. 82. Linum, lana & aurum. 83. 126. Ex li-

no Ægyptiaco fiunt. 100. & Indico. *ibid.* Non ex Xylino. 106.
Veſtium Sacerdotum origo. 11. Veſtium ſacrarum defectus piaculum. 29. Præter numerum veſtire, illicitum. *ibid.* ſine *Veſtibus ſacrificare*, piaculum. 10. 27
Veſtes ſacerdotum ex eadem materia ex qua tabernaculum. 72
Veſtium ſacrarum numerus. 12. 19. 25. 26. Genera. 14. 15. *Veſtes Sacerdotum* totius ordinis. 23. *Veſtes ſacræ* duræ. 291. *Veſtes albæ.* 164. &c. *Nigræ.* 166.
Veſtes Pontif. Max. 23. &c. Non poterant geri ab aliis ſacerdotibus. 24. *Veſtes* ejus *aureæ.* 16. &c. 19. 109. Albæ. 16. 17. &c. Matutinæ & Veſpertinæ. 18. 21. Pretioſiſſimæ, 18. 21. 98. 106.
Veſtes lineæ Ethnicorum. 94. Maxime ſacrificulorum. *ibid.*
Veſtis Pythagoræ linea. *ibid.*
Veſtis villoſa falſorum Prophetarum. 68
Victima nigra. 166
Villa pro Vinea. 86
Vino & carne lætantur viri. 126. Vinum *Chelbon* totius Syriæ optimum 145. Gefeüerter Weyn 145
Vinum coctum ad libamina illegitimum. 145
Violet. 186
Virgatæ veſtes, quid? 255
Virgines Veſtales nudis incedunt pedibus. 48. Earum veſtes albæ. 164
Viridis color quomodo tingatur. 169. 173. *Viride marinum.* 175
Vites Amineæ. 86
Ultramarinum. 175. 277
Ulyſſis veſtes ex foliis. 56
Vulcanus inventor Metalli. 224
Viſui facilius credimus quam auditui. 162
Wahre. 123
Weſtphalia veſtes & pannos habet craſſiores, Belg. Pepe/ quaſi *pili.* 135

X.

Xylinum a ligno arbore dictum. 85. 87. 99.
Xylinum. 83 85. 100. Ex Xylino Ægyptiorum Sacerdotes habent veſtes 85. Ejus ferax Ægyptus. Et Judæa. *ibid.* Hebræis dicitur *Lana vitis* 87. Indicum & Ægyptiacum carum 106. Indicum multorum liciorum. 285

Z.

Zacharias. plures ejuſdem nominis. 295
Zambalotti. 114. 135
Zona pellicea. 65
Zur, *Tyrus.* 190
Zwilch / trilch / Germ. telæ *bilices* & Trilices. 285
Zwirnen / gezwirnt retortum. 73. 212. Gezwirnte ſeyde. 286

INDEX

Vocum Hebræarum & aliarum linguarum Orientalium,

Quæ in primo libro citantur, explicantur, aut illuſtrantur.

א

א & ע permutantur. 73
אהוי litteræ permutantur. 121
אבנט *Balteus* מעשה רקם 269
אדום *Rubrum.* 215
אולטרימרין *Ultramarinum.* 177
אומן *Artifex.* מעשה אומן 226. 293
אזל & אוזלא 221
אזוב 211
אטון מצרים *funiculi Ægyptiaci.* 99.
אילים צמר *Arietes lanati.* 144
القرمز *Alkermes* Arab. *Coccinum.* 201. 210
אלשרק *Alſerak* Arab. *Sericum.* 119.
אמרא *Fimbria* ſacræ. 252
אמרקלין 302
אנשובלא & אינשובלא *Inſubula*, inſtrumentum textoris. 225
אסיפת סוסים· *Collectio equorum.* 123
אפר *Ephodum.* 26
ܐܦܠܝܐ *Aphelia.* 122
אצטילא בבלי *Stola Babylonica.* 145
ארג *Texere.* 193. 195. 218. 220. 226. אורג *Textor.* 218. אורגים חורי *Textores retium.* 91. 221. עם אורגים *populus textorum* & אם אורגים *Mater textorum.* 193
ארונה *Textura.* 220
ارحوان *Argavan.* 193
ارحوانا *Argavana.* purpura. 185
ארגונא 185. 194. 195
ארגמן *Purpura.* 100. 126. 129. 185. 193. 194. 195. 196. 210.
ארם *Syria.* 195
ארמגון *color Syrius.* purpura Tyria. 195
אשף Inde σοφός 148
اسمانگون *Color cœleſtis*, hyacinthinus. 195
سمانگون Idem. 177

ב

בגד *veſtis* quid? 75
בגדי זהב *veſtes aureæ.* 15. 20. 109. 150.

בגדי

בגדי לבן *Veſtes Albæ.* 20. 96. 163
בגדי כהן הדיוט *Veſtes Sacerdotum minorum.* 23
בגדי מלכות *Veſtes Regiæ.* 129
בד *Bad, linum.* 17. 18. 87. 92. 97. 98. 106. 107.
בדד quomodo lino conveniat. 97
שש & בד idem. *Byſſum* ſignificat utrumque. 91.
בוצא & בוץ *byßus.* 82. 89. 92. 96. 98.
בוץ שזיר *Byſſus* retorta. 284
בוצא וארגמן junguntur. 126
ܒܝܬ ܐܒܝ *Domus patris mei.* 39
ביצא השרץ. *Ovum* reptilis animalis. 269
בית הכוסות *Stomachus* animalis ruminantis. 260
بل *particula* disjungens. 239
בנבצי *Bombacinum.* 88
בר *Bar* pro בד *bad. linum*, byſſus. 85. 286
בריך· inde פריך *peruch*, & *peruque*, *Galericulus.* 139
ברוד *Punctatum.* 146
ברק
برق *ſplenduit, fulſit.* 199
מבשר 145
בשר *caro.* 126

ג

גבא *Colligere*, unde Gallis Gabelle. 123
גון *Color.* 195. 203
גזברים· 302
הגזית· 305
נושקרא *Stupa ſerici.* 128
גימטריא ſpecies Cabalæ. 54
גלולים *Dii ſtercorei.* 8
ܓܡܠܐ &
גמל Camelus. 133

ד

ديباج & ديج *Sericum*, & pictum. 278
ܕܠܐ ܡܚܛܐ *ſine acu.* 235

ה

הודו pro הונדו *hondo. India.* vel הינדו *Hindo* 103
הנדויין *Indicum.* 104. 105
הודו & ארץ הודו *India.* 105
הוס pro סס *vermis.* 203
حلق *Acute vidit.* 264

ז

זהב *Aurum.* 82
זהב אופיר *Aurum Ophir.* זהב טהור *Aurum purum.* זהב מחוקק· 151
זהב סגור *Aurum clauſum.* & מופז 151.
זהב ירוק *Aurum viride.* 169
זהב טוב & פרויים / ושחוט 151. 152. 153.
זהר & זהוריתא & זהורי 199. 210. 213.
זומן *Aqua farinæ.* 194
ܙܗܘܪܝܬܐ *Splendor.* Coccinum. 199. 211.

זכרון 103
صناعة & حاذق صناعة Opus acuti viri. 264
זרע פשתה Semen lini. 93

ח

חגרה *Cinctura.* 57
חוט *filum.* 235
חוט של סקרא *filum coccineum.* 207
חרר & חורי 91. 118
חיט *ſuere.* Hinc Syrus ܚܝܛܐ & חיט *Sartor.* 235. 239.
חכם & חכמי לב 292. 293
חלזון 178. 181. *Conchylium.*
חמר מבשל *Vinum coctum.* 145
חציצה *Separatio.* 53
חצר 248
חשב 79. 264. מעשה חשב *opus artificioſiſſimum.* 79. 264. 265. 271. 272, 277.
חשב אפדתו 264. 284
חשב מעשה אורג 270
רקם & חשב *quomodo differant.* 270. 272
חשן *Pectorale.* 26. 284

ט

טוה *Nere.* 73
ܛܘܐ pro ܛܘܝ 73
טוטפות *Phylacteria* 53
טכס τάσσω *Ordinare.* 127
טלוא *Punctatum.* 146
טף פרויים *Tabrobana.* 152

י

יומא *Dies Expiationum.* 22
יותר בגדים 30
ים המלח *Mare ſalſum.* 182
ים של סדום *Mare* Sodomi. 182
יריעות *Vela* templi. 284
יתד הארג *Inſtrumentum textoris.* 226

כ

כביר *Galericulus.* 139
כבר *ibid.*
כבונה & כבינה *ligatum.* 146
כהן גדול 72
כהנא רבא 14
כהן משיח 27
כהן הדיוט 72
כוש & ארץ כוש *Arabia.* 105
כלאים 23. 73. 291
כלאים differt a שעטנז 74
כלב & כליב *Canis* & *Tinctor.* 190
כלך *pinna, lana marina.* 74. 127 128. 129
כלים 303
כנען 224
כפר 60
כר 139
כרובים *Cherubimi.* 277
כרוספדין κράσπεδα *fimbria* ſacræ. 252
כריתא Rabinis quid? 57
כרת ברית *ferire fœdus* 59
כשורש *chaſſures* funda, annuli 259
כתונה χιτὼν, *Tunica.* 57. כתונת 26
כתנת פסים & כתונת דפסא 278. 279. 280
כתונת מרוקמות 278
כתונת עור *Tunica pellicea.* 57

כהונת תשבץ *Tunica teſſellata.* 259. 263.
כתנא pro פשתים linum. 92
כתנא רומיתא *Linum Romanum. ibid.*
كتّان & كتّن goſſypium. 88. 96. 284. & الكتن idem. 87. 88.
כתנא & כתן linum. 88

ל

לב *cor.* ſedes mentis creditur. 292. & חכמי לב *ibid.*
לבא pro לכא & לקא 194. 207.
לבושי צבועין veſtes coloratæ. 116
לבישן דזהריתא veſtes ſplendidæ, coccineæ. 208
לבן *Album.* 146
לון pernoctare, hinc Belgis **een Loen.** homo iners. & לן 213
לוע *Vorare*, abſorbere. 208
לשון של זחורא *Lingua coccinea.* 211
לעג hinc Germanis lachen. 208
كلا 239

מ

מאדם 208
מגביתא Tributum 123
מדו & מדו בד tunica linea 84. 103.
מדבר *Deſertum* quid Judæis. 134
מובחר *Optimum.* מן המובחר. 144.
מוך *Medulla.* 87
מונבז *Monbaz Rex.* 107
מוספים 304
מחט *Acus* מעשה מחט quid? 270
مخيط *Acus.* 235
מטכסא *μέταξα. ſericum.* 127. 128 129
מיא דחיורי *Aqua farinæ.* 194
מילת & מלט *Mileſia lana.* 145. 146
מילת כבינא *lana ligata.* *ibid.*
מכנסי בד brachæ lineæ. 84. 97.
מכנסים brachæ. 26
מלה מורכבת vox compoſita. 193
מלנקוליא & מלקוניא melancholia. 119.
מלחים Nautæ. 182
ממונים 302
מנור & מניר אורגים Inſtrumentum textoris. 225
من فوق *Ex ſuperne.* 239
منسوجا *Textum.* *ibid:*
מסכת *Volumen.* 225
מסרק *Pecten* quo linum pectitur 120
מעיל Pallium, 26. 109. 150. 234 290.
מעון מצרים Mumimentum Ægypti. 103
מעשה אומן Opus artificiis. 244
מעשה אורג opus textoris. 218. 245
מעשה מחט opus acus. 270
מקוה & מקוא collectio. 121. 122
dictum quaſi מן קוה 122
מקוה pro מקו *Ex Coo.* *ibid.*
מקוה מים 123. 124
מקוה pro מגביתא 123
מצוה לא דוחה מצוה mandatum non deſtruit mandatum. 55

מצוה פוטר מן המצוה mandatum a mandato liberat. *ibid.*
מצנפת *Tiara.* 26
مرجوان margian rubrica. 193
משבצות fundæ. 260. 261. 262. 263.
משבצות זהב 252. 253. 258. 259.
משזר Retortum. 97. 212. 284. 287. 290.
משי *An ſericum.* 115. 116. 117. 127
ܡܫܟܐ *μέσκος.* 65
משלן pro משלג 213
משש *palpavit.* 116
מהעללים & מתלעגים 208

נ

נודא uter, lagena. 139.
נוז Texere 73
נוצא של עזים lana caprina. 138. 140
נמלל *implexum.* 219
נקור *Pandectum.* 149

ס

סגן 302
סדינים & סדון *Sindon.* 101. 102. 103.
סדין דמילתא *Sindon Mileſia.* סדין של בוץ *Sindon ex byſſo.* & סדין / סדונא 102. 103. 145.
סין *Lutum.* 98. 103
סיריקון An ſericum. 127. 128
סס *σής.* 203. 211
ܣܣܓܘܢ *Hyſginus.* 195. 203. 211.
סיקרא & סרקא & סקרא 207
סרכא quid? 194
סרק & סרוק & סורק 118. 120.
סריקין an ſericum. 119
ܫܝܪܝܐ שיריא *an ſericum.* 127
סרכ״א pro סרלכא & סרלקא 207

ע

ע & א permutantur. 73
& G & C permutantur. 58. 137.
עבר אומן 272
עבר ציור 270. 272
עובדי מחי 218
עומדים ſtantes. 291
עור pellis. Inde *Corium.* 58. & *cortex.* 58
עזה & עזים Capræ, hinc geyß. 109. 132. 137. 140.
עירובים *Mixta.* 73
עלל *irridere.* 208
עמר עזה *Lana caprina.* 140
עמורה 137
עקור *punctatum.* 146
ערב 227
בין הערבים 304
ערה Nudare 58
ערכן דמלתין *ſtrata Mileſia.* 145

פ

פולוייל vox corrupta pro *filaſel.* 128
פיישישא pro פייטשא peütſche 272.
פנסה tunicula 57

פס

פס *vola manus* &c. 279. 280.
פסה πέζα hinc *une piece*. 280. 281 ſignificat & *paſſemens*. 282
פסים Gallice *paſſement*. כתונת פסים Tunica Joſephi. 278. 280. 282
פרגודא & פרגיד מצויר paragauda picta. 278
פרגנן Parnagium ſericum 129
פרתי כהנים 295. 297
פרנדא idem. *ibid.*
פרכת 264. 284
פרקא corrupte pro לכא 194
פשתה & פשתים & פשתן *linum*. 73. 91. 92. 97. 99.
פשתים שריקות quid? 118

צ

צ littera mutatur in S. T. & Z.
صباغ القرمز *Color Alkermes*. 198
צבע זהורי *Color coccineus*. 198
צבע אדם *Color ruber*. 118
צור *Tyrus* 190
صوفا & صوفي σοφός. 148
צחר *Album*. 146
צידון 103
ציור *Pictura*. 269. טבר ציור opus pictoris. 270. & ציר *Pictor*. 269. 272.
ציץ Corona S. Pont. 26
ציצית *peniculamenta* 54. 77. בן ציצית הכסה quis 54. 252.
צמר *Lana*. 74. 136
צמר גפן *Lana vitis*, *goſſypium*. 86. 87.
צמר גמלים *Lana Camelorum*. 133
צמר עזים *Lana caprina*. 132. 137
צמר לבן *Lana alba*. 146
צמר צבוע *Lana tincta*. 82. 131
צקלון *gluma*. 103

ק

ק C. H. & K. permutantur. 92
קי & קוין & קיואי 122
קוין דעכוביתא *fila arnearum*. 122
קוחין κόκκος 118
קוטון Cotton. *goſſypium*. 88
קלטים 284
קנבוס hinc κάνναβος 92
קרמז *Carmeſinum*. 193. 194
قرمز Kermes. Carmeſinum, coccinum. 199. 201. 210. hinc forte *Fermis* & *Vermis*. 292
קרתא & קירתא *Kartas*, tinctura laccæ. 207
קשטינש ciſta. funda annuli. 259
קשים & קשה dicitur de veſtibus. 262. 291. 421.
قطن *goſſypium*. 88
קתוליקין 302

ר

ראש בירת דין 302
ראשון 103
ראש המשמר 302
רגלים 304. 305
רדם *dormire*. Hinc δέρμα. 69
רוח & רוח חכמה 293
רוטא *Ruta* herba. 57
راقم *Rokem*. 269
רוקם idem. 270
ריקמה 269
רמסס פלוסא *Peluſium*. 100
רמץ & מרמצא *Acupictum*. 250.

רפא *Rapa.* 57
רקם & מעשה רקם *opus Phrygionicum* 79. 270. 277. רקם בצמר *lana pictum.* 79. הרקמה & רקמה & לרקמה 268. 269. רקמתים המרוקמתה 269. אלבישך רקמה *ibid.*
והרת & והיתא pro חשבץ quid? 261

ש

שאט Arabice شاط & شوط *Sata. Miſcere.* pro שטט 73
שבץ hinc חשבץ & כתונת תשבץ *Spaſma* & tunica teſſellata. 261. 250. 253.
שבץ fundis includere. 259
שביצים & שביסים idem quod חשבץ 256
שבת שבתון 45
שוייאה Soye. 115
שוט *Lævigare* 73
שותא *Rete.* 221
שור *Retortum.* 212
שחוט *ſpecies auri.* 153
שטוטא vox Germanica. 123
שירא & שיראה & שיריים an ſericum? 127. 185.
שלג *Nix.* 213. pro שלן *ibid.*
שלט & שלטי ſcuta. hinc Germ. ein ſchildt. 255. 269
שלטי רקמתיה *Scuta picta.* 269
שמן & שמן הקדש & שמן המשחה 27
שן *Sen.* coccinum. 295
שנה 212. 215
שני & שנים & שָׁנִי & שָׁנִים & שֵׁנִי & שְׁנַיִם 82. 212. 213. 215
שנן *Acutus.* 215
שעטנז 23. 73. 74. 131. 136. 143. 287. 291. Quomodo differat a כלאים 74. Quid ſit. 78
שער 138. 140. שער עזים pili caprarum. 137. 138.
שרק 118
שריקות 91. 118. 119. 120.
שרוק & סורק 118. 120.
שש *Scheſch.* Inde ἕξ, *ſex*, Belg. ſes. 286
שש *byſſus.* 17. 18. 82. 83. 87. 88. 92. 97. 109. 125. 126. 195.
שש וארגמן junguntur. 82. 126. 195. 213.
שש משזר 95. 284.
שתא *texere.* 227. שתי וערב ſtamen & ſubtemen. 227

ת

תולעת 208. 211. 212. 215.
תולעת שני *Coccinum.* 109. 198. &c. 208. 209. 211. 212.
تونيه *Tunica.* 278
תורה 54
תיבות hinc κίβωτος. 180
תכלת 109. 131. 143. 150. 172. 173. 178. 181. 183. A viride diſtinguitur. 173
תקוה pro מקוה 122
ثلة Lana. 135
תריג 45
תרשיש 175
תשבץ כתונת 251. &c. 256. 259.
תשבץ 259

INDEX

INDEX

vocum Græcarum.

A.

Ἀγνύθες pondera quibus tendebantur ſtamina. 240
Ἀκέομαι ſarcire, mederi 230
Ἀκεστικὴ ars ſutrina 228, 230
Ἀκέστρια 231
Ἁλιπόρφυρον 175
Ἁλουργίς, 175 & ἁλουργὴ ἐσθής 175
Ἀμόργη 193, 194
Ἀνάδεσμον 255
Ἀνακρούειν, & ἀνακρουστόν 239, 243
Ἄνθος 274
Ἀνθινόν 116, 274. στολὴ ἀνθινός 274
Ἀντίον. Inſtrumentum textoris 225
Ἄνω ὑφαίνειν, ἀνακρούειν, ἄνω τὴν κρόκην ὠθεῖν, & ἄνωθεν ὑφαίνειν. Surſum verſum texere 243
Ἀπηλιώτη 122
Ἀραιόστημοι, ſtaminis parum habens 227
Ἀράχνη ab Hebr: *Arag*. hinc *Aranea*, & Belg: **rach** 220
Ἀργεμώνη *Argema* herba 193
Ἄρραφος Tunica Chriſti 231 231, 233, 234, 245
Ἀρχιτέκτων dicitur *ſapiens* 293
Ἀσάλευτα 53
Ἀστραγωλωτὸς χιτών 268, 279
Ἀφελιῶτης & Ἀπηλιώτης 122

B.

Βάμβαξ & βαμβάτξι 88
Βαμβύκιον ὕφασμα 116
Βαπλὸν pro ἁπλόν 116
Βελονοποικίλα & βελονοποικιλτής 271
Βόσκημα. Hinc Beſtia 206
Βελθομάρτη 49
Βύθος idem quod Βυσσός 89
Βυσσὸς & Βύσσος differunt 89, 195
Βύσσος byſſus 82, 97, 102. βύσσος κεκλωσμένη 284, 286

Γ.

Γ. littera veſtibus intexitur 273
Γάμματα ikid.
Γλαυκῶπις *Eiptheton Palladis* 173
Γραμμάτια 273
Γραφή. γραφαὶ ἀπὸ καρκίδος 270

Δ.

Δέρμα *pellis*, an ab Hebr: *Radam*. dormire 69
Διάβαινος 198
Διάζωμα 84
Διανενησμένον 212, 215
Διαπλέκειν κρόκας στήμοσι 227
Διάφανον 198, 199
Δίβαφος 214. δίβαφα Epitheton proprium purpuræ Tyriæ. Non dicitur de coccino 214
Διπλῆς σινδόνος ἔνδυμα. quid Joſepho 241
Διπλοῦν. 212, 215 & Διπλοῦν διανενησμένον 212
Διαστὰς 212 διαστὰς χλαίνας 212 213
Δύο ῥάκη. *Duæ telæ* 242
Δυσείσβαλος 103

E

Εκϗέ quid? 122
Εμπαίζοντες ἐν πυρί 208
Ἔνδυμα διπλῆς σινδόνος βυσσίνης Joſepho quid? 251
Εξάμιτον 285
Εξεμπλωτά 268
Εξομιδοποιΐα. 233
Εποίχεσθαι 242
Ἔργον ὕφαντος & ἐργασία ὑφάντου 264
Ἔρημος 134
Ἔριον 85
Εριόφορον 85, 104
Εσθής 75
Εσχισμένος 193
Ετερομάσχαλος 231

Z.

Ζεραφισὰ à ζεραφοισά 93
Ζεραφοῖς, pro *Zerapiſta* 93
Ζωγραφητόν, Animalia depicta in veſtibus 275

H

H Littera veſtibus intexitur 273

Θ

Θ Littera veſtibus intexitur 273
Θ & Λ permutantur 67
Θεκϗέ. & ἐκ θεκϗέ 122
Θέσκελος ἀμφιέποντα τόπος ξένον 244
Θρόμβος αἵματος 189
Θώρακες πύρινοι 199

I.

Ἱερεὺς ἰδιώτης 14
Ἱμάτιον σημεῖον. 254 πορφυροῦν. 199
Ἱμάτια 104
Ἵππος χλωρός 118
Ἱστὸς jugum textoris unde dictum 230
Ἱστὸς ὄρθιος 239. πολυδαίδαλος *ib.*
Ἱστὸν ἐποίχεσθαι & ἱστὸν ἐποιχομένη veteres texebant 239, 247, 307
Ἴτλαι. pondera quibus ſtamina tendebantur 240

K

Κάγκαμον 194
Καθαρός 164
Καλασίρις 147
Κάναβις 92
Καρπωτὸς χιτών 268, 279, 280 &c.
Καλακόρος & πορφύρα 188
Καλασημόνιοι 227
Κατάστικτος 275
Κάχλη ab Hebr: *Tichla* 180
Κεκλωσμένον 212, 215, 248
Κεκρύφαλος 90
Κίβωτος ab Hebr. theba 180
Κλώθω 212 & κλωστόν, hinc Belgice Een Kloſſe 212. 215
Κογχύλιον, κάχλη, & κόχλον 180
Κόθορνοι 34
Κόκκινον & κόκκινον διπλοῦν 198, 200 202, 210, 212, 284. κόκκος βαφική 202. κόκκινον φοινικοῦν 210 215
Κόκκον 118
Κόσυμβος, κοσυμβωτός 250, 251 252
Κϗέ 122
Κράσπεδα 54
Κρόκον 144
Κρόκη 227
Κροσσωτός 251
Κύβος 254
Κυκλάς 242
Κῶ Inſula. 88, 113, 121, 122

A.

Λ.

Λάχνη. *Lana* 220
Λαμπρόν 164, 199, 210, 211
Λεῖα. Pondera quibus ſtamina tendebantur 240
Λευκέτια hinc *Lutetia* 206
Λευκός 164
Λίνον 96
Λίνον λεπτόν 120
Λίνον σχιςόν *ibid.*
Λινοκαλαμίν 93
Λωρίκιον 84

M.

Μανάχασε, pro μίχνεσε 236
Μανδύαι 231
Μανδύας 84, 103
Μανέσημοι 227
Μελαγχολία, Quomodo dicuntur Arab. 119
Μέλι 169
Μέρη τῶν ἐσητῶν 281
Μεσάντιον ὕφαντος 225
Μέσκος 65
Μέταξα, quaſi μετάταξις & μετατακτὸν, & τάσσω, τάξις, 127 199
Μεδικὴ veſtis 66
Μικροφιλότιμον 164
Μίτος & μίτον 227, 267, 285

N.

Ναβάρκη urbs 69
Νεβριδόστολος 51, 66
Νεβρώδης *Bacchus* 51, 66
Νενησμένον κόκκινον 284
Νευρορράπτειν ὑποδήματα 231

Ξ

Ξύλινον à ξύλῳ lignum 85

O

Οθόνη 92, 99, 102, 104. & Οθόνια 102
Ολολυγμοί 164
Ολοπόρφυρον 174
Οξεῖα μέταξα 199
Οξεῖον 215
Οπωπαί 253
Οπωρινόν. Macula in equis 255
Ορτὸν ὕφος 239
Ορθὸν ὑφαίνειν, ὀρθὸν ὕφος, ὄρθιος ἱςὸς, & ὀρθοςάδια 243
Ὄρθιον ἱςόν 239
Ορθοςάδια, ὀρθοςάδιοι χιτῶνες *ibid.*

Π.

Πᾶνος. *Pannus* 227
Πανούκλιον *ibid.*
Πάσσαλον 226
Πατάσσω, & παταγέω. hinc *Patagium* 291
Παχὺ ἱμάτιον 213
Πέζαι 280, 281. πεζόφορον 280 281, 282. & περιπέζια 280
Πείθω. *fido* 59
Περίζωμα αἰγύπτιον 252
Περιπόρφυρος 216
Περίσημα 197
Περισκελῆ 136
Πηλούσιον, ἀπὸ τοῦ πήλου 99
Πήνη, & πῆνος 127, 227
Πηνίκη 139
Πιννικόν. Pinna, lana marina 74 128
Πλινθία. Laterculi quadrati 255 256, 257, 258
Πλουμία, πλουμιςά & πλουμίον 268
Πλουμαρικόν 268

Ποικίλα ἱμάτια 266 ποικιλτὸν 266 267, 269. ποικιλία 266, 271
Ποικίλλειν 166 ποικίλον *ibid.*
Ποικιλτὴς & ποικιλτοῦς, variator 266, 267, 268
Ποικίλη ἐσθὴς, ποικίλον περιβόλαιον ποικιλοχιτῶνες 266
Ποικίλος λόγος 266
Ποικιλία ἱστορία. *ibid.*
Ποικίλα ζῶα 266 ποικίλοι ὄρνες, ποικιλίς 266
Ποικιλωδὸς, ποικιλόβουλος, ποικιλόδορος ποικιλομήχανος *ibid.*
Ποικιλτοῦ ἔργον ὑφαντόν 270
Ποικιλόχρωμα 266
Πολυδαίδαλος ἱστός 244, 293
Πολύμιτον. Hinc Belgarum Poſtemijten 116. 227. 267. 285. πολυμιταρική 267
Πολύσημοι, πολύσημα δεσμά 91, 227
Πόρφυρα 195, 211
Πόρφυρα ἱερὴ 147, πορφυροῦν 174. πόρφυρα ἢ βύσσος 126 πόρφυρα κατακόρος 188. πορφυροβαφή 197, πορφύρεος 189 πορφύρεος θάνατος 182
Πρόβατα 144
Πρόσωπον, διπρoσωπὸν & ἀμφιπρόσωπόν. Tela ab utraque parte picta 272
Πιλοβάφος 268
Πυρινόν 210
Πυῤῥός. *Byrrus* veſtis 170

P.

Ραβδὸς *virga* 255. Ῥαβδωτὰς & ῥαβδοειδὴς σχῆμα 255, 258
Ῥάκη. δύο ῥάκη συμβάλλειν quid? 251, 241
Ῥάπτειν, Ῥαπτὸν & ἄῤῥαφον 231
Ῥαπτὸν περὶ αἰδοῖα quid? 236
Ῥαφαὶ & ῥαφίδες. pro *fibulis* 235.
Ῥαφὶς & ῥαφιδευτά 271
Ῥῆγος 193
Ῥοδάνη 227

Σ.

Σακκιφάντης corrupte pro σακχυφάντης. *Sacci textor* 233
Σάσγην & σάσγυνον 203
Σήμεῖα. ſigna in veſtibus 259
Σηρικόν 119, 127, 128
Σῆρες ἰνδικοί 127. σῆρες οἱ σκώληκες *ibid.*
Σής 203
Σινδὼν, & σινδὼν βυσσίνη 101, 102 103
Σκότος 261
Σκυτάλη *ſcutula* 255, 258
Σκώληξ γαλατίας 200 σκώληξ 211 σκώληκες 127. σκώληξ ὁ πόρφυρος 200
Σπαθᾶν. *texere* 233, 240, 243
Σπάθη 226. σπάθῃ ὑφαίνειν, σπάθῃ κρέκειν. *Spatha texere* 243 σπαθητὸς, σπαθητὸν ἱμάτιον 233, 243. σπαθητὸς χλαῖνα 233. σπαθητὸν τὸ ὄρθον ὑφος 240
Στήμων ſtamen 227. τὸ στήμονα συνδήσαι 219. στημόνιον 227
Στολὴ. *ſtola* 80. στολὴ βαβυλονική 145
Συμπορπητόν 229
Συντιθέναι χιτῶνας 231
Συνυφαίνειν 241. συνυφασμὸς quid? συνυφασμῷ χρῶνται ἀντὶ ῥαφῆς 241

Συρ-

Συρμαλικόν 157
Συῤῥάπτειν 229
Σφραγῖδες. *Veſtium ſigna* 259, 273
& *Maculæ pardalorum* 259
Σχίζειν 231 χοσὸς *tunica* 235

Τ.

Ταλασίτης 175
Τάσσω, τάξις 127
Τένος. hinc Belgice **Teenen** 222
Τέσσαρα, τέταρα, teſſellæ 254
Τεχνηποικιλτή 267
Τηβέννη 216
τείχαπλον 116
Τείχες 116

Υ.

Υ Littera veſtibus intexitur 273
Ὑάκινθος 172, 174, 211
Ὑποκόμμα, ſutura 239
Ὗς quid? 200, 203
Ὕσγην, ὕσγη & ὕσγινον 203
Ὕσωπον 211
Ὑφαίνειν 233. ὑφαίνειν κεκρυφάλους 221. ὑφαίνειν χλαῖναν 233. ὑφαίνειν ὄρθον 239
Ὑφαίνειν ἄνωθεν 239. Et ἄνω ὑφαίνειν 243
Ὑφαντική 228, 230, 293
Ὑφαντὸς δι' ὅλου. Tunica Chriſti 232, 239. ὑφαντὸς ἐκ τοῦ ἄνωθεν 236. ἔργον 264, 270
Ὑφαντον. ἔργον ὑφαντὸν ποικιλτοῦ 270
Ὑφάσματα τῶν ἐπωμίδων 264
Ὑφάσματος σοφία 244
Ὑφασμός. 241

Φ

Φάλα. Hinc Belgice **Een falp /** & Gal. *un voile* 232
Φοίνικα & φοίνιξ 210
Φοινικοπάρυφος 210
Φοινικοῦν 193, 210, 215
Φοίνολα 213

Χ.

Χ Littera veſtibus intexitur 273
Χαάνας & χάνας. & χάνα ῥάββα 14
Χαρά. *ira* 220
Χεθόν 92
Χειροδωτὸς χιτών 268
Χιτών 57. χιτὼν ποικίλος 478. χιτὼν πεζόφορος 480, 481, 482
χιτῶνες τέμνειν 281
Χλαῖνα 147, 213, 220. χλαῖναι πορφύρεες 213
Χλαμὺς βασιλικός 157. χλαμὺς κοκκίνη 199
Χλαμιδουργία 233
Χλαμυδοποιΐα *ibid.*
Χλανιδουργία *ibid.*
Χλιδῆς βαρβάρου ἔργον 111
Χλωρὸς 169
Χρονίζειν 213
Χρυσαίετον. Aquila 268
Χρυσόπαστον 71
Χρυσόπηνοι 227
Χρῶμα, λαμπρὸν χρῶμα 199

Ψ.

Ψιλὴ πολύμιτος 267
Ψιλοβάφος 268
Ψυχή 119

Ω.

Ὠθεῖν 243. Ἄνω τὴν κρόκην ὠθεῖν *ibid.*

E R R A T A

Libri Primi.

PAg. 4. linea 2. *Faſtuli*. lege *Fauſtuli*.
Ibid. lin, 33, lege ὑπάτευεν.
Ibid. lin. 36. leg. adulatione
Pag. 6. lin. 17. leg. eo magis id credo.
P. 14. l. 8. בחנא l. כהנא
P. 18. l. 12. albæ l, albas.
P. 23. l. 21. leg. ſed qüia utrumque capitis tegumentum erat, qnamvis nomine & forma diverſum, ut unica &c.
P. 30. l. 31. uti, leg. ea uti.
P. 41. l. 11. cumi, l. cum.
P. 44. l. 31. leg. diſcalceatum.
P. 55. l. 13. חוצט lege חוצץ
P. 56. l. 7. CCLXV. l. CCCLXV.
Pr 66, l. 19. רפ l. פר
P. 79. l. 10. quem. l. quam.
P. 88. l, 6. quem l. quum.
P. 93. l. 22. XCIC. l. XCIX.
P. 102. l. 28. lege ורוצה לאבדן
Ibid. l. 29, dele לאבדן
P. 105. l. 8. l. Etymologi
P. 115. l. 30. l. ipſam, pro ipſa.
P. 121. l. 16. Juno. l. Junio.
P. 133. l. 11. *pectere*. l. cum Buxtorfio, ſed potius a סרק *pectere*
Pag. 148. l. 13. l. materia nota fuerit.
P. 159. l. 23. l. exquirentem.
P. 196. l. 28. l. ac purpuram.
P: 224. l. ult. l. dotes.
P. 237. l. 16. faciunt. l. facinus
P. 238. l. penult חשני l. השני
P. 243. l. 18. *σγαθᾶν* l. *σπαθᾶν*
P. 253. l. 3. l. paxilli
P. 256, l. 12. l. ſartoris
P. 257. l. 9. l. ſuppellectilia
P. 280. l. 5. ucus. l. acus.
P. 283. l. 1. l, poſtolorum
P. 293, l, ult. כוסכות l. מוסכות
P. 319. l. 26. טשה l. ששה
P. 321. l. 16. & 17. deletis duobus integris iſtis lineis, ſic lege

וחד שהיו שוזרין וחד לשאר
בגדים שלא נאמר בהן שש וחד לטכב וגו׳.
Et paulo poſt לן מנא שמנה משזר
רכתיב ועשו על שולי המעיל רימוני
תכלת יארגמ

Ibid. lin. 33. וקצט lege וקצץ.
P. 322. l. 23. dele ultimum *non*.
P. 332. l. 3. *juvenes*. l. *juvenum*.
Ibid. l. 18, conſtat. l. conſtabat.

Cætera leviora B. lector ipſe corriget.

בגדי כהנים

ID EST

VESTITUS

SACERDOTUM HEBRÆORUM.

SIVE

COMMENTARIUS AMPLISSIMUS

IN

EXODI CAP. XXVIII. ac XXXIX. & LEVIT. CAP. XVI.
Aliaque loca S. Scripturæ quam plurima.

LIBER SECUNDUS.

AUCTORE

JOHANNE BRAUNIO,

S. S. Theologiæ Doctore & Profeſſore.

Cum INDICIBUS locupletiſſimis & TABULIS æneis elegantiſſimis.

Editio ultima, priori auctior & emendatior.



AMSTELODAMI,

Apud JOANNEM WOLTERS, 1701.

INDEX CAPITUM
LIBRI SECUNDI.

CAPUT I. De מכנסים BRACHIS Sacerdotum.

CAP. II. Dc כתונה TUNICA.

CAP. III. De אבנט BALTEO.

CAP. IV. De מגבעות PILEO totius Sacerdotum turbæ

CAP. V. De מעיל PALLIO Pontificis Max.

CAP. VI. De אפד EPHODO.

CAP. VII. De חשן PECTORALI.

CAP. VIII. De LAPIDIBUS pretioſis in Genere & de אדם SARDIO in ſpecie.

CAP. IX. De פטדה TOPAZIO.

CAP. X. De ברקת SMARAGDO.

CAP. XI. De נפך CARBUNCULO.

CAP. XII. De ספיר SAPHIRO.

CAP. XIII. De יהלם ADAMANTE.

CAP. XIV. De לשם HYACINTHO

CAP. XV. De שבו ACHATE.

CAP. XVI. De אחלמה AMETHYSTO.

CAP. XVII. De תרשיש CHRYSOLITHO.

CAP. XVIII. De שהם SARDONYCHE.

CAP. XIX. De ישפה IASPIDE.

CAP. XX. De חשן משפט / אורים ותמים PECTORALI JUDI-DICII ac URIM & THUMMIM,

INDEX CAPITUM.

Cap. XXI. De מצנפת TIARA.

Cap. XXII. De ציץ LAMINA ſive CORONA AUREA.

Cap. XXIII. De MODO VESTIENDI Sacra Veſtimenta.

Cap. XXIV. De בגדי לבן VESTIBUS ALBIS Sacerdotis vaccam Comburentis.

Cap. XXV. De PRETIO Veſtium Sacrarum.

Cap. XXVI. De USU Veſtium Sacrarum.

Cap. XXVII. De SIGNIFICATIONE Veſtium Sacrarum, ſive de SENSU MYSTICO.

JOHANNIS BRAUNII
PALATINI
DE
VESTITU
SACERDOTUM HEBRÆORUM
LIBER SECUNDUS.
CAPUT I.
DE מכנסים BRACHIS SACERDOTUM.

Brevis repetitio diſtinctionis veſtimentorum ſacrorum. Quo ordine veſtes ſacræ tractandæ. Primum examinantur מכנסים. *Præceptum de feminalibus ubi exſtet? Variæ verſiones*, Græcorum, Vulgati, Lutheri, Junii, Philonis, Joſephi, Arabis, targum Jeruſalem:

lem: Ambroſii, Belgarum, & Gallorum. *Materia hujus veſtimenti.* שש / בר פשתים. Byſſus retorta. ἑξάμιτα. Ses draet, *&* ſix fils. *Color feminalium* albus. *Antiquorum brachæ,* coccineæ, *ποικίλοι,* albæ. Textæ *ſunt non ſutæ.* Hieronymus *notatus. Quo ſenſu ῥαπτὸν dicatur a Ioſepho? Bracharum figura.* Campeſtria. Succinctoria *quid Iſidoro. Belgis* een ſchort. *Gallorum* devanteau. *Ioſephi & reliquorum Græcorum, συνακτὴρ, διάζωμα, & περίζωμα Romanorum* ventrale. *Athletarum, Balneatorum, Coquorum, & reliquorum operariorum velamenta circa verenda.* Cyclades, Roccæ. *περισκελὶς mulierum ornamentum. Horatio quid? Latinorum* ſubligacula *quid? Quid feminalia? In Talmude* פמלניא *pro* פמנליא *quid?* פרוצ״ט furtzot / *&* furſchurtz / *&* שורצין. *Iarchii* פורצינט *an legendum* שורצ״נס ſchurtzens. חגור *&* סינר· *ἀναξυρίδες* cruralia, *&* brachæ. *Gallorum* Calçons. *Iudæorum* קלצי *ab Italorum* Calzi Onderbroeck. Calçons *a calceis.* Caligæ *calceus, ὑπόδημα. Caligula Imperator. Tacitus laudatus.* Calçons *hodie brachæ interiores.* Brachæ *non raro* tibialia *apud Veteres, &* crurales faſciæ. *Ephiphanii locus de* Catarrhis. Tubruci *quid Heſychio & Suidæ φεμινάλια, περισκελῆ, ἀναξυρίδες & βράκια idem. Germanorum* Buxen *Belg.* Boxen, *&* Baxea *apud* P*lautum quid? Quas partes corporis tegant brachæ?* ſtringuntur *circa cor. Ezechielis locus cap.* XLIV. XVIII. *explicatus. Rabbinorum explicationes. Aquilæ* Buza. *Hieronymus. Græcorum βία. Chaldæi paraphraſis. Utrum de ſolo balteo, an etiam de Brachis intelligendum? Brachæ Sacerd. ad genua demiſſæ. Rabbinorum & Hieronymi ſententiæ. Leonis Iudæ error. Antiquorum brachæ aliquando totum corpus tegebant.* Calzemarinareſche. *Schytarum brachæ. Suevorum ſive Suaborum. Pomponius Mela & Ovidius citati. Brachæ ex pellibus ex freto Davis. Brachæ in* ſtatua *Regis Parthorum. Brachæ* bruch / Broeck, braxes, brage, *& βράκια a* ברך *Syris* ܒܘܪܟܐ borcho, genu. *Scribendum* brachæ. *non* bracæ, braccæ, Iſidor. Caſauboni, Salmaſii, *& aliorum error. Brachæ a* genu *ut καρπωτὸς a κάρπῳ* פסים *a* פס *vola manus. Sic & ποδήρης. Ieruſalemitanorum* אברקסין *pro* אברקסין. *Vox* bracha *uſitatior hodie apud Europæos, quam apud ipſos Syros vel Hebræos. Hujus vocis veſtigia apud Hebræas.* ברב״יר. Bernhardi Angli ineptiæ. *Brachæ corpori aſtringebantur, vittis & ligamentis, inſtar crumenæ. Hinc* כיס marſupium *dictæ.*

dicta. Euripidi Sacci, *Biſſacium.* שנצים *quomodo brachis aptati. Judæ Leonis Tabula. Brachæ quædam aperta ad anteriora & poſteriora* בית הערוה & בית הנקב. Codex Niddah & Jarchius *laudati. Joſephus examinatur. Male vertitur a* Gelenio & Arnoldo Andillenſi. *Feminalia noſtrarum mulierum. Brachæ quibus hodie viri utuntur ad anteriora aperturam habent. Sacerdotum Hebræorum undique clauſæ. Feminalia Phariſæorum in Talmude.* פרשים / צנועים. *Cur feminalia* מכנסים *dicta.* Ἐμβαύνζιν *apud Joſephum. Tabula quæ exhibet* מכנסים. *Explicatio Tabulæ. Cur brachæ a Deo Sacerdotibus mandatæ? Martialis jocus in Aruſpicem Tuſcum ſacrificantem. Fœdus cultus Pehoris. Sacerdotes Hebræorum an primi feminalia habuerint? An Noah? Rara videntur fuiſſe in deſerto. Lex de muliere virum pudendis apprehendente. Deutr.* XXV. *Feminalia tempore Nebucadnozoris nota. Locus Danielis cap.* III. XXI. *explicatus.* סרבלין. سراويلات & سراويلات ῥάβαρα *Heſychii.* פטשין *Hiſpanis* Mantillo. Phariſæorum & Caſtorum *brachæ.* Galli brachati. *Utrum* Cæſar *brachas habuerit?*

CAP. I.

CCCX HUc uſque egimus de veſtium Sacerdotum origine, genere, ſpecie, numero, materia, colore, textura & ornamentis. Ratio noſtri inſtituti poſtulat, ut tandem ulterius progrediamur, & ſingulum veſtimentum ſeorſum examinemus. Supra jam animadvertimus veſtes ſacras diſtingui ſecundum Sacerdotum ordides, ut ſcilicet veſtes aliæ ſint totius Sacerdotum turbæ, aliæ Summi Pontificis: & hujus quidem alias dici veſtes *albas*, alias *aureas*; hiſque eum uti omnibus diebus totius anni, illis autem magno die expiationum, decimo ſcilicet die Menſis Tiſri. Nos primo quidem Sacerdotes minores veſtiemus, deinde Pontificem Maximum quoque ſuo ornatu in medium producemus. Veſtes totius Sacerdotum turbæ pertractabimus eodem ordine, quo a Sacerdotibus indui ſolebant, prout hoc docet Maimonides *Hilch. Kele Hammikd. cap.* x. Quatuor autem veſtimenta habuiſſe omnes Sacerdotes ſupra jam docuimus: מכנסים / כתנת / אבנט / ומגבעות *feminalia, Tunicam, Balteum* & *pileum.*

CCCXI. Primum genus veſtimenti ſunt מכנסים *feminalia.* De his exſtat præceptum Exod. XXVIII. verſ. XLII. ועשה להם מכנסי בד לכסות בשר ערוה ממתנים ועד ירכים יהיו: *Et facies illis feminalia linea ad tegendam carnem nuditatis ; a lumbis uſque ad genua pertingent.* Quamvis de hoc veſtimenti genere ultimum mentio facta fuerit a Moſe , tamen a nobis, ob rationes jam memoratas, primum examinabitur. Septuaginta habent περισκελῆ. vulgatus *feminalia.* Lutherus Nieder Kleyder. Junius *femoralia.* Philo Judæus *de Monarchia* περίζωμα, & in *vita Moſis lib.* III. περισκελῆ. Joſephus μαχανασὴ, ſed corrupte, uti ſolet, pro μιχνεσὴ, quod eſſet ipſiſſimum Hebræorum מכנסי. Sed & eandem vocem mox exponit per συνακλῆρες & διάζωμα *Antiq. lib.* III. *cap.* VIII. Arabs سراوف quod indumentum ſignificat, ſed indumentum circa pedes & femina, hinc مسرول. *plumipes , pedes plumis veſtitos habens , inſtar columbæ.* Chaldæus מכנסי retinet. *Targum Hieruſol.* אברסקין habet: at corrupte, ut ſolet, pro אברקסין *Abracſin* , id eſt *braccæ.* Ambroſius *lib.* 1. *de Offic. cap.* XVIII. brachas quoque habet: Belgæ **onderbroecken**/ & Galli *des Brayes.*

CCCXII. Materia hujus veſtimenti erat linum : dicuntur enim Exodi XXVIII. verſ. XLII. מכנסי בד Libro I. c. VII. oſtendimus בד nihil aliud eſſe quam *linum* , quod clarius probatur ex Ezech. cap. XLIV. XVIII. ubi dicuntur מכנסי פשתים. At פשתים *linum* ſignificare, nemo eſt qui dubitet. Ideo optime Septuaginta περισκελῆ λινᾶ. Sed quando de veſtitu ſacro quæſtio eſt , tunc linum ſignificare, non vulgare, ut quidam docuerunt , ſed ſubtiliſſimum & pretioſiſſimum, qualis eſt byſſus, jam animadvertimus: cum ſacra omnia fieri debeant ſecundum præceptum , מן המובחר *Ex præſtantiſſimo.* Optime igitur Chaldæus מכנסי בד vertit מכנסין דבוץ *brachæ byſſinæ.* Et Joſephus , loco ſupra laudato , ἐκ βύσσου κλωστῆς. Deinde & שש dicitur materia feminalium Exodi XXXIX. XXVIII. Sed שש etiam ſignificare *byſſum* , ſive linum ſubtiliſſimum, alibi fuſe demonſtravimus. Joſephus igitur non fuit primus nec ſolus , qui obſervaverit feminalia ex byſſo retorta eſſe, ut ſentire videtur Hieronymus ad Fabiolam.

Nec tantum ex byſſo erant Sacerdotum feminalia, ſed & ex byſſo retorta. Dicuntur enim Exodi c. XXXIX. XXXVIII. שש משזר. *Scheſch Moſchzar.* Jam docuimus משזר *Moſchzar retortum* ſignificare. Sed & numerus filorum exprimitur, quot ſcilicet fila in unum re-

torta

torta fuerint, nempe שש *Scheſch*, *ſex*; atque ſic feminalia ſacra ἑξάμιτα Belgice **ſes draet**/ Gallis *ſix fils* erant.

CCCXIII. De colore hujus veſtimenti non eſt quod multum diſputemus, cum fuerit *color albus*. Nam byſſum albam fuiſſe, & album ſignificare colorem, libro I. cap. XI. oſtendimus. Apud veteres brachas *coccineas* in uſu fuiſse, teſtatur Lampridius in vita Alexandri Severi. Et ποικίλους ſive plumatas habuerunt, ut jam audivimus ex Eurupide. Sed honeſtiores plerumque, & ipſi Imperatores, albas geſtabant, teſtante eodem Lampridio dicto loco.

CCCXIV. Eadem etiam arte factas fuiſse brachas Sacerdotum, qua reliqua veſtimenta omnia, nullus dubito, quod etiam ſatis fuſſe oſtendimus lib. I. cap. XVI. Hieronymus in *Epiſtola ad Fabiolam* nobis quidem perſuadere conatur, eas fuiſſe conſutas, nec ulla arte fieri potuiſſe per texturam, quod ex Joſepho probari putat. Sed non video quibus rationibus id probet, niſi quod Joſephus dicat: περὶ τὰ αἰδοῖα ῥαπτὸν *circa verenda conſutum*. Sed per τὸ ῥαπτὸν fortaſſis nihil aliud intelligit, quam *clauſum*, aut *commiſſum* & *junctum*, ſive id acu, ſive arte textoris factum fuerit. Errat ſane Hieronymus quando dicit: feminalia non poſſe fieri in tela: cum hoc nec Joſephus docuerit, nec contrarium ſit arti textoris, uti a nobis jam demonſtratum eſt. Nam cum omnes veſtes, eſſe debuerint מעשה אורג *opus textoris*, non autem מעשה מחט *opus acus*, ego plane perſuaſus ſum ipſa etiam feminalia in ſolo jugo, arte textoris perfecta fuiſſe. In eadem fuiſſe ſententia Maimonida patet *Kele Hammicd. cap.* VIII. ubi, poſtquam de *tunica*, *brachis*, & *Pileo* locutus fuerat, tandem ſic concludit: ובגדי כהונה כולן אין עושין אותן מעשה מחט אלא מעשה אורג שנ׳ מעשה אורג: *Et veſtes illæ Sacerdotii omnes non fiunt opere acus, ſed opere textoris ut dicitur*: OPUS TEXTORIS.

CCCXV. Major difficultas eſt, circa hujus veſtimenti formam, & figuram. Auguſtinus & poſt eum Cerda *in Adverſariis*, cum multis aliis hoc veſtimentum *Succinctoria* & *Campeſtria* vocant. Sed an recte merito dubitatur, cum ſuccinctoria & Campeſtria a Sacerdotum feminalibus aut brachis non parum videantur differre; nam etſi ſuccinctoria & Campeſtria alias verenda & femina etiam velaverint, videtur tamen quod non quodlibet crus ſeparatim velaverint, ſed utrumque uno ambitu. De ſuccinctorio Iſidorus *lib.* XIX. *cap.* XXII. *Succinctorium vocatum, quod, ut dictum eſt, ſub*

brachiis habet, ductum alarum ſinu ambit atque hinc inde ſuccingit. Videntur itaque ejuſdem fuiſſe formæ, cujus ſunt velamenta illa, quibus aliquando piſtores incedere videmus in depſendis panibus ſiligneis; aut etiam balneatores, qui lintea quædam infra axillas conſtricta habent, quæ totum corpus, inde fere ad genua operiunt. Tales Belgæ vocant **een ſchort** / non autem **een broeck** / Galli *un devanteau.*

Id ipſum fortaſſis intellexit Joſephus per ſuum συνακλῆρα, & Græci per τὸ διάζωμα & περίζωμα. eſt enim συνακλὴρ nihil aliud quam *conſtrictorium.* Notum etiam eſt διάζωμα & περίζωμα eſſe operimenta quædam veterum Atheletarum, Balneatorum & Coquorum circa lumbos conſtricta & cincta, ſic dicta a ζώννυμι *ſtringo.* Idem videntur intellexiſſe Romani, ut Plinius & alii per ſuum *ventrale.* Nec multum ab his differunt noſtrarum mulierum tunicæ aut potius Cyclades, quas *roccas* vocare vulgo ſolemus, niſi quod forſan roccis fuerint breviores.

CCCXVI. Fortaſſis ab his non differunt Seniorum περισκελῆ, videntur enim idem ſignificare ac περίζωμα & διάζωμα *ſuccinctorium* mulierum, coquorum aliorumque operariorum. Eſt ſane περισκελὶς mulierum ornamentum, teſtante Polluce *lib.* v. *cap.* xvi. ubi inter alia in γυναικείῳ κόσμῳ etiam ponuntur περισφύρια, περιπεζίδες, περιπέζια, & tandem περισκελίδες. Hinc Horat. *lib.* i. *Epiſt.* xvii. artis meretriculæ eſſe ait, ſæpe *periſcelidem* ſibi raptam flere (modo tamen περισκελὶς illi non ſit vinculum aureum quod mulieres ad ornatum geſtant, prout ibi a quibuſdam exponitur.)

Nota refert meretricis acumina ſæpe catellam
Sæpe periſcelidem raptam ſibi flentis.

Latini idem veſtimenti genus exprimunt per vocem *ſubligacula*, quæ Scenicorum operimenta erant. Cicero i. *Offic. Scenicorum mos*, inquit, *tantam habuit a vetere diſciplina verecundiam, ut in ſcena ſine ſubligaculo prodeat nemo.* Si quis tamen contendat περίζωμα & περισκελῆ ſubligacula aliquando etiam ſignificaſſe ejuſmodi feminalia, qualia ſunt noſtræ bracchæ, quas hodie gerimus, nollem ei mordicus contradicere: cum revera tempore hyberno maxime a Romanis cultioribus induerentur, teſte *Suetonio in Auguſto*, nam non niſi hyeme *feminalibus & tibialibus muniebatur*, quod de noſtris *brachis* explicarem potius quam de veterum *ſuccinctoriis* & *ſubligaculis* ſcenicorum balneatorum, aut mulierum, ſi quidem hyemis

hyemis inclementiæ non multum potuiſſent mederi: noſtræ autem brachæ id facile præſtarent.

Eodem ſenſu & ipſa *feminalia* ſæpe ſumuntur cum ab auctoribus Græcis, tum ab Hebræis. Videantur Heſychius & Suidas Græcorum Grammatici doctiſſimi. Nec aliter Hebræi. Jarchius *in ſuis Gloſſis ad cap.* II. *Codicis Niddah*, ubi vocem פמלניא (ut corrupte a Talmudicis ſcribi ſolet, pro פמנליא *feminalia*) explicat סינר פרו׳צייט *ſuccinctorium*, vulgo furtzot. Iterum puto legendum eſſe פורצוה furtzot/ aut potius fürſchutz/ aut etiam שו׳רצין ſchürtzen/ quod Germanis ſuccinctorium ſignificat. Eadem voce etiam utitur Jarchius Exodi XXVIII. ubi Ephodum quoque exponit סינר שקורין פורצינט ubi iterum puto ſcribendum eſſe שקורין שו׳רצינס *quæ vocantur* ſchurtzens. Levi ſane mutatione. Ita quoque legendum puto *cap.* II. *Codicis Niddah.* Sed hæc omnia proprie non ſunt מכנסים Hebræorum. Id Hebræi potius dicerent חגור a חגר *cingere*, & *ſtringere*, aut etiam סינר *ſinar.*

CCCXVII. Non raro hoc genus veſtimenti a græcis vocatur ἀναξυρίδες. Sed & hoc improprie: cum ἀναξυρίδες proprie ſignificent *cruralia* & tibialia, eſt enim ξυρὸν *crus*. Eodem ſenſu ſumuntur Gallorum *Calçones*, qua voce מכנסים apud eos exprimuntur. Non tantum Galli hoc genus veſtimenti *des calçons* vocant, ſed & ipſi Judæi. Videatur Jachias in Danielem cap. III. XXI. ubi vox פטשין quam vocem volunt proprie noſtras brachas ſignificare, exponit per קלצי id eſt *calçon*. Optime quidem ſi formam & uſum hodiernum ſpectemus, nihil enim aliud ſignificat Italorum *Calzi* & Gallorum *Calçones* quam feminum velamenta, ea quidem quæ infra alia geſtantur, ideo Belgis onderbroeck. Si tamen ad vocis Etymologiam attendamus, proculdubio male dicuntur *Calçones*, cum illa vox a calceis aut caligis deducta ſit, quæ nihil aliud ſignificat quam pedum tegumenta, ut vel ex veſte illa Imperatoris conſtat, unde & *Caligula* dictus, quæ pedem veſtiebat, non autem femina, quemadmodum id ex Tacito *Annal. lib.* I. aliiſque facile probari poteſt. Eadem etiam voce *caliga* uſus eſt vulgatus, Interpres ſane doctiſſimus, in exponenda voce ὑπόδημα, quod calceum ſignificat. Sed quoniam hodie Gallorum *Calçones* etiam ſignificant feminalia, ſive brachas, & quidem illas quas carni proximas & infra cætera veſtimenta gerimus Sacerdotum מכנסים optime *Calçones* dicuntur ab interpretibus Gallicis:

cum

cum non tantum femina velaverint; ſed & interiores fuerint veſtes, infra ſcilicet tunicam abſconditæ.

CCCXVIII. Et ipſæ *brachæ* idem ſæpe ſignificant. Nam apud veteres aliquando nihil aliud ſunt quam tibialia, crurum & pedum tegumenta, pedules, & crurales faſciæ. Epiphanius *de Catarrhis*: τὰ δὲ ἄλλα, ποδεῖα ὡς εἰπεῖν, τὰ ἐξ ἱματίων γεγενημένα, ἃ παρά τισιν ὀδώνια κέκληται, ἢ βράκαι, χερσὶ περιτιθέασιν, δακτύλους δὲ τοῖς ποσίν. *Quantum ad reliqua, pedules, uti dicitur, ex veſtimentis facta, quæ a quibuſdam Odonia vocantur, aut brachæ, manibus induunt, annulos autem pedibus.* Ubi per *brachas* Epiphanius proculdubio intelligit faſcias illas, quibus crura & pedes velare ſolebant veteres. Idem per brachas intelligit interpres Juvenalis, cum dicat: *tubruci*, quod tibias bracaſque tegunt. Eſt enim poſteriorum ævorum Latinis *tubrucus* quaſi *tibiarum roccus.* Ex his omnibus patet, cuncta iſta veſtimenta, quæ aliquo modo crura & femina tegebant, veteribus dicta fuiſſe, *feminalia*, *ſuccinctoria*, *ventralia*, *caligas*, περισκελῆ, ἀναξυρίδας, διάζωμα & περίζωμα. Hinc apud Heſychium & Suidam eadem ſignificatio omnibus attribuitur. φιμινάλια, περισκελῆ & βράκια. Uſus tamen voluit, ut fere omnes iſtæ voces adhibitæ fuerint, ad ſignificandum certum aliquod veſtimentum, quod hodie *feminalia*, Gallice *Calçons* & *hautdechauſſes*, Germanice Bruch / Italice *bragas* & *brayes* vocamus. Quæ primo pedem tantum aut crura velabant, ſed tractu temporis adhibitæ ſunt ad ſignificanda veſtimenta quæ fere totum corpus inferius veſtiunt. Sic a ξύρῳ *crure* brachæ dictæ ſunt ἀναξυρίδες. Ita & hodie Germanis & Belgis eædem brachæ vocantur buxen & boxen / a *baxea* certo aliquo genere calceamenti, de quo vide apud Plautum. *Menechm. Act.* II. *Sc.* III.

CCCXIX. Ut autem formam מכנסים Hebræorum Sacerdotum melius caperemus, primum obſervabimus quas partes corporis debuerint tegere, deinde cætera, quæ ad eorum ſtructuram pertinent, examinabimus. Inferius igitur corpus tegebant, aut ſi mavis medium corpus paulo infra mammillas ad genua uſque. Moſes quidem Exodi XXVIII. verſu XLII. dicit brachas initium ſumpſiſſe ממתנים *a lumbis*; ſed illud a multis doctoribus ita explicatum fuit, quaſi circa cor conſtrictæ fuiſſent. Ezechiel Propheta cap. XLIV. XVIII. de feminalibus Sacerdotum ſic loquitur: ומכנסי פשתים יהיו על מתניהם לא יחגרו ביזע *Et feminalia linea erunt ſuper lumbos*

lumbos eorum ; *Non cingentur in ſudore.* Jarchius ad hæc verba quidem animadvertit : Deum Sacerdotibus veſtitu laneo interdixiſſe , ideoque juſſiſſe ut eſſent פשתים *linea* ; quia lana facile ſudorem excitat in corpore. אסרה inquit, התורה לכהנים מלבושי צמר כי הצמר מזיע הגוף ומזיע ארת הבשר : *Lex vetuit ne Sacerdotes veſtes laneas geſtarent, quia lana ſudorem excitat in corpore , unde caro ſudore inquinatur.* Eodem ſenſu hunc locum intellexit Junius & alii bene multi. Aquilæ ſecunda editio *Buza* habet, ut obſervat Hieronymus: putatque hoc ſignificare, Sacerdotes non eſſe cingendos violenter, arcte atque conſtricte inſtar vinctorum: ne in miniſteriis ſacerdotalibus inhabiles fierent, & quæ ſequuntur; in qua ſententia videntur etiam fuiſſe Septuaginta, habent enim βίαν. *Non accingentur violenter.* Nihilominus aliam etiam habet explicationem: ſcilicet intelligendum eſſe, ne cingerentur in loco ubi ſudant: ut locus cincturæ per Prophetam iudicaretur, non ſupra axillas, nec infra lumbos. שנינו בבריתא אין חוגרין במקום שמזיעין לא למעלה מאצילים ולא למטה ממתניהם שהוא מקום זיעה אנ לא שו״ירא בלע״ז *Diſcimus ex traditione exotica: Non cingentur in loco ubi ſudant. Non ſupra axillas, nec infra lumbos , quia ibi eſt locus ſudoris, barbare, EN LA SVEVR.* Kimchius Prophetam eodem modo explicat: פי׳ ר״זל לא יחגרו במקום שמזיעין כדתני״א כשהם חוגרים אינם חוגרים לא למטה ממתנים ולא למטלה לאציליהם אלא כנגד אצלי ידים : *Doctores noſtri beatæ memoriæ hoc exponunt*, non cingentur in loco ubi ſudant, *ſecundum traditionem : quando cingunt, non cingunt ſe infra lumbos , nec ſupra axillas , ſed circa axillas.* Hæc traditio totidem verbis reperitur in *Maſſechet Sevachim, cap.* II. Ad iſtum locum in Gemara Jarchius animadvertit, *locum ſudoris* eſſe in lumbis , & in axillis : שהבשר נכפל על הבשר ומתחמם ומזיע *quia caro duplicatur , ut incaleſcat , & facile ſudet.* Pergit Jarchius & explicat quid ſit כנגד אצלי ידיהם *circa axillas* nempe: על צלעותיהן כנגד המרפק *Ad coſtas circa humeros.* Optime igitur Chaldæus hæc verba לא יחגרו ביזע ſic παραφράζει. לא יזרזון על חרציהון אלהין על לבכהון ייסרון *Non cingent ad lumbos, ſed ad cor ſuum cingent.* Hæc quæ ita diſputantur de loco cincturæ, quidam intelligunt de balteo tantum, ut ex gloſſis Jarchii Codice *Sevachim* cap. II. conſtat: nihilominus idem etiam intelligi putant de loco ubi ſtringuntur feminalia; non ſolum ea de cauſa, quod quidam cre-

crediderint hoc debere intelligi de veſtibus lineis, non autem de laneis, qui laneæ ſudorem facile excitant: ſed etiam quia Maimonides exſertis verbis dicit, loco modo laudato, *feminalia* liganda, aut ſtringenda eſſe *circa cor.* Igitur, ſecundum has traditiones מכנסים ſive *feminalia* ſacerdotum conſtringi debebant ſupra umbilicum, non multum infra axillas, circa cor.

CCCXX. Inde a pectore dependebant ſacerdotum brachæ, teſtante Moſe, loco toties citato, עד ירכים *ad genua* uſque: ad finem ſcilicet feminum, ubi genua incipiunt. Hoc ſenſu explicatur a Maimonide, loco ſupra laudato. עד סוף הירך שהוא הארכובא *Ad finem feminum ubi genua.* Rabbi Levi Barſelonius Præcepto XCIX. ſic commentatur: המכנסים צורתן ידוע בכל מקום והיו גדולים ממתנים עד ירכים כלומר עד הירכים שהוא הנק׳ גנוי *Feminalium figura ubique nota eſt, quorum quædam magna ſunt a lumbis ad femina, ut dicitur:* ad femina, *quæ dicuntur GENOV.* En per ירכים intelligit genua, id eſt τὸ סוף הירך *finem feminum.* Hieronymus *in Epiſtola ad Fabiolam: a noſtris dicuntur feminalia, vel brachæ uſque ad genua pertingentes.* Non erant dimiſſæ infra genua ut genua includerent, ſed finiebantur ſupra genua, ubi femina finiebantur. Quod monitos velim veritatis ſtudioſos, ne ſibi imponi ſinant ab iis qui nobis perſuadere conantur, genua feminalibus Sacerdotum incluſa fuiſſe: quales brachas exhibent tabulæ *Leonis Judæ*, & poſt eum *Leuſdenii* Ultrajectini Profeſſoris, qui etiam expreſſis verbis dicit, *Diſſert.* XXVII. *Inferne ipſa genua attingebant, imo includebant,* quod tamen nec *S.* Scriptura, nec Hebræorum antiquitas docet. Cur longiora eſſe non potuerint hæc feminalia docet *Aben Ezra:* יהיו קצרים שלא יכשל בהם *erunt brevia ne impedimento ſint.*

CCCXXI. Ex his facile detegi poterit hujus vocis *Brachæ*, bruch / broeck / *brage, brayes, βράκια*, & אברקסין ſcaturigo: ita ſcilicet dici a *Genu.* Notum eſt *genu* Hebræis eſſe ברך *berech*, & Syris ܒܘܪܟܐ *borcho.* Hinc *brachæ* fere apud omnes Europæ populos. Nam quemadmodum Græcis certum veſtimenti genus dicitur καρπωτὸν a καρπῷ & Hebræis פסים a פס (de quo nos fuſe lib. I. cap. XVI.) *vola manus*, quia manicæ iſtarum tunicarum ad volam manus uſque protractæ erant; ποδήρης *talaris*, quia ad pedes & talos demiſſa erat, & ἀναξυρίδες *cruralia* a ξύρῳ, ſic & feminalia dicta ſunt *brachæ* a ברך *berech*, aut Syrorum בורכא *borcho genu*, quia ad *genua* demiſſa erant. Nec a ſententia mea dimovebor.

bor, ſi quis mihi opponat, brachas ita non dici ab ipſis Hebræis, ſed potius סרבלא *ſarbala*, & כמש aut מכנסים cum tamen eadem voce ברכא videantur debere uti, ſi eſſet vox Hebræa: & Syris, nti conſtat ex *Targum Ieruſalemitano*, corrupte dici אברסקין pro אברקסין, aut potius pro ברקסין a latino aut Græco *bracca*, *βράκια*, ut & Latine פמלניא corrupte *feminalia*; nam hoc non obſtat quo minus illius origo ſit Hebræa. Quis neſcit quam miſere voces ſoleant mutari & corrumpi ſucceſsu temporis? Infinita exempla adferre poſsem ad demonſtrandum, origines & ſcaturigines vocum linguarum, & artium, in natali ſuo ſolo ſæpe exaruiſse, cum tamen alibi ex iis quaſi rivuli aut potius ſtagna quædam ſuperſint: ut non mirum eſset, ſi diceremus feminalia aliquando ab Hebræis etiam *brachas* dictas fuiſse, eandemque vocem poſtea a multis populis receptam & conſervatam fuiſse, apud Hebræos autem interiiſe tractu temporis, ſuccedentibus apud eos aliis vocibus. Sed non plane interiit vox *brachæ* apud Hebræos: eſt enim Talmudicis, ut videre eſt, *Maſſechet Kelim cap.* XXVI. *Miſna* III. ברכייר corium ſive *ventrale* opificum (Belgice **een Schoots vel**) quod ad genua demittitur, aut *quod genua tegit*, ut habet gloſſa.

Hinc patet male vulgo ſcribi *braca* & pejus *bracca*; potius ſcribendum eſſe *bracha*, quemadmodum etiam iu optimis Codicibus Ciceronis *brachati* & *bracha* legitur. Manifeſtum etiam eſt non minus erraſſe. Iſidorum *Orig. lib.* XIX. *c.* XXII. cum crediderit: *bracas* dici *quod ſint breves*, quaſi eſſet vox Latina. Optimo tandem jure *Salmaſius* ad *Tertull. de Pallio*, cap. I. carpit eos, qui hanc vocem Gallicam putarunt, ut Diodorus Siculus & alii. Sed peſſime magnus vir ipſe deceptus eſt, eodem loco, ubi contendit vocem iſtam eſſe Græcam. Fefellit eum proculdubio doctiſſimus Caſaubonus in *vita Auguſti*, ubi eandem ſententiam docuerat.

CCCXXII. *Bernhardus Anglus*, vir cui propria ſaliva vehe-
,,menter placet, eamque ab omnibus lambi deſiderat, in me plus
,,ſemel ſine cauſa acriter & ineptiſſime debachatus, ferre non po-
,,teſt meam, de *feminalibus* Sacerdotum Hebræorum ſententiam;
,,minime quod vocem *bracha* Hebræam vel Syram crediderim,
,,illudque genus veſtimenti cum cæteris ſola fieri textura, abſque
,,acus opera docuerim. *Ad Ioſephum Lib.* III. *cap.* VII. *pag.*
,,171. conatur probare auctoritate Hieronymi, in *Epiſtola ad Fa-*
,,*biolam*, dicentis *non poſſe in tela brachas fieri*, quæ ſint verba

,, Joſephi, ut putat Hieronymus. At nos *verba Ioſephi* περὶ τὰ
,, αἰδοῖα ῥαπτὸν expoſuimus & ſimul oſtendimus nuſquam dixiſſe Jo-
,, ſephum, *brachas in tela fieri non poſſe.* vide ſupra paragr. CCCXII.
,, ut nullam animadvertam rationem quæ *Bernhardum* moverit tot
,, verba Hieronymi chartis illinire? At non ego ſolus, ſed reliquo-
,, rum hac ætate ſugillanda fuit Theologorum credulitas. *Cæterum*,
,, inquit, *ni videretur hæc ætas Theologorum fabulis Rabbinicis pro-*
,, *pior magiſque credula quam hiſtoriæ veteri, haud ſuſtinuiſſem ſta-*
,, *tim omnia, ex Hieronymo adjungi, viro licet Iudaicarum* παρα-
,, δόσεων *ſatis avido.* Miſeros Theologos critico Bernardo, Ju-
,, daicarum παραδόσεων parum avido, credulos atque ineptos! Huic
,, critico nihil placet, præter Græculos mendaces eorumque fabu-
,, las. Diſplicent vehementer Pharizæi omneſque Rabbini. Pu-
,, deat itaque omnes, quotquot fuerunt alicujus famæ, *Iudaicarum*
,, παραδόσεων *avidos*, ipſos *Hieronymos*, *Auguſtinos*, *Origines*,
,, *Epiphanios*, *Munſteros*, *Reuchlinos*, *Buxtorfios*, *Capellos*, *Bo-*
,, *chartos*, *Seldenos*, *Lichtfootios*, tot alios, inter ipſos Anglos
,, magni nominis viros, quotquot hactenus Eccleſiæ utiles labo-
,, res impendiſſe creduntur, ſtudio arduo, non cuilibet, nec ipſi *Ber-*
,, *nhardo* pervio.

,, CCCXXIII. Sed heu miſero mihi! meum enim latus, (quam-
,, vis hominem nunquam viderim, de eo nunquam cogitaverim, mul-
,, to minus eum læſerim) petit. Ego ipſe ſum qui tam grandia pec-
,, cata commiſi, quia ſum *hujus ætatis Theologus*: quia amo Anti-
,, quitatem quamlibet, ſacram & profanam, non ſolum Græcorum,
,, Romanorum, aliorumque populorum, ſed & Hebræorum ſa-
,, pientiam, quod eodem loco mihi ſint cunctæ fabulæ Græcæ &
,, Hebrææ, quod ex qualibet abyſſo, immo ex cujuſlibet fimeto
,, margaritam eruere tentem. Ego itaque ſolus inter *hujus ætatis*
,, *Theologos*, in eadem pagina (ut & alibi variis locis, ubi ad quaſ-
,, libet cavillationes, atque inhumanos contemptus reſponſurus ero,
,, ut diſcat cavillatoribus ineptiſque detrectatoribus nos eſſe *& can-*
,, *tare pares, & reſpondere paratos.*) ter fui nominandus & in cœ-
,, num dejiciendus. Primum quod non ſatis fuerim credulus, ut
,, brachas a Græculorum ῥάκω ῥάκος, & βράκος fuiſſe dictas cre-
,, diderim: ſed ab Hebræorum, aut Syrorum lingua (quæ Græco-
,, rum aliorumque populorum linguarum, ſcientiarum & Religio-
,, num ſcaturigo.) ברך *berech*, vel ברכא *borcho*, *genu*, quia eo uſque
per-

„ pertingebat, quemadmodum Græcorum καρπωτὸν fit a κάρπῳ, „ ποδήρης a ποδὸς, & ἀναξυρίδες a ξύρῳ, ut & Hebræorum פסים a פס „ uti paragrapho CCLXXIX. & CCCXVII. demonſtro. Sed extorqueat „ Bernhardus credulis, etiam quibuſcunque poteſt fidiculis, *brachas* „ ex aoriſto verbi Getici *brican*; ex ῥήγνυμι fiat ῥάκω, ῥάκος & βράκος, „ & id credat qui cum eo ſatis eſt credulus, ego non invideo, ſed „ miror magis ejus audaciam & φιλαυτίαν, immo & inſcitiam in „ linguis orientalibus eorumque antiquitate.

„ CCCXXIV. Sed & acri aceto perfundendus fui, quod do„ cuerim *brachas* fuiſſe integras contextas, abſque opere acus. Præ„ ſertim quod tanto labore ex imis fundamentis, & antiquitatis „ ſpiſſiſſimis tenebris in lucem protraxerim veterem ὑφάντειαν, tot„ que auctores expoſuerim hactenus a nemine intellectos. *Quid* „ *enim*, inquit, *illa* (ſcilicet ὑφάντεια) *ad Pontificem Iudaicum* „ *ſacrive ſcrinii arma? Phineaſus ſane protoveſtiarius nihil unquam* „ *ſimile ſomniavit, aut ſinciput aliquod Talmudicum*. Si ad Pontificem „ Judaicum ſacrive ſcrinii arma nihil facit ὑφάντεια, miſere erra„ vit, ad mentem Bernhardi, Moſes, aut potius ipſe Deus, quod „ tam expreſſis verbis juſſerit, ut eſſent מעשה ארג *opus textoris*. *Sed* „ בתפירה *acu committi poterant feminalia & manicatæ veſtes, idque* „ *non eſſet contra* מעשה ארג. Ita ſane fieri poterat, atque ita fit „ hodie. Sed & aliter fieri poterat, ſola nempe textura, abſque „ acu, qualis erat tunica ἄῤῥαφος Chriſti, ſi Evangeliſtæ credas. „ Ita facta eſſe omnia Sacerdotum veſtimenta, probavi, capite XVI. „ paragr. XX. hujus editionis CCXLV. & alibi, quibus refutandis ni„ hil adduxit Bernhardus, nihil adducere poteſt. *Si acu* fieri po„ terant, cur expreſſe jubetur, ut fierent מעשה ארג *opere textoris*: „ cum veſtimenta omnia ex neta lana & lino variis coloribus auro„ que fieri non potuerint, niſi opere textoris, tela ſcilicet texenda „ eſt, ut deinde ex ea partes variæ acu conſuerentur, uti hodie fieri „ ſolet a noſtris ſarcinatoribus. In Templo cuncta fuerunt מן המובחר „ *ex optimo*; veſtes itaque eſſe debebant precioſiſſimæ. Textæ au„ tem cariori emuntur pretio, ut patet vel ex Tunica Chriſti, quæ „ ideo dicta eſt ἄῤῥαφος & ὑφαντὸς ἐκ τῶν ἄνωθεν δι᾽ ὅλου: ut etiam tota „ ars ita texendi, ob carum pretium, tandem in oblivionem abie„ rit. At *nihil ſimile Phineaſus protoveſtiarius unquam ſomniavit*. „ Non credo, Bernharde, te præditum eſſe revelatione propheti„ ca Danielis, ut aliorum ſomnia poſſis divinare. Phineaſus ſane

„non fuit ſomniator. (tu ſomnies quamdiu placet; cum ſomnia „tua adeo tibi ſint grata.) Expreſſam Phineaſus habuit legem Dei. „Tandem nec *ſinciput Talmudicum iſta ſomniavit*. Maimonides „non eſt *ſinciput Talmudicum*, nec Gemarici, quidquid tu eos ri-„deas & contemnes. Hi claris verbis docent *Maſſechet Ioma* „*cap.* VII. veſtes ſacras fuiſſe textas, non acu conſutas, uti hoc „& ſequenti capite demonſtro. Fateor Maimonidem credidiſſe „*manicas* fuiſſe aſſutas tunicis, quod ex Talmude probare tenta-„vit. Sed & nos ipſius errorem palam facimus, capite ſequen-„te. Ultro tamen ipſe fatetur *brachas* textas, non *ſutas* fuiſſe. „Ipſam etiam tunicam, immo & manicas textas fuiſſe aſſerit, niſi „ut manicæ detextæ tunicæ corpori acu commiſſæ fuerint. Ad „quæ & nos reſpondimus.

„ Sed veterem hanc ὑφάντειαν *Braunio Theologo non invidet Ber-„nhardus*. Nec ego invideo Bernhardo invidiam, contemtum & „contradicendi libidinem. Nec ipſam criticam ipſi invideo. Amo „criticam quamlibet magnopere; eamque commendo. Amo & „inquiro, quantum poſſum, & quantum licet per otium, ipſas Fa-„bulas, non ſolum Orientalium, ſed & Romanorum, & ipſius „Græciæ mendacis. Quouſque cujuslibet nationis fabulæ, ritus, Re-„ligiones, veram hiſtoriam veterem ſolidamque Antiquitatem at-„que eruditionem amantibus ſint legendæ, indagandæ, immo & „credendæ, quantus ſit uſus ſtudii Talmudici, quantum omnibus „ſcientiis promovendis ſit neceſſarius, hic non datur dicendi lo-„cus. Id alibi a me factum eſt. Hoc unicum hic addo: (& for-„te majori audacia quam multi exſpectaſſent) abſque orientalium „Linguarum, immo & Talmudicæ ſapientiæ cognitione, ad ima „veræ Antiquitatis perveniri poſſe, a me negari, ringatur quan-„tum velit Bernhardus. Invideat itaque, vel non invideat; invi-„diam tamen viro honeſto atque literato Bernhardi indignas ob-„trectationes redolere, modeſtiores atque ſapientiores cuncti me-„cum judicabunt. Rideas ὑφάντειαν ex ſpiſſis Antiquitatis tene-„bris retractam ſi ita es γελαστὴς & γελαστὸς ſummopere tamen ab „eruditioribus laudatur, quod forte mordet te, cui honeſtiſſi-„morum virtutes diſplicent. De ſuis ſuperbe, de aliorum labo-„ribus indigne judicat Bernhardus. Sane aliorum vigilias, labo-„res atque inventa ridere & ſuperbe contemnere, in qua arte ex-„cellit Bernhardus, eſt viros doctos diligentioreſque abſterrere,

ne

„ne unquam ex remotiori Antiquitate quidquam eruere tentent, „qua via ignorantia immo & barbaries ſerio commendatur. Sed „tantus mihi non eſt Bernhardus ut propter ipſius ſive contemptum „ſive ignorantiam quidquam negligam.

CCCXXV. Tandem eadem pagina acerbioribus ſannis proſcin„dendus fui. Criſim ſuam excercet in eundem Joſephi locum, „quem & ego allegavi, ad hæc verba: τέμνεται ἢ ὑπὲρ ἥμισυ & „quæ ſequuntur. *Diviſum (ſubligar) uſque ad medietatem, ſed cir„ca ilia conſtrictum.* Ad hæc verba, inquam, abſque ulla cauſa, „ſola libidine contradicendi, contemnendi, ne dicam calumnian„di, hæc habet: *aut Braunii* (interpretatio) *loco ultimo, qui ne„ſcit quid in humanis ſit* τὸ ἥμισυ. Furit iterum Bernhardus in Brau„nium. Quid tibi peccavit Braunius, Bernharde?

Dic qua Tiſiphone quibus exagitare colubris?

„Ut eo uſque ipſi ſis inhumanus. *Braunius neſcit quid in humanis ſit* „τὸ ἥμισυ. Bernhardus id novit, inſignis ſcilicet eſt Anatomicus viven„tium fortaſſis magis quam mortuorum. Sed quicunque viri docti „atque honeſti tuas ineptias, ſuperbos tuos contemptus, legent cer„tiſſime mecum fatebuntur *inhumanum Bernhardum furore abreptum* „*neſcire quid ſit humanitas, ne* τὸ ἥμισυ *quidem humanitatis intelli„gere, helleboro opus habere, ut cerebrum inſania purget, ne aliorum* „*laboribus in poſterum plus æquo invideat.* Hæc Bernhardum in „Braunium dixiſſe ſufficit. His dictis, nihilo probato, vicit. Do„ctus vult haberi obtrectator, & ſapientiæ, ſi diis placet, dictator. „Audeo tamen ipſi commendare prudentiam & humanitatem.

CCCXXVI. Utut ſit, mihi perſuaſiſſimum eſt, vocem *brachæ* eſſe Hebræam, a ברך *berech* genu, ſcilicet ad genua demittebantur. Fateor tamen apud Antiquos etiam in uſu fuiſſe brachas, quæ ad talos uſque dependebant, immo quæ totum pedem & crus ſimul & femina velabant, quales hodie habent Nautæ & alii, præſertim in frigidioribus Regionibus, Italis *Calze marinareſche.* Ejuſmodi brachas forte intellixit Hieronymus ad cap. III. Danielis verſu XXI. ubi סרבלין *brachæ* dicuntur, Symmacho ἀναξυρίδες, *quibus crura tegebantur, & tibiæ, quaſi crurales & tibiales appellatæ ſunt,* forte quia femina & crura ſimul tegebant. Scythas aliosque populos Septentrionales brachas geſtaſſe, quæ totum fere corpus tegebant, docet Pomponius Mela *de Situ Orbis lib.* II. *cap.* I. *Totum brachatum corpus, & niſi qua vident, etiam ora ve-*

ſtiti.

ſtiti. De iiſdem *Ovidius lib.* III. *Triſt. Ecl.* X.

Pellibus & ſutis arcent mala frigora brachis,
Oraque de toto corpore ſola patent.

Tales brachas ex pellibus animalium vidimus magna copia Fliſſingam advectas ex freto Davis, anno CIↃ IↃCLVII. toti corpori, a calce ad caput uſque muniendo aptas. Nec multum ab his differunt *Suevorum*, ſive *Suaborum* brachæ in Germania, apud alios populos plane ridiculæ. Eodem prorſus modo brachata conſpicitur ſtatua illa gauſapata, Regis Parthorum, ubi brachæ apparent ad talos uſque demiſſæ. Vide Ferrarium de *Re veſt. parte* II. *lib.* I. *cap.* VIII. Hæc fortaſſis cauſa fuit, quod apud veteres brachæ & feminalia aliquando cruralia & pedules ſignificaverint, ἀναξυρίδες autem & caligæ, & cruralia brachas; cum non raro idem veſtimentum & femina, & crura, & pedes ſimul veſtiverit. Ne autem his multum inhæreamus, certum eſt Sacerdotum *brachas* ita dictas fuiſſe a *genu*, quod ſcilicet ad genua pertingerent.

CCCXXVII. Apertæ eſſe ſolent brachæ ad infimum ventrem ad emittendam urinam, &, (honos ſit auribus) ad anum, ad exonerandam alvum; cujus formæ ſunt hodie feminalia noſtrarum mulierum, & quorundam virorum. Talia in uſu fuiſſe apud Orientales populos ante multa ſæcula, colligi poteſt ex Codice *Niddah cap.* II. ubi aperturam anteriorem circa verenda vocant בית הערוה *locum verendorum*, poſteriorem autem בית הנקב *locum foraminis.* Audiamus Jarchium ad locum iſtum בית הנקב ובית הערוה דרכן היה לעשות הנקבים במכנסים כנגד בית הערוה להשתין מים מחוץ דרך שם וכן כנגד בית הערוה וכשגומר לקשור הנקב ברצועה וסותמו Locus ani, & locus verendorum. *Mos erat ut foramina* (ſive aperturas) *facerent in feminalibus, e regione verendorum, ad emittendam urinam foras, eodem modo fieri ſolebat e regione ani; qua re facta, foramen ligabant & claudebant ligulis.* Poſſet aliquis dubitare an Sacerdotum brachæ etiam non habuerint ejuſmodi aperturas, cum dicat Joſephus *Antiq. lib.* III. *cap.* VIII. διάζωμα περὶ τὰ αἰδοῖα ῥαπτὸν ἐκ βύσσου κλωστῆς εἰργνύμενον ἐμβαινόντων εἰς αὐτὸ τῶν ποδῶν ὥσπερ ἀναξυρίδας. ἀποτέμνεται δὲ ὑπὲρ ἥμισυ, καὶ τελευτῆσαν ἄχρι τῆς λαγόνος περὶ αὐτὴν ἀποσφίγγεται. *Subligar circa verenda commiſſum. Factum ex byſſo retorta, cui inſerunt pedes (quod pedibus inſcendunt) tanquam cruralibus. Diviſum uſque ad medietatem, ſed circa ilia conſtrictum.* Ita hunc locum verto: cum Gelenii verſio mihi minime placeat: non

non enim exprimit mentem Joſephi. Quid quæſo, intelligit per ſuas *dimidiatas bracas*? Nec magis arridet verſio Gallica doctiſſimi *Arnoldi Andillenſis*: cum locum iſtum admodum parce verterit; quod factum puto, non tantum quod in Hebraicis peregrinus fuerit (cum tamen non niſi in Hebæorum ſcriptis verſatiſſimum admittam, qui nobis Joſephum accurate interpretaretur) ſed etiam quod non ſatis attenderit ad verba Græca. Sic ille, *Celui qui doit officier eſt obligé ſuivant la loy, d'etre pur & chaſte, & vetu* (ubi ad verba, quæ allegavimus pervenit) *d'un habit nommé Manachaz, c'eſt a dire qui ſerre fort. C'eſt une eſpece de calçons de lin retros, & qui s'attache ſur les reins.* His verbis quidem docet Sacerdotum veſtitum fuiſſe feminalia, ſed nec formam, (quod tamen obſervari debuit, cum in rebus ſacris minima etiam ſint notanda) expreſſit, nec Joſephi mentem intellexit. Nihil jam dicam, quam male cum cæteris interpretibus retineat vocem *Manachaz* Græce μαναχασὴ, cum vocem iſtam corruptam ex Hebræo debuerit emendare, & ſcribere μιχνεσὴ, aut minimum μάχνασῃ a מכנסי. Quorſum quæſo illud addit? *C'eſt a dire qui ſerre fort.* An Joſephus id voluit his verbis? βούλεται τὸν συνακτῆρα δηλοῦν. Male vertuntur: *C'eſt a dire qui ſerre fort*: eſt enim συνακτὴρ nihil aliud quam *ſubligaculum, conſtrictorium*: aut tale quid. Cætera multa, quæ maxime erant notanda in deſcriptione feminalium, quam nobis dat Joſephus, alto ſilentio præteriit, quod cuilibet patebit, ſi ad Græca attendat. Quid quid eſt, ſi Joſephus non erravit, quemadmodum hac in re errare non debuit, cum ipſe fuerit Sacerdos, & ejuſmodi veſtibus in miniſterio ſæpe veſtitus, manifeſtum erit, cujus formæ fuerint feminalia Hebræorum Sacerdotum: ejuſdem ſcilicet fere, cujus ſunt hodie noſtræ brachæ. Pedes enim iis inſerere, aut potius pedibus eas *inſcendere*, (utitur Joſephus verbo ἐμβαίνειν) quemadmodum & tibialia, aut cruralia inſcendere ſolemus. Dicuntur etiam a Joſepho περὶ τὰ αἰδοῖα ῥαπτὰ *circa verenda conſuta*, non quod revera conſuta fuerint: erant enim *opus textoris*, ſed quod circa verenda fuerint commiſſa, uti ſolent: ſed a verendis ad ilia diviſa, ad comprehendendum ventrem & clunes.

CCCXXVIII. Superne ad lumbos conſtringebantur, & corpori alligabantur certis quibuſdam vittis, aut ligamentis, quæ feminalibus ita erant inſerta, ut potuerint arctari & laxari pro libu-

tu, & pro craſſitie corporis, iuſtar crumenæ, quæ aperiri & claudi ſolet: ideo כיס marſupio ſimilia eſſe dicuntur feminalia, ut videre eſt apud Maimonida *Kele Hammikd. cap.* VIII. המכנסים בין של כנ׳ בין של כה״ הם ממתנים עד ירכים שהוא למעלה מן הטיבור קרוב מן הלב עד סוף הירכים שהוא הארכובה׃ ושנצים יש להם ואין להם לא בית הנקב ולא בית הערוה אלא מוקפין כמין כיס *Feminalia, ſive ſummi Pontificis, ſive cæterorum Sacerdotum, a lumbis demittuntur uſque ad finem feminum, quæ ſunt genua. Et habent ligamenta quædam. Sed nulla eſt illis apertura, nec ad anum, nec ad verenda, ſed conſtringuntur inſtar crumenæ.* Hinc fortaſſis ab Euripide *ſacci* vocantur:

---- ἢ τοὺς θυλάκους τοὺς ποικίλους
Περὶ τοῖν σκελοῖν ἰδοῦσα.

Quæ videbat ſaccos variegatos circa femina. ubi per *ſaccos variegatos* proculdubio feminalia intelligit, quia revera formam habent duorum ſaccorum, alias *biſſaciorum*, ſic dictorum a duobus ſaccis. Hæc autem ligamenta, quibus feminalia ſolebant corpori aſtringi, ab Hebræis שנצים vocabantur, ut patet ex capite ſecundo *Codicis Nidda:* ubi ad vocem שנצים Jarchius habet: אשר למש כעין שלנו *quibus ligantur* (feminalia) *ut apud nos.* Et ſane notum eſt, apud nos feminalia ſolere ſtringi, certis quibuſdam ligamentis, aut nodulis, quibus pro ligamentis utimur, inſtar fibularum. Hæc autem ligamenta putamus fuiſſe inſerta ſuperiori parti feminalium, non quidem ut quaſi limbo alicui inſerta, aut adſuta fuerint, ut hodie ſæpe fieri ſolet, ſed ita ut alternis foraminibus inſerta fuerint. Cum enim feminalia fuerint *opus textoris*, non autem *opus acus*, ita debent concipi, ut omnia facta fuerint abſque opera acus, quod priori modo tam facile non potuiſſet fieri. Hæc eſt ratio quod a figura Judæ Leonis receſſerim, & שנצים ſive ligamenta hoc modo exhibuerim, ut infra in tabula patebit.

CCCXXIX. Feminalia, quibus hodie viri utuntur, fere ejuſdem formæ eſſe ſolent, cujus ſupra docuimus ex Talmude, fuiſſe brachas quaſdam apertas utrinque, niſi quod hodie Virorum feminalia unicam tantum habeant aperturam, ſcilicet ad verenda, non autem ad poſteriora. Sunt ex Hebræorum doctoribus, qui Sacerdotum feminalia ſimila eſſe dicunt noſtris, id eſt illis, quibus tempore ſuo utebantur. A noſtris autem brachis, quales hodie geſtamus, Sacerdotum brachæ plane diſſimiles erant; cum nullam omnino aperturam habuerint, nec ad anum, nec ad verenda; ita

ita quidem ut nec urinam emittere, nec alvum exonerare potuerint, niſi feminalibus prius exutis, ne inquinarentur. Imprimis notandus eſt locus, quem modo allegavimus ex *Maſſechet Niddah cap.* II. ubi de mulierculis & ſacerdotibus mente læſis, (unde occaſionem arripiunt formam feminalium ſacerdotum deſcribendi) diſputant. מכנסי כהנים למה הן דומין. כמין פמלניא של פרשים למעלה עד מתנים למטה עד ירכים ויש להם שנצים ואין להם לא בית הנקב ולא בית הערוה׃ *Cui rei ſimiles ſunt brachæ ſacerdotum; Erant inſtar feminalium Phariſæorum, uſque ad ilia, inferne uſque ad femina. Habebant autem ligamenta. Sed non habebant nec locum ani*, (id eſt, aperturam ad anum) *nec locum pudendorum.* (i. e. aperturam ad pudenda.) Nota quæſo Phariſæos ejuſmodi brachas geſtaſse, ob pudorem atque modeſtiam: cum enim ita fuerint clauſæ undique, obſcœna non poterant detegi nec conſpici, quod forte aliquo caſu fieri potuiſſet, ſi ab anterioribus & poſterioribus apertæ fuiſſent. Phariſæi modeſti & verecundi videri volebant, cum in aliis rebus, tum maxime in veſtibus. Sed per פרשים Gemarici forte non intelligunt Phariſæos, ita proprie dictos, ſed omnes homines pios & pudicos. Gloſſa ad locum iſtum פרשים, habet צנועים *modeſtos* ſive *pudicos.* P*oſſet aliquis conjicere, per vocem* פרשים *intelligendos eſſe* Perſas. *Eo magis, cum* Perſæ *habuerint brachas, uti conſtat ex Suida, & ex eorum* Sarbalin, *quibus Perſico more veſtitus videtur Sadrac cum ſociis ſuis. Dan.* III. *& de quibus nos inferius paragr.* CCCXXXIII. *Eo magis cum* Perſæ צנועים modeſti *dicantur triplici modo.* Cod. Berachoth. fol. 18. 2. בשלושה דברים אוהב אני את הפרסיים הן צנועין באכילתן וצנועין בבית הכסא וצנועין בדרך אחר׃ Propter tres res amo Perſas: ſunt verecundi in cibo, ſunt verecundi in loco ſecreto, verecundi in re alia (*nempe in lecto*) *videntur itaque tales brachæ dici ob verecundiam. Tamen* Perſas *hic intelligi non puto, cum eorum* brachas *tales fuiſſe hactenus non conſtet. Præterquam quod* Perſæ dicantur פרסיים magis quam פרשים.

CCCXXX. Ex his facile colligi poteſt, qua de cauſa brachæ Hebræis מכנסים dictæ fuerint: nempe a verbo כנס *inſcendere*, ſive *ingredi*, quia veſtiri nequeunt, niſi eas quaſi inſcendamus; ut Joſephus optime utatur verbo ἐμβαίνειν, quando de brachis veſtiendis loquitur. Nec omittendum eſt מכנסים formæ *dualis* eſſe, non ſingularis, nec pluralis numeri, ob numerum feminum, quorum ſunt duo. Sic & Euripides θυλάκους *ſaccos* habet pro feminalibus in duali, περὶ τοῖν σκελοῖν.

 Ut

CCCXXXI. Ut autem forma מכנסים *bracharum* Hebræorum Sacerdotum, prout eas ex Hebræorum traditione deſcripſimus, facilius intelligi poſſit, hac tabula eas lectori ob oculos ponere libuit.

EXPLICATIO TABULÆ.

A. A. מכנסים ſive *brachæ* aut feminalia Sacerdotum.

B. B. Ligamenta, quibus feminalia laxari & conſtringi debent. Talmudicis שנצים.

C. C. Species *limbi*, cum multis foraminibus, quibus ligamenta inſerta ſunt, uti fieri ſolet in crumena.

D. Anterior pars brachæ, abſque בית הערוה *apertura ad pudenda.*

E. Poſterior pars etiam clauſa, ſine בית הנקב *apertura ad anum.*

Secunda figura exhibet Sacerdotem brachis veſtitum.

CCCXXXII. Moſes etiam rationem exprimit, ob quam Deus Sacerdotes voluerit veſtiri brachis, ſcilicet לכסות בשר ערוה ממתנים עד הירכים: *Ad tegendam carnem nuditatis, ab ilibus ad femina.* Sane uſus feminalium eſt inferiora tegere, quod experientia docet. Cum autem ſacra pie & caſte fieri debuerint, Deus imperavit, ut Sacerdotes contegerentur, non tantum tunica, ſed & feminalibus, ne forte ea, quæ occultari debent, aliquo caſu detegerentur coram populo: nam quum Sacerdotibus ſæpiſſime incurvandum fuiſset in mactandis & immolandis victimis, ejuſmodi quid facile evenire potuiſet, niſi verenda velata fuiſsent. Tale quid accidit Aruſpici Tuſco ſacrificanti, de quo Martialis pro ſua licentia, ita jocatur: *Lib.* III. *Epigr.* XXIV.

Ipſe ſuper virides aras luctantia pronus
Dum reſecat cultro colla, premitque manu,
Ingens iratis apparuit herniæ ſacris.

Ne autem idem accideret Sacerdotibus Dei Optimi Maximi, lex data eſt, ut inferiora tali veſtimento operirentur. Notandum etiam eſt, apud populos quoſdam idololatras, morem fuiſſe ut Diis ſacra fierent nudo corpore, & quidem cum nefanda aliqua turpitudine: qualis præſertim fuit cultus Pehoris, de quo nos libro I. cap. I. aliquid diximus. Ne igitur veri Dei ſacra ſimilia viderentur Pehoris ſacris, aliorumque Deorum ſtercoreorum, ſunt qui credant,

Deum


II.
I.
A
A
C
C
E
C
C
D
B
B

Deum juſſiſſe, ut Sacerdotes feminalibus tegerentur. Hujus autem rei rationem dat Maimonides, *More Novochim libro* III. *cap.* XLX. *Iam pridem noſti manifeſto cultum Pehoris illis temporibus poſtulaſſe, ut verenda detegerent; ideo juſſit Deus Sacerdotibus, ut facerent ſibi brachas, ad tegendam nuditatem tempore miniſterii, eadem etiam de cauſa prohibitum fuit ad altare ne aſcenderent per gradus, ne eorum nuditas detegeretur.* Textum Hebræum ſupra jam allegavimus. Conſtat itaque factas eſſe brachas ſacerdotales, ſecundum legem Dei. לכסות בשר ערוה *ad tegendam nuditatem*; quæ Philo Iudæus *de Monarchia* ſic vertit: Πεϱίζωμα μὲν εἰς αἰδοίων σκέπην, *bracha ad tegenda verenda.*

CCCXXXIII. Utrum autem Sacerdotes Judæi primi fuerint mortalium, aut apud Hebræos ſoli, qui brachas geſtabant, non auſim adfirmare. Hoc ſaltem conſtat; in tota ſacra Scriptura nullam mentionem fieri bracharum, ante tempora Moſis, immo valde veriſimile eſſe, apud Hebræos nullas fuiſſe in uſu, aut raras admodum. Tempore Noachi non fuiſse notas, vel inde videtur poſse colligi, quod Noachus vino ſepultus verenda detexerit, ut ſeſe ludibrio expoſuerit coram liberis ſuis, Exod. IX. Idem videtur colligi poſse ex capite XXV. Deuteron. ubi ſub pœna diminutionis manus prohibetur; ne fœmina virum pudendis apprehenderet. Quid opus fuiſset iſta lege, ſi caſus ille non facile potuiſset evenire? Id autem facillime fieri potuit apud Hebræos, cum nullas brachas geſtaverint, ſed tunicas & pallia tantum, quæ non ſufficiebant ad tuendas partes iſtas. Videtur etiam crura ſponſi tam facile conſpici potuiſse Cantic. capite quinto, quia temporibus illis non fuit moris ea brachis & cruralibus velari. Negari tamen non poteſt, hoc veſtimenti genus etiam receptum fuiſs a vulgo apud Hebræos. Tempore Nebucadnozoris Judæos, dum captivi erant Babyloniis, uſos fuiſse brachis, colligitur quidem ex capite III. Danielis verſu XXI. באדין גבריא אלך כפתו בסרבליהון פטשיהון וכרבלתהון ולבושיהון: Ubi סרבלין quibuſdam ſignificant מנעלים *calceos*, aut בתי שוקים *cruralia*, ut obſervat Saadias. Aliis ſunt מכנסים *brachæ*, idemque eſſe volunt, quod Arabis سراويلات, quæ vox fere nihil differt a voce سراولات, qua uſus eſt Arabs, pro Hebræorum מכנסים *brachis*. Et ſane quam facile permutentur B. & V. judicium eſto penes doctos. Sed סרבלא proculdubio idem eſt, quod Græcorum σαϱάβαϱα, quam facile enim literæ R. & L. etiam permu-

mutentur, non eſt quod multis verbis probem. Heſychio σαράβαρα eſt ἔνδυμα περὶ τὰς κνημίδας; ubi mallem legere cum Stephano, περὶ τὰς κνήμας, *veſtimentum circa femina.* Suidas Σαράβαρα ἐσθῆν Περσικὴν ἔνιοι ἣ λέγουσι βράκια. *Sarabara eſt veſtis Perſica, quam nonnulli brachas vocant.* Jachias tamen aliique Hebræorum Magiſtri פטשין reddunt מכנסים *feminalia*, & סרבלא veſtem ſuperiorem, quale eſt pallium. Hiſpanis *Mantillo.* At ſive פטשין ſive סרבלין ſignificent *brachas*, ſaltem ex hoc loco colligi poteſt, brachas illis temporibus notas fuiſſe, & earum uſum apud Hebræos & Chaldæos obtinuiſſe. Sed ſupra jam docuimus ex *Codice Niddah cap.* II. Phariſæos, cæteroſque, qui caſti & pudici videri volebant, geſtaſſe brachas, & quidem in uſu fuiſſe certum aliquod genus bracharum, quæ ad verenda, & ad poſteriora apertæ erant.

Doctiſſimus Bynæus, de Calceis Hebræorum Libro II. cap. ultimo, *refutandum me ſuſcepit, quod aliarum ſententiam de* סרבלא *allegaverim. Doctus lector facile animadvertet, me de re nihil certi ſtatuiſſe. Dico tantum, ſive* סרבלין, *ut nonnulli volunt, ſive* פטשין *ut docent alii, fuerint* brachæ, *inde neceſſario colligendum eſſe,* Brachas *tunc temporis fuiſſe notas. Non adeo ſoleo eſſe audax ut in re tam incerta & abſtruſa, quidquam magna confidentia adfirmem, contra viros undique doctos. Forte diſplicuit, quod addiderim rationes, cur a viris doctis* brachæ *credantur. Sed etiamſi apperte dixiſſem, ſignificare* brachas, *ſententiam tamen non mutarem, ob ea quæ ipſi afferre placuit: cum nihil habeat præter meras conjecturas, quæ & aliter exponentibus concedendæ ſunt. Sed & hoc mihi denuo ſolatio eſt, quod non me, ſed viros inter doctos primos, quorum ſententiam recito, refutaverit*, Arabem, Saadiam, Aquilam, Theodotion, Symachum, Hieronymum, Heſychium, Suidam, Druſium, Bochartum, Salmaſium, *tot alios. Tot tantoſque viros malorum habere ſocios, magnum eſt ſolamen. At* סרבלא *dicit integrum exiit ex igne; ergo fuit* Chlamys, toga, vel pallium. *Ego vero, quia integrum exiit, conjicio fuiſſe* brachas, *cum ſit veſtimentum inferius & igni proximum. Addit* סרבל *ſignificare* tegere; *ergo* Sarbala *eſt* Pallium. *Lubentius ideo* brachas *dicerem, quia nudam tegunt carnem. Tandem & hoc animadvertit, reliqua veſtimenta dici* לבושין, *ita autem dici a* לבש *induere; ergo* לבוש *eſt veſtis interna. Ego vero dicerem* לבש *dicitur de* Tunica *Sacerdotis. Levit.* VI. III. *Ergo tunica eſt veſtis* interna לבש *dicitur de omnibus veſtibus Aaronis & reliquo-*

liquorum Sacerdotum , ergo omnes veſtes Sacerdotales ſunt internæ. *Exodi* XXVIII. XLI. *vide & apud Danielem cap.* V. *com.* XXIX. *Tandem* לבוש *ſignificat* veſtimentum Regis, *Eſteræ* VI. *com.* IX. *Ergo omnia Regis Aſſueri veſtimenta fuerunt* interna. *Vide Ezech. cap.* XXIII. *com.* VI. *& alibi. De hiſce docti judicent. Quid quid eſt, puto me temeritatis accuſari non poſſe, quod in re abſtruſa , ut ſolent magiſtelli, nihil magna auctoritate determinaverim, præſertim contra tot tantoſque viros , & antiquis temporibus & noſtro ſeculo venerandos.*

CCCXXXIV. Brachas autem in uſu fuiſſe apud reliquos populos cultiores , & in Regionibus quidem calidoribus, tam facile probari non poterit. Galli, ut ob ſaga, ita propter brachas celebres fuerunt, ideo *brachati* dicti. Sed apud Romanos rariſſimum fuit id genus veſtimenti, ante tempora Imperatorum: ideo veſtimentum, barbarum ſæpiſſime dicitur, quaſi ignotum cultioribus populis. Sane Julium Cæſarem brachis non fuiſſe veſtitum, apparet ex Suetonio. Narrat enim Imperatorem , *ubi animadvertit, undique ſe ſtrictis pugionibus peti , toga caput obvolviſſe, ſimul ſiniſtra manu ſinum ad ima crura deduxiſſe, quo honeſtius caderet , etiam inferiore corporis parte velata.* Niſi brachis caruiſſet Cæſar, non opus fuiſſet corporis partem inferiorem tam ſolicite tegere, ut a Torrentio optime obſervatum eſt. Auguſtum, quidem uſum fuiſſe tibialibus & feminalibus, teſtatur idem Suetonius, ſed non niſi tempore hiberno. Tempore Saturnini milites nullas habuiſſe brachas, colligi etiam poteſt ex eo, quod juſſerit *cum ſagis convivio diſcumbere milites, ne inferiora nudarentur.* Vide Trebellium.

CCCXXXV. Sed & Sacerdotes apud Ethnicos brachis caruiſſe quum ſacra faciebant, ſatis manifeſto patet ex aruſpice illo, de quo Martialis *lib.* III. *Epigram.* XXIV. cujus *hernia* (id eſt pudenda, ut a nonnullis explicatur) *apparuit, dum pronus cultro colla reſecat.* Sunt quidem aliqui, qui nobis marmora exhibent, quibus popæ & ſacrificuli conſpiciuntur, qui inferiora ſuccinctoriis ſive feminalibus velata habent ; ſed non ejuſdem formæ, cujus ſunt Hebræorum Sacerdotum brachæ, aut quales erant Hebræorum feminalia. Sed de brachis veterum, qui plura videre cupit, adeat Commentaria doctiſſimi *Caſauboni* ad Suetonium, *Nigroni-*

um

um de caligis & alios, Noſtrum inſtitutum erat non niſi Sacerdotales brachas deſcribere.

CAPUT II.

DE כתונה TUNICA.

כתנת *ſecundum veſtimenti genus. Ejus præceptum exſtat Exodi* XXVIII. IV. *Varii interpretes. Ioſepho* כתנה *a* כתנא lino. *a* כתנה *fit* χιτὼν *&* tunica. *Gallorum* hoquoton. *Error Iſidori.* Cotte *utrum a* χιτὼν, *an a* κροκωτῷ? כתנה *quibuſdam dicitur* Camiſia, *quod ab Arabum* القميص *&* قميص *non a* Camis, *nec a* χαμαὶ, *ut male Iſidorus & alii. Germanorum & Belgarum* Hemed *&* Hemd / *ab Arabum* قميص, *mutato* S *in* D, *quod frequens. S & D apud Arabas unico puncto tantum differunt.* כמז *rei collectio.* כומז *faſcia pectoralis.* כמס recondere, latere, Camaſena *latium a* latendo. *Et* חלוק *dicitur tunica. Hinc* ein Klocke / cloche *Campana. Anglis pallium* cloake. Cloaca *a rotunda cavitate. Materia tunicæ* שש *&* בד *linum ſive byſſus. Tunicæ forma. Ad talos demiſſa. An corpori arcte linum adhæſerit. Ioſephus allegatus.* מדו בד *Levit.* VI. IV. משולשים, מרושלים, *Tunica longior retrahi & balteo ſtringi poteſt. Tunica manicata. Manicæ ad volam manus pertingebant.* κατασφιγμένος. *Locus difficillimus & corruptiſſimus Ioſephi tentatur. Male vertitur Gallice ab Andillenſi. Tunicæ non habent ſinum, ſed amplam aperturam circa collum. Ioſephi locus examinatur cum verſione Gallica Andillenſis.* ἀρπεδόνες *quid?* ἀναδεῖν. *Tunica Sacerdotum, utrum habuerint fibulas. Gelenii & Andillenſis error. Tunicam funiculis ligari circa collum. Figura Tunicæ in Bibliis Gallicis. Iobi* XXX. XVIII. *brevis explicatio. Tunicæ Sacerdotum textæ. Manicæ ſeorſum attexuntur. quo ſenſu? Non aſſuuntur acu. Error Maimonidæ. Licia tunicæ ſenis filis conſtabant. Figura in tunica* תשבץ. πλινθίοι, ocellatum. Samuel Lee *doctus Anglus quales figuras τὸ* תשבץ *crediderit. Eædem figuræ quæ in tunica Summi Pontificis, etiam in cæterorum Sacerdotum tunicis repe-riuntur.*

riuntur. Locus Exodi XXVIII. *verſ.* IV. *explicatur. Tabula tunicæ. Explicatio figurarum. Tunica in uſu apud plures populos. Eſt antiquiſſimum veſtimentum. Varii loci allegati & explicati. Plura genera tunicarum in uſu apud veteres. Breves tunicæ.* Camiſole, Chemiſette. **Hemd-rock.** *Tunica* χειριδωτὸς, καρπωτὸς manicata. *Colobia,* Κολοϐὸς & Κολόϐιον. *Tunica altera exterior, interior altera. Tunicæ interiores ut plurimum lineæ. Tunica talaris & manicata fœminarum habitus. Varii auctores allegati. Tunicas etiam virorum eſſe veſtimenta. Sacerdotum Gentilium quoque habitus.* Καλάσιρις *apud Euſtathium quid?* Linigeri & grex liniger.

CCCXXXVI. SEcundum veſtimenti genus, quo veſtiebantur Hebræorum Sacerdotes eſt כתנת *tunica.* Præceptum ejus extat Exodi cap. XXVIII. commate IV. Græci habent χιτῶνα κοσυμϐωτόν. Vulgatus *tunicam ſtrictam.* Lutherus Ein engen Rock. Galli, *la chemiſe qui tienne ſerrée.* Diodati, *la tunique contrepointée.* Junius & Tremellius, *tunicam teſſellatam.* Chaldæus כתונא מרמצא Belgæ **een Rock met oogskens.** Joſephus *Antiquit. lib.* III. *cap.* VIII. χεθομένη: ſed corrupte, ut ſolet, pro χεθόνε.

CCCXXXVII. Si Joſepho credimus, tunica ab Hebræis dicetur כתנת propter materiam, nempe a lino, כתנא enim Hebræis *linum* ſignificat; unde fortaſſis Arabum aliorumque populorum קיטון *coton,* ſive Xylinum, Hebræis צמר גפן *lana vitis* & Germanis Baumwol / de quo nos plura lib. I. cap. VI. Cum itaque Hebræis aut potius Chaldæis כתנא linum ſignificet, Joſephus credidit tunicam dici כתנה quaſi diceres *lineam. Antiq. lib.* III. cap. VIII. χεθομένη (lege χεθόνη) καλεῖται λίνεον τοῦτο σημαίνει. χεθὸν γὰρ τὸ λινὸν ἡμεῖς καλοῦμεν. *Chetbomene*(potius *Chethone*) *dicitur. Hoc linum ſignificat. Nos enim linum Cheton vocare ſolemus;* Sed valde dubito, utrum illa revera ſint verba Joſephi, an potius prolata fuerint ab aliquo Græculo ſciolo, qui valde amant in vocibus hoc modo ludere. Si hoc verum eſſet, omnes Hebræorum כתנות *tunicæ* deberent eſſe lineæ: quod tamen falſum eſse conſtat, ex tunicis Joſephi & Thamaris, quæ erant כתנת פסים tunicæ paragaudæ, pretioſis inſtitis ornatæ, quod magis de tunica lanea intelligi puto, quam de linea. Sed ſi in ipſa voce כתנת ipſa materia etiam contineτur,

netur, ut omne quod כתנת dicitur neceſſario ex lino factum oporteret, quorſum adderentur בר ופשתן / שש & Chald. רבוץ *linum* & *byſſus?* Fateor quidem, linum antiquiſſimis veſtimentis præbuiſſe materiam, & fortaſſis ante lanam, ut non mirum, ſi quis diceret, prima veſtimenta apud antiquos כתנות *linea* dicta fuiſſe a materia, & poſtea omnes tunicas cujuſcunque fuerint materiæ: cum antiquitus multa veſtimenta nomina ſumpſerint aut a materia, aut a colore, aut etiam a forma: inde tamen non ſequitur omnes tunicas fuiſſe lineas.

CCCXXXVIII. Cæterum vox כתנת a multis aliis populis adoptata eſt. Hinc Græcorum χιτὼν, & Latinorum *tunica.* Male autem *Varro tunicam* ſic dictam vult a *tuendo corpore.* Male etiam *Iſidorus tunicam* derivavit a *tono*: *quia*, ut ait, *in motu incedentis ſonum facit, tonus enim ſonus eſt.* Hinc & ipſum Gallorum *tunique* & *Hoqueton.* Nam quis non videt *Hoqueton* eſſe ipſiſſimum Hebræorum כתנה cum ה emphatico, quaſi הכתנה *Haketona*, aut Græcorum χιτὼν cum articulo, ὁ ἡ, quaſi ὁ aut ἡ χιτὼν. Sed de Germanorum & Gallorum *hoqueton*, quædam etiam obſervata vide apud Stukium, *de Sacrificiis Gentilium.* Auſim fere dicere, ipſum Gallorum *cotte* etiam derivari a χιτὼν & כתנה, quicquid viri docti dixerint de κροκωτῷ.

CCCXXXIX. Sacerdotum Hebæorum tunica, etiam *Camiſia* dicitur ab Hieronymo *ad Fabiolam*, ab Iſidoro *Orig. lib.* XIX. *cap.* XXI. a Gallis *chemiſe*, *Camiſole*, & ab aliis non paucis. Iſidorus *Camiſias* ſic dici ait, quia in iis dormimus in *camis*, id eſt in ſtratis noſtris. *Orig. lib.* XIX, *cap.* XXII. *Cama*, ut habet alibi, *eſt brevis lectus, circa terram: Græci enim Cami breve dicunt.* Hinc Heſychius: χαμεύνη ϛιβὰς, ἢ ἡ ταπεινὴ κλινίς. ἢ χαμεύνης ὁ χαμαὶ κοιμώμενος. A *Cama* proculdubio Gallorum *Camus*, homo naſo breviſſimo, *ſimus*; niſi quis dictum velit a *Camuro*, ut obſervat doctiſſimus Menagius. Sed & ipſum *Camurum* forte nihil aliud eſt quam Græcorum χαμαὶ, ex quo etiam Galli ſuum *Camurum* & *Camus* feciſſe videntur. Quicquid alii dixerint, mihi perſuaſiſſimum eſt, *Camiſiam* dici ab Arabico القميص quod tunicam ſignificat. Eſt etiam Arabibus قميص *veſtiri tunica indui.* Ex eodem fonte, mea quidem ſententia, fluxit Germanorum & Belgarum Hemed quaſi Hemes / mutato S. in D. quod eſt frequentiſſimum

tiſſimum apud Orientales, eo facilius cum apud Arabas ص S. & ض D. unico tantum puncto differant. Igitur قميص Hemd / *Camiſia, Chemiſe, Camiſole*, Belgis **een Hemdt-rock** / unum idemque eſt, quicquid dixerint Iſidorus, Scaliger, Voſſius, Ferrarius aliique Viri magni. Hæc multis conjecturis confirmare poſſem, ſi liberet. Addam tamen כמז Arabis eſſe *rei laxioris collectionem & compreſſionem*, ut rotunda fieret. Hinc כומז *Cumaz*, faſcia pectoralis, qua mulieres mammas comprimunt. Licet igitur conjecturari, Arabis tunicam dici *Camiſiam*, quia corpus occultat & recondit, unde & *Camaſena Latium* a *latendo*, eſt enim כמס *recondere*. Deut. XXXII. XXXIV. Hebræorum Magiſtri tunicam non raro חלוק *chaluk* vocant. Ita ſane vocatur a Barſelonio. At חלוק eiſdem eſt induſium, interula ſive *Camiſia*. *Maſſechet Schab. cap.* XVI. חלוק dicitur, קמי׳שא של בשרו *Camiſia ſuper carnem ſuam*. Conſtat præterea שמלה quæ vox non raro interulam ſive Camiſiam denotat, etiam dici חלוק: nam pro eo quod Exodi XXII. XXVI. legimus היא שמלתו לערו Targum Jonathanis habet היא חלוק תותביה דנפלא למושכיה *Eſt induſium tegumenti ejus, quod cadit in cutem ejus* Non poſſum quin obiter notem, tintinnabula majora, quibus hodie in templis utimur, vulgo *campanas* aut *nolas*, nomen ſuum ſortita eſſe a voce חלוק: dicuntur enim Germanice & Belgice Ein Klocke / Gallice *une cloche*. Sed propius accedit vox Anglica *Cloake*, qua certum genus veſtimenti veluti *pallium* intelligunt. Et cum חלוק ſignificet omne id, quod eſt cavum, ego facillime inducerer, ut crederem ab eadem voce etiam derivari Latinorum *cloacam*. Itaque חלוק Klocke / *cloche*, *cloake* & *cloaca* unum idemque eſt.

§ CCXL. Materia tunicæ dicitur שש. Exodi XXVIII. XXXIX. & cap XXXIX. XXVII. Levit. autem cap. XVI. IV. vocatur בד. Sed utrumqe *linum* ſignificare, ſupra pluribus in locis oſtendimus. Hac de cauſa Joſephus, ut jam modo diximus, eam χεθὸν ex Hebræo כתונה vocari putat, quia facta erat ex כתנא *lino*. Iterum intelligendum eſt linum pretioſiſſimum, ſecundum præceptum מן המובחר *ex optimo*. Hinc a nonnullis tunica *byſſina* dicitur, & a Joſepho, loco toties a nobis laudato: *ἔνδυμα διπλῆς σινδόνος βυσσίνης*. quæ fere verbotenus repetuntur, ut fieri ſolet, ab Hieronymo in *Epiſtola ad Fabiolam*. Chald. & Græci Exodi XXVIII. XXXIX. & Lev. XVI. IV. ubi de tunica Summi Pontificis, habent: כתונא דבוצא

χιτὼν ἐκ βύσσου, *tunicam byſſinam.* Sed ne putes cæterorum *Sa*cerdotum tunicas ex alia factas fuiſſe materia, Exodi XXXIX. XXVII. legimus, non tantum Aharonem, ſive Pont. Max, ſed & filios Aharonis, id eſt, totam ſacerdotum turbam habuiſſe כתנת שש, quod iterum Græcis & Chaldæis eſt: χιτὼν βύσσινος & כתנא דבוצא *tunica byſſina.* Sacerdotes omnium fere populorum ſolitos fuiſſe miniſterium obire in veſtimentis lineis, ideoque tunicis lineis uſos fuiſſe, multi docent, & nos illius rei varia exempla attulimus cap. VI. lib. I. paragpho XCIV.

De colore tunicarum nihil dicturus ſum, cum vel cœcis conſtet, linum ſive byſſum fuiſſe albam.

CCCXLI. Nec magna erit difficultas circa hujus veſtimenti Formam. Fuit enim veſtis rotunda, undique clauſa, a collo ad talos demiſſa, & utrinque manicata. Uno verbo, tunicis noſtris interioribus, quas *Camiſias*, Gallice *Chemiſes* vocare ſolemus, non multum abſimilis. *Ioſephus:* ἔστι δὲ τοῦτο ἔνδυμα ποδήρης χιτὼν περιγεγραμμένος τῷ σώματι, καὶ τὰς χειρίδας περὶ τοῖς βραχίοσιν κατεσφιγμένος. *Eſt vero indumentum illud, talaris tunica, corpus ambiens, & manicas circa brachia adſtrictas habens.* Rabbi Levi Barſelonius, *lege* XCIX. הכתנת הוא כעין חלוק רב של ישמעלים *Tunica eſt inſtar Camiſiæ magnæ Iſmaelitarum.* Dicitur autem *Camiſia magna*, cum fuerit longa & ad talos demiſſa, unde Joſepho ποδήρης. Maimonid. *Kele Hammikd. cap.* VIII.: אורך הכתנות עד למעלי מן העקב *Longitudo tunicarum erat uſque ad talos.* Eadem docent Hieronymus *ad Fabiolam* & Iſidorus *Orig. lib.* XIX. XXI. Nec admodum laxa fuit, ſed τῷ σώματι περιγεγραμμένος, ut ait Joſephus, qua voce videtur innuere, tunicam corpori ſatis arcte adhæſiſſe. Eſt enim ailquando περιγράφειν *claudere*, *finire*, & *coercere.* Hinc Hieronymus: *Hæc adhæret corpori, & tam arcta eſt & ſtrictis manicis, ut nulla omnino in veſte ſit ruga.* *Iarchius* ad Exod. c. XXVIII. v. IV. in eadem ſententia fuiſſe videtur: nam etſi expreſſis verbis non dixerit utrum arcta an laxa fuerit, carni tamen adhæſiſſe docet, quod quis intelligere poſſet, eam corpori arcte adhæſiſſe, cum τὸ סמוך illum ſenſum ferat. מעיל, inquit, הוא כמין חלוק הכתונת אלא שהכתנות סמוך לבשרו: *Pallium eſt inſtar Camiſiæ, ut & ipſæ tunicæ, niſi quod tunica carni adhæreat*, quod quidam interpretantur quaſi arcte adhæſiſſet. Hinc vulgatus *tunicam ſtrictam* habet, Lutherus ein engen Rock / & Galli *la chemiſe qui tienne ſerrée.* Hæc autem

hauſta

hauſta fuiſſe ex verbis Joſephi *τῷ σώματι περιγεγραμμένος*, vix dubito.

CCCXLII. Animadvertendum eſt, tunicam ſacerdotalem Levit. cap. VI. verſu IV. dici מדו בד quaſi diceres *menſuram lineam*: quia ſcilicet facta erat ad menſuram corporis. Inde colligi poſſet, eam nec nimis amplam ſive laxam fuiſſe, nec nimis arctam ſive ſtrictam: eo magis cum utrumque ſacerdoti inter miniſtrandum impedimento fuiſſet. Tradunt etiam Gemarici, ſi tunica forte juſtam longitudinem exceſſerit, ut etiam in terram traheretur, licitum fuiſſe Sacerdoti ut ea uteretur, modo ad juſtam menſuram retracta, & balteo conſtricta fuiſſet. Maſsechet *Sevachim cap.* II. תנו רבנן היו מרושלים מסולקין משוחקים ועבד עבודתו כשרים: *Docent doctores noſtri, ſi fuerint trahentes*, (id eſt, ut præ longitudine in terram traherentur) *breues aut veteres, & ſi quis in iis miniſterio fungeretur, miniſterium legitimum fuiſſe.* Alias præceptum de veſtitu ſacro requirebat veſtes novas, pulchras & rugoſas inſtar veſtium magnatum. Maimonides *Kele Hammikd. cap.* VIII. בגדי כהונה מצותן שיהיו חדשים נאים ומשולשים כדרך בגדי הגדולים שנא׳ לכבוד ולתפארת: *Præcepto de veſtibus ſacerdotalibus cautum eſt, ut veſtimenta eſſent nova, pulchra & plicata inſtar veſtium Magnatum, ut dicitur*: (Exodi XXVIII.) *ad gloriam & ad ornatum.* Jarchius codice *Sevachim cap.* II. docet, legem quidem poſtulare, ut veſtes eſsent ad menſuram corporis; nihilominus iſtud non obſtare, quo minus poſſint etiam longiores eſse, modo retrahantur: & cum *τὸ* מדו poſſit opponi, nodum ſic ſolvit, ואעג׳ דכתב מדו בד שתהא כמדתו מצוה היא בעלמה ולא לעכב: *Et quamvis ſcriptum ſit*, מדו בד *ad indicandum veſtem debere eſſe ſecundum menſuram ejus* (ſcil. corporis) *præceptum tamen illud datum eſt abſolute, ſed non ad impediendum.* (ſcil. *ne aliter fieret*) Quamvis autem longiores veſtes licitæ fuerint, modo retraherentur ſurſum & balteo conſtringerentur: tamen non erat permiſsum ut uterentur tunica nimis brevi, quæ ſcilicet ad talos non eſset demiſsa: debuit enim eſſe *ποδήρης talaris*. Sed nec hoc neceſſarium fuit, ut ſemper ad talos dependerent, nam potuit ſurſum trahi ſupra talos, & balteo ſtringi inter miniſtrandum: ſi autem per ſe fuerint מסולקין retractæ, i. e. tales quæ ad talos non dependebant, illegitimæ erant. Vide Codice *Sevachim Capite* II.

CCCXLIII. Tunica, ut erat rotunda & clauſa undique, ſic & manicata. Joſephus: *καὶ τὰς χειρῖδας περὶ τοῖς βραχίοσιν κατεσφιγμένος*

μδύ@. *Et manicas circa brachia adſtrictas habet.* Manicas habuiſſe docet etiam Maimonides *Kele Hammikd. Cap.* VIII. quod didicit a Gemaricis *Maſſechet Ioma. Cap.* VII. Has manicas tradit Maimonides longas fuiſſe ad carpum, ſive ad volam manus : ואורך בית של יד עד פס ידו *Et longa eſt manica uſque ad carpum, ſive volam manus.*

Sic & Gemara, loco modo citato: ומגעת עד פסת היד *Pertingit ad volam manus.* Latæ ſive amplæ erant palmum: ורוחבו כרוחב היד *Et latitudo ejus, inſtar latitudinis manus*: hæc enim latitudo ſufficiebat ad brachium commode immittendum. Non ſequitur manicas fuiſſe valde anguſtas, ut brachia quaſi arctiſſime ſtringerent; quo ſenſu Andillenſis Joſephum vertit: *elle avoit les manches fort etroites pour couvrir les bras.* Nam illud κατεσφιγμένον, quo reſpexiſſe videtur, non ſignificat *fort etroites*, *valde anguſtas*, ſed tantum *ſtrictas.* Joſephus fortaſſis hoc voluit: manicas brachiis adſtrictas fuiſſe & alligatas, certis quibuſdam ligamentis, ut hodie nonnunquam fieri ſolet; nam σφίγγειν non ſignificat *anguſtum eſſe*, ſed potius *ſtringere*, ut ſi quis manipulos, & alia quæ in faſciculum colligit, ligamentis ſtringeret. Eadem voce Joſephus etiam uſus eſt, ubi de feminalibus diſſerit, quæ *circa ilia ſtringi* docet: ſtringebantur autem certis quibuſdam ligulis, Gemaricis שנצים dictis, ut cap. præcedenti docuimus. Utrum autem ejuſmodi liguli manicæ tunicarum quoque ſtrictæ & ligatæ fuerint, ex hoc loco Joſephi conjecturari poſſe videtur.

CCCXLIV. Tunicæ noſtræ interiores quibus hodie utimur, ſinum habere ſolent ſatis amplum, a collo ad cor uſque, per quod caput tranſmittitur in veſtiendo. De hac apertura, S. Scriptura tacet in deſcriptione tunicæ. Nihilominus ſtatuendum eſt, eam ejuſmodi quid habuiſſe ad immitendum caput. De *ore capitis* in pallio Exodi XXVIII. XXXIII. plura dicentur infra, quum ad iſtud veſtimenti genus deventum fuerit. Joſephus *Antiq. lib.* III. *cap.* VIII. docet, Sacerdotum tunicas nullum habuiſse ſinum, ſed amplam aperturam circa collum, quæ certis quibuſdam funiculis circumquaque ex oris dependentibus ligabatur & conſtringebatur. οὗτος, inquit, ὁ χιτὼν κολποῦται μὲν οὐδαμόθεν. λαγαρὸν δὲ παρέχων τὸν βρογχωτῆρα τοῦ αὐχένος, ἀρτεδόσιν ἐκ τοῦ ὤας, καὶ τῶν κατὰ σέρνων καὶ μετάφρενον. ἠρτεμέναις ἀναδεῖται, ὑπὲρ ἑκατέρων κατακλεῖδα, μαοσαβαζανὴς καλεῖται. Hæc verba non uno

uno mendo laborant: male enim Genevenſis editio habet punctum poſt *μετάφρενον*, quaſi periodus ibi finiretur, cum tamen jungi debeat cum ſequentibus: ut ſenſus inde elici poſſit: Deinde vocabulum *μασσαβαζανὴς* eſt corruptiſſimum, & nihil ſignificare videtur. Circa hanc vocem fateor me aliquamdiu hæſiſſe, ut fere crediiſſem pro *μασσαβαζανὴς καλεῖται* legendum eſſe *ἐν μέσῳ τῇ ζώνῃ ἀναδεῖται*, *in medio balteo ligatur*, quaſi paucis voluiſſet repetere quod jam dictum erat, nempe tunicam balteo cingi. Sed Doctiſſimus *Le Moine* apud Leydenſes S. S. Theologiæ Profeſſor, verum ſenſum hujus vocis mihi aperuit. Legendum enim putat ex Chaldæo משבצאנא quaſi *μεσσαβαζανὰ* pro *μασσαβαζανὴς*. Sed pro משבצאנא legi etiam poſſet משובצא *μεσύβαζα*, quod cum analogia Hebrææ linguæ optime conveniret. Utut ſit, certiſſimum eſt, vocem iſtam *μασσαβαζανὴς* apud Joſephum nihil aliud ſignificare quam *tunicam lacuatam*, Hebræis כתנת תשבץ. Unde etiam liquet Joſephum cum cæteris Rabinis credidiſse, non tantum S. Pontificis, ſed & cæterorum Sacerdotum tunicam lacuatam fuiſse, quod alibi contra Doctiſſimum Anglum *Samuelem Lee* probamus. Miſerrime vertitur ille locus Joſephi ab interpretibus. Gelenius ſic habet: *Uncinis ejus ora a pectore & a tergo committuntur*, pro ἀρπεδόσιν ἐκ τῆς ὤας καὶ τῶν κατὰ στέρνων καὶ μετάφρενον ἠρτημέναις ἀναδεῖται, quaſi ἀρπεδόνες eſsent *uncini*, cum potius funiculos & filamenta ſignificent, quibus res ligatur, quod ex ſola voce ἀναδεῖν (quod *ligare* funiculo aut ligamento, non fibulis aut *uncinis committere* ſignificat) colligi poteſt. Pejus Andillenſis in ſua verſione Gallica. *Cette tunique etoit ſans ply, & avoit une grande ouverture a l'entour du col, laquelle s'attachoit devant & derriere avec des agraffes, & on la mommoit Maſſabazan.* Nuſquam dixit Ioſephus fuiſſe *ſine plicis*. κολποῦται οὐδαμόθεν ſignificat *non habere ſinum*: eſt enim κόλπος *ſinus* non autem *plica*. Hinc Gallis & Italis *Golphe* & *Golpho* ſinus maris, Belgis **een inham**. Suas *agraffes* proculdubio hauſit ex Gelenii *uncinis*. Ridiculum ſane eſſet tunicis interioribus, quæ cuti adhærent, *uncinos & agraffes* adſcribi. Mens igitur Joſephi fuit tunicam pro ſinu, circa collum magnam aperturam habuiſse, quæ tamen funiculis conſtringeretur & utramque ſcapulam tegeret. Ex hoc loco colligi poteſt, tunicam circa collum habuiſse ligamenta & funiculos, quibus conſtringebatur, ut collum & ſcapulæ tegerentur, quales funiculos fuiſse in brachis jam ſupra docuimus,

quos

quos Hebræi שנצים vocant. Biblia Gallica Genevæ impreſsa anno CIↃ IↃ LXXXVIII. hujus tunicæ exhibent figuram, in qua quidem ejuſmodi *ἀρπεδόνες* ſive funiculi conſpiciuntur, quibus apertura collum clauditur aut potius conſuitur, ſed in ſcapulis tantum, cum funiculi totum collum ambire debeant, ſecundum Ioſephum. Igitur tunica Sacerdotum collum laxari & ſtringi potuit, ad lubitum veſtientis. Ejuſmodi etiam tunicas viris in uſu fuiſse, videtur colligi poſſe ex Cap. xxx. Iobi. verſ. XVIII. ברב כח יתחפש לבושי כפי כתנתי יאזרני Ad quæ verba ſic commentatur Rabbi Levi Ben Gamliel. כמו שיסוב פי הכתנות את הצואר כן יסיבבני חליי *Quemadmodum apertura tunicæ collum cingit, ſic & morbi mei cingunt.* Forte hæc voluit Jobus; quemadmodum tunica arcte nimis ſtricta collum premit & angit, ſic & a morbis & miſeriis nimis ſtringor undique.

CCCXLV. Cum omnia veſtimenta ſacra fuerint מעשה אורג *opus textoris*, tum etiam tunica vera fuit *ἄῤῥαφος inconſutilis*, *ὑφαντὸς δι' ὅλου tota textilis*. Exſertis verbis hoc docet Moſes Exodi XXXIX. XXVII. *Et fecerunt tunicam byſſinam opus textoris*. Ideo Maimonides & alii textam non acu ſutam dixerunt, ut ſupra oſtendimus. Vide Maimonidem *Kele Hammikd. Cap.* VIII. Joſephum *Ant. lib.* III. *c.* VIII. ubi tunicam *διπλῆν σινδόνα βυσσίνην* vocat. De quibus nos plura lib. I. Cap. XVI. ubi docuimus non tantum ejuſmodi tunicas detexi poſſe, ſed etiam modum texendi oſtendimus. Gemarici quidem fatentur ipſum corpus hujus tunicæ textum fuiſſe, ſed negant manicas ei fuiſſe adtextas. In eo itaque ſunt ut probent, manicas ſeorſum textas, deinde corpori tunicæ fuiſſe junctas. *Maſſechet Ioma c.* VII. בית יד של בגדי כהונה נארגת בפני עצמה ונדבקת עם הבגד ומגעת עד פיסת היד : *Manicæ veſtium Sacerdotum texuntur ſeorſum, veſtibuſque junguntur, pertingunt autem ad volam manus.* Quæ ita explicat Maimonides *Hil. Kele Hammikd. Cap.* VIII. בית יד שלה נארג בפני עצמו ומחברין אותו עם גוף הכתנות בתפירה *Manicam ejus texunt ſeorſum, & corpori tunicæ aſſuunt acu.* Sed fallitur Maimonides, ut qui male intellexit Gemaram. Non dicunt Gemarici, quod ſciam, manicas corpori tunicæ *acu adſui*: ſed tantum quod *ſeorſum texantur*. Et hoc quidem veriſſimum eſt. Corpus enim tunicæ, ſecundum veterem texturam, prius detexitur, ſed ita ut ſtamen pro manicis adhæreat, ideo manicæ poſtea corpori tunicæ quidem attexuntur, ſed quaſi ſeorſum: quod ſatis mani-

manifeſto oſtendimus lib. I. cap. XVI. Erravit forſan Maimonides, quod ſuo tempore modus texendi veterum jam in deſuetudinem abierit: ut crediderit non minus quam Hieronymus aliique multi, nulla arte fieri poſſe, ut tunica undique clauſa & manicata, quemadmodum nec feminalia, ſola textura abſolverentur, abſque acus opera. Textas itaque puto Hebræorum Sacerdotum tunicas rotundas, undique clauſas, & manicas habentes, eadem arte, qua id fieri poſſe pluribus demonſtravimus, ut non opus fuerit manicas aſſui; quales tunicas & vidimus & jam nunc poſſidemus, ex ſubtiliſſimo xylino in india mirifica arte textas, qualemque detexi curavimus in hac ipſa urbe, cum manicis abſque acus opera.

CCCXLVI. Seno autem filo ſingula licia, id eſt ſex filis in unum retortis conſtabant, ut tradunt Hebræi: cum dicatnr כתנת שש Exodi XXVIII. XXXIX. & Cap. XXXIX. XXVII. Jam oſtendimus τὸ שש ſignificare filum ſexduplo retortum, non minus quam ſubtiliſſimam byſſum. Deinde מצות מן המובחר *præceptum de optimo*, quod in omnibus ſacris veſtimentis obſervari debet, poſtulat, ſecundum Talmudicos, ut fierent non tantum ex byſſo, ſed & ex liciis ſex filis retortis.

CCCXLVII. Tunica hæc dicitur etiam תשבץ Exodi XXVIII. IV. & שבצת הכתנת verſu XXXIX. Verum quidem eſt quod in his locis videatur dici tantum de tunica *Summi* Pontificis. Ideo nonnulli ſolam tunicam illius תשבץ eſſe volunt, non autem reliquorum Sacerdotum. In hac ſententia etiam eſt Doctiſſimus Anglus *Samuel Lee*, in ſuo opere Anglico *de Templo Salomonis Cap.* IX. Et revera nuſquam expreſſis verbis Moſes dixit tunicam omnium Pontificum eſſe תשבץ; nihilominus videtur ita dici priori loco, nempe verſu IV. capitis XXVIII. cum ibi ſermo fiat, non tantum de Veſtibus *Aharonis*, ſed & *filiorum ejus*, id eſt omnium reliquorum Sacerdotum. Ut igitur אבנט & מצנפת ſunt veſtimenta omnium Sacerdotum, non minus quam Summi Pontificis, ut infra patebit, ſic & כתנת תשבץ toti Sacerdotum turbæ attribui poſſet. Hæc ſane fuit opinio Judæorum. Maimonides *Kele Hammikd. Cap.* VIII.: הכותנות בין של כ"ג בין של כהן הד' משבצת היתה: *Tunicæ, ſive ſummi Sacerdotis, ſive cæterorum Pontificum, erant* משבצות id eſt, *fundis conſitæ.* Et Joſephi, qui eam μασσαβαζανὴν id eſt μεσύβαζαν ſive משובצא vocat, uti ſupra oſtendimus.

Quales autem figuræ fuerint תשבץ, & quam male hanc vocem

verterint libro primo cap. xvii. oſtendimus: nempe nihil aliud fuiſſe quam lacus, aut foſſulas angulares, quales reperiuntur in certo quodam ſtomacho animalium ruminantium, reticulo a medicorum filiis dicto. Errarunt itaque illi qui תשבץ *ocellatum* verterunt, illaſque figuras *oculos* repræſentaſſe, in quem errorem incidiſſe animadverto Doctiſſimum *Samuelem Lee de Templo Salomonis cap.* iv. Sed hæc levia ſunt præ illis quæ mox addit Doctiſſimus Anglus, תשבץ, ſive figuras illas quæ ita dicuntur, *auro intextas* eſſe in Summi Pontificis tunica. Nullum ſane *aurum* reperitur in veſtibus lineis, ſed in laneis tantum. Ita revera tunica ſponſæ Chriſti erat משבצות זהב *lacuata auro*, Pſalmo xlv. De Sacerdotum tunicis hoc nuſquam legitur.

CCCXLVIII. Tunica igitur Sacerdotum erat veſtimentum rotundum undique clauſum & manicatum, totum corpus a collo ad talos uſque tegens; factum ex pretioſa byſſo, ſeno filo retorta atque texta, & habens fundas intextas ad majorem ornatum. Ut autem hoc lectori clarius fieret, totam tunicam, & Sacerdotem tunicatum hac tabula exponere volui.

EXPLICATIO HUJUS TABULÆ.

Figura prima tunicam oſtendit.

A. Ipſa tunica, ſive כתנת

B. B. Duæ manicæ.

C. Apertura circa collum, per quam caput immititur.

D. Ligamenta ſive vittæ, Joſepho ἀρπεδόνες, quibus collo adſtringitur.

Figuræ polygonæ ſunt fundulæ ſive lacus, aut πλινθίοι tunicæ intextæ. Hebræis תשבץ.

Secunda figura ob oculos ponit Sacerdotem ejuſmodi tunica veſtitum.

CCCXLIX. Ejuſmodi tunicas receptiſſimas fuiſſe apud plures populos dubitari non poteſt. Hebræi jam inde a temporibus Jacobi Patriarchæ tales geſtaverunt; quod patet ex tunica Joſephi, כתנת פסים quam pater illi fecerat. Idem etiam manifeſtum eſt ex tunica Jobi cap. xxx. xviii. de qua nos ſupra. Tempore Davidis Regios liberos tales habuiſſe, nos docet tunica Thamaris: tales enim geſtare ſolebant *filii Regum*, quod intelligo non tantum de

Regi-


A
C
D
D
B
B

Regibus Judæorum, ſed & aliorum vicinorum populorum, ut Ægyptiorum, Tyriorum, Aſſyriorum. Sed alii præter Reges tunc temporis tales habuere: nam *Chuſcæum* tunica veſtitum fuiſſe nemo dubitabit, qui legerit cap. xv. xxxii. lib. ii. Samuelis. Sed & ſponſa Chriſti Cant. cap. v. 11. dicit ſe jam exuiſſe כתנתי *tunicam*. Deinde morem iſtum tunicas geſtandi, duraſſe apud Hebræos ad tempora uſque Auguſti & Tiberii, colligi poteſt, vel ex ſola tunica Chriſti ἀῤῥάφῳ *inconſutili*. Nam Chriſti tunicam talem fuiſſe, quales erant tunicæ Hebræorum Pontificum, ego non dubito: niſi materia alia fuerit: magis enim credibile eſt laneam fuiſſe, cum Sacerdotum lineæ tantum fuerint.

CCCL. Apud veteres duo genera tunicarum in uſu fuerunt: habebant enim tunicas breves, circa humerum deſinentes, & quæ ultra cubitum non fuerunt demiſſæ, quales Græci ἐξωμίδας vocabant, inſtar noſtrarum Camiſiarum, Gallis *une Camiſole & Chemiſette*, Belgis **een Hemdtrock**. Habebant etiam alias, quæ erant longæ & ad talos demiſſæ, quas *talares* & ποδήρεις vocabant. Quædam manicas habebant, quas χειριδωτοὺς *Chiridotas*, *manicatas*, & καρπωτοὺς nominarunt. Quædam manicis carebant; quales vocabant colobia, κολοβὸς & κολόβιον, quaſi truncatas, eſt enim κολοβὸς ὁ κονδὸς, *curtus*, ut habet Gloſſa *mutilus*, *truncus*. Colobia ab Iſidoro quidem longa veſtimenta, at a Caſſiano *lib.* i. *cap.* v. brevia dicuntur, *quæ vix cubitum ima pertingit*. Sed de his plura vide apud Salmaſium, Ferrarium aliosque, qui rem veſtiariam tractarunt. Alia erat etiam tunica *exterior*, alia *interior*. *Exterior* interiorem tegebat; ornatior & cultior ex lana, ſerico, aliquando etiam linea fuit, ſæpe varia arte texta & ornata, opere Phrygionico arte Polymitaria, auro nonnunquam gemmis variiſque figuris diſtincta. De hac plura infra dicemus, ubi de מעיל *pallio*. *Interior* linea fuit ut plurimum, & carni proxima, ideo *induſium*, *intuſium* & *interula* dicta. Nonnius: *Induſium eſt veſtimentum, quod corpori intra plurimas veſtes adhæret, quaſi intuſium*. Ad hanc reſpicit Plautus in Trinummo: quando ait: *Tunica eſt propior pallio*. Hæc, ut dixi, ut plurimum fuit linea, & quidem ex lino puro, abſque purpura & auro. Nam cum debeant eſſe molles, ne carnem læderent, Alexander Severus, teſte Lampridio, judicavit: *in linea aurum aut purpuram mitti dementiam eſſe, quum aſperitati adderetur rigor*. Ideo puræ dicebantur, quales erant illæ *tunicæ manicatæ li-*

neæ Afræ & Ægyptiæ puræ, quas D. Aurelianus populo dedit, referente Vopiſco. Ejuſmodi fuiſſe videntur *tunicæ lineæ Ægyptiæ viginti*, quas Valerianus dari juſſit Aureliano, ut habet idem Vopiſcus. Tales fuerunt & Sacerdotales, ex lino, ſive byſſo ſubtiliſſima, talares & manicatæ.

CCCLI. Tunicæ autem illæ talares & manicatæ, ut plurimum erant veſtimenta muliebria, tunica *Thamaris* filiæ Davidis, & *Sponſæ* Chriſti Cantic. v. IV. Tales fuerunt veſtes *Corinnæ*, & *Semiramidis*, de quibus Ovid. *Amor. lib.* I. *Ecl.* V.

Ecce Corinna venit tunica velata recincta.
Qualiter in thalamum formoſa Semiramis iſſe
Dicitur.

Gellius ſane *lib.* VI. *cap.* X. & *lib.* VII. *cap.* XII. tunicas docet non tantum fuiſſe veſtes muliebres, ſed & viris dedecori. Operæ pretium cenſeo, caput illud hic integrum inſeri: eo magis cum multum luminis mihi videatur affundere rei veſtiariæ antiquæ. *Tunicis*, inquit, *uti virum prolixis ultra brachia & uſque in primores manus ac prope in digitos, Romæ atque omni Latio indecorum fuit, eas tunicas Græco vocabulo noſtri Chiridotas apellaverunt: fœminiſque ſolis veſtem longe lateque diffuſam decoram exiſtimaverunt, ad ulnas cruraque adverſus oculos protegenda. Tiri autem Romani primo quidem ſine tunicis toga ſola amicti fuerunt: poſtea ſubſtrictas & breves tunicas circa humerum deſinentes habebant, quod genus Græci dicunt ἐξωμίδας. Hac antiquitate inductus P. Africanus F. vir omnibus bonis artibus atque omni virtute præditus, P. Sulpitio Gallo, homini delicato, inter pleraque alia quæ objectabat, id quoque probro dedit, quod tunicis uteretur manus totas operientibus. Verba ſunt hæc Scipionis.* Nam qui cottidie unguentatus adverſum ſpeculum ornetur, cujus ſupercilia radantur, qui barba volſa feminibuſque ſubvolſis ambulet, qui in conviviis adoleſcentulus cum amatore, cum chiridota tunica interior accubuerit, qui non modo vinoſus ſed viroſus quoque ſit: eumne quiſquam dubitet quin idem fecerit quod cinædi facere ſolent? *Virgilius quoque tunicas hujuſmodi, quaſi fœmineas ac probroſas criminatur.*

Et tunicæ, *inquit*, manicas, & habent redimicula mitræ. *Quintus quoque Ennius Karthaginienſium tunicatum juventutem, non videtur ſine probro dixiſſe.* De manicatis & talaribus tunicis tanquam muliebri veſtitu, Ciceronem audivimus ſupra, ubi de *tunica paſſim.*

Sed

Sed quamvis tunica fuerit veſtis muliebris, nihilominus viris etiam uſitata fuit, cum apud Hebræos, tum apud alios populos; quod conſtat ex eadem *tunica paſſim* Joſephi, ex tunica qua conſtringebatur, ex tunica Chriſti ἀῤῥάφῳ, & ex tunicis Chriſti diſcipulorum: interdixit enim illis veſtitu duarun tunicarum; taceo quod in Novo Teſtamento toties fiat mentio τῶν χιτώνων virorum. Saltem Sacerdotes Hebræorum eis utebantur in ſacris.

CCCLII. Sed & alii ſacrificuli & ſacrificantes multarum gentium, in ejuſmodi tunicis talaribus & manicatis ſacra faciebant: quemadmodum ſacerdotes Phœnicum, referente Herodiano *libro quinto*, ubi de ſacrificiis Elagabali, *tunicas enim lineas clavatas, talares & manicatas* habebant. De iiſdum forte Silius Italicus, quando loquitur de Sacerdotibus Herculis Gaditani.

Ante aras cultus, velantur corpora lino.
Et Peluſiaco præfulget ſtamine vertex.

Tales fortaſſis etiam erant *Calaſires*: erat enim καλάσιρις λινȣ̃ς χιτὼν ἱερατικὸς, *Calaſiris linea tunica ſacerdotalis*, ut habet Euſtathius *in III. Iliad.* Hinc veterum Sacerdotes *linigeri* & *grex liniger*. Sed de veſtibus lineis & albis plura vide ſupra lib. I. cap. VI; & cap. XI.

CAPUT III.

DE אבנט BALTEO

אבנט balteus *ubi extet. Variæ verſiones.* Balteus *vox Hebræa.* Abanet. *Mutatis literis* L. *in* N. *Error Varronis. Chariſii ſententia.* Baltei *pellicei, argentei, aurei, ænei, & linei.* τελαμὼν, faſcia. Balteus *militaris. Sacerdotum baltei* שעטנז *mixtæ materiæ. Summi Pont. balteus die Expiationum ex lino.* λῶρος φάσκια. *Voſſii error.* Baltei *corpus ſemel tantum cingentes. Bertrami error in Bibliis Genevenſibus.* Longi baltei. μίτρα, μιτροχίτωνες. Zonam ſolvere. Balteus *Sacerdot. corpus multoties cinxit. Gemara Hieroſolymitana & varii auctores. Balteus* XXXII. *ulnarum. Latus* IV. *digitos.* Baltei *intus cavi. Crumena.* κοιλιόδεσμος. Sector Zonarius. *Matth.* X. IX. *allegatur.* Balteus *inſtar ſerpentis exuviarum. Mens Ioſephi.* Baltei *ornatus. Baltei*, ſtel-

 lati,

lati, puſtulati, aurati, gemmati, *Hippiæ balteus, Batavorum. Baltei opus Phrygionicum. Flores in balteo, Varii auctores. Squamæ in balteo. ſquamoſæ veſtes. Ioſephi mens: in balteo* fibulæ. ὀχεὺς *Homero quid? Balteus* Eumenii *Rhetoris Cliviæ. Falſo a* Pigio, Teſſemakero *dici ſtatuam, & picturam, quæ in oppido Cliviorum conſpicitur Eumenii Rhetoris. Ipſa ſtatua male depicta. Falſa ejus tabula. Vera & ingenua. Non repræſentare Rhetorem, ſed* militem. *Quis* miles *ille ſit? Credibile eſſe principem qui Relegionem Chriſtianam defendit. Piſciculi quinam? Tertullianus & Auguſtinus allegati. Quorundam error de fibulis balteorum Sacerdotum.* Balteus *in uſum militum.* ζώννυσθαι, *pro* ὁπλίζεσθαι. ἀμιτροχίτωνες *Homero quid? diſcincti* ἄζωνος. חגר cingere *pro* armare. *Varii loca Scripturæ.* baudrier, port-d'epée, zangle, **draeghant,** baltei *ad diſcernendos milites.* feltzeichen. Eſcharpe. *Baltei civium, fœminarum. Reginarum* zonæ *apud Perſas. Provincia* zona *dicta. Vectigal vini* Ceinture de la Reine. *Cingula fœminarum hodie in uſu.* zonæ *virorum* Eliæ, *Ioh. Baptiſtæ. Varia loca Scripturæ. Baltei neceſſitas apud veteres. Iudæorum ſuperſtitio. Balteus ſignum roboris & ſobrietatis.* I. *Ep. Petri cap.* I. XII. *allegata.* Sacrificantes, Sacerdotes, & Popæ *cincti.* Cinctuli, Cethegi. Salii *æreis balteis cincti. Candidum linteamen Apulei.* Cinctus Gabinus. *Varii auctores & nummi. Sola* tunica *cingitur & quidem* interior. *balteo tunica revocatur ad medios poplites. Locus Codicis* Sevachim *explicatur.* Modus cingendi. *balteus humero dextro impoſitus, & ſiniſtro. Militum cinctura, & civium.* **Een gesontheyt.** Locus *cinctura ad pectus, circa mammas. Locus Apoc. cap.* I. XIII. *explicatus. Ioſephi ſententia. Angeli cincti ſecundum Talmudicos. Peculiaris cingendi modus Sacerdot. Hebr. Ioſephi mens. Brevis deſcriptio baltei. Tabula balteum & Sacerdotum cinctum exhibens. Explicatio tabulæ.*

CCCLIII. TErtium genus veſtimenti eſt אבנט *Balteus.* De hoc vide Exodi XXVIII. IV. XXXIX. XL. & cap. XXIX. IX. & XXXIX. XXVIII. Septuaginta habent ζώνην Vulgatus & Junius *balteum & cingulum.* Chaldæus המין quod etiam obſervavit Joſephus de Babyloniis: ἡμεῖς ἢ παρὰ Βαβυλωνίων μεμαθηκότες, ἐμιὰν αὐτὴν καλοῦμεν. Arabs حزام Lutherus ein gürtel. Belgæ **een gor-**

gozdel. Galli *le baudrier*. Joſephus ἀβανὴθ, & Hieronymus *Abanet*.

CCCLIV. Balteum veſtimenti, aut potius ornamenti, genus vetuſtiſſimum fuiſſe, & ab Hebræis ad Romanos perveniſſe, videtur poſſe colligi ex vocis etymo: *balteus* enim eſt ipſiſſima vox אבנט diciturque *balteus* pro *abanet*, aut *abnet*, mutata tantum litera N. in L. quod valde uſitatum eſt, ut docet magnus Scaliger in ſuis notis ad vetera fragmenta de Emendatione Temp. *Labonidus* & *Nabonidus*, *Naboanaſſer*, *Labolaſſer*, *Perna*, *Perla*; ſic πλεύμων pro πνεύμων, unde & *pulmo*, πνέω *flo*, *lympha* pro νύμφα. Chaldæis פסנטרין pro ψαλτήριον; Latinis *ullus* Pro *unus*, *catella* pro *catena*. Et in compoſitis *collega* pro *conlega*, ut obſervat Priſcianus lib. I. Germanis & Belgis Son pro *Sol*: ut & klicker pro knicker / klappen / pro knappen; Gallis *aller* pro *aner* ab *anare*, & id genus ſexcenta alia. Non mirum igitur ſi dicamus *abalet* pro *abanet*, unde, addita Latina terminatione, facillime fieri poterat *balteus*. Male igitur Varro *de ling Lat. lib.* IV. *balteum* dici putat quaſi *bulatum*, ſcilicet *quod cingulum fuerit ex corio bullatum*. Verius dixit hanc vocem *Tuſcam* eſſe, ut docet *Chariſius*. Sane Græcam eſſe vocem, quales ſunt pleræque cæteræ voces Latinæ, probabile non eſt: multo veriſimilius eſt, Romanos iſtud vocabulum hauſiſſe ab Antiquis *Tuſcis*, qui forte veri Germani ſunt, *Tuiſci* aut Teutſchen, (quidquid Grammatici etiam dicant de thure aut Græcorum θυσίων) qui illud didicerunt a poſteris Noachi, unde ortum habent. Sed quis negare poterit, vocabulum *Abanet* ad hunc uſque diem eſſe vulgatiſſimum apud Germanos; nam quid eſt aliud Germanorum bant ligamentum, quam Hebræorum *Abanet*? Et quis ignorat *balteum* ſive *abanet* nihil aliud eſſe quam certum aliquod *ligamentum*, quo veſtis ligatur & ſtringitur? unde & certum aliquod genus baltei Belgis hodie een draegbant dicitur. Puto itaque אבנט deduci a verbo aliquo S. Scripturæ inuſitato בנט BANAT, quod proculdubio ligare ſignificavit, ut & hodie apud Arabas بنط *ligare* binden.

CCCLV. Veterum *baltei* non omnes ex eadem materia conſtabant. Quidam enim *pellicei* erant, ſive ex corio facti, quale fuit cingulum Johannis Baptiſtæ; erat enim ζώνη δερματίνη Matth. III. x. & Eliæ אזור עור II. Reg. I. VIII. Ejuſmodi balteos & alios populos habuiſſe, patet ex Varrone de ling. Lat. lib. IV. ubi docet

cet *balteum fuiſſe cingulum e corio.* Tales ſunt hodie baltei noſtrorum militium, quos Belgæ **een draeghant**/ Galli *un port d'epée*. aut etiam *une zangle*, quaſi *cingulum*, dicunt; ſunt enim ex corio ut plurimum. Sed & *argenteos* Balteos habebant veteres, & *auratos* quidem. Trebellius in D. Claudio: *Balteum argenteum inauratum unum.* Et *aureos*, Teſte Athenæo *lib.* v. Eo enim videtur reſpexiſſe, quando dicit: ἠκολȣ́θȣν ȝ̓ τȣ́τῳ παιδίσκαι πεντακοσίαι κεκοσμημέναι χιτῶσι ποςφυροῖς χρυσῷ διεζωσμέναι. *Sequebantur autem quingentæ virgines purpureis tunicis ornatæ, & auro cinctæ.* vide Homerum. *Il.* δ. *& Od.* κ. Ælianum, Plutarchum & alios, imprimis Apocal. I. XIII. & cap. XVI. Etiam *æneos* habebant, quales erant Saliorum, ut infra patebit. Tandem & *lineos*. Hanc videdur intelligere Pollux *lib.* VII. *cap.* XVI. per τελαμῶνα σινδονίτlω: eſt enim τελαμὼν *faſcia*, aut *balteus.* Heſychius. τελαμὼν, λῶρος ἢ ὁ ἀναφορεὺς τȣ̃ ξίφȣς, ἢ τ ἀσπίδος, ἢ δεσμὸς, ἢ φάσκια. Eodem ſenſu exponitur a Suida. Eſt igitur τελαμὼν *balteus militaris.*

CCCLVI. *S*acerdotum Hebræorum *baltei* ex varia materia contexti erant, conſtabant enim ex lino, & lana, & quidem ex lana diverſorum colorum; ex *hyacintho*, ex *purpura*, & *coccino*. Exodi cap. XXXIX. XXIX. ואת האבנט שש משזר והכלת וארגמן ותולעת שני מעשה רקם *Et* (fecerunt) *balteum ex byſſo retorta, ex hyacinthino, ex purpura & coccino, opere plumario.* Jam plus ſatis oſtendimus quid ſit שש & quidem שש משזר, nempe *byſſum ſextuplo retortam*; quid תכלת וארגמן ותולעת שני ſcilicet *hyacinthinam, purpureum & coccineam lanam.* Quomodo autem Judæi τὸ משזר *moſchzar* exponant, & quæ ſit noſtra mens, pluribus oſtendimus lib. I. capite ultimo. Docuimus enim illud שש משזר *Scheſch moſchzar*, non eſſe intelligendum niſi de byſſo ſola, quam ſolam ex ſex filis retortam putamus, ut veſtium ſacrarum ſtamen eſſet. In hac ſententia quoque fuiſſe Joſephum manifeſto conſtat, *Antiq. lib.* III. *cap.* VIII. ubi de balteo: ςήμων, ait, ȝ̓ ἐςὶ μόνη βύσσος *ſtamen ex ſola byſſo eſt.* Ejuſdem igitur materiæ fuit balteus Sacerdotum ac Ephod & Pectorale Summi Pontificis, præterquam quod his etiam aurum intextum fuerit, cum balteus non niſi ex lino & lana conſtiterit. Certum eſt, balteum ex duplici materia conſtitiſſe, unde & שעטנז id eſt *mixta materia* dicitur. Ideo vel ob hanc ſolam cauſam Joſephus dixit, Sacerdotes ſolos mixtæ materiæ veſtes geſtaſſe, de quo vide plura, ſupra lib. I. cap. VI. Ob eandem rationem balteus Sacerdotibus

etiam

etiam in Templo, extra miniſterium, deponendus fuit, dum tamen liberum fuit ut reliquas veſtes retinerent quod fuſius docebimus infra, ubi de uſu veſtium ſacrarum aliquid dicemus. tales quidem erant *baltei* omnium pontificum cum ſummi, tum cæterorum, per totum annum, excepto unico die tantum, ſcilicet decimo Menſis Tiſri, quo die Pontifex Max. omnes veſtes aureas, id eſt laneas & coloratas deponere debebat ſimul cum balteo mixtæ materiæ; in cujus locum ſumebat balteum lineum, ex ſubtiliſſima & albiſſima byſſo; de quo nos plura ſuo loco. Et ſane balteus ille lineus S. Pontif. decimo Tiſri valde ſimilis erat illi, de quo audivimus Pollucem, quem vocat τελαμῶνα σινδονίτην *balteum byſſinum*; erat enim, ut habet Heſychius λῶρος ἢ φάσκια, *lorus*, *aut faſcia*. Miror tam craſſum errorem circa hæc erraſſe, toto orbe celeberrimum Voſſium, *De vitiis Sermonis cap.* VI. ubi docet: *balteum Sacerdotum vulgo lineum fuiſſe, byſſinum vero ſummo* Sacerdoti. Nunquam alium balteum habebat tota turba Sacerdotum quam mixtæ materiæ, ex lana & lino; nunquam alium habebat ſummus Pont. præter ſolum diem x. Tiſri.

CCCLVII. Baltei ſæpiſſime non longiores erant quam ut corpus ſemel tantum ambirent, ita ut eorum longitudo ad craſſitiem corporis accommodata fuerit; Talem fuiſse Hebræorum Sacerdotum balteum, finxit auctor ille (quem doctiſſimum Bertramum fuiſſe, nonnuli credunt) qui Sacrum Veſtitum depingi curavit, in Bibliis Gallicis Genevenſibus. Sed longiores etiam baltei reperiebantur. Talis erat forſan ζώνη apud Poll. *lib.* II. περὶ θώρακος &c, ἣν ῥωμαῖοι φασκίαν καλοῦσι, *quam Romani faſciam vocant* Eundem forſan intelligit Heſychius per λῶρον & φασκίαν, quem locum modo allegavimus. Ejuſmodi balteos videntur veteres intellexiſſe per ſuam μίτραν. Nam *mitra* non tantum eſt tegumentum capitis, ſed & *cingulum* corporis, ſive *faſcia*. Athenæus *lib.* XII. de iis qui Sirin incoluerunt. ἰδίως παρ᾽ αὐτοῖς ἐπεχωρίασε φορεῖν ἀνθινοὺς χιτῶνας, οὓς ἐζώννυντο μίτραις πολυτελέσι, καὶ ἐκαλοῦντο διὰ τούτων ὑπὸ τῶν περιοίκων μιτροχίτωνες, ἐπεὶ Ὅμηρος τοὺς ἀζώστους ἀμιτροχίτωνας καλεῖ. *Apud eos patrius mos eſt, floridas tunicas gerere, quas mitris pretioſiſſimis cingunt, ideoque a vicinis vocantur* μιτροχίτωνες, *i. e. mitrotunicati, ideo Homerus diſcinctos appellat* ἀμιτροχίτωνας. Hinc apud Apollonium *Argon. lib.* I. dicitur μίτρην λύειν pro ζώνην λύειν. *Zonam ſolvere.* Et apud Homerum *Il.* Π. ἀμιτροχίτωνες ſunt *inermes* & *diſ-*

cincti, milites qui tunicas balteo aut Zona non habent cinctas, quibus arma appenſa fuerint. Ejuſmodi igitur baltei longæ erant faſciæ & lora, inſtar certi alicujus capitis tegumenti, quod *mitram* veteres vocabant, hodie **Tulbant** apud Turcas uſitatiſſimum; Tales ſane erant baltei Hebræorum Sacerdotum, longi ſcilicet, ut corpus aliquoties ambirent. Joſephus *Antiq. lib.* III. *cap.* VIII. Καὶ λαβοῦσα τὴν ἀρχὴν τῆς ἑλίξεως κατὰ στέρνων, καὶ περιελθοῦσα πάλιν δεῖται καὶ κέχυται μὲν πολὺ μέχρι καὶ τῶν σφυρῶν, ἕως οὗ μηδὲν ὁ ἱερεὺς ἐνεργεῖ. πρὸς γὰρ εὐπρέπειαν οὕτως ἔχει τοῖς ὁρῶσι καλῶς. *Quæ (Zona) ſemel, atque iterum, circa pectus revoluta ligatur, & ad talos uſque defluit, quamdiu non operatur Sacerdos; quod fit propter decorem, cum ſpectantibus pulchrum videatur.* Barſelonius *præcepto* XCIX. eadem plane docet cum cæteris Judæis. האבנט הוא כמין אזור שחוגרין בו אלא שהם חיו מקיפין בו הרבה הקיפין מה שאין אנו עושין כן באזור: *Balteus erat inſtar cinguli quo homines ſe ſolent cingere, ſed multoties corpus ambit, quo modo non ſolemus agere cum noſtris cingulis.* Gemara Jeruſalemitana *Maſſechet Ioma cap.* VII. non ſolum longum fuiſſe balteum, ſed etiam longitudinem ejus docet: dicit enim longum fuiſſe triginta duas ulnas. אמר רבי לוי שלשים ושתים אמה היו בו והיה מעקמו לכאן ולכאן: *Dixit doctor Levi* (balteus) *erat* XXXII. *ulnarum, & utrimque oblique dependebat.* Eadem plane docet Maimonides *Hil. Kele Hammikd. cap.* VIII. Longus igitur erat אבנט, ſive *balteus* triginta duarum ulnarum.

CCCLVIII. Latitudo baltei Sacerdotum quatuor digitorum erat, ſecundum Joſephum, loco modo a nobis laudato. ζώνην περιάγοντες πλατεῖαν ὡς εἰς τεσσάρας δακτύλους, *Zona cinguntur lata quatuor digitos.* Sed Maimonides, eodem loco quem modo allegavimus, tres digitos tantum latum voluit. האבנט רוחבו כמו שלש אצבעות ואורכו שנים שלשים אמה: *Balteus latus erat tres digitos, & longus triginta duas ulnas.* Sed non multum differunt Joſephus & Maimonides: nam uterque videtur dubie loqui de hac latitudine. Joſephus habet ὡς τεσσάρας, & Maimonides כמו שלש quaſi dicere voluiſſent quatuor aut tres digitos. De ζώναις πλατείαις, vide etiam Athen. *lib.* X.

CCCLIX. Non raro baltei ſive Zonæ intus cavæ erant. Athenæus lib. X. ζώννυνται τὰς κοιλίας ζώναις πλατείαις, *Cinguntur Zonis cavis & latis.* Tale videtur fuiſſe *ventrale* quod vetus Gloſſa vertit, κοιλιόδεσμος quaſi diceres *cavum ligamentum.* Tales fuerunt procul-

culdubio omnes baltei aut Zonæ, quibus veteres pro crumenis uti ſolebant, & quibus pecuniam ſervabant. Vopiſcus *in vita Aureliani: Stipendium in balteo, non in popina habeat.* AElianus *de Peſcennio Nigro: Idem juſſit ne in Zonis milites ad bellum aureos vel argenteos nummos portarent.* Gellius *lib.* XV. XII. *Zonas quas plenas argenti extuli, eas ex Provincia inanes retuli.* Horat. II. *Ep. lib.* II: *Ibit eo quo vis qui Zonam perdidit.* Et Plautus in Pœnulo: *Tu qui Zonam non habes* (id eſt qui pecuniam non habes) *quid in hanc veniſti urbem,* ubi magni ſumptus faciendi ſunt. Hinc *Zonam perdere*, pro *pecuniam amittere*; & *Sector Zonarius* apud Plautum in Trinummo, pro *fure*, Belgis **een Beurſe-ſnyder**/ Gallis *un Coupeur de Bource.* Ejuſmodi Zonæ in quibus pecunia recondebatur, uſitatiſſimæ fuerunt apud Hebræos, quod patet ex codice *Berachoth cap.* IX. לא יכנס להר הבית לא במקלו ולא במנעלו ולא בפונדתו *Ne ingrediatur montem Templi cum baculo ſuo, nec cum calceis ſuis, nec cum crumena ſua.* Sane ita Gloſſa vocem פונדתו exponit. בפונדתו אזור חלול שנותנין בו מעות : Pondato *eſt cingulum cavum cui imponunt pecuniam.* Eo proculdubio reſpexit Chriſtus Matth. cap. X. IX. μὴ κτήσεσθε χρυσὸν, μηδὲ ἄργυρον μηδὲ χαλκὸν ἐις τὰς ζώνας ὑμῶν. vide etiam Marci caput ſextum. Talem fuiſſe balteum Sacerdotum, docet Joſephus loco toties a nobis laudato. Non ſolum longum & quatuor digitos latum, ſed & intus cavum inſtar ſerpentis exuviarum Διακένως δὲ, inquit, ὑφασμένην ὥστε λεβηρίδα δοκεῖν ὄφεως. *Intus inanem textum, ut & ſerpentis exuviæ videretur.*

CCCLX. Veterum balteos pretioſiſſimos ſæpiſſime fuiſſe, ex iis quæ dicta ſunt ſatis patet. Erant enim argentei, aurei & byſſini. Sed & varie ornati. Aliquando aureis bullis conſiti. Virgilius *Æn. lib.* IX.

——— ———*aurea bullis*

Cingula, id eſt *aureis clavis inſignita* uti exponit Servius. Plinius *lib.* XXXIII. *cap.* XII. *Quid hæc attinet colligere, cum capuli militum ebore etiam faſtidio, calentur argento, vaginæ batillis, baltei laminis crepitent?* Tales fortaſſis erant baltei, quos *Trebellius* de Galieno *auratos conſtellatoſque* vocat, quia ſcilicet aureis bullis, quaſi ſtellis ornati erant. Sic & *Spartianus* in vita Adriani, mentionem facit *baltei ſine auro*, id eſt ſine aureis *bullis*, *ſtellis* aut *puſtulis.* Sed & gemmati erant baltei. Herodianus *lib.* V. de Macrino: περόνῃ τε πορπαῖς καὶ ζωστῆρι χρυσῷ πολλῷ καὶ λίθοις τιμίοις πεποικιλμένοις

κεκοσκημϑύ@. *Proceſſit fibulis & balteo multo auro & pretioſis lapidibus ornato atque picto.* Sic & *Carinus*, teſte Vopiſco, *habuit balteum etiam ſæpe gemmatum.* Hinc *baltea gemmata* vetantur in corpore Juris. Talem forſan balteum ſibi confecit Hippias, de quo Plato *lib.* XIX. ἐπειδὴ τὴν ζώνην ἔφησθα τοῦ χιτωνίσκου, ἣν εἶχες, εἶναι μὲν οἵαι αἱ περσικαὶ τῶν πολυτελῶν, ταύτην δὲ αὐτὸς πλέξῃ. *Sic & tunicæ cingulum, quod habes, dixiſti confeciſſe, pretioſum & Perſicis ſimile.* Sane apud Batavos, præſertim apud Hollandorum ruſticos & artifices, non eſt inſolens ejuſmodi bullatos balteos, ſive cingula, geſtare, argenteis ſcilicet canibus, leporibus, cervis; aut (ſi ſint artifices) ſerris, ſecuribus, malleolis & id genus alia inſtar bullarum ornata.

CCCLXI. Sed & Hebræorum Sacerdotum baltei ſuo ornatu conſpicui erant. Sane dicuntur מעשה רקם opus *Phrygionicum*, *plumarium* aut *polymitum*, Gallis *brodé*, Belgis **geborduert**/ & Germanis geſtickt/ quemadmodum vocem רקם èxpoſuimus ſuo loco. Oſtendimus etiam רקם ſive *Phrygionicum* varias habuiſſe figuras acu adſutas, illaſque figuras *flores* fuiſſe. De balteo hoc expreſſe docet Joſephus, loco citato. Ἄνθη δ' εἰς αὐτὸν ἐνύφανται φοίνικι καὶ πορφύρᾳ μετὰ ὑακίνθου καὶ βύσσου πεποικιλμένα. *Flores autem intextos habet, cocco, purpura, hyacinthino & byſſo variegatos.* Hieronymus *ad Fabiolam*, etiam *gemmas* habuiſſe cum floribus, docet; *Ita polymita ante*, inquit, *diſtinctum ut diverſos flores ac gemmas artificis manu non textas ſed additas arbitreris.* Sed errat doctiſſimus vir, niſi per *gemmas* intelligat *flores*, qui quodammodo *gemmas* repreſentabant, quæ ejus mens videtur fuiſſe. Fortaſſis ejuſmodi balteos floribus aut aliis figuris ornatos intelligit Homerus *Iliad.* K. per ζωστῆρα παναίολον, qualis fuit *balteus* Neſtoris, eſt enim Heſychio παναίολ@, παμποίκιλ@ *varie pictus*: Sunt qui Sacerdotum *balteo* alia ornamenta affinxerunt, ut auctor figurarum in Bibliis geneveniſibus, qui totum balteum ſerpentum ſquamis, inſtar *ſerpentis exuviarum* conſevit. Optimus vir proculdubio illa hauſit ex Joſephi verbis, ubi dicit Zonam διακένως ὑφασμένην ὥστε λεβηρίδα δοκεῖν ὄφεως. Sed hiſce verbis Joſephus non vult dicere quales fuerint figuræ baltei, ſed tantum qualis fuerit ipſius forma; ſcilicet longum fuiſſe & intus cavum, inſtar longi alicujus inteſtini, aut ſerpentis exuviarum. Quia διακένως ὑφασμένη *cava contexta* fuit Zona, ideo ſerpentis exuviarum ſimilis erat; non autem quod ejuſmodi habuerit.

rit ſquamulas, quales reperiuntur in Serpentibus. Fateor quidem veteres non raro habuiſſe veſtes, ejuſmodi ſquamis piſcium aut ſerpentum ornatas: quales erant *tunicæ* & *thoraces* Perſarum, apud Herodotum *lib.* VII. *cap.* LXI. & Strabonem *lib.* XV. Et Turni, & arma Palladis apud Virgilium *Æneid. lib.* XI. & XII. Vide etiam Rubenium *de Gemma Tiberiana*, & variorum Imperatorum Nummos. Sed utrum balteus Sacerdotum tales ſquamas babuerit, nuſquam reperio, nec puto id ex Joſepho colligi poſſe.

CCCLXII. Ad Ornamenta non minus quam ad uſum baltei, pertinent etiam fibulæ. Sæpiſſime enim veterum baltei fibulas habebant, quibus extremæ partes circa corpus connectebantur, ad ſtringendam & cohibendam tunicam. Iſidorus: *Fibulæ ſunt quibus pectus fœminarum ornatur, vel pallium tenetur viris in humeris, ceu cingulum in lumbis.* Et ut baltei ornatiores eſſent, fibulæ aliquando aureæ & gemmatæ erant. Sic Adrianus Cæſar, teſte Spartiano, *ſine auro balteum ſumebat, & ſine gemmis fibula ſtringebatur.* Virgilius *Æn. lib.* V.

——— lato quam circumplectitur auro
Balteus, & tereti ſubnectit fibula gemma.

Statius *Theb.* XII.

---- ignea gemmis Cingula. Et *Theb.* VII.

——— ——— fibula raſilis auro
Tænariam fullva mordebat Iaſpide veſtem.

Claudianus *de Raptu Proſerp. lib.* II.

Collectæ tereti nodantur Iaſpide veſtes.

quæ non male a nonnullis intelliguntur de cingulis quibus veſtes ſtringi ſolent. Nec aliud quid intellexiſſe puto Nemeſianum *in Cyneg.*

Sit Chlamys aurato multum ſubtegmine luſa,
Corrugeſque ſinus, gemmatus balteus arctet
Nexibus

Nec aliter intelligo Homerum *Iliad.* Δ.

Αὐτὴ δ' αὖθ' ἴθυνεν ὅθε ζωστῆρος ὀχῆες
Χρύσειοι σύνεχον.

Per ζωστῆρος ὀχῆες Homerum intelligere fibulas aureas baltei vix dubito: eſt enim ὀχεὺς *retinaculum*. Euſtathius κρίκους exponit. κρίκοι οἷς δὴ ὅλως συνείχετο ὁ στρατιωτικὸς ζωστὴρ πρὸς τὸν θώρακα. Sed perinde eſt ſive *anulum* ſive *fibulam* expoſueris; nam ὀχῆες erant quibus nectebantur extremitates baltei, ut ſtringeretur tunica. Sed & ſuas figuras illæ ipſæ fibulæ habebant, in balteis, prout omnium generum figuræ

in fibulis conſpici ſolent. ſic Hercules, ut tradit Herodotus *lib.* IV. cap. X. mulieri dedit ζωστῆρα ἔχοντα ἐπ' ἄκρης τῆς συμβολῆς φιάλην χρυσέην. *Balteum habentem in extrema commiſſura auream phialam.* Forte erat fibula phialam aliquomodo repræſentans. Ejuſmmodi cingulum fibulatum & aureis bullis ornatum habet *Eumenius Rhetor*, in Cliviorum opido (modo ille verus ſit Eumenius) & in extremitate quidem aureis imagunculis ornatum, quod non vidit Friſius in ſuo opuſculo *de Calceo*. Hodie ſane nulli ſunt baltei ſine fibulis aureis quidem, argenteis, aut ſaltem æneis, aut ferreis; præter balteos illos longos, qui magis *mitra* & *faſciæ* dicuntur. Ejuſmodi fibulas habuiſſe balteos Hebræorum Sacerdotum, iterum credidit ille, qui figuras veſtium ſacrarum depingi & excudi curavit in Bibliis Genevenſibus. Sed cum illud nullo auctore probetur, eadem facilitate qua ponitur, etiam rejicitur. Et ſane cum Sacerdotum balteus longiſſimus eſſet, ut multoties corpus ambiret, fibulis non potuit ſtringi, ſed modo, ut in faſciis fieri ſolet, & ita quidem ut utrinque pars quædam dependeret, ut docent Joſephus & Gemara Jeruſalemitana, quod jam ſupra notavimus.

„ CCCLXIII, Cum hic mentio facta ſit de Eumenio Rhetore, „non poſſum quin de eo quædam addam, quamvis ad inſtitutum „noſtrum nihil facere videantur, ſiquidem Romanam Hiſtoriam „magis, quam Hebræorum Sacerdotum veſtitum tangunt. Eu-„menium Rhetorem, virum fuiſſe apud Romanos celeberrimum, „atque inſignem inter Gallos juventutis doctorem, notius eſt, „quam ut a me multis probetur. Acriter diſputatur inter erudi-„tos, ubi locorum artem exercuerit, juventutem docuerit? Pi-„gius vir doctiſſimus, in *Hercule prodicio*, pluribus conatur ad-„ſtruere argumentis, eum Cliviis, quam ingentem atque augu-„ſtam olim civitatem, & ad inferiorem Rhenum Metropo-„lim, ideo Auguſto Clivienſium nuncupatam, ſplendido ſane ſti-„pendio, tanto Rhetore tantaque civitate digno, ſexcent. Seſt. an-„nuo, docuiſſe. Inter argumenta, quibus ſententiam ſuam aſtruere „conatur, allegat & ſtatuam, quæ in iſta civitate conſpicitur. „*Igitur Reſpublica Clivienſium*, inquit, *videtur gratitudinis ergo* „*poſuiſſe Eumenio ſtatuam iconicam in ipſis Manianis, eamque tri-*„*pedaneam. Quæ quidem menſura, teſte Plinio, temporibus etiam* „*antiquiſſimis Romæ honorata fuit. Exſtat adhuc Cliviæ in palatio* „*Principum. Stat in veſtitu ſui temporis; & ut apparet, uſitato*

Galliæ


I
A
A

„ *Galliæ comata : tunica videlicet talari tectus, & calcei ex aluta*
„ *pedem ad talos cingunt, & ſupra pedem execti & feneſtrati ſunt.*
„ *Comam in fronte & cervice decurtatam æqualiter conſtringit vitta ;*
„ *ſicut ventrem latus balteus atque bullatus. Quæ quidem apud vete-*
„ *res vincula quondam honoris ac dignitatis erant inſignia. Et nunc*
„ *temporis etiam ſimiles balteo aureo vel argenteo operoſe bullati Gal-*
„ *licorum matronarum ſunt ornamenta, præſertim apud Batavos &*
„ *Rheni accolas. Ipſe dextra maſſam vel auri vel argenti in patera*
„ *poſitam præſentare videtur, atque eodem ſymbolo notatur ejus li-*
„ *beralitas & munificentia, qua patriam eſt proſecutus. Siniſtra te-*
„ *nuit ferulam demiſſam magiſtri inſigne, ac veluti gubernaculum*
„ *adoleſcentiæ. Quæ nunc quidem injuria temporum confracta periit;*
„ *quo uſque manui ac tunicæ contigua eſt. Sed hæc de ſtatua vel imagine*
„ *ſatis.* Rem ita ſeſe habere a multis auctoritate Pigii : deceptis, inter
„ quos eſt Teſſemakerus, in *Analibus Cliviæ,* creditum eſt. Statua, ut
„ a Pigio deſcriptam audivimus, cura Civitatis Magiſtratuum, ad urbis
„ civiumque ſuorum decus, uti credebant, in medio civitatis,
„ ad portam in hunc uſque diem depicta conſpicitur, eamque
„ Teſſemakerus in ſuis Analibus delineatam hac tabula exhibet.
„ Num. 1. Eodem plane modo eam propoſuit Frieſius, in Opuſ-
„ culo Balduini *de Calceo capite* XII. *pagina* 117. niſi quod Cal-
„ ceis aliam dederit formam, ut hic eos apponi curavimus ſub
„ literis A. A.
„ Sed & inſcriptio alia apud Teſſemakerum; alia apud Frieſium.
„ *Sic* legitur apud Teſſemakerum.

EUMENIUS RHETOR.

Qui ad præſidem Galliarum oratione panegyrica habita, a Romanis Gallicæ juventuti in auguſto clivorum oppido annuo ſexc. ſeſt. ſalario præfectus fuit.

Hic iſtiuſmodi habitu, TUNICÆ TALARIS, BALTEI BULLATI, CALCEORUM FENESTRATORUM, COMÆ VITA CONSTRICTÆ, FERULÆ MAGISTERII. MASSÆ AUREÆ, ERGA DISCIPULOS LIBERALITATIS INDICIBUS,

In arcis aulæi magni, ubi extat, urbiſque Clivienſis, inque hac portæ mediaſtinæ renovatæ monumentum exhibetur.

Sub

Sub conſulatu I. a Ringelbergh conſſ. 4. procruante G. Rhatio ſucceſſore.

„ Friſii Inſcriptio, ut legitur ad portam mediaſtinam, ita ſe „ habet.

EUMENIUS RHETOR.
TEMPORIB.

C. JUL. CÆS. DICT. ARCIS CLIVIENSIS FUNDATORIS
OCTAV. AUGUST. SUCCES. QUI PRÆSIDIO MUNIVIT.
ULP. TRAIANI QUI IN COLON. REDEGIT.
ÆL. HADRIANI QUI IN FORMAM URBIS AMPLIAVIT.
HIC EUMENIUS RHETOR.
QUI IN HOC AUGUST- CLIVIEMSIUM OPPIDO
AD PRÆSIDEM GALLIARUM
POST EORUM IN BATAVIAM INGRESSUM
ORATIONE PANEGYRICA HABITA
SCHOLIS PRÆFECIT. ANNUO SEXCENT. SEST.
STIPENDIO GALLICAM JUVENT. INSTITUIT
HAC STATVA ICONICA TRIPEDANEA,
ID EST
VESTITU SUI TEMPORIS TUNICA TALARI
COMA DECURT. VITTA CONSTRICT. BALTHEO
BULLATO CALCEIS FENESTRAT. MASSA AUREA AD
LIBERALIT. PRÆSENTAT. ET FERULA MAGISTERII.
INSIGNI AD ANTIQUIT. MONUMENT.
URBIS ET HUJUS PORTÆ RENOVATIO.
POSTERITAT. POS.

„ Teſſemakerus itaque primam ad portam Inſcriptionem notat. „ Friſius alteram Renovatam.

CCCLXIV. Pigio ſeſe nervoſe oppoſuit Juſtus Lipſius, in ſuis „ *ad Corn. Taciti Annalium libro tertio notis.* Rationes Pigii ſub incudem revocat, & erudite refutat. Eumenium Rhetorem Auguſtoduni in Gallia, non vero ad Rhenum Cliviopoli docuiſſe; cum hanc civitatem iſtis temporibus, eo nomine nondum notam fuiſſe,


I
A
A

„ fuiſſe, certiſſime credat. Fateor rationibus a Pigio allatis, me „ hactenus moveri non potuiſſe, ut Eumenium Rhetorem ibi do- „ cuiſſe crederem. Perſuaſiſſimum mihi eſt, ſtatuam, quæ Cliviis in aula „ conſpicitur, non magis Eumenium Rhetorem quam Nebucadne- „ zarem, Alexandrum Magnum, Julium Cæſarem, aut ipſum Her- „ culem repreſentare. Non enim Rhetorem, ſed Militem certiſſi- „ me exhibet. Quis ſane mentis credit Rhetorem gladio cinctum „ inceſſiſſe; Quis credet tantum virum, annuo ſexcent. ſeſt. ſtipen- „ dio (duodecim millib. ducatonum, ſi legimus ut habetur in Eu- „ menii Panegyrico *ſexcentis millibus minimum*, aut ſi cum Caſau- „ bono ad Sueton. in vita Othonis, *ſexagies millibus nummum*, ha- „ buit minimum mille ducentos ducatones.) ditatum, puerulos do- „ cuiſſe Magiſtellorum ferula? *Non facile eſt tot puerorum, obſervare* „ *manus, oculoſque* &c. Indigna ſane tanto viro. Profeſſorem potius „ eum crederem excellentiſſimum qui Rhetoricam, politicam & juriſ- „ prudentiam docuit, eamque doceri curavit. In hac autem dignitate „ conſtitutum virum, magis Minervæ ſceptrum decuit, quam ferula.

„ CCCLXV. Sed peſſime ad portam, & imago depicta, & „ inſcriptio addita eſt: In aula principis in altiori, quo aſcendi- „ tur ex majori conclavi ad ſuperiora, gradu, aſcendentibus ad dex- „ tram, ante ſedecim annos, vidi ſtatuam lapideam, tunica talari pi- „ ctam calceis non multum feneſtratis, pileo capite tecto, balteo bulla- „ to, in cujus ima parte imaguncula inſtar Angeli cincta patera pi- „ ſciculis, (non nummis) repleta, in manu dextra, vagina gladioli, fra- „ cto capulo, appenſa balteo ſiniſtra tenentem. Ipſe eam tunc temporis, „ in calendarii tabulam, quam habebam ad manus illico delineavi; ſed „ tractu temporis, migratione Neomago Groningam, inter alia, „ non magni momenti reculas, eam perdidi. Nobiliſſimus, ele- „ gantioribuſque ſcientiis politiſſimus Menſo Iſinck, Ampliſſimi viri „ Iſinck, iu Curia Clivienſi Judicis graviſſimi filius, curavit ut „ mihi, id ab eo ſubmiſſe petenti, ſtatua ipſa ad vivum depinge- „ retur, qualis hac tabula ſub literis E. R. conſpicitur.

„ CCCLXVI. Manifeſtum itaque eſt, vehementer erraſſe Pigi- „ um, Teſſemakerum, & ab iis deceptos, ad hunc uſque diem, Cli- „ vienſes. Jam ante ſedecim annos quoſdam civitatis magiſtratus monui „ iſtius erroris; nihil minus ſcilicet repreſentare ſtatuam in aula, „ quam Rhetorem; male ad portam eſse depictam; Statuam non „ habere nummos aureos, nec ferulam, ſed piſciculos & gladium,

,, adeoque militis eſſe imaginem, non Rhetoris; aut prorſus eſse ,, delendam ad portam, aut mutandam, veramque inſcriptionem, ,, ſi Heros innoteſcat, addendam eſse. Sed gratiſſimus Clivienſibus ,, eſt Eumenius Rhetor, error tam altos in eorum mente egit ra- ,, dices, ut hactenus tolli non potuerit.

,, Quid alii cenſeant, apud me certiſſimum eſt, ſtatuam eſse ,, alicujus viri Principis, ſtrenui militis, quod manifeſtum eſt ex ,, balteo gladioque inde pendente.

,, CCCLXVII. At dices, quid *patera repleta piſcibus?* Fateor ,, certi quid nihil a me adferri poſſe. Si tamen conjecturis datur ,, locus, qui eruendæ antiquitati denegari juſte non poteſt; ſuſpi- ,, cor eſſe Principem aliquem Clivienſem, aut ex vicinis locis. ,, Forte is qui Religionem Chriſtianam gladio armiſque primum ,, in iſtis oris tueri auſus eſt. Uno verbo, principem eſſe virum ,, eorum qui *piſciculi* a veteribus nominabantur. Notum eſt ex Ter- ,, tulliano, *De Baptiſmate*, ab initio, Chriſtianos ſuo tempore, ,, & ante eum, *piſciculos*, Gentiles autem Chriſtianorum hoſtes *vi-* ,, *peras*, *aſpides*, & *ſerpentes* dictos fuiſſe. *Piſciculi*, nuncupa- ,, bantur Chriſtiani Græce, quaſi ἰχθὺς *piſcis* cum ibi reperiantur ,, literæ primæ, quibus ſancti Chriſtum Servatorem nominarunt. ,, Ἰησοῦς Χριστὸς Θεοῦ Υἱὸς Σωτὴρ *Ieſus*, *Chriſtus*, *Dei filius*, *Servator*: ,, ut etiam habet Sybillarum Acroſtichis. Deinde quod Apoſtoli, ,, qui Chriſtum omnium primi prædicarunt, fuerint *piſcatores*, qui ,, homines, prædicatione Evangelii tanquam, firmiſſimo rete ad ,, Chriſtum inſtar tot *piſciculorum* adducebant. Petrus & Andreas ex ,, Apoſtolis non minimi, a Chriſto, ut *piſcarentur homines*, miſſi ,, ſunt. Matth. IV. com. XIX. & cap. XIII. com. XLV. & ſeqq. ,, Sed & ipſi Chriſtianorum veteres, ſe *piſciculos* nominarunt ob ,, *baptiſſimum*, quod aqua baptiſmatis renati ſint. Legatur Tertul- ,, lianus loco modo citato. *Atque adeo nuper converſata iſtic qua-* ,, *dam Cajana hæreſi vipera venenatiſſima doctrina ſua pleroſque rapuit,* ,, *in primis baptiſmum deſtruens. Plane ſecundum naturam. Nam fe-* ,, *re viperæ & aſpides ipſique reguli ſerpentes arida & inaquoſa ſe-* ,, *ctantur. Sed nos piſciculi ſecundum* ἰχθὺν *noſtrum Ieſum Chriſtum* ,, *in aqua naſcimur: nec aliter quam magna permanendo ſalvi* ,, *ſumus. Ita Quintilla monſtroſiſſima, cui nec integre quidem docen-* ,, *di jus erat, optime norat piſciculos necare, de aqua auferens.* ,, Hactenus Tertullianus. Auguſtinus *Quæſtion. Evang. lib.* II. *Piſcis* *intel-*

„ *intelligitur ſides inviſibilium vel propter aquam baptiſſimi, vel quia* „ *de inviſibilibus locis capitur. vide in Euangel. Math. Serm.* XXIX.

„ CCCLXVIII. Verum eſt veteres Chriſtianos a Gentilibus „ dictos fuiſſe *piſciculos*, per contemptum. Illi autem hoc ſibi „ gloriæ reputabant, adeoque honoris cauſa idem nomen ſibi de- „ derunt. Eodem ſane prorſus modo, ut, ſeculo præterito, „ Nobiles foederati in Belgio, ab Hiſpanis ad opprobrium dicti „ fuerunt GHEUSII, ac ſi diceres *Mendici*; at iidem Nobiles „ nomen iſtud affectarunt; quare & mendicorum inſignia, ſaccum „ ad colligenda fruſta panis, cum patera ad hauriendam aquam „ lateri appenſa veſtibus aſſui curabant, pileis quoque affixos ha- „ bebant nummos, vel laminas argenteas, cum hac inſcriptione „ VIVE LES GUEUX. *Vivant mendici.* Ita & antiqui Chriſtiani, „ non ſolum *piſciculos*, in honorem Chriſti, Apoſtolorum, ſuique „ Baptiſmatis, ſed & inſignia quæ nomen exprimerent ſume- „ bant *Crucem* (Judæis quidem σκάνδαλον, Græcis *ſtultitiam*) *cum* „ *piſcibus*, ut videre eſt in *Gemma Smithiana* apud Licetum *De* „ *Gemmis annularibus. Cap.* LXII. ubi in corneola conſpicitur *Crux* „ *cum duobus piſcibus.* Ejuſmodi crux, cui appendent duo piſces „ cum hac Smithiana, conſpicitur apud Gorlæum, a Gronovio „ editum anno CIƆIƆCXCV. Com. II. Num. 535. & 564. Sigillum „ iſtud proculdubio aliquis veterum Chriſtianorum ſumpſit, ut „ Chriſti pro ſe mortem, nomenque ſanctorum *piſciculorum* ſibi „ ob oculos poneret. Ejuſmodi piſciculi & alii occurrunt in num- „ mis Byzantinis, apud Patinum, in *Imperatorum Romanorum* „ *Nummiſmatis*, in nummo *Plotinæ.* pag. 188. & in nummo alio „ pag. 398. Apud Du Freſne *in Hiſtoria Byzantina* plures exhi- „ bentur nummi cum duobus vel tribus piſcibus, & aliquoties „ duobus piſcibus, qui in medio habent Delphinum. Tab. I. Sa- „ binæ, Plotinæ, & Criſpinæ. Et Tab. II. quater in nummis vi- „ ſuntur. Cum autem hi nummi nullam cum piſcibus habeant cru- „ cem, eos de piſciculis explicare non auſim.

„ CCCLXIX. Fictum hunc Eumenium fuiſſe aliquem virum „ principem, qui nomen *piſciculi* non reſpuebat, illud potius pie, „ cum reliquius Chriſti confeſſoribus, adfectabat, Religions „ Chriſtianæ in hiſce oris ſtrenuum, & forte primum defenſorem, „ mihi eſt admodum veriſimile. In dextra ſcilicet fert *pateram* „ *piſciculis plenam*, tanquam Chriſti Eccleſiam, ſiniſtra vero *gladi-*

„*um* tenet ad ejus defenſionem. Hæc acuratius fuſiuſque indagent „ſi lubet Clivienſium docti, quibus per otium licet. Sufficiat hæc „me indicaſſe, & forte viam monſtraſſe qua ad veritatem tuto „eatur. Sufficiat Clivienſes jam diu fuiſſe monitos, ſe a Pigio „eſſe deceptos; ut tandem, quæ conſpicitur in aula, ſtatuam ac- „curate depingi curent, veram atque ingenuam Inſcriptionem „addant, quæ civitatis, uti puto, gloriam non minuent. Cedat „ſane *Rhetor ſua ferula*, potenti principi *Eccleſiæ* ſtrenuo *defenſori* „gladio armato.

„ *Si fortuna volet, fiet de Conſule Rhetor,*
„ *Si volet hæc eadem, fiet de Rhetore Conſul.*

CCCLXX. Jam ſatis diximus de balteo ipſo, de ejus materia, forma & ornamentis, reſtat ut aliquid addamus de ejus uſu, & cingendi modo. Apud veteres baltea facta erant, præſertim in uſum militum, non tantum ut tunicam cohiberent, ſed ut arma ex iis dependerent. Iſidorus: *Balteus dicitur non tantum quo cingitur, ſed etiam a quo arma dependebant.* Gladius enim imprimis a balteo dependebat, ut videre eſt in nummis & marmoribus antiquis, & in auctoribus qui veterem militiam deſcripſerunt. Hinc apud Virgilium *Æn. lib.* x. gladius vocatur

immania pondera baltei.

Eadem de cauſa apud Græcos ζώννυσθαι ſumitur pro ὁπλίζεσθαι notante Euſtatio. Pauſanias *in Bœoticis* τὸ γὰρ ἐνδύναι τὰ ὅπλα, ἐκάλουν οἱ παλαιοὶ ζώσασθαι, *armis indui* (accingi) *veteres vocarunt cingi.* Apud Poetas Græcos ſæpius *cingi* pro *armari* reperies. Homero inermes ἀμιτροχίτωνες, qui *tunicas habent non cinctas*, ideo *inermes* ſunt: quemadmodum apud Latinos *cincti* & *præcincti* ſunt milites *armati* & *ſtrenui*, ut & *diſcincti* imbelles. Virgilius *Æn. lib.* IX.

——— ——— *& diſcinctos Mulciber Aphros.*

ad quæ Verba Servius: *Diſcinctos dicit inhabiles militiæ: Omnes enim qui militant, cincti ſunt, aut certe inefficaces: ut contra præcinctos ſtrenuos dicimus. Horat. Altius ac nos præcinctis unum. Unde & Græce εὔζωνος apellatur, non qui bonam zonam habet, ſed qui eſt ſtrenuus.* Vulcatius *in vita Avidii Caſſii: quum tales inter præcinctos habeas*, id eſt inter *milites*. Eundem uſum habuiſſe balteum apud Hebræos, certiſſimum eſt. Vide Eſ. cap. XXII. XXI. *Et induam eum* (Eliakimum) *tunica tua, & balteo tuo, & dominationem tradam in manum ejus*: quod omnino de cinctura militum

tum intelligendum eſt. Vide etiam II Reg. III. XXI. & Ezechielem XXIII. XV. Hinc חגר כלי מלחמה *cingere inſtrumentis bellicis*, eſt *armare*. I Sam. II. IV. Sic & אזר & חגר *cingere* ſæpiſſime ſumuntur pro *armare*. II. Sam. XXII. XL. & alibi. Eodem plane modo, ut apud auctores Græcos & Latinos, *cingere* & *armare*, *cinctus* & *armatus* idem eſt. Eodem ſenſu Apoſtolus ad Epheſios cap. VI. vult ut credentes ad ſpiritualem militiam eſſent περιζωσάμενοι τὴν ὀσφῦν ἐν ἀληθείᾳ. Hodie nemo pro milite habetur qui non eſt cinctus. Hinc noſtrorum militum *baudrier*, *port d'epée*, & Belgarum **draegbant**. Non tantum balteos habebant milites, ut arma ab iis dependerent, ſed etiam ut dignoſcerentur ſub qua legione militarent, & ut numerus legionis hac via cerneretur. Iſidorus: *Balteus cingulum militare eſt dictus, propter quod ex eo ſigna dependent, ad demonſtrandum legionis militaris ſummam, id eſt, ſex millium, ſexentorum, ex quo numero & ipſi conſiſtunt. Unde balteus dicitur, non tantum quo cingitur, ſed etiam a quo arma dependent.* An non eundem uſum & hodie habent baltea noſtrorum militum? Nam forma & colore balteorum milites ſimul & eorum legiones dignoſci ſolent. Tales ſunt omnino baltei noſtri, præcipue equitum, unde & Germanis ein Feldzeichen / quaſi diceres ſignum *exercitus*, aut *legionis*. Gallis *une Echarpe*.

CCCLXXI. Tamen non ſolum milites baltea gerebant, ſed & reliqui cives cujuſcunque ordinis. Imprimis autem apud antiquos ornatus erat mulierum, cum mulieres ſolæ tunicas gerere ſolerent. Sane fœminas apud Hebræos habuiſſe balteos & cingula, patet Proverb. XXXI. XVII. Et Eſ. XXII. XXI. ubi Urbs Jeruſalem introducitur ſub perſona fœminæ, & *cincta* dicitur. De fœminis & Virginibus ſæpiſſime dicitur quod cinctæ fuerint ſacco. Vide Joel. I. VIII. & alibi. Apud Græcos & Romanos adeo vulgare erat, ut fœminæ balteo zonaque cingerentur, ut ζωςῆρα λύειν & ζώνην λύειν, *zonam ſolvere* diceretur pro pudicitiam deponere. Homer. *Od.* Λ. λύσε παρθενίην ζώνην. In Epigram. veteri de *Diana* λευγνωτὸν ἀναζωσθεῖσα χιτῶνα. Ideo *muliebriter cincti* dicuntur *imbelles*. Curtius *lib.* III. *Et zona aurea muliebriter cinctus acinacem ſuſpenderat, cui ex gemma erat vagina.* Veneri balteum etiam attribuit Apulejus *lib.* II. *Metamorph.* Ovidius Corinnam cinctam fuiſſe quoque canit:

Ecce Corinna venit tunica velata recincta.

Adeo verum eſt mulieres zonas geſtaſſe, præſertim Reginas & Principum uxores, ut etiam pulcherrimarum urbium atque Provinciarum integri reditus in ornamentum zonæ deſtinarentur. Plato *in Alcibiade* I. ἐπεὶ ποτ' ἤκουσα ἐγὼ ἀνδρὸς ἀξιοπίστου ἀναβεβηκότων παρὰ βασιλέα, ὡς ἔφη, παρελθεῖν χώραν πάνυ πολλὴν καὶ ἀγαθὴν ἐγγὺς ἡμερησίαν ὁδὸν, ἣν καλεῖν τοὺς ἐπιχωρίους ζώνην τῆς βασιλέως γυναικός. εἶναι δὲ καὶ ἄλλην ἣν καλεῖσθαι καλύπτραν. καὶ ἄλλους πολλοὺς τόπους καλοὺς καὶ ἀγαθοὺς εἰς τὸν κόσμον ἐξῃρημένους τὸν τῆς γυναικὸς, καὶ ὀνόματα ἔχειν ἑκάστους τῶν τόπων ἀπὸ ἑκάστου τῶν κόσμων. *Retulit nobis vir quidam fide dignus, unus eorum, qui ad Regem* (Perſarum) *profecti erant, ſe integrum fere diem peragraſſe magnam & fertilem Provinciam, quam incolæ vocabant* ZONAM *Reginæ: eſſe etiam aliam nomine Calyptram, atque ita multas alias regiones pulchras & optimas ad Reginæ ornatum deſtinatas: nomina etiam habere ſingula loca, a ſingulis ornamentis.* Athenæus *lib.* I. de *Antylla* urbe, dicit Reges Ægyptiorum & Perſarum eam dediſſe ταῖς γαμεταῖς εἰς ζώνας, *uxoribus ad cincturam.* Quæ etiam animadvertuntur a Cicerone *in Verrem lib.* V. *Solere ajunt barbaros Reges Perſarum ac Syrorum plures uxores habere: his autem uxoribus civitates attribuere hoc modo: Hæc civitas mulieri Redimiculum præbeat: hæc in collum, hæc in crines.* Sic & Muretus tradit Lutetiis Pariſiorum vectigal quoddam vino impoſitum eſſe, quod vulgo CINGULUM REGINÆ vocatur, Gallice CEINTURE DE LA REINE. Plura, ſi placet, vide apud Muretum *Var. Lect. lib.* XV. *cap.* X. Briſſonium *de Regno Perſarum*, & Menagium in voce *Ceinture de la Reine.* Nihil dicam de cingulis, aureis, argenteis inſtar catenarum, purpureis acu pictis, & gemmatis, quæ & hodie noſtris uxoribus & virginibus ornatui ſunt, per Germaniam, Belgium aliiſque in locis per Europam.

CCCLXXII. Quemadmodum autem tunica a fœminis ad viros pervenit, ita & *balteus* ſive *zona.* Hunc morem vulgatiſſimum fuiſſe apud veteres Hebræos, ſatis manifeſto patet ex cingulo *Eliæ*, & tot aliis, de quibus mentio fit in veteri Taſtamento. Ut & ex cingulo *Johannis Baptiſtæ*, & illorum Angelorum de quibus Johannes in ſua Apocal. cap. I. XIII. & cap. XV. VI. Sed nihil familiarius apud Judæos, tempore Chriſti, quam cingulum geſtare: præſertim ſi quis iter eſſet facturus; quod vel inde pa-

tet

tet quod Chriſtus Johan. XXI. XVIII. Petro dixerit: ὅτε ἦς νεώτερος, ἐζώννυες σεαυτὸν, καὶ περιεπάτεις ὅπου ἤθελες. Hinc inter alia præcepta quæ Judæis data erant, de comedendo agno Paſchali, juſſi erant, ut *lumbos cinctos haberent.* Exodi XII. cum enim veteres tunicas geſtarent longas & talares, balteo opus habebant ad continendam & ſtringendam tunicam, & ſimul ut eam ſurſum retraherent ne ad pedes deflueret, & inceſſum inhiberet. Deinde ſi cogitemus veteres non habuiſſe brachas, ſed plerumque unica tantum tunica incedere ſolitos fuiſſe, aut plurimum pallio aut ſatis laxa toga ſupra tunicam indutos, quo fieri poterat, ut ea, quæ non eſt honeſtum nominare, facile detegerentur & conſpicerenter, contra bonos mores, non erat de nihilo tunicam zona comprimi atque ſtringi ne occulta detegerentur. Interim Judæi, ut ſunt ſuperſtitioſi, & ut ſolent omnes patrios mores in religionem convertere, quo ſanctius obſervarentur, ad hunc uſque diem balteis corpus cingere ſolent, etſi iiſdem veſtibus ac nos utantur, ad tegendum omnes partes corporis: eo uſque ſuperſtitioni indulgent, ut etiam puerorum togulis a tergo zonulas adſuere aſſueverint matres. Oportere enim ajunt ut coram Deo diſcrimen fieret inter cor & pudenda, cavendum præterea eſſe ne cor inter orandum pudenda intueatur, ac in malas cogitationes incidat. Tandem etiam credunt hac ratione ſe moneri, quod robore Dei accingantur, contra quoſcunque inimicos mentis & corporis: ideo mane, dum ſeſe balteo cingunt, hanc precatiunculam deblaterare ſolent: ברוך אתה יי אלהינו מלך העלם אשר חגר ישראל בגבורה: *Laudatus ſis tu Domine Deus noſter, Rex mundi, qui Iſraelem robore cingis.* A ſanioribus tamen cingulum adhibetur tanquam gulæ frenum, ut inde admonerentur a mundanis voluptatibus abſtinendum, & ſobrietate utendum eſſe. quo reſpexiſſe videtur Petrus I Ep. I. XIII. ubi credentes monet ut eſſent ἀναζωσάμενοι τὰς ὀσφύας τῆς διανοίας, νήφοντες. vide etiam Epheſ. cap. VI.

CCCLXXIII. Cum autem homines omnium ordinum & ſexus balteis cingerentur, tum & maxime *Sacrificantes*, *Sacerdotes*, & *Popæ*. Suetonius *Caligulam* tradit *ſuccinctum fuiſſe poparum habitu:* modo tamen per illum Poparum habitum non intelligat, certum aliquod genus tunicarum, quæ ad pectus ſtringi ſolebant, ſuperiori parte corporis manente nuda; qualem habitum

repræ-

ræpræſentant marmora antiqua, imprimis Choulius de Religione Romanorum, non uno in loco. Docet etiam Porphyrius, *cinctum* genus tunicæ eſſe, infra pectus aptatæ, a quo *cinctutos Cethegos* Horatius vocaverit:

Fingere cinctutis non exaudita Cethegis
Continget.

Vide ad locum iſtum Caſaubonum. Plutarchus *in Æmilio* deſcribens apparatum ſacrificii: οἱ δ' ἄγοντες αὐτοὺς νεανίσκοι, περιζώμασιν εὐπαρύφοις ἐσταλμένοι, πρὸς ἱερουργίαν ἐχώρουν, *Ducebant autem eos* (boves) *adoleſcentes prætextis cingulis ornati ad ſacrificium.* Dionyſius Halicarnaſſæus *Antiq. Rom. lib.* II. Salios, neſcio quibus æreis balteis cinctos docet. Χιτῶνας, inquit, ποικίλους χαλκείαις μίτραις κατεζωσμένοι. *Tunicas variegatas æneis balteis ſtrictas habebant.* Apuleius *de Aſino aureo lib.* XI. ubi de Sacris Iſidis: Sacerdotes, quos antiſtes ſacrorum proceres vocat, docet habuiſſe; *candido linteamine cinctum pectorale:* quod quidam intelligunt de tunicis iſtis, de quibus jam modo mentionem fecimus, quibus inferior pars corporis tantum velatur. Non eſt etiam ſilentio prætereundus peculiaris ille ritus cingendi, qui in uſu erat apud Romanos, & quem *Cinctum Gabinum* vocabant: quo ſcilicet cingi ſolebant Conſules in reſerandis Jani portis, in indicendo bello, in condenda aliqua urbe, & faciendis ſacris. Virgilius *Æn. lib.* VIII.

Ipſe Quirinali trabea cinctuque Gabino
Inſignis reſerat ſtridentia limina Conſul.

Qualis autem fuerit ille *Cinctus Gabinus*, quænam illius origo, ad hunc locum clariſſime docet Servius; *Gabinus Cinctus*, inquit, *eſt toga ſic in tergum rejecta, ut una ejus lacinia a tergo revocata hominem cingat. Hoc autem veſtimenti genere utebatur Conſul bellum indicturus: ideo quia cum Gabii Campaniæ civitas ſacris operaretur bellum ſubito venit: tunc cives accincti togis ſuis, ab agris* (lege *ab aris*) *ad bella profecti ſunt, & adeptis victoriam; unde hic ortus eſt mos.* Eodem fere modo *Cinctus Gabinus* deſcribitur ab Iſidoro: additis his verbis: *ut Sacerdotes gentilium faciebant, aut cingebantur prætores.* Igitur non minus *Sacerdotes* quam Conſules atque Prætores hoc ritu cingi ſolebant. Hic autem Cinctus nullo cingulo, nullo balteo fiebat: ſed ipſa veſte, non qualibet veſte, ſed toga tantum, cujus lacinia una a tergo revocata cingebat medium homi-

hominem, inſtar zonæ. Ejuſmodi cinctos Pontifices & Sacrificantes ad aram ſtantes, multos reperies in antiquis nummis & marmoribus. Videantur nummi *Ant. Getæ*, *Ant. Pii*, *Domitiani*, *A. Aurelii*, imprimis autem *Lepidi*, quem elegantiſſime exprimi curavit doctiſſimus Ferrarius, in ſuo opere de *Re Veſtiaria*. Videatur etiam Columna Trajani & alia multa apud Choulium, ut & Inſcriptiones Gruteri pag. CIↃVII.

Maxime autem Sacerdotes Hebræorum balteis utebantur, cum id fieret ex mandato Dei. Hieronymus ſane Pontifices illos militibus comparat, & ob eandem cauſam eos balteo cinctos dicit, ob quam & milites cincti erant: ſcilicet ut expeditiores eſſent in ſuo opere: quod etiam locum habuiſſe potuit in Sacerdotibus Gentilium. Tam neceſſarius quidem erat balteus Hebræorum Sacerd. ut ſummum piaculum eſſet ſi quis, eo depoſito, fungi voluiſſet miniſterio. Ideo & balteum deponere debebat quam primum ab opere ceſſabat, ut reliquas veſtes retineret, & ſimul ac miniſterio fungi volebat, ſtatim etiam balteo ſeſe cingere opportebat, de quo plura ſuo loco dicemus.

CCCLXXIV. Veſtis autem quæ cingi ſolebat, extra *Cinctum Gabinum*, *tunica* erat, non autem omnium generum veſtimenta; ideo *tunica* & *balteus* fere ubique junguntur. Hinc χιτὼν ζωςὸς & ζωςῆρα συνεέργω χιτῶνα apud Homerum *Odyſſ.* ξ. & apud Platonem *in Hippia* ζώνlω χιτωνίσκȣ *zonam tunicæ* reperies. Tertullianus *de Pallio*: *Tunica prius cingulo correpta.* Martialis:

Det tunicam dives ego te cingere poſſum.

Apocal. I. XIII. Angelus non tantum dicitur veſtitus ποδήρη *tunica* ſed & περιεζωσμένῳ *cinctus*. Ideo apud Plautum Pœnulus ridetur, quod *tunicatus* incederet & tamen *diſcinctus*. Eodem plane modo Eſaiæ cap. XXII. XXI. Deus promittit Eliakimo non tantum tunicam ſed & balteum: והלבשיו כתנתך ואבנטך *Et induam eum tunica tua & balteo tuo* Et cum veteres non raro habuerint duas tunicas, interiorem, quam & *interulam* atque *induſium*, alteram exteriorem ac clavatam vocabant, interiorem ut plurimum cingebant. Imo ſæpe etiam tunicæ togam ſuperinduebant, at non toga. ſed tunica tantum cingebatur. Leg. I. Cod. Theodoſiani, *De habitu quo oportet uti in urbe*, *verum interiorem veſtem admodum cingulis obſervare.* huc quidem referunt dictum illud Sullæ de Julio Cæſare: *Cavete vobis a male præcincto puero.* Dio

lib. XLIII. & Suetonius *in Iulio.* Si forte unicam tantum habuerint tunicam, eam cingebant. Eodem plane modo fieri ſolebat apud Pontifices Hebræorum. Summus enim Sacerdos, qui ſupra tunicam habebat *Pallium*, *Ephod* & *pectorale*, interiorem tunicam tantum balteo cingebat. Cæteri Pontifices quibus non niſi unica tunica tantum erat ſupra brachas, eandem quoque cingere ſolebant. Inter cingendum itaque tunicas revocare a talis, & ad medios poplites trahebant. Quintilianus *lib.* XI. *Cui lati clavi jus non erit, ita cingatur, ut tunicæ prioribus oris infra genua paulum, poſterioribus ad medios poplites uſque perveniant.* Tunicæ hoc modo retractæ ubique conſpiciuntur in nummis & marmoribus. Eodem modo Hebræorum Sacerdotes cinctos fuiſſe, id eſt tunica ad poplites retracta, præcipue ſi longior fuerit tunica, colligi poteſt ex Codice *Sevachim cap.* II. והתניא מסולקין כשרים א״רמי בר חמא לא קשיא כאן שסילקו על ידי אבנט כאן דליתנהו מעיקרא כלל: *Tradunt breviores tunicas legitimas eſſe. Dixit Rame filius Chama, nulla eſt quæſtio ſi modo brevior ſit ob balteum, modo per ſe non ſit nimis brevis*, nempe ſi per balteum a talis verſus poplites retracta fuerit.

CCCLXXV. Modus autem cingendi varius fuit apud Veteres. Aliquando balteus humero dextro imponebatur, nonnunquam ſiniſtro, & ſub lævo aut dextro brachio oblique recurrebat. Zodiacus, quia quaſi obliquus meridianum ſecat, balteus dicitur ab Aſtrologis. Manilius *lib.* I.

Ingenti ſtellatus balteus orbe.

Quod optime obſervatum a doctiſſimo Vlietio ad *Nemeſiani Cyneg.* Sed hæc cinctura magis eſt militum, quando gladios accingebant, quod ex marmoribus conſtat: Cingebantur enim eodem plane modo, quo & milites noſtri hodie cingi ſolent. Cæteri autem cives, & inter eos præcipue mulieres & Sacerdotes, ad retrahendam tunicam medium corpus cingere ſolebant; prout hodie tunicati nobiles & milites, & inter eos equites ſuis zonis, quas *Echarpes* Galli, & Belgarum Nautæ **een geſontheyt** / Germani vero ein Feltzeichen / vocant. Stringebatur etiam balteus, non in quovis loco corporis, ſed ut plurimum circa mammas aut ad pectus, non multo infra axillas. Quod docet Ovidius in *Metam.*

Cintæque ad pectora veſtes.

Sed hoc manifeſtiſſimum erit cuicunque, modo vel ſemel inſpexerit nummos & marmora, præſertim imagines victoriæ. Poſſide-

ſidemus æneam quandam imagunculam victoriæ, egregie infra axillas ad mammas cinctam, ſive *Strophio revinctam*, *ut Prudentii* verbis utar. Nec prætereundus eſt Hercules ille tragicus, quem ex Caſſalio exhibet Friſius in *Calceo Antiquo* Balduini *cap.* xv. ubi videbis latum balteum minimum quatuor digitos, & ad mammas cinctum, ut Hebræorum Sacerdotum balteis non multum abſimilis fuerit Ejuſmodi cincturam videbis Pataviæ in fronte domus Baſſianorum, quæ vulgo T. Livii eſſe creditur, & quam eleganter exhibuit Ferrarius *de Re veſt. lib.* I. *cap.* VIII. Vide nummos *Auguſti*, *T. Veſpaſiani*, *Maxentii*, *Decentii*, *Conſtantini* & aliorum. Ad hunc modum omnino cinctus erat vir ille, ſive Angelus, de quo Theologus Apocal. *cap.* I. XIII. ἐνδεδυμένος ποδήρη, καὶ περιεζωσμένος πρὸς τοῖς μαστοῖς ζώνην χρυσῆν. & cap. xv. VI. περιεζωσμένοι περὶ τὰ στήθη. En circa *mammas*, & ad *pectus* (ut habet Ovidius) cincti erant. Eodem plane modo cingebantur Hebræorum Sacerdotes. Joſephus, loco toties a nobis laudato, expreſſis verbis dicit κατὰ στέρνων δεῖται *circa pectus ligatur* Sane ſatis operoſe diſputatur inter Talmudicos, de loco cincturæ, quemadmodum id oſtendimus ſupra, ubi de brachis egimus. Dicunt enim eos cinctos fuiſſe במקום שלא מזיעין *in loco in quo non ſudant*, id eſt ſupra umbilicum, paulo infra axillas: quod non tantum de brachis, ſed etiam de balteo intelligendum eſt. Videtur etiam Johannes, in iſtis locis Apocalypſeos cap. I. XIII. & XV. VI. modo a nobis allegatis, reſpexiſſe ad traditionem Judæorum: cum crediderint Sacerdotes cinctos fuiſſe ut Angelos. Maſſechet *Ioma cap.* VII. לא נתנה תורה למלאכי השרת שהיו הכהנים זריזים כמלאכים להפשיטן בגמר עבודה ולא ישהום עליהם אחרי עבודה כהרף עין : *Lex non eſt data angelis miniſterii quoniam Sacerdotes cincti erant ut angeli; ita ut exuere debuerint Veſtes ſacras ſimulac perfeciſſent miniſterium; nec eas ſuper ſe retinere audebant, ne tempore quidem ictus oculi.*

CCCLXXVI. Omnino peculiarem aliquem cingendi modum Sacerdotes Hebræorum habuiſſe, docet Joſephus, loco citato. Eos enim dicit non tantum cinctos fuiſſe, quemadmodum reliqui homines cingi ſolebant, nec tantum corpus aliquoties ambiviſſe balteum inſtar faſciarum; ſed præterea cum valde longus fuerit balteus, poſt ſtricturam ſuperfuiſſe duas partes profuſas, & ad pedes dependentes; quas ita pendere ſineret Sacerdos, quam diu non operabatur, ſed quam primum opus aliquod ſanctum aggre-

diebatur, eum partes eas retraxiſſe, & in ſiniſtrum humerum rejeciſſe. Καὶ λαβοῦσα, inquit, τὴν ἀρχὴν ἑλίξεως κατὰ στέρνων, καὶ περιελθοῦσα πάλιν δεῖται. καὶ κέχυται μὲν πολλὴ μέχρι καὶ τῶν σφυρῶν, ἕως οὗ μηδὲν ὁ ἱερεὺς ἐνεργεῖ. ὅταν δὲ σπουδάζειν περὶ τὰς θυσίας δέῃ καὶ διακονεῖν, ὅπως μὴ κινούμενος ἐμποδίζηται πρὸς τὸ ἔργον, ἀναβαλλόμενος ἐπὶ τὸ λαιὸν ὠμοφορεῖ. *Sumens extremitatem* (baltei) *circa pectus revolvit ſemel atque iterum; tum ligatur, Ad talos autem uſque defluit, quam diu non operatur Sacerdos, Quando autem ad miniſterium properant, ut ſacrificia offerrent, ne impedirentur in opere, ſuper humerum lævum rejicitur.*

CCCLXXVII. Ex his omnibus ſatis manifeſto conſtare puto, balteum ſive אבנט nihil aliud fuiſſe quam longam faſciam ex lana & lino contextam, & opere Phrygionico acu pictam variiſque floribus ornatam, longam XXXII. ulnas, latamque IV. digitos, ad ſtringendam & cohibendam tunicam circa mammas paulo infra axillas, & ad eam retrahendam ſurſum ad medios poplites, ne Sacerdoti impedimento eſſet in opere: circa corpus aliquoties revolutam, duabus extremitatibus ad pedes dependentibus, quamdiu Sacerdos ab opere ceſſabat, ſed in ſiniſtrum humerum rejectis inter operandum.

Ut hæc clarius intelligantur, hac tabula omnia exprimi curavi.

EXPLICATIO HUJUS TABULÆ.

I. Prima figura exhibet ipſum אבנט *balteum* Sacerdotum, longum XXXII. cubitos, & latum IV. digitos.

II. Secunda figura oſtendit Sacerdotem tunicatum & balteo cinctum.

A. *Balteus ipſe.*
B. *Locus cincturæ.*
C. Nodus ad pectus quo ſtringitur.
D. D. Duæ partes poſt nodum relictæ, & ad pedes diffuſæ.

CAP.

pag. 404.

II. I.



CAP. IV.

DE מגבעות PILEO TOTIUS SACERDOTUM TURBÆ.

מגבעות *ubi extet. Variæ verſiones.* Pileus, πῖλος, πιλίον, a πιλόω cogo. *Gloſſa vetus* Filtz vilt, feutre. *Pedum* pilei *Polluci quid?* Tapetes πῖλος. *Pannus ex lana coactili in Hollandia.* πίλειν. Walcken/ Vollen, fouler, fullo. Pilei *ex lana agnina. Pilei cum* margine. *Cardinalium pilei Pileati genus* funginum. Καυσία, καμελαύκια *unde. Varii Grammatici. Helvetiorum pilei.* Schlaffhaube. Tiara. Kyrbaſia, Cidaris. Centones *pilei. Herodoti locus examinatur. Pilei militum.* κεντοῦκλα. Tiaræ *ex lana. Ex ovium pellibus.* beltze haube. *Pilei ex corio. Ex lino & byſſo.* ῥάκος tela. שש מגבעות Pilei byſſini. *Pileorum color.* Purpurei *pilei*, picti. Clavati. αἰολομίτης. Pictæ mitræ *muliebres.* χρυσόπαστος *pileus.* Ferugineæ Cauſiæ. *tiara* alba, *Diadema*, Candida faſcia *Cæſaris, Pompeji &c.* Macula *alba in fronte Apis.* Albentes ſpumæ. Forma *pileorum.* Galea Galericulus. Acuminati *pilei.* **Zuyker-brood**/ Cuculli. *Gemma Tiberiana. Pilei variorum animantium capita exprimentes. Sacerdotum pilei. Integra tela.* Faſcia, φάσκια, ταίνια *inſtar baltei.* Diadema, Lorum, pannus. *Sacerdotum pilei longi* XVI. *ulnas.* מצנפת a צנף volvere. Forma *tiaræ Turcarum.* **Tulbant.** دواربند *ex* تلة *&* بند *ligaculum* بند Vexillum, banderolle. *hinc &* אבנט balteus, **binden**. *Tiaræ altæ.* πῖλος ὀξὺς, ὀρθὴ τιάρα. Recta tiara. *Soli Reges rectam habent.* πίλημα πυργωτόν. κυρβασία. κορυφή, criſta galli. *Perſarum Reges rectas habent tiaras.* κύρβις *quid?* מצנפת *&* מגבעות *ſæpe idem. differentia inter* Mitznephet *&* Migbaoth. קובע *Galea. &* כובע כיפה *quid?* Cippus, כפף curvare כיפה. fornix Chef, κεφαλή caput, kopff/ cufa, cucufa. Coeffe. kappe. כ/ק/ *&* ה *permutantur.* haube. **hupf/ kupf/** houpe, hupe, κύπτω. κυφὸν, gibbum. **kuppe**/ cuve, Scyphus גבעים/ גבע collis. ἄκωνον. *Ioſephus & Hieronymus citati. pileus* Ulyſſis. *Ejus Hiſtoria in marmore, in Nummis familiæ* Mamiliæ. *Choulii, Urſini & noſtri Smetii nummi.*

 Pierii

Pierii error. Aleandri error. decempeda, baculus. *Incuria Pictoris in nummis* Patini. *Nummus verus* Mamilii Limet. *Doctiſſimi Smetii expreſſus. Hujus nummi explicatio. Varii Mamilii. Vlyſſes in hoc nummo. Idem auctor familiæ Mamiliorum, Baculus viatoris. Loca quædam S. Scripturæ & Talmudis.* ῥαβδοῦχος viator, Nuncius publicus, **Roep drager.** *Baculus Vlyſſis apud Homerum.* Canis *in hoc nummo Vlyßen reducem agnovit. Pileus peregrinantis eſt. Notat Vlyſſem.* ἄκωνον ὠοειδής Ovalis. Fratres pileati. *Hieronymi* ſphæra diviſa. *Pileus libertatis* Eid. Mart. Calottes *quaſi* galottes, a galea. *Pileus non umbellatus.* Redimicula mitræ. *utrum Sacerdotum pilei habuerint redimicula Exod.* XXIX. IX. *& Levit.* VIII. XIII. Vitta *Hieronymi. Ioſephus explicatur.* Suturæ, ῥαφὴ & ῥάπτεσθαι *apud Ioſephum quid? Gelenii error de* alia tela. *Ioſephi locus tentatus de ſtructura tiaræ Sacerdotum.* Tabula *tiaram & Sacerdotem pileatum exhibens.* Tabulæ *explicatio:* Bajazetis *tiara.* Bacchi *Sacra nudo capite. Saturni &* Honoris. *In* Italia *antiquiſimus mos nudo capite ſacrificari.* Babyloniorum *mos Caput velare in ſacris.* Herculis *ſacra.* Dacorum *Sacerdotes. varia Sacerdotum velamenta.* Phrygia tiara. Vittata Sacerdos. Infula. *Flaminis* albus Galerus. Pileum *a* pelle. *Iſidori error.* Apex, *ab* Apiendo. *Apex Epiſcopalis dignitas.* Eminentiæ *Cardinales. Apex* virga. *Brevior in urbe. Servii egregius locus.* Flamines *quaſi* Pilamines. *Veſtibus capita tegunt Sacerdotes.* Tutulum. *Germanis* ein hut ab hüten *tutando.* Cinctus Gabinus. *Auctor* Æneas. Omnia turbat. Omina. Intentio Sacerdotum *inter ſacrificandum.* Dictio Talmudica. *Pontificiorum opinionis*, de intentione *in adminiſtratione Sacramentorum, origo. Fœminæ Sacerdotis caput velant.* Vitta. Rica. *Flaminica.* Suffibulum, tutulum, Capital.

CCCLXXVIII. QUartum veſtimentum eſt מגבעות Exodi XXVIII. XL. & XXIX. IX. & XXXIX. XXVIII. & Levit. VIII. XIII. Septuaginta habent κίδαριν. Vulgatus *Tiaram*, Exodi XXVIII. Sed alibi ſemper *Mitram.* Joſephus πῖλον ἄκωνον. Chaldæus כובעין. at Exodi XXXIX. קובעיא. Arabs برارت Sed Levit. VIII. برارط Lutherus hauben. Belgæ **Mutſen.** Galli *Calottes.* Junius & Tremellius

Tia

Tiaras. Igitur varia nomina uſurparunt interpretes in vertenda voce מגבעות. Sed res ſemper eodem redit: Sive enim dicamus *pileum*, ſive *cidarim*, ſive *tiaram*, ſive *mitram*, nihil refert, cum iſta omnia fuerint tegumenta capitis, ut & apud nos Germanice ein hut / haube / Mütſe / kappe & kalotte eadem ſunt, niſi quod aliquando forma, & materia aliquomodo diſtincta ſint.

CCCLXXIX. Apud veteres capitis tegumenta valde diverſa erant, cum materia tum forma. Communiſſima fuiſſe videntur facta ex *lana*, & *coacta* quidem, qualia ſunt & noſtra pilea, ad hunc uſque diem. Cum enim caput tanquam corporis pars ſuperior, pluviæ maxime expoſitum ſit, ne aqua eo facile penetraret, & caput humidum redderet, quod ſanitati non parum noceret, talia tegumenta in illius tutelam excogitata ſunt, quæ arcendæ aquæ eſſent apta. Sed nullum aptius excogitari potuit, quam id quod fieri ſolet ex lana *coactili*, unde etiam *pileus* dictus eſt. Nihil aliud eſt *pileus* quam Græcorum πῖλος ſive πιλίον. πῖλος autem proprie dictus, fit ex lana coacta: eſt enim πιλόω & πιλέω *cogo* & *conſtippo*, quod ex Theophraſto aliisque Medicis conſtat. Gloſſa πίλησις, ἡ σφίξις, *preſſio*, πῖλος *pilleum*, πιλωτὸν *coactile*, πιλωτοποιὸς *coactilarius*; & apud Pollucem *lib.* VII. πιλοποιὸς eſt qui *pileos* ex coacta lana conficit. Quicquid ex lana coactum eſt πιλωτὸν, πίλημα & ἐμπίλιον dicitur. Ex eodem fonte etiam fluunt Germanica noſtra ein Filtz / & Belgarum Vilt / & Gallorum *Feutre*; quis enim non videt illa omnia derivari ἀπὸ τοῦ πίλου, mutato tantum π in φ, quod non rarum eſt. Sed & panni coactiles, & tibialia, & id genus alia, uno verbo, omne id quod ex lana coactum eſt, πῖλος & πιλωτὸν & πίλημα Græcis dicitur. Pollux loco modo laudato. οὐ μόνον δὲ ὁ ἐπὶ τῶν κεφαλῶν ἐπιτιθέμενος πίλος οὕτως ἐκαλεῖτο, ἀλλὰ καὶ περὶ τοῖς ποσὶν, ὡς δηλοῖ Κρατῖνος ἐν μαλακοῖς, λέγων, λευκοὺς ὑπὸ ποσὶν ἔχων πίλους. *Nec tantum illa quæ capiti imponuntur pilei vocantur, ſed & illa quæ circa pedes ſunt, ut docet Cratinus in molliculis, dicens, albos habet in pedibus pileos,* Fortaſſis intelligit tibialia, aut aliud aliquod genus calceamenti ex lana coactili: niſi etiam intelligat faſcias crurales, quibus & pedes & caput involvere ſolebant veteres. Et *lib.* II. ὁ δὲ κωμικὸς Πλάτων καὶ ποδεῖα εἴρηκε τοὺς περὶ τοῖς ποσὶ πίλους. & *lib.* VII. ἃ δὲ ποδεῖα Κριτίας καλεῖ, εἴτε πίλους αὐτὰ οἰητέον. Sed & Tapetes πίλοι vocantur apud Xenophontem *Pæd. lib.* V. Μηδικοὶ πίλοι, ubi loquitur

quitur de *Medorum tapetibus.* Et Herodot. *lib.* v. πίλους εἰρινέους περιτείνουσι. *Tapetes ex lana coactos circum tendebant.* Vidimus ante non multos annos in Hollandia certum aliquod genus panni ex molliſſima lana Hiſpanica, abſque filamentis, ſed ex ſola lana coacta inſtar noſtrorum pileorum. Utrum vero ejuſmodi coactilia fuerint illi tapetes Medorum, an vero panni ex filis laneis contexti, & coacti, quales plurima pars noſtrorum pannorum eſſe ſolent, non inquiro. Quid quid alii cenſeant, omnia coactilia, etiam panni coacti pilei dicti ſunt antiquitus. Iſta autem *pilea*, ἐμπίλια, & ἐμπιλήματα Germanice vocare ſolemus gewalckt / Belgice **gevolt** / ut & Galli *foulé*, a vocabulo Latino *fullo:* quamvis *fullo* non fuerit *coactilarius* apud veteres, ſed is qui veſtimenta a ſordibus purgare ſolebat. Videtur quod & Latinorum *fullo*, & Belgarum & Gallorum **vollen** & *fouler* a πιλεῖν, πίλω & πιλωτῷ deducta ſint, non minus quam *pileus;* eo magis cum coactilarii eodem fere modo operentur in lana cogenda, quo operari ſolent fullones: nam pedibus multum calcando uterque opus ſuum conficit, niſi quod in cogendo plus laboris requiratur quam in purgando, & forſan aliis etiam medicaminibus adhibitis.

CCCLXXX. Veteres pileos habuiſſe ejuſmodi ex lana coactos certiſſimum eſt. Talem proculdubio intellexit Heſiodus I. Εργ.

——— ——— κεφαλῆφι δ' ὕπερθεν
Πίλον ἔχειν ἀσκητὸν, ἵν' οὔατα μὴ καταδεύῃ.

Supra caput autem pileum habeas elaboratum, ne aures humefiant. Lucianus *de Saltatione:* διεῖλε τὴν κεφαλὴν κατενεγκών. καὶ εἴγε μὴ πῖλος ἀντέσχε, καὶ τὸ πολὺ τῆς πληγῆς ἀπεδέξατο, ἀπολώλει ἂν ὁ κακοδαίμων Ὀδυσσεύς. *Capiti* (Ulyſſi) *illidit, & niſi pileus obſtitiſſet, & violentiam plagæ excepiſſet, infelix Ulyſſes periiſſet.* Sane pileos fuiſſe ex lana coacta, credibile eſt, cum nihil aptius ſit, præter ferrum, ad pluviæ reſiſtendum, & plagarum vim eludendum. De eodem vide apud Scholiaſtem Ariſtophanis *in Arachn.* πῖλος τὸ ἐξ ἐρίων εἰργασμένον. *Pileus ex lana factus.* Et Suidas quidem in ſpecie notat ejuſmodi pileos ex lana agnina nonnunquam fieri: cum revera lana agnina huic rei ſit aptiſſima, ut noverunt noſtri πιλοποιοὶ hodierni. Σοὶ τοὺς πιληθέντας δι' ὀξάντου τεγχοῖς ἄμνου. Cum autem thoraces quoque fieri ſolerent ex lana; ideo hos pileos Suidas vocat θώρακας πιλητοὺς, *thoraces coactos.*

CCCLXXXI. Illi autem qui ita facti erant, ex lana coactili, ali-

aliquando marginem, ſive umbellam habere ſolebant ſatis amplam, inſtar pileorum, Romanorum purpuratorum, ſive Cardinalium, & quales jam per ſex aut ſeptem annos mos voluit ut apud nos gererentur. Hinc eſt quod Plautus pileatos *genus funginum* vocet. *Trinummo Act.* IV. *Scena* II.

Pol hic quidem fungino genere eſt, capite ſe totum tegit.

Ejuſmodi pileum videtur intellexiſſe Ælianus *lib.* XV. *cap.* II. qualem docet habuiſſe Reges Macedoniæ. Talem quoque ex Pauſania deſcribit Euſtathius *Odyſſ.* I. καυσία πῖλος ἦν πλατὺς ὃν οἱ Μακεδονικοὶ βασιλεῖς ἐφόρουν λευκὸν αὐτῷ διάδημα περιελοῦντες. Budæo *Cauſia* etiam eſt pileus quo æſtum ſolis arcere ſolemus, ut mulieres umbella. Et in *Epiſt.* dicit eſſe pileum habentem expaſſos margines ad arcendum æſtum, quali meſſores utuntur. Eundem proculdubio etiam intelligit Suidas. Καυσία, inquit, εἶδος πίλου βαρβαρικοῦ ἐπὶ τῆς κεφαλῆς, ἢ τὸ πάροιθε μακεδόσιν εὔκολον ὅπλον καὶ σκέπας ἐν νιφετῷ, καὶ κόρυς ἐν πολέμῳ. *Kauſia eſt genus barbarici pilei, quod in capite geſtatur, & quod olim Macedonibus fuit expeditum inſtrumentum, & tegumentum in nive & galea in bello.* Idem etiam Grammatici & recentiores Græci intelligunt per ſua καμελαύκια, &, ut habet Suidas, καμηλαύκια, ita dicta, ut notant Grammatici, παρὰ τὸ καῦμα ἐλαύνειν, *ab arcendo æſtu.* Vide etiam obſervationes Portæ ad Suidam. Non omnes tamen pilei umbellati, ſed multi abſque umbellis reperti fuerunt. Fortaſſis inſtar pileorum iſtorum qui & hodie ſunt in uſu apud Helvetios, præſertim in Tigurina ditione, quibus etiam dormientes uti ſolebant. Sic Ariſtophanis Scholiaſtes *in Arach.* poſtquam dixiſſet pileum ex lana factum eſſe, ſtatim addidit; πρὸς τὸ κοιμᾶσθαι ἐπιτήδειον, *ad dormiendum aptum.* Erant igitur inſtar noſtrorum pileorum nocturnorum, Germanis ein Schlaffhaube / & Gallis *un bonet de nuict:* ſi enim latam habuiſſent umbellam, ad dormiendum non valde apti fuiſſent.

CCCLXXXII. Sed quamvis *pileus* proprie ſignificet capitis tegumentum, quod ex lana coactili factum erat; nihilominus non omnes pilei compacti: nec omnes ex lana facti erant: cum omne tegumenti genus πῖλον vocaverint Græci. Heſychius: Περσῶν μὲν ἴδια, κάνδυς καὶ ἀνάξυρις καὶ τιάρα, κυρβασία, κίδαρις, καὶ πῖλον καλοῦσι. *Perſarum propria ſunt, Candys, & Anaxyris, & Tiara, Kyrbaſia, Cidaris & pileum vocant.* Sic aqud Pollucem *lib.*

VII. *cap.* XIII. *Kyrbaſiam* dicit vocari & *Cidaris & pileus.* καὶ κυρβασία, ἣν κίδαριν καὶ πῖλον καλοῦσι. Ex varia igitur materia pilei reperiebantur. Ex panno & ex centonibus. Hinc Poeta,

Tritis pilea ſuta de lacernis.

De hiſce Herodotus *lib.* VII. *cap.* LXI. περὶ μὲν τῇσι κεφαλῇσι εἶχον τιάρας, καλεομένους πίλους, ἀπαγέας. *Circa capita geſtabant tiaras (quas vocabant pileos; non compactos.* Male interpres vocem ἀπαγέας vertit *impenetrabilia*, cum ſignificet *non compactum*, aut non *concretum*. Niſi forte legendum ſit εὐπαγέας: eſt enim εὐπαγὲς *bene compactum*, *ſolidum*. Eo magis ſic videtur intelligendum eſſe, quod Herodotus loquatur de pileis militum, qui ex lana coacti eſſe ſolebant, ut ſupra jam audivimus. Sed quocumque modo hic locus legatur, certiſſimum eſt, veterum pileos non ſemper coactiles fuiſſe, ſed ſæpe ex pannis & centonibus, præſertim pileos militum. Cæſar *lib.* III. *de Bello Civili: Atque omnes fere milites aut ex ſubcoactis aut ex centonibus, aut ex coriis tunica aut tegumenta* (fortasſis legendum capitis tegumenta) *fecerant quibus tela vitarent.* Eoſdem Suidas, ut puto κεντοῦκλα, quaſi *centones* aut *centucula*, vocat. Tiaras non raro ex lana fuiſſe, ſatis manifeſto conſtat, vel inde quod colore aliquo ſæpisſime tinctæ fuerint quod teſtatur Ovidius *Metam. lib.* XI.

Tempora purpureis tentant velare tiaris.

Niſi quis dicat ex ſerico fuiſſe: Nam ſericum & lana ejuſmodi coloribus infici ſolebant. Tale etiam fuiſſe videtur Diadema Darii, quod *purpureum* dicitur a Curtio *lib.* III. & VI. Habuit enim *Diadema purpureum albo diſtinctum.* Et ex *ovium pellibus* capitis tegumenta habere ſolebant. Athenæus *lib.* VII. πίλους δὲ ταῖς κεφαλαῖς περικείμεθα προβατείων δερμάτων δασεῖς. *Pileis capita operta ex ovium pelle villoſa.* Ejuſmodi pileos hodie habent, ut videtur, Moſcovitæ, Poloni & alii, quos Germani vocant ein Beltze-Haube. Sed & ex *Corio* nonnunquam fieri ſolebant. Xenoph. Ἀναβασ. *lib.* V. ἐπὶ δὲ τῇ κεφαλῇ κράνη, σκύτινα, οἷα περὶ τὰ Παφλαγονικὰ κρώβυλον ἔχοντα κατὰ μέσον ἐγγυτάτω τιαροειδῆ. *In capite habebant galeas ex corio, Paphlagonicis ſimiles, quæ cincinnum habebant in medio, in modum tiaræ.* Sed hæc ad galeas militum ſunt referenda.

CCCLXXXIII. Nulla autem materia communior apud veteres in capitis tegumentis, quam *linum* & *byſſus*. Silius Italicus *lib.* III.

Tempora multiplici mos eſt defendere lino,
Et Peluſiaco præfulget ſtamine vertex.

Joſephus *Antiq. lib.* XI. *cap.* IV. de pretio propoſito ei qui aptius reſponderet, κίδαριν βυσσίνην *cidarim byſſinam* etiam nominat: quod iiſdem verbis traditur Ezræ *lib.* III. *cap.* III. *verſ.* VI. Narrat præterea Juſtinus *lib.* XV. Alex. Magnum diadema de capite detraxiſſe, ad religandum vulnus Lyſimachi, unde videtur colligi poſſe, illud diadema byſſinum fuiſſe, cum linum ad iſtum uſum aptisſimum ſit. Tales fortasſis fuerunt tiaræ illæ Perſarum, de quibus Strabo *lib.* XV. ῥάκος δὲ σινδόνιον τι περὶ τῇ κεφαλῇ. *Plagulam, aut centonem ex ſindone habent circa caput.* Sane hunc centonem, aut hanc plagulam ex lana fuiſſe, non videtur veriſimile, ſed linea eſſe poterat: cum non rarum fuerit apud veteres fere integra aliquando tela uti, ad conficiendam tiaram, quod infra clarius patebit. Deinde ῥάκος magis *telam* quam *centonem* ſignificat Græcis, quod lib. I. cap. XVI. demonſtravimus. Ex eadem materia fuit & pileus Hebræorum Sacerdotum, ideo dicitur מגבעות שש *pileus byſſinus.* Exodi XXXIX. XXVIII.

CCCLXXXIV. Pileorum & Mitrarum color varius fuit apud veteres. Purpurea fuiſſe quædam patet, ex Ovidii loco, modo a nobis laudato:

Tempora purpureis tentant velare tiaris.

Pictas quoque & clavatas; qualis videtur fuiſſe illa cidaris & capitis inſigne Darii, *cærulea faſcia albo diſtincta.* Curtius *lib.* III. Alexander quoque habuit *purpureum diadema, diſtinctum albo, quale Darius habuit lib.* VI. Nonnunquam pictæ erant. Juvenalis,

——— *picta lupa barbara mitra.*

Theocritus *Idil.* XVIII. αἰολομίτρην etiam habet, id eſt *variegatam mitram.*

Ἐδελάδ Περσαῖσι βαρὺς θεὸς αἰολομίτρης

Scio quidem quoſdam legiſſe αἰολομίτης *ſapientiſſimus*, ſed mallem legere cum Doctisſimo Stephano & Caſaubono αἰολομίτρης. Illæ mulieribus maxime conveniebant, ut animadvertit Plinius *lib.* XXXV. *cap.* IX. *Capita mulierum mitris verſicoloribus operuit.* Et *auro ornatas mitras & conchyliatas cauſias* memorat Athen. *lib.* XII. ubi de Rege Demetrio: μίτραν δὲ χρυσόπαστος, ἣ καυσίαν ἁλουργῆ οὖσαν ἔσφιγγεν. Et flavos galeros habebant. Juvenalis:

Nigrum flavo caput abſcondente galero.

Niſi per Galerum intelligat, id quod Galli vocant *Peruque.* Tandem & ferrugineas cauſias habebant. Sed illæ magis nauticæ erant. Plautus *Mil. Glor. Act.* IV. *Sc.* IV.

Facito ut venias huc ornatus ornatu nauclerico.
Cauſiam habeas ferrugineam, culcitam ob oculos laneam,
Palliolum habeas ferrugineum: nam is colos thalaſſicu'ſt.

CCCLXXXV. Albus tamen color cum in cæteris veſtibus, tum imprimis in tiara, notisſimus erat. Regum diademata alba fuiſſe conſtat ex Suetonio, in *vita Julii Cæſaris cap.* LXXIX. ubi legimus, mancipia Julii ſtatuæ ejus coronam lauream, candida faſcia præligatam, impoſuiſſe, tanquam inſigne Regis. Ideo ejuſmodi faſciæ albæ & cretatæ, quas Pompejus habuit, etſi crurales, Ciceroni non placebant; quemadmodum ipſe teſtatur *ad Atticum lib.* III. Hinc Valerius Maximus *lib.* VI. *Pompeio*, inquit, *candida faſcia crus alligatum habenti, Favorinus, non refert*, inquit, *qua in parte corporis ſit diadema.* Lucianus *in Navigio*, & *in Dialogo Diogenis & Alexandri* Regium diadema ταινίαν λευκὴν *faſciam albam*, vocat. Silius Italicus *lib.* XVI. de Juba Rege:

---- ---- *Cinguntur tempora vitta*
Albenti.

Ammianus Marcellinus *lib.* XII. Diadema appellabat, *Faſciolam candidam Regiæ majeſtatis inſigne.* Hanc ob cauſam Plinius *lib.* VI. certam aliquam maculam in fronte apis, *diadema candicans*, vocat. Feſtus de *baſiliſco. Baſiliſcus*, inquit, *appellatur genus ſerpentis, vel quod in capite habeat album inſtar diadematis; vel quod reliqua ſerpentum genera vim ejus fugiant.* Tandem & Tacitus *Annal. lib.* VI. mare *albentibus ſpumis elatum* comparat cum *diademata.* Diademata igitur, tiaræ, mitræ, cauſiæ & pilei ut plurimum erant alba. Ejuſdem omnino coloris erant pilei Sacerdotum; fuerunt enim ex byſſo candidiſſima non minus quam brachæ & tunicæ.

CCCLXXXVI. Forma autem pileorum veterum varia erat. Pilei iſti ex lana coacta, qui proprie pilei dici debent, ut plurimum rotundi erant inſtar galeæ militum, unde, & *galerus*, & *galericulus*, quaſi diceres, minuta galea. Quidam altiores & acuminati erant, quales in Europa habuimus ante XV. annos, inſtar maſſæ Zachari, vulgo panis Zachari, **Een Zuyker-Brood**; ſive

ſive inſtar pyramidis, cujuſmodi videmus in nummis & marmoribus, de quibus plura mox dicemus. Ejuſdem ſane formæ erant veterum *cuculli*, niſi quod cuculli magis fuerint acuminati, ut ex Martial. *lib.* III. *Ep.* II. conſtat:

Cordyllas madido tegas Papyro;
Vel thuris piperiſve, ſis cucullus.

Cuculli veſtibus plurimum adnexi erant. Hinc *veſtiri bardocullâ* apud eundem Mart. *lib.* XIV. *ep.* CXVII. & alibi. Hinc & *Caracalla.* Nonnunquam marginem habebant, ad arcendam pluviam, & æſtum ſolis; quales fuerunt *cauſiæ*, Regum Macedonum pilei, & καμελαύκια, de quibus ſupra. Quidam ſimiles erant noſtris pileis nocturnis, quibus hodie uti ſolemus, quos Germani ein Schlaſſhaube / Galli *un bonet de nuict* vocant. Tales conſpiciuntur in nummis qui Armeniam captam exhibent, inſtar profundioris galeæ ſinus, aut inſtar lebetis veterum. Vide apud Urſinum nummos familiæ Aquiliæ, & Petroniæ, & *Dac. Capt.* in nummis Trajani in Gevartii tabulis, *Tab.* XXXIV. *& Tab.* XLVI. in nummis *Antonini.* Videatur etiam nummus *Commodi tabula* LI. Nec multum diſſimiles erant Tiaræ Germanarum mulierum, in gemma Tiberiana, quam doctiſſime explicat Rubenius. Ejuſmodi formam habuiſſe videntur pilei, qui facti erant ex *centonibus* & pellibus ovium. Sæpiſſime etiam variorum animalium capita exprimebant, ut heroas repræſentarent, puta capita *Leonum*, ut in nummo *Alexandri M.* apud Choulium, & in familia *Ahuria*, *Cornelia*, *Curtatia*, *Curtia*, *Domitia*, *Fabricia*, *Marcia*, *Numitoria*, *Opiena* &c. apud Urſinum; & *Elephantorum capita*, ut in nummo *Ceſtii*, & in familia *Eppia & Narbona*; Et *Hircorum*, ut in familia *Papia*, *Procilia*, & *Thoria*; & *Arietum*, ut in familia *Pinaria.* Ejuſmodi formam habuiſſe puto Diadema Saporis Perſarum Regis, de quo Marcellinus *lib.* XIX. habuit enim aureum capitis arietini figmentum, interſtinctum lapillis, quod pro diademate geſtavit.

CCCLXXXVII. Hebræorum Sacerdotum pilei, cum facti fuerint ex byſſo, quamlibet formam recipere poterant. Habemus quidem & hodie pileos nocturnos, ex lino factos, ſed ad certam aliquam formam conſutos; veterum autem tiaræ byſſinæ, præſertim Hebræorum Pontificum, tales non fuerunt. Erant enim nihil aliud, quam integra quædam faſcia, aut tela aliquot ulnarum, ad

involvendum caput, ad talem formam, qualem quilibet deſiderabat, & pro modulo capitis ut capiti detracta iterum expandi potuerit, inſtar cujusvis telæ. Atque ſic quælibet tela, modo juſtam babuerit longitudinem & latitudinem, conficiendæ tiaræ apta fuit. Hoc liquido conſtat ex faſciis cruralibus cretatis Pompeji, de quibus jam mentionem fecimus. Ideo Diadema, & tiaræ *faſcia* ſæpiſſime dicuntur. Ammianus Marcellinus *lib.* XII. Diadema vocat *faſciolam candidam Regis Majeſtatis inſigne.* Hinc & Græcis & φάσκια & ταίνια vocatur, ut patet ex Euſtathio *Iliad.* π. Lucianus *in Navigio*, ſeu *Vot.* Regium luxum deſcribens καὶ, inquit: πορφυρὶς χρυσῷ ποικίλη, καὶ ταινία λευκὴ περὶ τῷ μετώπῳ. *Et purpura auro variegata & faſcia candida circa frontem.* Eadem fere occurunt in *Dial. Alex. & Diog.* ubi de ornatu Alexandri Magni: διαδεδεμένον ταινίᾳ λευκῇ τὴν κεφαλήν, *caput revinctum alba faſcia.* Eſt autem, ταινία faſcia: hinc *faſcia pectoralis* mulierum ταινία vocatur a Pulluce *lib.* VII. *cap.* XIV. Capite præcedenti jam oſtendimus *balteum* etiam mitram vocari, cum utrumque fuerit longa quædam faſcia: ut ἀμιτροχίτωνες dicti fuerint apud Homerum *Illiad.* π. ii qui balteo non erant cincti. Hanc ob cauſam diadema etiam *lorum* vocatur a Balſamone, qualis erat Phrygia mitra Imperatoris. Vide Salmaſium *ad Vopiſcum de Aureliano.* Ob eandem rationem diadema Regium *pannus* dicitur apud Val. Max. *lib.* VII. *cap.* II.

Talis Igitur omnino *faſcia*, ſive ταινία, aut *lorum*, aut etiam *pannus* fuit mitra Hebræorum Sacerdotum; ideo & ταινία vocatur a Joſepho.

CCCLXXXVIII. De longitudine quidem ejuſmodi faſciarum, aut mitrarum nihil ex auctoribus aſſeri poteſt. At Hebræorum Sacerdotum mitras longas fuiſſe XVI. ulnas, docent Hebræorum Sapientes. Maimonides *Hil. Kele Hammikd.* cap. VIII. המצנפת של כג"או הדיוט ארכו ששה עשר אמות: *Tiara, ſive ſummi Pontificis, ſive cæterorum Sacerdotum, longa erat ſedecim ulnas.* De latitudine tacent.

CCCLXXXIX. Fit autem tiara ex ejuſmodi faſciis, quando ſæpius circa caput in orbem replicantur, ad involvendum caput. Maimonides loco modo allegato: מקיפו ומחזירו כרך על גבי כרך *Circumvolvunt* (caput) *aliquoties, ligantque involucrum ſupra involucrum;* quod non tantum de *balteo*, ſed & de *tiara* intelligendum

eſt:

eſt: uti ſe clarius explicat eodem capite, quando dicit מצנפת צונף בה כמו שלופף על השבר *Mitra eſt qua involvitur caput, inſtar membri fracti.* Sed ipſa vox Hebræa מצנפת (*Mitznephet* etiam ſignificare *Migbaoth* ſive pileum omnium Sacerdotum, poſtea patebit) ſatis manifeſto indicat modum, quo caput tegitur, ſcil. involvendo: fluit enim a צנף; at צנף eſt *obvolvere.* Videantur *Rabbi Abraham ben David*, ad Maimonidæ locum modo citatum, Rabbi Joſeph in כסף משנה, Aben Ezra cap. XXVIII. Exodi. Abarbanel, *Paraſcha Thezave*, R. Levi, Barzelonius & alii. Imprimis videatur Joſephus, loco toties a nobis laudato: τῇ δὲ κατασκευῇ τοιοῦτος ἐςὶν ὡς ςεφάνη δοκεῖν, ἐξ ὑφάσματος λιναίου ταινία πεποιημένη παχεῖα. καὶ γὰρ ἐπιπλυασόμενον ῥάπτεται πολλάκις *Tali quidem modo fit, ut diceres craſſam eſſe coronam. ex tela linea inſtar faſciæ factam & in orbem ſæpius replicatam atque conſutam.* Faſciam ſic *in orbem replicare* Tacito eſt *ſinuare orbes.* *Annal.* VI. ubi Parthorum diadema deſcribit per neſcio quas inalbentes ſpumas. *Nunciavere*, inquit, *accolæ Euphratem nulla imbrium vi, ſponte in immenſum attolli: ſimul in albentibus ſpumis in modum Diadematis, ſinuare orbes.* Hujuſmodi tiaris ornata videmus capita Imperatorum Turcarum, *Mahomedis Othomanni*, *Bajazeti*, *Selimi* & *Solimani* ut in eorum nummmis videre eſt apud Stradam. Immo ad hunc uſque diem ejuſmodi pilei & tiaræ ſatis ſunt in uſu per totum fere Orientem, quod Amſtelodamenſibus ſatis notum eſt; cum quotidie per plateas videant incedentes Mercatores Græcos Armenos, Perſas, Turcas & cæteros ſuo veſtitu, præſertim ejuſmodi tiaris decoratos. Has tiaras Belgæ quidem vocant **Tulbant**/ Galli *Turban*, Perſica voce (nugas enim quorundam qui ſic dictas volunt a Germano quaſi Türckiſchbant/ aut *tulipant* a *tulipa*, aut *turbant* a *Corybantio*, non curo) تولبند *Dulbant*, compoſita, ut mihi videtur, ex تلة & بند quorum utrumque ſignificat *ligaculum*, aut *faſciam*: eſt enim Arabibus تلة *ligaculum femoralium*, ut docet Gigæus, & بند non tantum *vexillum*, quaſi *bandum*, unde Germanorum & Gallorum *banderolle*, ſed & vinculum, quaſi dictum eſſet ab abſoleto Hebræorum vocabulo בנט *banat*, unde proculdubio אבנט *abnet, balteus*, & Germanorum binden & **bandt**: quod probabilius eſt, cum *mitra*, ſive ejuſmodi faſcia & *balteum* & *pileum* ſignificet, uti ſupra docuimus.

Cum-

CCCXC. Cum autem faſciæ mitræ longe fuerint XVI. ulnas, quales fuerunt Hebræorum Sacerdotum pilei, inſtar panni, ſive alicujus telæ, & cum quamlibet formam accipere potuerit ejuſmodi tela, nondum conſtat quænam vera pileorum Sacerdotum fuerit forma. Tiararum genera duo memorantur apud veteres. Quædam enim altæ, & in modum pyramydis acuminatæ erant. Talis fuit πῖλος ὀξὺς *pileus acuminatus*; & ὀρθὴ τιάρα, *Recta tiara*. Xenophon rectam tiaram Regibus adſcribit. Αναβασ. Κυρ. *lib.* II. τὴν μὲν γὰρ ἐπὶ τῇ κεφαλῇ τιάραν βασιλεῖ μόνῳ ἔξεστιν ὀρθὴν ἔχειν. *Soli Regi permiſſum eſt rectam tiaram habere in capite.* Et *lib.* VIII. παιδ. Κυρ. Cyrum dicit curru eminentem proceſſiſſe ὀρθὴν ἔχοντα τὴν τιάραν, *rectam habentem tiaram.* Scholiaſtes Ariſtophanis in *Avibus*. πᾶσι γὰρ Πέρσαις ἐξῆν τὴν τιάραν φορεῖν, ἀλλ᾽ οὐκ ὀρθὴν, ὡς Κλείταρχος ἐν τῇ δεκάτῃ. μόνοι δὲ οἱ τῶν Περσῶν βασιλεῖς ὀρθαῖς ἐχρῶντο. *Omnibus quidem Perſis licet tiaram geſtare, ſed non rectam ut docet Clitarchus in decade. Soli enim Perſarum Reges utuntur rectis.* Hinc apud Lucianum in *Dialogo inter Philippum & Alex. Magnum*, jubetur Alexander ut ſibi imponeret ὀρθὴν τιάραν, *rectam tiaram.* Et in *Piſcatore:* εἴ τις ἐν βασιλικῷ σχήματι ὀρθὴν τιάραν ἔχων, καὶ διάδημα, καὶ τἄλλα ὅσα βασιλείας γνωρίσματα. *Si quis in Regis habitu, rectam tiaram habeat, & diadema, & alia imperii inſignia.* De eadem loquitur Seneca *de Beneficiis lib.* VI. *cap.* XXXI. *Petit ille* (Demaratus) *ut Sardis maximam Aſiæ civitatem, curru vectus intraret, rectam capite Tiaram geſtans, id ſolis datum Regibus.* Suidas: τιάρα κόσμος ἐπικεφάλαιος, ἣν οἱ βασιλεῖς μόνοι ὀρθὴν ἐφόρουν περὶ Πέρσαις, οἱ δὲ στρατηγοὶ κεκλιμένην. *Tiara eſt ornatus capitis, quam ſoli Reges apud Perſas rectam geſtant, milites autem inclinatam habent.* Talem pileum quidam credunt fuiſſe illud πίλημα πυργωτὸν *pileum turritum:* de quo Strabo *lib.* XV. ubi narrat honoratiores apud Perſas habuiſſe πίλημα περὶ τῇ κεφαλῇ πυργωτόν. *circa caput pileum turritum.* Sed illud πίλημα videtur fuiſſe genus aliquod galeæ, cum de armis ibi loquatur Strabo; ut non male illuſtris vir Ezechiel Spanheimius crediderit, illud genus pileorum expreſſum fuiſſe in nummis Auguſti, ubi ſane pileus inſtar alicujus turris exhibetur, ſed ita ut non ſit ὀξὺς ſive acuminatus. Vide *Diſſertat. V. de Uſu Nummorum.* Sed ad acuminatum pileum magis accedit illa tiara, quam habet Armenius in nummo Cæſaris, qui exhibet *Armeniam captam.* Hæc autem *recta tiara* peculiari nomine

κυρβασία & κύρβασις videtur vocari. Galenus in Lexico Hyppocratis: κυρβασία πῖλον ὀξύν. Heſychius κυρβασίαν κορυφὴν ἀλέκτορος *criſtam galli*: quia ſcilicet recta erat inſtar criſtæ. Hinc Ariſtophanes *in Avibus* Regem Perſarum facit gallum, cujus ſignum jocatur eſſe illius criſtam, tanquam κυρβασίαν ὀρθὴν, *curbaſiam rectam.*

> Ὡς δὴ καλεῖται Περσικὸς ὄρνις, ἀπὸ τῆς ἀρχῆς ἔτ' ἐκείνης.
> Διὰ ταῦτ' ἄρ' ἔχων καὶ νῦν, ὥσπερ βασιλεὺς ὁ μέγας διαβάσκει,
> Ἐπὶ τῆς κεφαλῆς τὴν κυρβασίαν, τῶν ὀρνίθων μόνος, ὀρθήν.
> *Quare vocatur Perſicus avis a dominatione adhuc illa,*
> *Propter hæc habens, & nunc tanquam Rex magnus diſcurrit,*
> *In capite Kurbaſiam, avium ſolus rectam.*

Suidas de *Curbaſia*, quam & *Curbaſin* vocat: Κύρβασις, ἔνιοι μὲν τιάραν, ᾗ οἱ βασιλεῖς τῶν Περσῶν ὀρθῇ ἐχρῶντο, οἱ δὲ στρατηγοὶ ἐπικεκλιμένῃ. *Curbaſia, quam quidam tiaram vocant, Reges Perſarum utuntur recta, milites autem inclinata.* Ex hoc loco Suidæ colligi quidem poteſt, Curbaſiam etiam inclinatam & curvam fuiſſe aliquando; nihilominus κύρβασις præcipue videtur ſignificare *tiaram rectam*, fit enim κυρβασία a voce κύρβεις, qua nihil aliud ſignificatur quam tabula triangularis in modum pyramidis. Suidas: κύρβεις τρίγωνοι πίνακες, ἐν οἷς οἱ περὶ τῶν ἱερῶν νόμοι ἐγγεγραμμένοι ἦσαν πολιτικοί. *Tabula triangulares, quibus leges politicæ de Sacris inſcriptæ erant.* Heſychius στήλην τρίγωνον vocat, ἢ ξύλινον ἄξονα ἐν ᾧ τὸ παλαιὸν οἱ νόμοι ἐγράφοντο. Ex his igitur colligi poteſt formam *tiararum* & *Curbaſiarum* fuiſſe *pyramidalem*, & erectam inſtar alicujus ſtili, ideoque erraſſe illos qui putabant *Kurbaſiam* eſſe galeam militarem, quæ habeat criſtam inſtar galli.

Ejuſmodi autem *tiaræ*, ſive *Kurbaſiæ* rectæ, geſtamen erant Regum, ut ex ſuperioribus liquido conſtat, ut ſi aliquis privatorum hominum eam gerere voluiſſet, pœnam mortis incurriſſet, teſtante *Chryſoſtomo* 1. *Orat. de Servit.* τοιγαροῦν ὁ Περσῶν βασιλεὺς, ὅπως μὲν ἕξει μόνος ὀρθὴν τὴν τιάραν ἐφρόντιζεν, καὶ εἴ τις ἄλλος τοῦτο ἐποίησεν, εὐθὺς ἐκέλευσεν ἀποθνήσκειν αὐτόν. *Solus itaque Perſarum Rex tiaram rectam gerebat, & ſi quis alius hoc feciſſet, ſtatim eum perimi juſſiſſent.* Vulgus igitur & milites habebant depreſſiores & inclinatas, quod etiam ex ſuperioribus conſtat. Et hæ quidem ſæpiſſime inſtar depreſſioris alicujus galeæ erant, unde & pileorum *galeri & galericuli* nomen.

CCCXCI. Quali autem forma fuerint Hebræorum Sacerdotum pilei, inquirendum eſt. Notandum hic eſt iterum, duo dari genera tiararum Sacerdotum: aliam enim ſummus habet Pontifex, aliam cæteri Sacerdotes. Summi Ponticis tiara ſemper vocatur מצנפת; *Mitnephet*, cæterorum vero מגבעות, & aliquando etiam מצנפת *migbaoth*: ut hoc vocabulo exprimatur omnis tiara cum Summi, tum cæterorum Pontificum. Expreſſis verbis hoc docet הרמבן; uti vocari ſolet, *Rabbi Moſes Ben Nachman*, in Legem *Paraſcha Tezave.* בכהן הדיוט אמר הכתוב מגבעות ואף היא מצנפת היא אלא שקושר בה כל ראשו ומעלה הכפלים עליו כעין מגבעת שהוא כובע כדברי אנקלוס כי מגבעת כמו מקבעת כאשר אמרתי בחילופי הגי״מל והקוף אלה שהמגבעת כמו המצנפת ולכן יזכירו חכמים תדיר בכהן גדול והדיוט מצנפת בתורת כהנים ובמס׳ יומא שנינו כהן גדול משמש בח׳ בגדים והדיוט בארבע בכתנת ומכנסים מצנפת ואבנט וכו׳: *Quando de tota Sacerdotum turba quæſtio eſt, tunc dicit Scriptura* מגבעות Migbaoth, *ſed & id ipſum eſt* מצנפת Mitznephet, *niſi quod eo totum caput obnubant, atque ita ſpiras & volucra inducant, ut referat ſpeciem* מגבעת *id eſt* galeæ, *ſecundum paraphraſin Onkeloſii. Ita* מגבעת *diceretur quaſi* מקבעת *uti diximus de tranſmutatione literarum* ג *&* ק *Sed quoniam* מגבעת *eſt inſtar* מצנפת, *ideo Sapientes indifferenter ponunt* מצנפת, *tam de toto Sacerdotum ordine, quam de Summo Pontifice. In libro Sacerdotum & in Codice Ioma legimus: Summus Sacerdos ſacra facit in octo veſtibus, & cæteri Sacerdotes in quatuor, in Tunica, brachis, Mitznephet & balteo.* In eadem plane ſententia eſt Maimonides *Hilch. Kele Hammikd. cap.* VIII. מצנפת האמורה באהרון היא המגבעת האמורה בבניו: Mitznephet *Summi Pontificis idem eſt ac* Migbaoth *filiorum ejus*: id eſt utrumque dicitur *Mitznephet.* Vide ad locum iſtum *Rabbi Ioſeph* in כסף משנה, *Abarbanelem Paraſcha Thezave*; *Maſſechet Ioma cap.* VII. & ad iſtum locum notas *Iom Tob. Iarchium* Exodi XXVIII. IV. & alios. Sed & ipſe Joſeph. *Antiq. lib.* III. *cap.* VIII. ſine diſcrimine omne tegumentum capitis Sacerdotum, tum ſummi, tum cæterorum, dicit vocari *Mitznephet*; quem ſecutus eſt, uti ſolet, Hieronymus in Epiſtola ad Fabiolam. Quod autem omnis tiara tam ſummi quam cæterorum Sacerdotum *Mitznephet* dicta fuerit, id inde factum eſt, quod utraque conſtiterit ex longa faſcia XVI. ulnarum, qua caput variis ſpiris & involucris involvi ſolebat, eſt enim צנף *obvolvere.*

Hinc

CCCXCII. Hinc colligi debet, exilem fuiſſe differentiam inter *Mitznephet* S. Pontificis, & *Migbaoth* totius Sacerdotum gregis. Et fortaſſis eadem quæ fuit inter κυρϐασίαν Regum Perſarum, & inter tiaram cæterorum hominum. Sed ita ut totius Sacerdotum turbæ pilei fuerint altiores, inſtar galeæ. Summi autem Pontificis depreſſior, ſed circa caput majori mole & frequentioribus involucris diffuſus. Hoc ſane colligi videtur ex loco iſto *Rabbi Moſis Ben Nachman*, quem mox allegavimus. Dicitur enim tiara totius Sacerdotum turbæ מִגְבָּעוֹת *Migbaoth*, quaſi מקבעות a קוֹבַע *Galea:* hæc enim ſignificatur per כובע uti videre eſt 1. Sam. XVII. V. וכובע נחשת על ראשו *Et galeam æneam habuit ſuper caput ſuum.* Quidam hic legunt קובע pro כובע ut Ezechiel. XXIII. XXIV. וקובע ישׂימו עָלַיִךְ סביב *Et ponent adverſus te galeas.* Iterum Jerem. XLVI. IV. יעלו הפרשים והתיצבו בכובעין *Aſcendite equites & conſiſtite in galeis.* Dicitur igitur מגבעוֹת קובע a *galea*, quia talis pileus revera non multum a galea differt. Idem ſane docet Maimonides loco toties a nobis allegato, ubi expreſſe dicit *Migbaoth* Minorum Sacerdotum fuiſſe כְּכוֹבַע *inſtar galeæ.* Jarchius ad Exodi cap. XXVIII. IV. מצנפת, inquit, כמין כִּיפַּת כובע שקורין קופ״יא שהרי במקום אחר קורא להם מגבעות ומתרגמינן כובעין: Mitznephet *eſt inſtar fornicis* ſive *cuculli galeæ quem vocant* kappe / *ſiquidem in alio loco vocatur* Migbaoth, *& vertitur* (a Chaldæo) *galeæ.* Manifeſtum etiam eſt, apud veteres fuiſſe certas quaſdam galeas altiores, & quaſdam leviter etiam acuminatas, inſtar longiorum & altiorum illorum cucullorum; quaſdam etiam habuiſſe certa quædam ferramenta & apices, inſtar mucronum ad nocendum hoſtibus, & illas כִּפָּה vocari poſſe: eſt enim כִּפָּה Eſaiæ IX. XIV. & Jobi XV. XXXII. *ſummus ramus*, aut alicujus rei vertex. Unde etiam derivatur *Cippus*, idem quod κύρϐις, quælibet ſcilicet res quæ formam pyramidalem habet, præſertim autem ſepulchrorum pyramides, quæ mortuorum inſcriptiones continebant, de quo vide apud Horatium *Serm. lib.* I. *Sat.* VIII. Sic poſſit per כִּפָּה etiam cucullus ſignificari, fortaſſis altior ille & acuminatus, quem quidam Monachorum in Eccleſ. Romana depreſſiori præferunt, ſuper qua re ſatis arduas inter ſeſe habent controverſias. Si hoc ſenſu ſumatur, ſane כִּפָּה idem eſſet quod κυρϐασία & τιάρα ὀρθὴ, de quibus ſupra. Sed Jarchius, mea quidem ſententia, per τὸ כִּיפַּה intelligit rem aliquam parum curvatam & arcua-

tam inſtar fornicis : eſt enim כפף *curvare*, & כפיף *humilis* & *depreſſus eſt*, veluti in Chaldæo pſalm. CXLVI. com. VIII. יהוה זקף כפיפין *Dominus erigit humiles.* Quidquid igitur curvatum & arcuatum eſt כיפה dicitur. Hinc tot illius ſignificationes. Hinc *fornix* כיפה vocatur. Hinc Gallorum *Chef*, Latinorum *Caput*, & Græcorum, quaſi per diminutionem, κεφάλαιον & κεφαλή, Germanorum Kopf/ & Belgarum Kop/ & Kappe/ & *Coeffe*, capitis tegumentum, & (mutatis כ & ק in ה vel H quod frequens, ut ſupra oſtendimus) Haube/ & *huif*, Kupf/ & Gallorum *houppe*, & Latinorum *Cuſa* & *Cucuſa*. Sed quidquid curvatum & gibboſum eſt inſtar capitis, כיפה dici videtur. Ideo & *Rupem* & *fornicem*, כיפה ſignificat. Inde Græcorum κύπτω *pronus ſum*, & κυφὸν *incurvum*, *gibboſum*, & ipſum Latinorum GIBBUM. Sic Belgarum Kuype ac Gallorum *Cuve*, a forma curvata a כיפה derivatur, ut & *Scyphus*. Sed fortaſſis etiam ipſum גבעה & כובע & קובע a כיפה derivantur : facillime enim literæ ק & ג & כ & פ & ב permutantur. Ideo Hebræis גביעים ſunt *Scyphi* in lucerna Sacra Exodi XXV. XXXIII. quia non alti, ſed leviter curvati inſtar amygdalæ. Quid quid dicatur, manifeſtum eſt, minorum Pontificum tiaras fuiſſe altiores inſtar ſinus galeæ. Joſephus in eadem omnino ſententia fuit, *Ant. lib.* III. *capite* VIII. ubi docet Sacerdotum pileum fuiſſe ἄκωνον *non faſtigiatum*; quaſi voluiſſet indicare, altior quidem, ſed abſque faſtigio; ut non fuerit plane inſtar tiaræ rectæ Perſarum Regum. Huc etiam facit quod גבעה vel גבע *collem* ſignificet, Joſuæ V. III. I. Sam. X. V. & II. Sam. XXV. I. Reg. XIV. XXIII. & Eſaiæ XXX. XXV. & alibi, ita ut pileus dictus fuerit מגבעות *migbaoth* a forma ſua, quæ collem depreſſiorem non male repræſentat, quæ eſt etiam forma capitis & galeæ.

CCCXCIII. Minime autem ſilentio prætereunda eſt deſcriptio *Migbaoth*, quam nobis dedit Magnus & doctiſſimus Hieronymus in *Epiſtola ad Fabiolam*, cum ſatis ſit ampla, plurimam partem ex Joſepho hauſta, nobiſque ob oculos ponat figuram aliquam, quæ omnem dubitationem tollere videtur. *Quartum genus veſtimenti*, inquit, *rotundum pileolum, quale pictum in Ulyſſe conſpicimus, quaſi ſphæra media ſit diviſa, & pars una ponatur in capite: Hoc Græci & noſtri τιάραν, nonnulli galerum vocant, Hebræi* Mitznephet. *Non habet acumen in ſummo, nec totum uſque ad*

ad comam caput tegit: ſed tertiam partem a fronte inopertam relinquit: atque ita in occipitio vitta conſtrictum eſt, ut non facile labatur ex capite. Eſt autem byſſinum, & ſic fabre opertum linteolo, ut nulla acus veſtigia extrinſecus appareant. Ante omnia hic obſervandum eſt, Hieronymum hic agere de pileo omnium Sacerdotum, qui proprie *Migbaoth* vocatur; Nam etſi dicat Hebræos eum vocare *Mitznephet*, nihilominus id de pileo totius Sacerdotum turbæ potius intelligit, quam de Summi Pontificis tantum; cum exſertis verbis eodem loco dicat, has quatuor veſtes communes eſſe omnibus Sacerdotibus. Sed jam ſatis clare oſtendimus, etiam *Migbaoth* minorum Sacerdotum ſæpiſſime *Mitznephet* vocari, non minus quam *tiaram* ſummi Pontificis. Primo igitur dicit Hieronymus, hunc pileum eſſe *rotundum, quaſi ſphæra media ſit diviſa*; Ergo non eſt *recta tiara*. Et ut clarius conſtaret addit: *non habet acumen in ſummo*, id eſt ἄκωνον *non faſtigiatum* erat, ut habet Joſephus. *Nec totum uſque ad comam caput tegit*. Id eſt, non erat tam profundus ejus ſinus, ut totam frontem tegeret, ut nulla coma conſpici poſſit. Optime igitur addit: *Sed tertiam partem a fronte inopertam relinquit.* Sane cum caput ſit oblongum, pileus autem hic inſtar ſphæræ medium diviſæ, non poterat totum caput, omnem comam, totamque frontem tegere. Hoc optime convenit cum Hebræorum traditionibus, ubi de Pontif. Maximo: exſertis enim verbis dicunt, ſpatium aliquod fuiſſe inter oculos & comam quæ extra pileum propendebat, in quo ſpatio adnectebant phylacteria frontis inter ſacrificandum; de quibus jam aliquid diximus & poſtea plura dicturi ſumus. Quæ porro Hieronymus addit de *Vitta* qua pileus *in occipitio ſtringeretur*, & de *linteolo* quo *operitur ut nulla acus veſtigia apareant*, illa poſtea examinabimus, cum quibuſdam locis Joſephi eo quoque ſpectantibus.

CCCXCIV. Quod maxime hic animadverti debet, illud eſt, quod addat hanc tiaram ſimilem fuiſſe *pileo Ulyſſis* prout depingi ſolet: ut, ſi quid certi dici poſſet de iſto pileo, etiam de forma pileorum Sacrorum, de quibus agimus, qualis fuerit, non amplius inquirendum eſſet. Doctiſſimus Rubenius *de Re Veſt. lib.* II *cap.* XV, mentionem facit pilæ antiquæ ex marmore in foro Cathanenſi, in qua Ulyſſis hiſtoria ſculpta eſt, & Ulyſſes ipſe cum pileo repræſentatus. Sed quoniam nobis non contigit pilam iſtam vi-

 dere;

dere; de forma pilei illius, qualis ſcilicet in iſto marmore fuerit, nihil certi adfirmare poſſumus. Docet tamen doctiſſimus Rubenius eum fuiſſe *rotundum*, *quaſi ſphæra media ſit diviſa*, quæ ſunt ipſiſſima verba Hieronymi, ut modo audivimus. Addit etiam Rubenius eum non fuiſſe umbellatum, quales galericuli hodie eſſe ſolent. Quales etiam picturas viderit Hieronymus, quæ pileum Ulyſſis repræſentabant, ipſe Hieronymus non dicit, ideo & illud a nobis ignoratur. Extat hodie egregius nummus argenteus, in Numiſmatibus familiæ *Mammiliæ*, apud *Urſinum* & *Choulium*, ubi conſpicitur Mercurii caput pileatum, & in adverſo latere vir aliquis pileatus cum baculo & cane; cum hac inſcriptione: C. MAMIL. LIMEAN. Ita quidem habet *Choulius*. Sed male; cum non legendum ſit LIMEAN. ſed LIMETAN. Cauſa illius erroris videtur fuiſſe, quod non attenderit literam T. ſcriptam fuiſſe ſupra literam A. aut potius huic literæ incubuiſſe more Veterum, hoc modo A̅. Ita ſane habet *Urſinus*. Plane eadem ſcriptio reperitur in duobus nummis argenteis, quos poſſidet Doctiſſimus & Amiciſſimus noſter Smetius, inter κειμήλια, per totum terrarum orbem celeberrima. Uterque habet LIMEA̅N. id eſt LIMETANUS. Legendum igitur eſt: CAJUS. MAMILIUS. LIMETANUS. Pierius quidem in ſuis Hieroglyphicis, ſtatuit non eſſe legendum LIMETANUS, ſed per diſtinctionem, quaſi duæ eſſent voces: LI. METAN. id eſt LIMITIBUS METANDIS; quaſi *Cajus Mamilius* limitibus metandis præpoſitus fuiſſet. Vult itaque virum illum in hoc nummo habere baculum in manu, quaſi perticam aut arundinem, quæ adhiberi ſolet in agris limitibuſque metandis: adeo quidem ut ipſe quoque *Hieronymus Aleander, in explicatione Tabulæ Heliacæ* (quamvis errorem Pierii optime animadverterit, in eo quod putet legendum eſſe *Limitibus metandis*, pro *Limetanus.*) crediderit non eſſe abſurdum, ſiquis exiſtimet, Mercurium, Terminalem Deum, latifundiis metandis præpoſitum fuiſſe, cum menſuras & pondera invenerit, teſte Diodoro Siculo, *lib.* v. ut illi datus fuerit baculus inſtar arundinis, aut calami menſuræ, quibus veteres uti conſuevere in metiendis agris limitibuſque, de quibus etiam mentionem fieri putat Apocal. cap. XXI. & apud Ezechielem cap. XL. quare & hodie inſtrumentum, quo aliquid metiri ſolemus, nomen *Cannæ* vulgo retinere ſoleat. Sed errant doctiſſimi viri. Peſſime legiſſe Pierium *limitibus metandis*,

jam

jam ſatis conſtat, & mox clarius patebit. Male etiam hic nummus de *limitibus metandis*, & baculus de pertica Mercurii terminalis explicatur. Eſto ſane Mercurium fuiſſe Terminalem Deum; ex hoc tamen nummo id minime probari poteſt. Saltem nulla ratione baculus ille ad arundinem aut calamum menſuræ (Gallis *une canne*) revocari poteſt: cum pertica ſive calamus menſuræ, uti loquitur doctiſſimus Aleander, decem fuerit pedum *decempeda*, ut habent Auctores rei Agrariæ: at baculus ille, quem exhibet nummus *Mamilii Limetani*, vix quinque pedum eſt, niſi dicamus Ulyſſem ingentem fuiſſe gigantem, duodecim minimum, aut tredecim pedum, quod cuilibet nummum inſpicienti manifeſtum erit, modo attendat ad proportionem inter virum & baculum quem in manu tenet. Deinde nemo negabit, arundines ſive calamos menſuræ debere eſſe, ut pedes & pollices manifeſtius dignoſcerentur. At baculus in hoc nummo curvus eſt. Fateor quidem Celeberrimum Patinum in ſua editione Urſini de Familiis Romanis, in familia Mamilia in duobus nummis, viro baculum rectum dediſſe. Sed non vereor adfirmare, id factum eſſe incuria pictoris, qui aut minutias iſtas (uti putavit) non curavit, aut non ſatis attentus fuit in ſculpendo. Sane apud Urſinum in antiquo exemplari Romæ edito, baculus curvus eſt in utroque nummo. Eodem modo extat apud *Choulium*. Quod autem Urſinus & Choulius non erraverint, clamant duo nummi argentei, quos poſſidet Rever. Smetius noſter, & quos vidimus. Igitur baculus ille non eſt calamus menſuræ Mercurii, ſed notat quemlibet baculum peregrinantium: ſolent enim peregrinantes habere pileos & baculos, apud veteres. Eſt itaque vir ille pileatus, qui baculum tenet, quidam qui peregrinatur, & ut uno verbo dicam, eſt Ulyſſes domum redux, poſt vigennalem peregrinationem. Ut autem hæc clarius conſtarent, alterum ex doctiſſimi & amiciſſimi Smetii noſtri nummis, de quibus jam mentionem feci, lectori hic conſpiciendum exhibebo, & paucis explicabo.

Num-

CCCXCV. Nummus hic ab una parte repræſentat Mercurium, quod ex ejus pileo & caduceo conſtat. In averſa parte indicat gentem *Mamiliam*, Hanc gentem plebejam fuiſſe, ex Livio *lib.* XXVII. *cap.* VIII. conſtat; legimus enim *C. Mamilium Vitulum* ex plebe primum creatum fuiſſe Maximum Curionem, invitis Patribus, contendentibus id Sacerdotium ex plebe neminem ante eum habuiſſe, hocque factum eſſe *Q. Fabio Maximo*, & *Q. Fulvio Flacco* COSS. Eodem libro quoque narrat *Mamilium Thurinum* Ædilem plebis fuiſſe. Etſi non fuerit gens Patricia, nihilominus erat nobiliſſima & antiquiſſima, cum *Octavio Mamilio Tuſculano*, viro inter Latinos facile Principi, Tarquinius Rex Romanorum filiam nuptum dederit, teſte eodem Livio *lib.* I. *cap.* XLIX. Sed & *L. Mamilius Tuſculi* Dictator erat, qui Romanis opportune ſuppetias tulit, & a Quinctio Cincinnato civitate donatus eſt. Liv. *lib.* III. *cap.* XVIII. & XX. *C. Mamilius*, C. Claudio Nerone & M. Livio COSS. Siciliæ Prætor factus eſt. Tandem *C. Mamilius Limetanus* Tribunus Plebis creatus eſt, teſte Saluſtio in *Bello Iugurthino*. *Interea*, inquit, *Romæ Cajus Mamilius Limetanus Tr. plebis rogationem ad populum promulgat, uti quæreretur in eos quorum conſilio Iugurtha Senatus decreta neglexiſſet.* Atque hic eſt ille C. Mamilius qui in iſta familia cognomen LIMETANUS aſſumpſit. Hunc etiam *Mamilium* in hoc nummo deſignari nemo ſanus dubitabit. Ut autem conſtaret virum iſtum in hoc nummo pileatum & baculum tenentem eſſe *Ulyſſem*; notandum eſt gentem Mamiliam fuiſſe oriundam Tuſculo, quod ſatis conſtat ex iis quæ jam diximus, & originem quidem traxiſſe ab *Ulyſſe* & *Circe* Solis filia. Feſtus Pompejus *Mamiliorum familia*, inquit, *progenita fuit a Telegoni filia, quam Tuſculi procreave.*

creaverat, quando id oppidum ipſe condidiſſet. Erat autem Telegonus filius Ulyſſis, ex Circe Solis filia. Livius *lib.* I. ubi de *Octavio Mamilio Tuſculano. Is* inquit, *longe Princeps Latini nominis erat, ſi famæ credimus ab Ulyſſe Deaque circe oriundus.*

CCCXCVI. His omnibus ita præmiſſis, deinceps non erit difficile demonſtratu, virum in iſto nummo eſſe Ulyſſem, quod clarius etiam fiet ſi attendimus ad ſingula iſta quæ ſimul ibi conſpiciuntur, qualia ſunt *baculus*, *canis*, & tandem *pileus*, quo tectum eſt ejus caput. Jam ſupra ſatis oſtendimus contra Pierium, baculum iſtum non eſſe *cannam* ſive perticam aut calamum, quibus veteres uti ſolebant in agris limitibuſque metiendis, cum non poſſit eſſe decem pedum, niſi dicamus per virum ibi ingentem aliquem Gigantem deſignari, & cum ſit baculus curvus, qui rei iſti minime inſervire potuiſſet. Eſt itaque baculus peregrinantis alicujus, peregrinantes enim baculis uti ſolebant in itineribus, ut vel ex cap. x. Matthæi conſtat. Et ad Hebræos cap. XI. ubi legimus Jacobum inter peregrinandum baculum habuiſſe. Ideo toties Judæi in Talmude prohibent, ne quis Templum intraret habitu peregrinantis, & præcipue ne ingrediatur במקלו *cum baculo* Marc. cap. IX. III. Hinc Viatores Græci vocant ῥαβδούχους a ῥάβδῳ *baculo.* Vide Act. XVI. XXXV. & XXXVIII. niſi in locis iſtis ῥαβδοῦχος ſit *lictor*, aut nuncius publicus, qui a Magiſtratibus aliquo mittitur, quales in noſtro Oppido Batavorum vocamus **Roep Dragers**. At vero baculus hujus viri eſt baculus Ulyſſis: conſtat enim Ulyſſem baculo inter peregrinandum uſum fuiſſe, præſertim eo momento quo domum ſuam intrare volebat. Homerus *Odyſſ.* P. docet Ulyſſem petiiſſe baculum ab Eumæo filii ſui Telemachi bubulco, qui eum domum deducebat, cui initi poſſet, quoniam viam lubricam eſſe audiviſſet:

Δὸς δέ μοι εἴ ποθί τοι ῥόπαλον τετμημένον ἐστὶν,
Σκηρίπτεσθ᾽, ἐπεὶ ἦ φάτ᾽ ἀρισφαλέ᾽, ἔμμεναι οὐδόν.
Da autem mihi ſicubi baculum inciſum eſt,
Ut innitar, quia dicitis valde lubricam eſſe viam.

Et mox:

——— ——— ὁ δ᾽ ἐς πόλιν ἦγεν ἄνακτα
Πτωχῷ λευγαλέῳ ἐναλίγκιον ἠδὲ γέροντι,
Σκηπτόμενον. τὰ δὲ λυγρὰ περὶ χροῒ εἵματα ἕστο.
——— ——— *Hic autem in civitatem duxit Regem*

Pauperi triſti ſimilem & ſeni,
Baculo innitentem : mala autem circum corpus veſtimenta indutus erat.

Ecce omnia iſta ad amuſſim conveniunt huic viro in hoc nummo, habet enim baculum ποθὶ τέτμημένον forte fortuna *abſciſſum* abſque delectu, ideo curvus eſt, ut ſcilicet obvius erat. Et baculo innititur quare ambabus manibus eum tenet. Si præterea bene conſideremus veſtimenta hujus viri patebit, illa ſatis vilia fuiſſe & λυγρὰ ut ait Homerus: immo hominem illum plane fuiſſe *triſti ſeni ſimilem*, ita enim inſtar miſeri ſenis & mendici baculo innititur.

Quod attinet *canem* qui huic viro in hoc nummo adſtat, manifeſtiſſime docet, eum deſignaſſe Ulyſſem, & quidem domum pæne intrantem. Sic enim de iſta cane loquitur Homerus:

Ἔνθα κύων κεῖτ' Ἄργος ἐνίπλειος κυνοραϊστέων,
Δὴ τότε γ' ὡς ἐνόησεν Ὀδυσσέα ἐγγὺς ἐόντα,
Οὐρῇ μὲν ῥ' ὅγ' ἔσηνε, καὶ οὔατα κάββαλεν ἄμφω.
Illic canis jacebat Argus plenus ricinorum,
Iam tunc ſtatim ut agnovit Ulyſſem prope euntem
Cauda quidem hic adulatus eſt, & aures dejecit ambas.

Idem judicium tandem fieri debet de *pileo*; is etiam peregrinantis eſt, ut ſupra oſtendimus: Sed Ulyſſem quoque indicat; cum optimi auctores Ulyſſi pileum attribuant, ut Lucianus, Plutarchus, Plinius & tot alii. Et Nicomachus quidem primus Ulyſſis ſimulachris *pileum* dediſſe teſtatur Plinius *lib.* xxxv. *cap.* x. Dubitandum itaque non eſt, *C. Mamilium Limetanum* per hunc nummum deſignare voluiſſe *Ulyſſem*, quia originem ſcilicet dedit ſuæ genti. Sed de hoc nummo nos plura habemus in obſervationibus noſtris ad auctores rei nummariæ.

CCCXCVII. Cum igitur in hoc nummo habeamus Vlyſſem pileatum, cuilibet ſatis manifeſto conſtat cujus formæ pileus ille Vlyſſis & Hebræorum Sacerdotum fuerit? Non multum diſſimilem pileo S. Pontificis apud Romanos, ut videre eſt in nummis Auguſti, Antonii, Lepidi aliorumque Pontificum Max. niſi quod is de quo agimus, talem mucronem non habuerit, ideoque ἄκωνος fuerit. Sive Hieronymus ad hunc nummum reſpexerit, ſive non, conſtat talem fuiſse, qualem deſcripſit Hieromymus & Joſephus: ἄκωνον, *non habentem acumen in ſummo, quaſi ſphæra media ſit diviſa, & pars ponatur in capite.* Non quod ſit media ſphæra perfecte rotunda

rotunda, eſt enim inſtar dimidiati ovi, quaſi fuiſſet ὠοειδὲς, *ovalis*, inſtar *ovatæ caſſidis*, ut Apuleii verbis utar. Ejuſdem plane formæ quales ſunt pilei Caſtorum, *fratrum pileatorum*, prout a pileis ſic vocari ſolent, in nummis *Familiæ Æliæ*, *Anteſtiæ*, *Atiliæ*, *Calpurniæ*, *Cæliæ*, *Cupienniæ*, *Horatiæ*, *Iuliæ*, *Marciæ*, *Minuciæ*, *Scriboniæ*, *Semproniæ*, *Terentiæ*, & alibi: maxime autem in familia *Sulpitia*. Hi ſane pilei a noſtris nocturnis, qui hodie ex lana coactili fieri ſolent, non multum differunt. Oportet igitur Hieronymum alium pileum Ulyſſis vidiſſe, aut eum per *ſphæram diviſam* non intellexiſſe ſphæram perfecte rotundam, ſed ovalem. Cum his aliquomodo etiam convenit pileus Romanorum, per quem libertatem exprimunt in nummis familiæ *Iuniæ*, & *Pletoriæ*, poſt cædem Iulii Cæſaris per Caſſium & Brutum, cum duobis pugionibus, & hac inſcriptione EID. MART. ad notandum diem facinoris. Hæc figura cum ſit magis incurvata optime convenit cum figura galeæ, & cum pileolis illis, quos *Calottes*, quaſi *galottes* a *galea* vocare ſolemus. Conſtat præterea ex nummo, pileum Ulyſſis non fuiſſe umbellatum, ut habet Aleander in explicatione tabulæ Heliacæ, ut optimo jure a Rubenio refutatus ſit.

CCCXCVIII. Habebant etiam veterum pilei & mitræ redimicula quædam, quibus capiti firmius alligabantur, ne facile inde deciderent. Virgilius.

Et tunicæ manicas, & habent redimicula mitræ.

Sic & Phrygia Tiara mento ſubligari ſolebat. Juvenalis:

——— *& Phrygia veſtitur bucca tiara.*

Sacerdotis habitu, ut ait Juvenalis vetus interpres, *tiara enim galea Sacerdotis eſt*, *quæ per malas veniens*, *mento ſubligatur*. Ejuſmodi redimicula & ligamenta habet flaminis Dialis, in nummis *familiæ Domitiæ*, *Iuliæ*, *Liciniæ*, *Valeriæ* &c. Ejuſmodi redimicula Sacerdotum Hebræorum pileos habuiſſe S. Scriptura non docet. Verum quidem eſt Moſen dixiſſe tiaras Sacerdotibus fuiſſe alligatas: veluti Exodi XXIX. IX. וחבשת להם מגבעות *& alligabis ipſis tiaras*. Et Lev. cap. VIII. XIII. ויחבש להם מגבעות *Et alligavit ipſis tiaras*. Sed cum tiara fuerit faſcia longa XVI. ulnarum, per ipſam faſciam alligari poterat, ſine ullo alio ligamento. Atque ſic forſan loca illa intelligenda ſunt. Nihilominus vittas iis attribuit Hieronymus, quibus in occipitio ſtringerentur. *In occipitio*, in-

inquit, *vitta conſtrictum eſt, ut non facile labatur ex capite.* Sic pileus Hebr. Sacerdotis ſtringitur in occipitio, cum Phrygia tiara, immo & pileus Romanus Libertatis, ſub mento ligari ſoleret. Sed unde Hieronymus illa hauſit? Proculdubio deceptus eſt a Joſepho, in cujus verba hac in materia juraſſe videtur: Sic enim Joſephus: ἥρμοσται δὲ ἀκριβῶς ὡς ἂν μὴ περιῤῥυῇ πονοῦντος περὶ τὴν ἱερουργίαν. *Adaptatur accurate ne inter ſacrificandum delabatur.* Sed Joſephus non dicit id factum fuiſſe *vitta* ſive redimiculo aliquo, fortaſſe factum eſt per faſciam ipſam: ita enim circa caput volvi poterat faſcia, ut ex capite non potuiſſet delabi. Nollem tamen jurare nulla omnino redimicula Hebræorum Sacerdotum pileos habuiſſe.

CCCXCIX. Nondum tota ſtructura pileorum Sacerdotum abſoluta eſt, ſola illa faſcia capiti obvoluta, ſed alio aliquo linteolo opus eſt, ad tegendas tiaræ ſuturas & deformitates, ſi Joſepho & Hieronymo credimus, præſertim Joſephi Interpreti *Gelenio.* Sic enim Joſephus ſermocinatur: ἔπειτα σινδὼν ἄνωθεν ἐκπεριέρχεται διήκουσα μέχρι μετώπου, τὴν δὲ ῥαφὴν τῆς ταινίας καὶ τὸ ἀπ' αὐτῆς ἀπρεπὲς καλύπτουσα. Quæ ſic reduntur a Gelenio: *quam* (tiaram) *ſuperne alia tela tegit, uſque ad frontem deſcendens, & per ſuperficiem verticis ſuturarum deformitatem occultans.* Hieronymus: *Eſt autem byſſinum, & ſic fabre opertum linteolo, ut nulla acus veſtigia extrinſecus appareant.* In his verbis cum Joſephi, tum & Hieronymi multa ſane reperiuntur, quæ non ab omnibus intelliguntur. Primum mentionem faciunt, neſcio quarum *ſuturarum.* Sed quid per ſuam ῥαφὴν *ſuturam* & ῥάπτεσθαι intelligant, nemo facile divinabit; cum omnia veſtimenta ſacra מעשה ארג *opus texoris* fuerint, quod ſupra pluribus probavimus. Credo itaque Joſephum per ſuam ῥαφὴν non intelligere ſuturam acu factam, ſed commiſſuram ſpirarum & orbium quæ in ejuſmodi tiaris fieri ſolent, prout & in capite, commiſſuræ ſcilicet cranii ῥαφαὶ dicuntur a Medicis Græcis. Hoc ſenſu puto accipienda eſſe verba Joſephi. Si aliter intellexit deceptus eſt, aut a Joſepho illa non fuerunt ſcripta. Saltem Hieronymus falſus eſt, cum iſtas ῥαφὰς intellexerit de ſuturis per acum factis. Sic Joſephus poſſet verti: *Tela iſta ſuperne tegit tiaræ ſtructuram ad frontem uſque, ut faſciæ commiſſuras & quicquid deforme apparet, occultaret.* Aliam præterea difficultatem hæc verba creant, præſertim verſio Gelenii,

Ex his conſtat Sacerdotum Hebræorum pileos fuiſſe inſtar Tiaræ Turcicæ; & Tiaram Pont. Max. non male repræſentari per Tiaram Turcarum Imperatoris Bajetis, apud Stradam: cæterorum autem Sacerdotum altiorem fuiſſe, Ideo Judæis Germanis non male dici ein hogen Hut.

CCCC. Hactenus nos ſatis dixiſſe de pileo totius Sacerdotum turbæ credo, tempus jam eſſet etiam aliquid de tiara S. Pontificis dicendi, ut manifeſtum fieret quæ vera ipſius forma fuerit, quouſque cum reliquorum Pontificum pileis conveniat, & quænam ſit inter eos differentia; Sed malumus de his agere poſtea, ubi ad veſtimenta Summi Pontificis deventum fuerit. Sed antequam hoc caput finiamus, coronidis loco quædam addi operæ pretium cenſuimus, de uſu pileorum in Sacris apud cæteras nationes.

CCCCI. Apud veteres multos fuiſſe ſolitos ſacra facere nudo capite diſcimus. Talia erant ſacra Bacchi, quæ fiebant ſolutis crinibus. Porphyrio ad *lib.* II. *Odarum. Biſtonides Thraces ſunt quæ cum in ſacris Liberi patris crinibus ſolutis verſantur, angues & in capite & in manibus geſtant.* Saturni ſane & Honoris ſacrificia nudo capite fiebant. Plutarchus *Quæſt. Rom.* Διὰ τί τῷ Κρόνῳ θύουσι ἀπαρακαλύπτῳ τῇ κεφαλῇ; &c. *Cur Saturno ſacrificant nudo capite?* Et Paulo poſt. Διὰ τί καὶ τῷ λεγομένῳ Ὀνώρει θύουσι ἀκαλύπτῳ τῇ κεφλῇ; *Cur Honori, uti vocatur, ſacrificant nudo capite?* De Saturni Sacris hæc proferuntur a Feſto: *Saturnii quoque dicebantur, qui caſtrum in divo Capitolino incolebant, ubi ara dicata ei Deo ante bellum Trojanum videtur, quia apud eum ſupplicant apertis capitibus: nam Italici, auctore Ænea, velant capita quod is, qui rem divinam faceret in litore Laurentis agri Veneri matri ne ab Vlyſſe cognitus interrumperet ſacrificium, caput adoperuit, atque ita conſpectum hoſtis evitavit.* Macrobius *Saturnal. lib.* III. *cap.* VI. *Cuſtoditur in eodem loco* (apud aram maximam) *ut omnes aperto capite ſacra faciant; hoc fit ne quis in æde Dei habitum imitetur, nam ipſe ibi eſt operto capite. Varro ait Græcum hunc eſſe morem: quia ſive ipſe, ſive qui ab eo relicti aram maximam ſtatuerunt, Græco ritu ſacrificaverunt. Hoc amplius addit Gavius Baſſus: idcirco enim fieri dicit; quia ara maxima ante adventum Æneæ in Italia conſtituta eſt, quo hunc ritum velandi capitis invenit.* Plutarchus loco modo citato tradit, etiam antiquiſſimum morem fuiſſe in Italia, ante adventum Æneæ, ut

ſacris

III.



ſacra fierent nudo capite; Æneam etiam primum fuiſſe, qui tecto capite ſacrificaverit, & hoc quidem ab eo factum, quod Diomedem hoſtem prætereuntem viderit: tunc enim Æneam caput velaſſe, atque ita ſacrificium abſolviſſe. Babylonios nudo capite quoque ſacrificaſſe colligi poteſt ex capite vi. verſ. xxx. libri *Baruchi*, niſi quis dicat id factum fuiſſe in caſu extraordinario.

CCCCII. In aliis ſacris caput ſumma cura velare ſolebant veteres. Herculis ſacra velato capite fiebant. Silius Italicus:

——— velantur corpora lino,
Ex Peluſiaco præfulget ſtamine vertex.

En plane eandem tiaram ex lino Peluſiaco, qualem & Hebræorum Sacerdotes habere ſolebant. Idem confirmat Plutarchus *Quæſt. Græc.* ubi de Herculis Sacerdote. Διὰ τί παρὰ Κώους ὁ τοῦ Ἡρακλέους ἱερεὺς ἐν Ἀντιμαχίᾳ γυναικείαν ἐνδεδυμένος ἐσθῆτα καὶ τὴν κεφαλὴν ἀναδούμενον μίτρᾳ, κατάρχεται τῆς θυσίας; *Cur apud Coos Herculis Sacerdos in Antimachia muliebri indutus veſte, capite mitra tecto ſacrificium auſpicatur?* Quæ autem hujus ritus ratio fuerit, vide ibidem apud eundem Plutarchum. Et Dacorum Sacerdotes tiaras geſtaſſe docet Jornandes *de Rebus Geticis cap.* xi. *Fecitque Sacerdotes, nomen illis Pileatorum contradens, ut reor, quia opertis capitibus tiaris, quos pileos alio nomine nuncupamus, litabant.* Et tiaras Sacerdotum tegumentum fuiſſe, jam ex veteri Scholiaſte Juvenalis audivimus ad hunc verſum:

——— Phrygia veſtitur bucca tiara.

De iiſdem proculdubio Virgilius *Æn. lib.* iii.

Et capita ante aras Phrygio velamus amictu.

De ejuſmodi tegumento videtur loquutus Ovid. *Triſt. lib.* vi. vi.

Et jam conſtiterat ſtricto mucrone Sacerdos,
Cinxerat & Grajas barbara vitta comas.

Hinc *vittata Sacerdos*, qualis erat Veſtalis, de qua Lucanus *Pharſ. lib.* i.

Veſtalemque chorum ducit vittata Sacerdos,

Quod intelligi poteſt de talibus tiaris, quales Hebręorum Sacerdotes habent. Non prætereundus eſt Iſidorus *Orig. lib,* xix. *cap.* xxx. ubi de *infula* & de *vitta* Sacerdotum. *Gentilium vates*, ait, infula, apice, pileo *ſive* galerio *utebantur.* Infula *eſt faſciola Sacerdo-*

talis

alba in modum diadematis, a qua vittæ ab utraque parte dependent, quæ inſulam vinciunt. Unde & vittæ dictæ ſunt, quod vinciant. Inſula autem plerumque lata erat, plerumque tortilis, de albo & cocco. Hinc & ſacratæ inſulæ dicuntur a Seneca in *Agam. Act.* III.

Sed cur ſacratas diripis capiti inſulas?

Feſtus. *Inſulæ ſunt filamenta lanea, quibus Sacerdotes & hoſtiæ templaque velabantur.* Flamen Dialem album galerum habuiſſe docet A. Gellius *lib.* X. *cap.* XIV. *Is ſolus album habet galerum; vel quod Iovi immolata hoſtia albo fieri oporteat.* Nihil autem magis notum eſt quam Flaminum *Apex*, pileus ſcilicet formæ acuminatæ, cum apice in ſummo. De Saliorum Apicibus videatur Dionyſius Halicarnaſſæus, quales & κυρβασίας appellat *lib.* II. Καὶ τοὺς καλουμένους ἄπικας ἐπικείμενοι ταῖς κεφαλαῖς πίλους, ὑψηλοὺς εἰς σχῆμα συναγομένους κωνοειδὲς, οὓς Ἕλληνες προσαγορεύουσι Κυρβασίας. Et Apices, *uti vocantur, capitibus imponebant, pileos ſcilicet altos in modum coni, quos Græci Curbaſias vocant.* Hunc pileum Iſidorus, libro modo laudato, ſic deſcribit: *Apex eſt pileum ſutile, quo Sacerdotes gentiles utebantur: appellatum ab apiendo, id eſt a ligando, virgula quæ in pileo erat, contexebatur filo, quod fiebat ex lana hoſtiæ.* Galerium *pileum ex pelle cæſæ hoſtiæ factum.* Pilleum *autem dictum a pelle hoſtiæ unde fiebat.* Cidaris *& ipſum Sacerdotum erat, quod a pleriſque mitra vocatur.* Quod *pilleum* a *pelle* deducant, in eo errat proculdubio, cum potius fiat ἀπὸ τοῦ πίλου Græcorum. Nec facile crediderо *Apicem* dici ab *apiendo* ſive *ligando*, cum ſic dictus videatur ab ipſo apice quem affixum habebat. Feſtus, *Pileo Flaminum affigebatur apex ex virgula oleagina.* Affigebatur autem apex, ſecundum quoſdam, ad demonſtrandam muneris eminentiam & dignitatem; ideo & apud Chriſtianos Epiſcopalis dignitas olim *Apex* dicebatur, ut optime obſervavit Salmaſius de Coma. Inde fortaſſis titulus Cardinalium Eccleſiæ Romanæ, qui *eminentiæ*, quaſi *Apices*, ad hunc uſque diem vocantur. Alii tamen exiſtimant *apices* affigi ſolere antiquo more, quod apud Laurolavinium aves venerint ut exta victimarum abriperent: ut opus habuerint ejuſmodi apicibus in pileo ad abigendas aves, ideo in urbe eos breviores virgas habuiſſe, quia ibi ejuſmodi aves non erant timendæ. Servius ad *Æn. lib.* VIII. ad hos verſus:

Hinc exultantes Salios, nudoſque Lupercos,

Lani-

Lanigeroſque apices, & lapſa ancylia cœlo
Extulerat.

Flamines, inquit, *habebant in capite pileum, in quo erat brevis virga deſuper habens lanæ aliquid: quod quum per æſtus ferre non poſſent, filo tantum capita religare cæperunt: nam nudis penitus eos capitibus incedere nefas fuerat, unde a filo quo utebantur Flamines dicti ſunt quaſi Filamines. Verum feſtis diebus filo depoſito, pilea neceſſe erat accipere, quæ ſecundum alios ad oſtendendam Sacerdotii eminentiam ſunt reperta: ſicut columnæ mortuis nobilibus ſuperponuntur, ad oſtendendum eorum culmen. Alii dicunt, non propter eminentiam dignitatis hoc factum, ſed quia quum ſacrificarent apud Laurolavinium & eis exta frequenter aves de vicinis venientes lucis arriperent, eminentia virgarum eas terrere volebant. Exinde etiam conſuetudo permanſit, ut apud Laurolavinium ingentes haberentur virgæ, non breves ut in urbe. Sunt etiam qui Flamines a geſtamine pilei dictos ajunt, quaſi pilamines.* Ejuſmodi pileum, cum virga longiori vide apud Choulium in nummo Auguſti & alibi. Cum breviori virga pileos quoque videbis apud eundem, quales depingi curavit ex Marmoribus quæ Romæ viſuntur. Ab ejuſmodi apicibus igitur pileus *Apex* dictus eſt, niſi cum Salmaſio dicere velimus, eos non a virga oleagina, ſed quod fuerint alti & acuminati ad formam coni, *apices* dictos eſſe. Quod autem Servius *Flamines* dictos velit, quaſi *pilamines*, in hoc non diſcrepat a Plutarcho, qui eadem animadvertit *in Numa.* Ἐκάλουν δὲ καὶ τοὺς προγενεστέρους φλάμινας, ἀπὸ τῶν περικεφαλίων πίλων, οὓς ταῖς κεφαλαῖς φορέουσι, Πιλαμένας τινὰς ὄντας, ὡς ἱστοροῦσι. *Vocabant autem veteres Flamines a pileis, quibus capita tegebant quaſi pilamines, ut memorant hiſtorici.* Ægyptiorum Sacerdotes & pallio veſtiri, & mitra caput tegere, & oculos velare, docet Herod. *lib.* II. CXXII. φᾶρος δὲ αὐτημερὸν ἐξυφήναντες οἱ ἱερέες, κατ' ὧν ἔδησαν ἑνὸς αὐτῶν μίτρῃ τοὺς ὀφθαλμούς. *Velum autem quod uno die detexitur, Sacerdotes uni illorum imponunt, & mitra oculos tegunt.*

CCCCIII. Sed non tantum *pileis*, *mitra*, *Kurbaſia* &c. veteres Sacerdotes capita tegebant, ſed & ipſis nonnunquam veſtibus, quibus amicti erant, puta pallio, toga aut aliis ejuſmodi tegumentis. Tale fuiſſe videtur *tutulum*, pallium ſcilicet, quo Sacerdotes caput tutabant. Fulgentius. *Numa vero*, ait, *Pompilius & ipſe de Pontificalibus ſcribens, tutulum dici ait pallium, quo Sacer-*

dotes caput tutabant. Tutulum igitur pallium capitis tegumentum Sacerdotum, & ſic dictum a *tutando*, quemadmodum Germanis noſtris *pileus* dicitur ein hut / a verbo hüten *tutare*, Sed & toga caput tegere ſolebant in *cinctu Gabino*, de quo nos capite prçcedente. Videantur nummi quos ibi alligavimus. Sacrificaturi & vota ſuſcepturi prçtextam capiti injiciebant, quod feciſſe Veſpaſianum teſtatur Joſephus de *bello Jud. lib.* VII. Et hunc quidem morem, auctorem habuiſſe Æneam multi teſtantur. Plutarchum, qui idem teſtatur in *Quæſtionibus Romanis*, ſupra jam allegavimus. Audiamus etiam Virgilium *Æn. lib.* III.

Purpureo velare comas adopertus amictu,
Ne qua inter ſanctos ignes in honore deorum,
Hoſtiles facies occurrat, & omnia turbet.
Hunc ſocii morem Sacrorum, hunc ipſe teneto,
Hac caſti maneant in Religione Nepotes.

Ad hunc locum Servius eadem obſervat, quæ a Plutarcho jam obſervata fuiſſe ſupra monuimus. Docet enim Virgilium per *hoſtilem faciem* intelligere Diomedum, qui Æneam ſacrificantem invenit: ne autem Æneas ab ipſo agnoſceretur, neque ſacrificii ordinem rumperet, quod piaculum fuiſſet, amictu ſuo caput texiſſe. Addit Servius & hæc verba: *Sciendum eſt, ſacrificantes diis omnibus caput velare conſuetos ob hoc, ne ſcilicet inter Religionem vagis aliquid oberret obtutibus.* Plutarchus, loco allegato, inter multas alias rationes, cur ſacrificantes caput velarint, & hęc annotavit: τοὺς δὲ Θεοὺς οὕτω προσήκυνουν, ἢ ταπεινοῦντες ἑαυτοὺς τῇ ἐπικρύψει τῆς κεφαλῆς, ἢ μᾶλλον εὐλαβούμενοι τινα φωνὴν προσπεσεῖν αὐτοῖς ἔξωθεν εὐχομένοις ἀπαίσιον καὶ δύσφημον, ἄχρι τῶν ὤτων ἀνελάβομεν τὸ ἱμάτιον &c. *Deos autem operto copite adorant, vel quod hoc tegumento capitis ſe humiles oſtenderent, aut potius ne qua vox mali ominis audiatur, ideo uſque ad aures veſtem ſurſum trahunt.* Manifeſtum igitur eſt Sacerdotes & ſacrificantes ideo capita velaviſſe, ne inter ſacrificandum turbarentur mala aliqua cogitatione, quo facto piaculum comiſiſſent. Ideo exſertis verbis hęc addidit Virgilius: *& omnia turbet*, aut, ui alii legunt, & OMINA *turbet.* Hanc ob cauſam ne in ſacris vagis & vanis cogitationibus diſtracti aliud agerent, monebantur ſacrificantes, ut animum ſacris unice applicarent, ſolenni hac formula HOC AGE. Videatur prçſertin Plutarchus in *Numa* & *Coriolano.* Sane eadem cura & Hebrçorum Sacerdotes

cerdotes non parum ſolicitavit: animo enim liberrimo ſacrificari opportebat, nullis cogitationibus implicito; adeo quidem ut vel minima cogitatio ſacrificium polluere, & irritum reddere crederetur. Hinc toties apud eos occurrunt hęc verba: המחשבה פסלת *Cogitatio polluit.* Hinc proculdubio originem habet opinio in Eccleſia Romana: ſcilicet intentionem Sacerdotis adeo eſſe neceſſariam in conſecranda hoſtia, & in cęteris ſacramentis adminiſtrandis, ut, ſi forte eo momento mens aliqua cogitatione diſtracta ſit, conſecratio, aut Sacramentum irritum cenſeatur, & nullum haberet effectum. Sed de his fuſius egimus in noſtris obſervationibus ad *Maſſechet Sevachim* & *Menachoth.*

CCCCIV. Sed & ipſę fœminę Sacerdotes caput quoque tegebant quando ſacra faciebant. Hoc jam ſatis conſtat ex pręcedentibus, tales enim erant *Cybeles* mulieres Sacerdotes Deæ Phrygiæ, apud Athenæum *lib.* XIV. Et *vittata Sacerdos* apud Lucanum *Pharſ. lib.* I. Sed clarius fit ex *rica*, qua veteres Sacerdotes fœminæ uti ſolebant. Varro: *Rica a ritu: quod Romano ritu ſacrificium fœminæ cum faciunt, capita velant.* Feſtus: *Rica eſt veſtimentum quadratum fimbriatum, purpureum, quo Flaminicæ pro pallio mitrave utebantur, ut Verrius exiſtimat. Titinnius. Rica ex lana ſuccida alba veſtitus. Alii dicunt pallium eſſe duplex quod conficiant Virgines ingenuæ, patrimæ, matrimæ, quod cæruleo colore infectum lavatur aqua pura. Alii quod Flaminica cingit pileum.* Idem de Ricula. *Riculæ vocantur parva ricinia, ut palliola, ad uſum capitis facta.* Sed ſecundum *Granium* erat *muliebre cingulum capitis, quo pro vitta Flaminica redimiatur.* Ex his videtur poſſe colligi non magnam fuiſſe differentiam inter ricam & mitras Hebræorum Sacerdotum, ſecundum Granium, eſt enim Sacerdotum *mitra* nihil aliud quam baltęus aut *cingulum capitis. Virgines Veſtales*, teſte Feſto, *cum ſacrificant ſemper habere ſolebant in capite veſtimentum album, quadrangulum, oblongum, quod fibula comprehenditur*, unde *ſuffibulum* dictum. Et *tutulum* fœminarum ſacrificantium tegumentum erat. Feſtus: *Tutulum vocari ajunt Flaminicarum capitis ornamentum, quod fiat vitta purpurea innexa crinibus, & extructum in altitudinem; quidam pileum lanatum forma metalli figuratum, quo Flamines, ac Pontifices utuntur, eodum nomine vocari. Hinc tutulatos apud Ennium.* Non debet etiam ſilentio præteriri *Capital* earum. Varro *Capital dictum quod ſacerdotulæ in capite etiam*

nunc ſolent habere. Plura ſi quis de Pileo videre cupiat, adeat Paſchalium *de Coronis*, Solerium *de Pileo*, & alios; hæc ad noſtrum ſcopum ſufficient.

Cap. V.

DE מעיל PALLIO PONTIFICIS MAXIMI.

מעיל *Præceptum ejus ubi exſtet. Variæ Verſiones.* מעיל *fere ſemper vocatur* pallium. *Materia pallii*, lana, pelles. *Pallium non a* pelle, *ſed a* palla. Palla *mulieribus id quod* Pallium *viris.* Byſſinum *Pallium. Chron.* XV. XXVII. Ephod bad. *Pallia an ex* lino *apud Iudæos? Ex* ſerico *apud Romanos.* מעיל *non ex* ſerico. *Error Lutheri. Ex* lana. Color *Palliorum. Monachorum olim* nigra. *Rhetorum* rubra. *Philoſophorum* fuſca. *Quædam* coccinea. Auro *ornata. Varii auctores allegantur.* מעיל *S. Pontificis* כליל הכלת totum hyacinthinum. *Error Vilalpandi & pictorum pallio S. Pont. vulgo* prætextam *aſſuentium. Pallii* forma *varia olim. Quid Tertulliano? Pallia* quadrata. *Inſtar* Stragulæ. *Un Voile*; **Een falie** *a Græcorum* φάλα: *varii auctores allegari.* Cingari, Ægyptii *&* Bohemi *palliati. Pallia* Philoſophorum *& aliorum honeſtiorum quomodo geſtarentur olim? Pallium cervicibus circumſtrictum. Quatuor habent* πτέρυγας *alas.* γωνία angulus *pallii.* τετράγωνον quadrangulum. *Heſychius & Pollux allegantur. Iudæorum pallia quadrangula: Deuteron.* XXII. XI. *& Numer.* XV. XXXVIII. כנפות πτέρυξ, γωνία. Ala, Angulus. *Quatuor plagæ terræ. Varia loca Scripturæ.* In *quatuor angulis appenſa* peniculamenta. *Iudæorum hodiernorum pallia.* מעיל *&* טלית *diſtinguuntur. Pallium ex duabus plagulis.* Diaconorum *pallia.* ἀμάσχαλος, χιτών. Forma *palliorum apud Iudæos olim.* Samuelis *&* Sauli. *Varia loca S. Scripturæ. Pallia apud Iudæos hodie.* **Hille** mantel *Scabas* mantel. *Opinio doctiſſimi* Jacobi Altingi *de pallio S. Pontificis.* Maimonides *allegatur. A. R.* Abraham *refutatur. Pallium S. Pontif. non* quadratum, *nec* apertum *in lateribus, ſed Rotundum & undique clauſum. Varii Rabini allegantur.* מעיל χιτὼν πο-

ποδήρης כתונת *&* Tunica *vocatur.* Tunica *Thamaris.* מעיל *magis* tunica *quam* pallium *veſtis exterior, Tunica magis interior. P. M.* מעיל *proprie non eſt veſtis exterior. Cingitur cingulo Ephodi :* Cingulum *magis tunicæ quam pallii, Pallium dicitur* חלוק *Honoratiores duas habent tunicas.* Interior *ſine auro & ornamento.* Exterior *ornatior. Tunicæ* pictæ, plumatæ, auratæ, palmatæ, triumphales, gemmatæ, Perſicæ de gemmis, purpureæ, paragaudiæ, ποικίλοι, ἐπίσημοι. Induſium *&* Intuſium. *Varii auctores allegantur. Iudæi octodecim veſtes. Pont. Maximus Hebr. duas habuit tunicas. Interior erat* כתנת; *Exterior* מעיל ἐπιδύτη, ἐπενδύτη, ἐπενδύτην pallium *apud Ioſephum.* Pallium teres *apud Tertull.* ἱμάτια. *Olim tunicæ* pallium *vocabantur. Pallium Anglis* cloake a חלוק *chaluk* nola. *Differentia inter* tunicam *& pallium S. Pont. & Rom.* Togam. מעיל *veſtimentum rotundum & clauſum. Ezech.* XXVII. XXIV. גלימה גלם glomerare, *gloma a* גלם golem. I. *Sam.* XV, XXVII. *Varii Rabini allegati.* מעיל *tunica* ἄῤῥαφος. *Non habuit* כנפות *alas.* שולי Oræ *pallii.* סביב tout au tour. κύκλῳ מעיל talaris *veſtis*, ποδήρης. שטה *quid ? Eſ.* XLIX. XVII. & LXII. I. I. *Sam.* XXVIII. XIV. *quo ſenſu Talaris ?* מעיל *nullas habet manicas. varii Rabini allegantur.* פי הראש *&* פי המעיל Os capitis, *&* os Pallii. capitium. περιστόμιον. *Varii auctores.* capitium *non tranſverſum, ſed longum, ad medium pectus.* שפה limbus *in capitio.* כפי תחרה limbus loricæ. *Attextus non aſſutus. Varii auctores allegantur.* περιέπλεως *Ioſepho quid?* συνάρθωσις; *Ornamenta in infimis oris* מעיל θυσανοὶ, κρόσσοὶ, κόρυμβοι. *Fimbriæ ex malogranatis & tintinnabulis aureis.* רמונים. Rimon, Limon. *R. & L. permutantur.* Malogranatum. *Iudæis* een milgrom רמון *non* meſpilum *ſignificat. Malogranata corticem rumpunt. Cantic.* IV. III. *Lutheri verſio laudatur.* קליפי רמונים *an* cortices citreorum ; *Error* Buxtorfii *&* Sebaſtiani Smidii. Cortices Malogranatorum, *non* citreorum *adhibentur ad infecturam*, *Paraphraſtæ Cant.* IV. III. *deſcriptio* ꝑ רמון *granata a* granis, *ſive* acinis. ῥοαὶ, ῥοΐσκοι. *Granata magna inſtar ovi gallinæ. Materia granatorum.* משזר *Nota* Maſoræ. Septuaginta *emendantur* פעמון Tintinnabulum. κώδωνες, Schellen / Schellekens / Clochetes. Plutarchus *de tintinnabulis in veſte S. Pontif. Hebr. Tintinnabulorum apud veteres varius uſus. Varii aucto-*

res allegati. Materia tintinnabulorum aurum. *Forma eorum Varia genera.* Rotunda *quædam inſtar globulorum, intus cavorum.* **Bellen** / *Belgis a* bulla. *An talia nota veteribus ?* Crepundia. *in uſu fuerunt apud Iudæos. Comparantur cum* uvis, *Numer.* VI. V. זג *varii auctores. A*cinus *in uva inſtar mallei in tintinnabulo.* Tintinnabula *inſtar* Scyphorum, *aut* Campanæ. Elephas *cum tintinnabulo in marmore. Ejuſmodi tintinnabula magna copia reperta circa* Novomagum. *Talia apud Hebræos in uſu* ענבול malleolus, plectrum. lingua. זג & ענבול *totum componunt* tintinnabulum. *Codices* Sevachim *&* Parah *allegantur.* Malleolus *tintinnabuli* aqua luſtrali *aſperſus. In* מעיל *cujus* formæ *fuerint tintinnabula.* Numerus *tintinnabulorum. Utrum* XII. *an* L. *an* LXX. *an* CCCLXVI. *varii auctores.* Janii Cornarii *lapſus. Multum ſpatii occupare debent* LXXII. *tintinnabula & totidem mala punica. Tintinnabula quomodo pallio appenſa? An mala punica cava fuerint? an incluſa habuerint tintinnabula?* Abarbanelis *commentum. Singulum tintinnabulum inter duo malogranata. An præter malogranata* flores *appenſi fuerint?* Philo *&* Joſephus *examinantur. Eorum* ἄνθινα *quid* Malogranata *florentia.* Pallia fimbriata *apud veteres. Pallium Regum Perſarum eadem ornamenta habuit ac Pontificis Max.* Targum Scheni *Eſteræ* VI. *Brevis deſcriptio* § מעיל *Tabula quæ repræſentat hoc veſtimentum. Explicatio tabulæ.*

CCCCV. HUc uſque occupati fuimus in veſtienda tota Sacerdotum turba; Inſtituti noſtri ratio poſtulat, ut nunc de Pontificis Maximi veſtitu agamus. Libro primo jam docuimus veſtes S. Pontificis alias eſſe aureas, alias albas. De aureis itaque primum, deinde de albis etiam aliquid dicemus. Aureæ quidem veſtes ſunt octo, מכנסים / כתנה / אבנט / מעיל / אפד / חשן / מצנפת / וציץ & *Feminalia, tunica, balteus, pallium, Ephod, Pectorale, Cidaris & Corona.* Primo quod attinet ad *feminalia, tunicam & balteum,* non opus eſt ut de iis plura dicamus, cum nulla ſit differentia inter *feminalia, tunicam & balteum* Summi Pontificis & cæterorum Sacerdotum; ejuſdem ſiquidem erant & materiæ & formæ: niſi quod fortaſſis pretioſior byſſus adhibita fuerit in veſtitu S. Pontificis, quam in veſtitu reliquorum Sacerdotum. De veſtibus aureis itaque acturis nobis occurrunt præter ea quæ

ea quæ jam tractavimus. *Pallium*, *Ephod*, *Pectorale*, *Cidaris* & *Corona*. Hiſce pertractatis integrum Sacerdotum ornatum detextum habebimus. Et primo quidem de מעיל *pallio*; deinde de reliquis dicendum erit.

CCCCVI. Præceptum de מעיל ſive *pallio* exſtat Exodi cap. XXVIII. verſu IV. & verſu XXXI. ועשית את המעיל *Et ſacies pallium*. Septuaginta habent ποδήρη *talarem*, & ὑποδύτην ποδήρη, & ὑποδύτην tantum, ut Levit. VIII. VI. & Exodi XXVIII. verſu XXXIV. & cap. XXXIX. XXIV. Et Eſaiæ LXI. X. χιτῶνα. Vulgatus *tunicam*, & *tunicam ſuperhumeralem*. Chaldæus מעילא retinet, Hieronymus habet *tunicam talarem*, ſequutus, uti ſolet Joſephum, qui habet χιτῶνα ποδήρη. Eodem plane modo vertit Philo Judæus *lib.* III. *de vita Moſis*. Arabs ممطر *lacernam* dicit; ſive penulam quæ induitur contra pluviam, a verbo مطر *pluit*. Lutherus Seiden rock / Belgæ **een Mantel** / Galli *un Roquet*; Diodati *La robe*, Junius & Tremellius *pallium*.

CCCCVII. Sed quotquot habuerit nomina hoc veſtimentum, nullum familiarius nec magis notum fuit, quam nomen *pallium*, ſaltem apud auctores Latinos. Quale autem veſtimenti genus fuerit pallium apud veteres, inter auctores non plane convenit. Ejus quidem formam, figuram, materiam & modum geſtandi, ſatis fuſe tractarunt Salmaſius in eruditiſſimo Commentario *ad Tertullianum de Pallio*, Ferrarius *de Re veſtiaria*, & alii non pauci.

CCCCVIII. Materiam pallii, ut plurimum lanam fuiſſe, teſtantur auctores. Pallia etiam *pellicea* habuiſſe veteres, colligi poteſt ex Ariſtophane in Nubibus: *Ubi grandior eris, capellas agito e Phelleo, ut & pater tuus* διφθέραν ἐνημμένος *ſcorteam veſtem indutus:* quam veſtem Scholiaſtes περιβόλαιον ποιμενικὸν ἐκ δέρματος interpretatur. *Pallium* (περιβόλαιον *pallium* eſt) *paſtorale ex pelle*. Huc fortaſſis reſpexit Iſidorus *Orig. lib.* XIX. *cap.* XXIV. *Dictum*, inquit, *pallium a pellibus, quia prius ſuper indumenta pellicea veteres induebantur, quaſi pellea*. Sed inepte, ut optime obſervat Clariſſimus Ferrarius. *Pallium* itaque rectius dicitur a *palla*, *quod palam & foris eſſet*, teſte Varrone; aut etiam ab *irrugatione*, & *mobilitate*, *quæ circa finem hujuſmodi indumenti*, ἀπὸ τοῦ πάλλειν, ut Iſidorus alibi. Et ſane quod *palla* mulieribus fuit, id ipſum *pallium* fuiſſe videtur viris: eſt enim *palla*, ut habet Iſidorus, *quadrum pallium muliebris veſtis deductum uſque ad veſtigia, affixis in ordinem*

gemmis.

gemmis. De Pallio *byſſino* legimus I Chronic. XV. XXVII. ודויד מכרבל במעיל בוץ : *Et David amictus erat pallio byſſino.* Igitur & byſſus antiquorum palliis materiam præbuit. Sed מעיל ibi a Jarchio & Kimchio exponitur *Ephod bad*, *Ephod lineum:* ut magis fuerit *Ephod* quam *pallium.* Nullam tamen rationem video, cur exponamus *Ephod* potius quam *pallium.* Nam ut Ephod aliquando fuit ex lana, aliquando ex lino, ſic & pallium fortaſſis iidem Judæi habebant nonnunquam ex lana & aliquando ex lino. Sane pallia ex ſerico in uſu fuiſſe apud Romanos conſtat ex Vopiſco in *vita Aureliani*, ubi docet aureliani uxorem pallium petiiſſe *blatteoſericum.* Ut ut ſit, conſtat pallia ut plurimum lanea fuiſſe. Plautus *Mil. Glor. Act.* III. *Scen.* I.

Eme mi vir lanam unde tibi pallium
Malacum, & calidum conficiatur &c.

De materia pallii ſummi Pontificis S. Scriptura exſertis verbis quidem nihil habet. Dicitur tantum quod fuerit כליל תכלת *totum hyacinthinum.* Lutherus quidem *ſericum* fuiſſe credidit, ideo ſeyden rock / *tunicam ſericam* habet. Sed male: Certiſſimum enim eſt, pallium fuiſſe ex *lana;* תכלת ſiquidem nihil aliud quam lanam tinctam ſignificat: quemadmodum ארגמן & תולעת שני *purpuram* & *coccinum*, ita & תכלת lanam *hyacinthino* colore ſignificat; ſed lanam ejuſmodi coloribus tinctam fuiſſe ſatis fuſe probavimus *libro* I. *cap.* VIII. & alibi.

CCCCIX. Color *pallii* apud veteres varius fuit. Olim Monachorum & Aſcetarum pallia *nigra* fuiſſe ey Syneſii *Epiſt.* CXLVI. *ad Johannem* probat Magnus Salmaſius *ad Tertullianum de Pällio.* Rhetorum pallia rubra & Phœnicei coloris erant. Philoſophorum autem *fuſca.* Baſilius Presbyter in Nazianzenum: τρίβωνες, περιβλήματα τινὰ, τῶν μὲν ῥητόρων ἐρυθροί τε καὶ φοινικοὶ, φαιοὶ δὲ τῶν φιλοσόφων. *Tribones ſunt pallia quædam; Rhetorum quidem rubra ſunt, & Phœnicei coloris; Sed Philoſophorum fuſca.* Apollonius, teſte Philoſtrato, *lib.* II. *cap.* IX. φαιὸν *tribonium*, id eſt *fuſcum pallium* habuit. Et *Coccinea* habebant, ut videre eſt in *Epiſt. Commodi ad Albinum.* Vopiſcus in *vita Valeriani: Ut tibi inſigne aliquod imperialis Majeſtatis accedat, habebis utendi coccinei pallii facultatem me præſente.* Sed & variis figuris & auro ornari ſolebant pallia. Phidias palliis uti ſolebat, quæ aureas teſſeras intextas habebant, teſte Plinio. Vide Salmaſium *ad Ælium Lampridium, in vita Alexan-*

lexandri Severi. De *pallio auro ſparſo* leges apud eundem Lampridium, in eadem vita. Hebræorum Sacerdotis pallium nullum habuit ornamentum, nullum aurum intextum, nulloque colore variatum, ſed כליל תכלת *totum hyacinthinum* fuit, id eſt ex lana hyacinthino colore tincta, Exodi cap. XXVIII. XXXI. ut capere non poſſim quam ob rem viri docti docuerint hoc pallium ex tela fuiſse, *opere reticulato*, cum τὸ *reticulatum* dici non poſſit niſi de tunica interiori tantum. Peſſime etiam Villalpandus multique pictores huic veſtimento prætextam, variis floribus aliiſque figuris ornatum, aſſuunt.

CCCCX. Forma palliorum varia fuit apud veteres. Quadratum fuiſſe veſtimentum, vulgatior ſententia eſt. Tertullianus de Pallio: *Pallium extrinſecus habitus, ipſe quadrangulus, ab utroque laterum regeſtus, & cervicibus circumſtrictus, in fibulæ morſu humeris acquieſcebat.* Sed & illa ipſa pallia, quæ quadrata dicuntur, non omnia ejuſdem formæ fuerunt. Sunt enim veſtimenta quædam quadrata, quæ ex unica tantum plagula conſtabant, quale veſtimentum ego *quadratum ſimplex* vocarem, quia in eo nulla eſt commiſſura pannorum aut plagularum. Illa non multum diſcrepant a velamentis illis, quibus hodie noſtræ utuntur mulieres tempore pluviæ, quæque capiti imponunt ad obtegendas reliquas veſtes ut a ſordibus præſervarentur, Gallis *un voile*, Belgis **een falie**/ forte a Græcorum φάλα. Sed veterum pallia noſtrarum mulierum velamentis majora fuiſſe videntur. Forte erant inſtar ſtragularum, quibus uti ſolemus in lectis, Gallis *une couverte.* Sane & ejusmodi ſtragula *pallium* dicitur, quia ſcilicet uſum ſtragulæ & pallii præbebat. Ovidius *Amor.* I. *El.* II.

Hæc tamen aſpiciam, ſed quæ bene pallia celant:
Illa mihi cœci cauſa timoris erunt.

Propertius *lib.* IV. *Eleg.* III.

At mihi cum noctes induxit veſper amaras,
Si qua relicta jacent, oſculor arma tua.
Tum queror in toto non ſidere pallia lecto.

Et Juvenalis *Sat.* VI.

------ ------ *Tunc corpore ſano*
Advocat Archigenem, oneroſaque pallia jactat.

Itaque illi qui ejuſmodi pallio veſtiti erant, non differebant ab illis

quos vulgo *Cingaros*, *Ægyptios* aut etiam *Bohemos* vocant, quos ſtragulis velatos percurrere vicos & campos videmus. Hæc *Græcanica* pallia fuiſſe, vix dubito. Sed alio modo gerebantur a Philoſophis; alio ab honeſtioribus viris, & a reliqua plebe. Philoſophi enim totum corpus pallio involvebant, & pallio quidem a dextro ad ſiniſtrum humerum rejecto, ut nihil niſi manus, aut plurimum dextrum brachium nudaretur. Honeſtiores autem ab utroque *laterum regeſtum* pallium habebant, ut docet Tertulianus *de Pallio cap.* I. id eſt partem utramque pallii retrorſum jaciebant, ita ut tota quæ ſuberat tunica pateret. Pallium ipſum cervicibus circumſtrictum moroſiuſque in rugas plicatum, & ordinatum, fibulæ morſu in humeris tenebatur. De quo vide Tertullianum, Salmaſium, Ferrarium & alios. Ejuſmodi pallia quatuor ſolebant habere angulos, quos Græci πτέρυγας vocabant: eſt enim Græcis πτέρυξ *ala* & γωνία *angulus*, & cujuscunque rei ſummitas & acumen præſertim in veſtibus. Heſychius: πτέρυγες γὰρ καλοῦνται αἱ ἑκατέρωθεν γωνίαι διὰ τὸ ἐοικέναι πτέρυξι. Ejuſmodi πτέρυγας Pollux *lib.* VII. *cap.* XIV. ponit inter partes veſtium. μέρη δὲ ἐσθήτων πτέρυγες μὲν καὶ πτερύγιον τὸ ἥμισυ τοῦ χιτωνίσκου. Pallium quatuor habebat ejuſmodi πτέρυγας ſive *angulos*; duos in ſuperiori parte & duos in inferiori Hinc τετράγωνον *quadrangulum* dictum.

CCCCXI. Ejuſmodi pallia Judæos quoque geſtaſſe, minime dubito, cum Deus expreſſis verbis juſſerit ut ſibi facerent: גדילים בארבע כנפות כסות *peniculamenta in quatuor angulis tegumentorum ſuorum.* Deuteron. cap. XXII. XII. Hoc de palliis quadrangulis proculdubio intelligendum eſt. Vide etiam Numer. XV. XXXVIII. Notandum eſt, כנפות plane eandem habere ſignificationem, qualem Græcorum πτέρυξ & γωνία; ſignificat enim *angulum* & *alam*, & rei ſummitatem. Vide præter loca jam a nobis allegata, Deut. XXIII. I. Sam. XXIV. IV. & cap. XV. XXVII. Quod avium *alas* ſignificent, conſtat Exodi XIX. IV. Pſ. LXVIII. XIV. Geneſ. I. XXI. & alibi ex infinitis locis. Sic quatuor plagæ terræ dicuntur ארבע כנפות הארץ *quatuor anguli terræ.* Eſ. XI. XII. Ezech. VII. II. & alibi. Talia itaque veſtimenta ſive pallia fuiſſe videntur, quæ appenſa habebant peniculamenta in quatuor angulis, ſecundum expreſſum mandatum Dei. Sane ad hunc uſque diem in Synagogis ad preces convolant ejuſmodi palliis quadrangulis, ex quibus angulis fimbriæ dependent, velati, præſertim hora matutina: quamvis

vis hodie ea raro humeris, ſed plurimum capiti imponant. Deinde breviora ſunt hæc pallia hodie quam olim; vix enim ad lumbos dependent, cum olim fere ad talos demitti ſolerent, aut ſaltem ad genua, ut ex nummis & marmoribus colligi poteſt. Sed & ipſi Judæi diſtinguunt hodie inter מעיל *meil*, & טלית *tallit*: prius enim ipſis eſt pallium longius, quo olim, poſterius brevius, quo hodie utuntur. Judæos autem olim ejuſmodi palliis quadratis longioribus uſos fuiſſe, non minus quam veteres Græcos, colligi poſſe videtur, vel ex ſolo illo divite Jeruſalemitano בן ציצית הכסת: ſic dicto, quia longum habuit pallium, ut a quibuſdam exponitur, ita ut fimbriæ ejus traherentur ſuper pulvinaribus, aut tapetibus ſtratis, quibus inambulabat. De quo nos plura lib. I. cap. III. paragr. LIV.

CCCCXII. Sed & aliud genus palliorum quadratorum memoratur ab auctoribus: illud ſcilicet quod ex duabus plagis fiebat, ita ut altera tergum tegeret, in humeris quidem commiſſis, ſed lateribus apertis, quales eſſe ſolent Diaconorum veſtes in Eccleſia Romana. In hiſce palliis πτέρυγες ſive anguli omnes erant in inferiori parte, nulli in ſuperiori, duo in plaga anteriori & duo in poſteriori. Hæc proxime accedunt ad formam tunicarum, niſi quod in lateribus aperta ſint, & manicis careant; ideo tunica ἀμάσχαλος χιτὸς vocari poſſet. Ejuſdem formæ pallia Judæorum veterum fuiſſe, de quibus Num. XV. ſunt qui doceant. Tale etiam pallium habuiſſe Samuelem I. Sam. XV. XXVII. cujus alam prehendebat Saulus, ut abiturientem retineret; ut & pallium Sauli I. Sam. XXIV. V. cujus alam David clam abſcidit, doctiſſimus Jacobus Altingius, in ſua oratione de ſtola Sacerdotis Summi, docet. Et revera ad hunc uſque diem ejuſmodi palliorum veſtigia apud Judæos, præcipue Germanos & Polonos, reſtant. Hoc maxime apud pauperiores obtinere animadverti. Habent enim non raro parvula quædam amicula inſtar noſtrorum thoracum, abſque manicis, ut colobia, quæ vix pectus & tergum tegunt, non multum infra mamillas demiſſa, quibus etiam fimbriæ appendent in quatuor angulis. Habent tamen etiam ditiores longiora pallia ad eandem formam, fere inſtar Diaconorum palliorum qualia Judæi Poloni vocant ein hiſſe Mantel / quaſi dicere vellent מעיל *Meil*: ſive pallium inſtar *Mehil*, ein *Schabas* mantel; quia iis utuntur tantum diebus feſtis & in Sabbato. Ejuſdem ſane formæ fuiſſe palli-

um Summi Pontificis eximius Altingius eodem loco docet, motus auctoritate Maimonidæ, cui contradicere fere religio eſt apud Judæos. Sic enim ſermocinatur Maimonides, *Hilch. Kele Hammikd. cap.* IX. *Sect.* III. המעיל כולו תכלת וחוטיו כפולין שני עשר ופיו ארוג בתחילת אריגתו ואין לו בית יד אלא נחלק לשתי כנפים בסוף הגרון עד למטה כדין כל המעילים ואינו מחובר אלא כנגד כל הגרון בלבד : *Pallium totum hyacinthinum eſt, filamenta ejus ſunt duodecim* (in unum torta) *&* *os ejus* (cui caput immittitur) *ab initio textum eſt. Nullas habet manicas, ſed diviſum eſt in duas plagas ab initio colli deorſum pendentes, qualia eſſe ſolent omnia pallia, ideoque non cohærent* (plagæ) *niſi circa collum tantum.* En tibi totam deſcriptionem pallii Summi Pontificis. Sed optimo jure הר׳ אבד. *Rabbi Abraham filius Davidis* ad verba illa: *Et non habet manicas, diviſumque eſt in duas plagas* &c. rogat: זו מנין לו *Unde hoc habet?* Id eſt quis illi hoc dixit, cum hoc nulla auctoritate probari poſſit, nec ex S. Scriptura nec ex traditione Talmudicorum.

CCCCXIII. Pallium itaque omnino alterius formæ eſſe dicitur; non quadratum ad latera, ſed rotundum; non σχιστὸν & apertum ad latera, ſed clauſum & quidem manicatum: ut magis fuerit tunica quam pallium, inſtar camiſiæ aut induſii. In hac ſententia fuit Jarchius, quod etiam animadvertit Abarbanel ad Legem Sect. *Tezave*, quamvis ei non adſtipuletur. וכתב inquit, רש׳ שהיה מעיל כגון חלוק כמו הכתונה ואינו כן : *Scribit Iarchius pallium eſt inſtar camiſiæ, quemadmodum & ipſa tunica: ſed res ſic ſeſe non habet.* In eadem ſententia fuit Hieronymus in Epiſtola toties a nobis laudata. מעיל *id eſt tunica talaris, tota hyacinthina, ex lateribus ejuſdem coloris aſſutas habens manicas &c.* Ipſe Ioſephus in eadem ſententia fuiſſe videtur: cum מעיל expreſſe vocet χιτῶνα *tunicam.* Græci etiam Septuaginta cum Philone & Joſepho ποδήρην vocant. At ποδήρης ſive talaris tunica manicas habere ſolet, ut a nobis probatum eſt, ſupra ubi de כתנת *tunica* egimus. Nec ſilentio prætereundem eſt, *tunicam* Thamaris II. Sam. XIII. XVIII. quæ primum כתנת פסים dicta eſt, mox vocari מעיל *pallium.* Hinc conjici poſſit formam *Meil* non eſſe aliam quam formam *Chetunet*: quamvis Kimchius ad iſtum locum exiſtimet, tunicam, ſive *pallium* Thamaris omnino diverſum fuiſſe a *Meil* ſive *pallio*, de quo fit mentio in lege. Videtur etiam inde colligi poſſe, מעיל proprie loquendo non fuiſſe *pallium*, ſed potius *tunicam*, cum pallium veſtimentum exterius fuerit.

fuerit, quod cæteras veſtes omnes tegeret; at *Meil* Summi Pontificis non bene poteſt dici veſtis exterior, quandoquidem tectum fuit Ephodo & pectorali. Nec ullo cingulo cingi ſolebant pallia; cum cingulum tunicæ fuerit, at מעיל cingebatur cingulo Ephodi, ut poſtea patebit. Non mirum igitur, ſi מעיל a multis exponatur χιτὼν *tunica* ποδήρης, כתונת & חלק, quaſi fuiſſet tantum tunica exterior.

CCCCXIV. Imprimis hic notandum eſt, honoratiores apud veteres duas habuiſſe tunicas, aliam interiorem, exteriorem aliam. Interior corpori proxima erat, ex lino ſive goſſypio facta, aliaque materia molli, quæ corpus nulla aſperitate offenderet, nullo auro ornata, nullaque purpura clavata aut prætexta; ut optime Alexander Severus dementes judicaverit eos qui illud fecerint. Exterior autem, ut plurimum auro, purpura, prætextis & gemmis ornata erat. Tales erant tunicæ *pictæ*, *plumatæ*, *auratæ*, *palmatæ*, *triumphales*, *gemmatæ*, *Perſicæ de gemmis*, *pupureæ*, *paragaudiæ*, ποικίλοι, ἐπίσημοι & id genus alia. De duabus hiſce tunicis Plautus *in Aulularia*: *Ne inter tunicas habebas*. Varro apud Nonium: *Poſtquam duas tunicas habere cœperunt, inſtituerunt vocare ſubuculum, & intuſium*. Interior *induſium* vocabatur, quaſi *intuſium*, ut habet ipſe Nonnius, quia intus gerebatur. De interiori Valerius Maximus *lib.* VII. *cap.* IV. *Si hujus conſilii mei interiorem tunicam conſciam eſſe ſenſero, continuo eam cremari jubebo*. Et Terentius; *tunica pallio propior*. Judæos duas quoque tunicas habuiſſe, patet vel ex ſolo iſto loco Math. cap. X. ubi Chriſtus diſcipulis ſuis dicit, *ne habeatis duas tunicas*. Sed quicunque legerit *Maſſechet Schabbath cap.* XVI. cum Jeruſalemitanum, tum Babylonium, non dubitabit Judæos duas tunicas geſtaſſe, aut *tunicam* cum *pallio*. Duo de viginti enim veſtes eos habuiſſe ibi traditur, ſi numeremus chirothecas duas, duo tibilia & calceos, prout & hodie in frigidioribus, tempore hyberno, non pauciora geſtamus. Dicendum itaque eſt Sum. Pont. duas etiam tunicas habuiſſe, interiorem quæ *Chetunah* vocabatur, qualem & cæteri Sacerdotes habuerunt, & unam exteriorem, ſcilicet *Meil*, qualis reliquis non erat conceſſa. Verum quidem eſt, מעיל Græcis aliquando dici ὑποδύτην, qua voce interior veſtis ſignificatur, ut patet ex Heſychio & Suida, exterior ἐπενδύτης vocatur, ut iidem Grammatici docent. At videtur *Meil* ὑποδύτην

dici reſpectu Ephodi & pectoralis, quæ revera veſtes erant magis exteriores: cum *Meil* pallio ſuperindui ſoleret. Sed reſpectu *Chetuneth Taſchbetz*, ſane *Meil*, cum illi ſuperindui ſoleret, magis exterior tunica quam interior, ἐπενδύτης quam ὑποδύτης dici debet; ideo etiam Joſephus, quando loquitur de induendo *Meil*, utitur verbo ἐπενδύειν, quod ſuperiorem veſtem indui ſignificat. Exterior tunica itaque *pallium* dici videtur, prout toga etiam *pallium teres* dicitur Tertulliano: quemadmodum tam pallia Græcorum, quam togæ Romanorum ἱμάτια dicebantur a Græcis. Non mirum igitur, tunicam exteriorem Pont. Max. aliquando pallium vocari. Et ſane quod pallia nonnulla antiquorum in Europa, præſertim in Anglia, rotunda fuerint inſtar tunicæ, aut quod ejuſmodi tunicæ exteriores etiam ſæpe pallia vocata fuerint, colligi poteſt inde, quod Angli *pallium* ſoleant dicere *a Cloake*, ab Hebræo חלוק *Chaluke*, quod Hebræis *tunicam* aut *camiſiam* ſignificat, ut & aliis populis *nolam*, id eſt *tintinnabulum majus*, a rotunditate, quemadmodum jam ſupra docuimus.

CCCCXV. Etſi autem pallium etiam fuerit veſtimentum rotundum & undique clauſum, non minus quam tunica, magna tamen fuit inter utrumque differentia. Sane omnia veſtimenta rotunda non fuerunt plane ejuſdem formæ, nec eundem uſum habebant, quemadmodum & ipſæ veſtes quadratæ. Toga etiam fuit veſtis rotunda & undique clauſa, ſed multum differebat a tunica, imo & ab ipſo pallio, etſi pallio propius accedat, ideoque a Tertulliano *pallium teres* dicatur. Tunica ſtrictior fuit & manicata, pallium autem laxius & ἀμάσχαλον ſine manicis. Toga etiam manicis carebat & laxior tunica fuit, nihilominus multum a pallio diſcrepavit, erat enim pallio multo laxior & demiſſior ad pedes, præterquam quod nec ſinu, nec tabulis, nec geſtandi modo convenerint.

CCCCXVI. Ut ut ſit, מעִיל veſtimentum rotundum & clauſum fuiſſe, quemadmodum erat & ipſa tunica, & toga Romana, mihi perſuaſiſſimum eſt. Optimo jure itaque ab Abarbanele, loco jam a nobis laudato, vocatur, גלימה סגורה *pallium clauſum*. Sed audiamus quid dicat. והיה אם כן מעיל כמו גלימה סגורה מכל׳ צד ואולי היו בו שנים נקבים מן הצדים׳ ומשם היה מוציא הכהן זרועותיו: *Si res ita ſe habet* Meil *erit inſtar pallii clauſi in utroque latere; fortaſſis habebat duo foramina in lateribus, per quæ Sacerdos brachia exerebat.* Verum quidem eſt, Abarbanelem hanc ſententiam improbare, & addere ex

ex ſententia הר״מבן *pallium* בגד יטעתף בו *veſtem qua quis ſeſe involvit & obtegit*; ſed hoc non impedit, quo minus dicamus, fuiſſe veſtimentum clauſum & rotundum, cum eundem uſum præſtare potuerit omnis rotunda & clauſa veſtis. Sane Ezech. XXVII. XXIV. גלימה etiam eſt veſtis qua quis obtegitur & involvitur, a גלם *involvit, convolvit*, unde Latinorum *glomerare*, & *gloma* a גלם *golem*, inde tamen non ſequitur non fuiſſe veſtem rotundam & clauſam. Quod deinde etiam dicat Abarbanel hoc veſtimenti genus habuiſſe כנפים כנף מלפניו וכנף מלאחריו: *duas alas*, *alam in anteriori*, *& alam in poſteriori parte*, hoc nihil obſtat rotunditati pallii Summi Sacerdotis. Samuelis veſtis, cujus *alam Saulus apprehendebat* I Sam. XV. XXVII. forte fuit inſtar veſtium Diaconorum aut aliorum quadratorum Græcanicorum, quæ ſtragulis non ſunt abſimiles, de quibus modo locuti ſumus; ſed non ſequitur ejuſdem figuræ fuiſſe pallium Summi Pontificis. Et ſane Sacerdotis S. pallium rotundum & clauſum fuiſſe, non ſolum docent vocabula quibus toties occurrit, qualia ſunt חלוק *camiſia*, *tunica*, χιτών. כתונת ποδήρης *talaris* & id genus alia, ſed expreſſis verbis id teſtatur Jarchius, cui non minus credendum eſt quam הרמבן *Rabbi Moſi filio Nachmani*. Sed audiamus Joſephum *Ant. lib.* III. *cap.* VIII. quem locum non tædet repetere, quia totam ſtructuram pallii egregie depingit. ἔστι δ' ὁ χιτὼν οὗτος, οὐκ ἐκ δυοῖν περιτμημάτων ὥστε ῥαπτὸς ἐπὶ τῶν ὤμων εἶναι καὶ τῶν παρὰ πλευράν. Φάρος δ' ἐν ἐπιμήκες ὑφασμένον. σχιστὸν ἔχει βρογχωτῆρα πλάγιον ἀλλὰ κατὰ μῆκος ἐῤῥωγότα πρός τε τὸ στέρνον καὶ μέσον τὸ μετάφρενον. πέζα δ' αὐτῷ περιῤῥέραπται, ὑπὲρ τοῦ μὴ δεελέγχεσθαι τῆς τομῆς τὴν δυσπρέπειαν. ὁμοίως δὲ καὶ ὅθεν αἱ χεῖρες διείργονται σχιστὸν ἐστίν. *Hæc tunica non fit ex duobus ſegmentis, ut ſuturas habeat in humeris ac lateribus: ſed unicum eſt veſtimentum* (velum aut tegumentum) *in longum contextum. Capitium habet apertum non transverſum, ſed in longum, deſcendens a tergo, & ante uſque ad medium pectus: cui annexus eſt limbus, ne appareret deformitas ſciſſuræ. Sic etiam apertum eſt qua manus exeruntur.* Manifeſto ex hoc patet pallium clauſum & commiſſum fuiſſe, non tantum in humeris, ſed & παρὰ πλευρὰν *circa latera*. Cum autem pleraque pallia & tunicæ conſtiterint ex duabus plagulis in humeris & lateribus conſutis, hoc pallium ſive hæc tunica nullas habuit ſuturas, ſed per ipſam texturam omnia juncta & clauſa erant, ut vera fuerit tunica ἄῤῥαφος, de qua textura vi-

de cap. xvi. libri primi. Et ſane ita Sacra Scriptura ſolet loqui de S. Pont. pallio, ut neceſſario concludendum ſit, illud clauſum & rotundum fuiſſe. De כנפות ſive *alis* ejus nulla fit mentio, quemadmodum de palliis σχιστοῖς *arpertis*. Deinde שׁולי *oræ* ei attribuuntur in infima parte, & quidem סביב id eſt *circumquaque*, *tout au rond*, aut *tout a l'entour*, & ut habent Germani **rund umb** & ſignificantius ſeptuaginta κύκλῳ, quod nullam ſeparationem, nullumque diſcrimen patitur, quæ genuina eſt ſignificatio vocis סביב. Unde iterum colligo hoc veſtimentum in una parte ab oris clauſum fuiſſe ad humeros uſque, niſi quod duo foramina habuerit in lateribus ad emitenda brachia & manus.

CCCCXVII. Quemadmodum pallium Pontif. Max. fuit veſtimentum rotundum & clauſum, ita & *talare*: hinc ποδήρης veſtis dicitur, totumque corpus velavit. Ideo verbum עטה quod *obvelandi* & *obtegendi* vim habet τῷ מעיל attribuitur. Eſaiæ cap. lix. xvii. ויעט כמעיל קנאה *Et amicivit ſe zelo tanquam pallio*, quaſi diceret vehementi zelo Deus arſit in inimicos: ut eo quaſi pallio undique tectus fuerit. Et cap. lxii. i. מעיל צדקה יעטני *Pallio juſtitiæ texit me*: id eſt ſua juſtitia omnia mea peccata obvelavit, ne in ejus conſpectum venirent. Eodem ſenſu dicitur de Samuele i. Sam. xxviii. xiv. והוא עטה מעיל *& ille tectus erat pallio*. Cum autem *Meil* ποδήρης *Talaris* veſtis dicatur, oportet etiam fuiſſe veſtem longam & ad pedes fere demiſſam. Ad talos pleræque tunicæ demiſſæ erant; tales etiam erant tunicæ interiores lineæ Sacerdotum, de quibus jam egimus, niſi quod inter operandum ad medios poplites retractæ & balteo conſtrictæ fuerint. Sane ad talos *Meil* Sum. Pont. non debuit pertingere, ut proculdubio brevius fuerit quam ipſius tunica linea. Si enim מעיל ad talos uſque demiſſum fuiſſet, præterquam quod tunica linea non potuiſſet conſpici, malogranata & tintinnabula ad terram dependiſſent, & eorum ſonus impeditus fuiſſet. Hoc ſenſu proculdubio ποδήρης dicitur, quod ſcilicet demiſſum fuerit fere ad pedes; atque eadem ratione dicit Philo Judæus *lib.* iii. *de vita Moſis*. ὁ χιτὼν ἀπὸ στέρνων ἄχρι ποδῶν περὶ ὅλον τὸ σῶμα κέχυται. *Tunica a pectore uſque ad pedes per totum corpus diffunditur.*

CCCCXVIII. Sed quamvis *Meil* tunica talaris diceretur, nullas tamen habuit manicas, ut tunicæ talares habere ſolent. Optime igitur Maimonides, loco jam laudato ואין לו בית יד *Et nullas habet*

manicas

manicas. Idem docet Joſephus: nam etſi exſertis verbis non dicat nullas habere manicas, hoc tamen innuit quando dicit καὶ ὅθεν αἱ χεῖρες διείργονται σχιστὸν ἐστίν. *Et apertum eſt qua manus exeruntur.* Optime etiam Abarbanel: *forte habuit duo foramina in lateribus, per quæ ſacerdos brachia exerebat,* quem locum jam ſupra allegavimus.

CCCCXIX. Quemadmodum omnia veſtimenta clauſa & rotunda, nihilominus aperta eſſe debent, ſaltem circa humeros, ut caput immitti poſſit, ſic & pallium Summi Pontificis. Hanc aperturam Moſes Geneſ. xxviii, xxxii. vocat *os* ſive *foramen capitis.* והיה פי ראשו בתוכו *Et erit foramen capitis in medio ejus.* Eodem ſenſu vocatur פי המעיל *os pallii.* Dicitur autem *foramen capitis*, quia per illud caput immittitur. Hinc etiam a quibuſdam *capitium* nuncupatur, teſtibus vulgato & Hieronymo. *In ſuperiore parte*, inquit Hieronymus, *qua collo inducitur aperta eſt illa tunica, quod vulgo capitium vocant.* Septuaginta habent περιστόμιον ἐξ αὐτοῦ μέσον. Abarbanel exiſtimat hanc aperturam dici פי הראש *foramen capitis*, ad differentiam aperturæ iſtius quæ eſt circa pedes, quæ proprie ſunt ora quibus appendunt malogranata & tintinnabula. Joſephus non tantum pallium habuiſſe ejuſmodi foramen aut *capitium* docet, ſed oſtendit etiam illius capitii formam: ſcilicet quod non fuerit tranſverſum in humeris, ut plerumque fieri ſolebat, ſed in longum, deſcendens a tergo & ante uſque ad medium pectus. *Aperturam* inquit, *habet non tranſverſam, ſed in longum, deſcendens a tergo & ante uſque ad medium pectus*; adeoque hæc apertura plane alia eſt, quam illa quæ eſt in tunica linea interiori, erat enim rotunda, cum hæc fuerit oblonga.

CCCCXX. Hæc apertura munita erat certo aliquo limbo, ob firmitatem attexto, ne rumperetur. Sic legimus verſu xxii. שפה יהיה לפיו סביב מעשה ארג כפי תחרה יהיה לו לא יקרע: Quæ Joſephus ſic interpretatur: πέζα δ' αὐτῷ προσέρραπται ὑπὲρ τοῦ μὴ διελέγχεσθαι τῆς τομῆς τὴν δυσπρέπειαν. *Aſſutum habuit limbum, ne appareret aperturæ difformitas.* Græci ᾤαν ἔχον κύκλῳ τοῦ περιστομίου ἔργον ὑφάντου τὴν συμπλοκὴν συνυφασμένην ἐξ αὐτοῦ ἵνα μὴ ῥαγῇ. Limbus ille introrſus ſpectabat, ne exterius ulla eminentia appareret, quod difforme fuiſſet. Abarbanel: והוא שפת היריעה הקיצונה יהיה לתוכו לצד פנים ליופי כדי שלא יראה בולט מחוץ: *Limbus ille medio ejus erat ad interiorem faciem, propter decorem, ne extrinſece emineret.*

Idem notat Joſephus: *ne appareret*, quod jamjam allegavimus, *aperturæ difformitas.*

Præterea dicitur כפי תחרה יהיה לו *erit tanquam os loricæ.* Quibus verbis indicat loricas olim in ore habuiſſe ejuſmodi limbos, qui forte ex laneo panno aut alia ejuſmodi materia facti erant, quod & hodie fieri ſolet. Sed quia veterum loricæ non raro ex lino & corio factæ erant, opus habebant circa collum limbo aliquo, ut firmiores eſſent in iſtis partibus, in quibus maxime terebantur; quod etiam animadvertit Jarchius ad hæc verba כפי תחרה *ut os loricæ.* למדנו inquit, שהשריונים שלהם פיהם כפול Hinc *diſcimus loricas duplicatas eſſe ad ora.* Utrum autem limbus iſte fuerit inſtar loricæ hamis anuliſve conſertæ, ut viri docti hoc exponunt, ſequuti, ut puto, Abarbanelem, non auſim adfirmare: cum id ab antiquiſſimis auctoribus non dicatur.]

Rationem, cur addendus eſſet ejuſmodi limbus, reddit S. Scriptura: לא יקרע *ne rumperetur.* Hæc ita explicantur ab Abarbanele: ונתן הטעם באומרו לא יקרע רוצה לומר כדי שלא יקרע המעיל להיות חזק כיון שהוא נושא לאפוד ולחשן וכ״ש בשפתו שכל הכובד הלוי כו: *Dat rationem, cum dicat:* Ne rumpatur, *vult dicere ne rumpatur pallium, neceſſe enim eſt ut pallium ſit firmum, quandoquidem geſtare debet Ephod & pectorale, multo magis requiritur firmitas in ejus limbo, quia totum pondus ex eo dependet.* Vulgatus cum hæc verteret, hunc limbum comparavit cum loris & inſtitis, quibus veteres extremum manicæ & ora infima circa pedes ornare ſolebant. *In cujus medio.* inquit, *ſupra erit capitium, & ora per gyrum ejus textilis, ſicut fieri ſolet in extremis veſtium partibus, ne facile rumpatur.* Sane hoc fieri infimis tunicarum partibus, ſupra probavimus, ubi de *tunica paſſim.* Moſes tamen ad ejuſmodi veſtes non reſpexit, ſed ad loricam quæ limbum circa collum habere ſolebat, non propter ornatum, ſed ob firmitatem, quod etiam requirebatur in pallio, ut validior eſſet ad ſuſtinenda pondera Ephodi & pectoralis.

Tandem animadvertendum eſt, limbum iſtum non acu aſſutum, ſed attextum fuiſſe. Dicitur enim מעשה ארג *opus textoris.* Id eſt, ingenioſe & affabre attextus eſt, dum ipſum pallium texebatur. Abarbanel: ואמר שפה יהיה לפיו סביב מעשה ארג להגיד שלא יחתכו פי ראשו במספרים ושוב יתפור לו במחט: *Et dictum eſt:* erit limbus circa aperturam capitis, opus textoris, *ad indicandum, quod apertura illa non debeat ſcindi forfice, ut deinde acu conſueretur.* Maimonides *Kele Hammikd,*

mikd. cap. IX. ופיו ארוג בתחלת אריגתו *Et foramen ejus textum erat initio texturæ.* i. e. ſimul cum ipſa veſte texeretur. Joſephus tamen videtur credidiſſe hunc limbum aſſutum, non attextum fuiſſe. πέζα δ' αὐτῷ, inquit, προσέῤῥαπται. Ad verbum: *limbus ei aſſutus eſt.* Aut Joſephus erravit, aut hoc tunc temporis contra legem factum fuit, aut per τὸ προσεῤῥάπτεσθαι non intelligit *aſſui*, ſed tantum *committi*, quemadmodum monuimus vocabulum ῥαφὸν & ῥάπτειν illi ſæpe ſignificare *committere*, & *commiſſuram* συνάρθρωσιν, ut optime ex Gorræo obſervat *S*tephanus in ſuo Lexico.

CCCCXXI. Etſi pallium *totum hyacinthinum* fuerit, nullum aurum intextum habuerit, nulliſque coloribus aut floribus ornatum, nihilominus illius oræ infimæ ornatiſſimæ fuerunt. Appenſa ſiquidem habebant malogranata & tintinnabula aurea. Verſibus XXXIII. & XXXIV. hæc legimus. ועשית על שוליו רמני תכלת וארגמן ותולעת שני על שוליו סביב ופעמני זהב בתוכם סביב׃ פעמן זהב ורמון על שולי המעיל סביב׃ *Et ad oras ejus malogranata hyacinthina, & purpurea, & coccinea, ad oras ejus circumquaque; & tintinnabula aurea inter illa circumquaque. Tintinnabulum aureum, deinde malogranatum, tintinnabulum aureum iterum, deinde malogranatum, ad oras pallii circumquaque.* Hæc ornamenta Joſepho dicuntur *fimbriæ*: Κατὰ πέζαν δ' αὐτῷ προσεῤῥαμμένοι θύσανοι ῥοῶν τρόπον ἐκ βαφῆς μεμιμημένοι ἀπήρτηντο καὶ κώδονες χρύσεοι κατὰ πολλὴν ἐπιτήδευσιν τῆς εὐπρεπείας, ὥς τε μέσον ἀπολαμβάνεσθαι δυοῖν κωδώνοιν, ῥοΐσκον καὶ ῥοῶν κωδώνιον. *Circa infimam oram ejus dependebant fimbriæ, in modum malorum punicorum diverſis coloribus cum aureis tintinnabulis, magno ſtudio & ornatu adaptatæ, ita ut inter duo tintinnabula malum punicum, & inter duo mala punica tintinnabulum medium penderet.* Sunt autem θύσανοι *fimbriæ*, quæ de veſtibus dependent. Heſychius: θύσανοι, κροσσοὶ, κόρυμβοι. Conſtabant autem hæc fimbriæ ex רמונים & פעמנים *malogranatis* & *tintinnabulis*; quæ, quid fuerint, jam examinabimus.

CCCCXXII. Occurrunt primum רמונים *Rimmonim.* De hiſce Scriptura mentionem facit pluribus in locis, ut Num. XIII. XXIII. & cap. XX. v. Deut. VIII. VIII. 1 Sam. XIV. II. Cant. IV. XIII. Joel. I. XII. & alibi. Sunt qui volunt רמון *Rimmon* malum citreum ſignificare; quod ſi verum eſt, non dubito quin inde deductum ſit noſtrum *limon*, pro *Rimon*, mutato tantum R. in L. quod vulgatiſſimum. Solent autem in Europa mala citrea vocari *limones.* Nihilominus malogranata ſignificari ſtatuunt Judæi. Ideo Germa-

ni & Poloni Judæi רמון vocant ein Milgrom corrupte, ut patet, more ſuo, quaſi vellent dicere *malogranatum.* Sic deſcribunt hunc fructum Gemarici *Maſſechet Sevachim cap.* IX. מביא תכלת וארגמן והולעת שני שזורים ועושה אותן המין רמונים שלא פתחו פיהן : *Sumunt hyacinthinum, purpuram & coccinum retorta, & faciunt ſpeciem malogranatorum, quorum ora nondum ſunt aperta.* Maimonides illa eiſdem fere verbis repetit *Hilch. Kele Hammikd cap.* IX. Gloſſa ad locum iſtum Gemaræ addit: דרך רמונים כששוהין באילן אחר גמר פירי בישולן מתפתחין מאיליהן כדרך ששין קליפי אגוזים החיצונים : *Solent mala punica, ſi nimis in arbore morentur, poſt maturitatem diſrumpi in arbore, ut fieri ſolet in nucibus, quarum cortex extrinſecus ſeſe aperit in arbore.* Ex hoc loco ſatis apparet, per רמון intelligi debere non *citreum*, non *meſpilum*, ſed *malum punicum.* Non enim ſolent citrei & meſpili ita poſt maturitatem corticem aperire inſtar nucum, ſed illud accidit malogranatis. Nam eodem ſane modo quo nuces patiuntur corticem exteriorem diſrumpi, ut tota nux ex arbore decidat, ſic etiam malogranatum, ſi poſt maturitatem diutius in arbore pendeat, corticem diſrumpit & aperit, ut acini & grana ejus facile conſpici poſſint, immo ut inde paulatim omnia decidant. huc videtur reſpexiſſe Lutherus Cant. cap. IV. III. ubi פלח הרמון vertit Ritz am Granat-Apfel / i. e. *aperturam malogranati.* Deinde eandem fere habet naturam, & eandem vim cortex malogranati, qualem habet cortex nucis. Uterque enim eſt auſterus, aſtringens & ad tingendum aptus, ut norunt infectores; hinc inter colores, aut potius inter medicamina colorum ponuntur, & pari paſſu ambulant, Codice *Schabbath. cap.* IX. *Miſna* V. קליפי אגוזים קליפי רמונים אסטים ופואה כדי לצבוע בהן בגד קטן : *Cortices nucum, Corticis malogranatorum, crocus & rubia ad tigendum iis veſtem parvam.* Verum quidem eſt Doctiſſimum Buxtorfium in ſuo lexico קליפי רמונים expoſuiſſe *cortices citreorum*; quem etiam ſecutus eſt *Sebaſtianus Schmidt*, ſed mea opinione falluntur doctiſſimi viri. Citreorum cortices adhiberi in infectione nunquam audivi, ſed de nucum & malogranatorum corticibus conſtat; ut Talmudicis רמון nihil aliud fuerit quam *malogranatum.* Ita etiam deſcribitur *Rimon* a Paraphraſte Chaldaico, ut plane non dubitandum ſit, quin per illum fructum intellexerit malogranatum. Sic Cant. cap. IV. III. ubi legimus כפלח הרמון רקתך & verſu XIII. שלחין פרדס רמונים : Chaldæus habet מלין פקוריא כרמונים *Repleti*

Repleti ſunt preæceptis ut malogranata, viri pii ſcilicet & juſti. Ubi Paraphraſtes proculdubio reſpexit ad acinos & grana, quibus mala punica referta ſunt, ut quilibet hæc facile explicare poteſt. Unde etiam Latinis *granata* & *malogranata*, propter magnum numerum acinorum tanquam tot granorum dicta ſunt. Optime igitur Græcis dicuntur *Rimonim* ῥοαὶ & ῥοΐσκοι, *mala punica.*

Jarchius ad Exod. cap. XXVIII. verſ. XXXI magnitudinem horum granatorum deſcribit, docet enim habuiſſe quantitatem ovi gallinæ. רמונים. inquit, עגולים ותלולים היו כמין רמונים העשויות כביצת תרנגול: *Rimonim ſunt globi quidam rotundi, inſtar malorum punicorum, quaſi eſſent ova gallinarum.*

CCCCXXIII. Materia horum malogranatorum fuit lana *hyacinthina, purpurea* & *occinea.* Sed hiſce addunt Septuaginta *Byſſum.* Atque ſic ejusdem plane materiæ & colorum fuerunt ac *balteus*, quod optime obſervatum eſt ab Hieronymo. *Mala punica*, inquit, *contexta fuerunt iiſdem coloribus* (imo eadem materia) *ut ſupra cingulum.* Judæi quidem nullam byſſum in malis punicis agnoſcunt, cum ejus nulla expreſſa mentio fiat a Moſe, nec ☿ משזר Exodi XXVIII. Putant itaque quando τὸ משזר *moſchzar* additur tribus iſtis ſpeciebus, ut Exodi XXXIX. XXIV. illud tantum fieri ad indicandum tres iſtas ſpecies, *hyacinthinum* ſcilicet *purpuram* & *coccinum* retorta eſſe, atque ut ſingula ſpecies octonis conſtaret filis, quæ iterum in unum torta facerent viginti quatuor fila. Vide *Maſſechet Ioma cap.* VII. Maimonidæ *Kele Hammikd. cap.* IX. de quibus nos plura lib. I. cap. XVII. Sed pedibus eo in ſententiam Hieronymi, ſcilicet *byſſum* etiam adhibitam fuiſſe in malogranatis, non minus quam in balteo. Primo Exodi cap. XXXIX. verſ. XXIV. dicitur ויעשו על שולי המעיל רמוני תכלת וארגמן ותולעת שני משזר: *Et fecerunt ad oras pallii mala punica ex hyacinthino, ex purpura & coccino retorto.* Fateor quidem lanea fila etiam poſſe torqueri: ſed obſervandum eſt, illud משזר *retortum* in S. Scriptura nunquam dici niſi de שש *byſſo*: ut merito quis ſuſpicari poſſet, an non tacite hoc loco ſubintelligatur vocabulum שש *byſſus*, quaſi Moſes dixiſſet שש משזר *byſſum retortam.* Ita ſane Maſora hunc locum explicat: חסר שש *deficit byſſus* inquit, Secundum Maſoram itaque legendum eſſet, *& fecerunt*: רמוני תכלת וארגמן ותולעת שני ושש משזר *mala punica ex hyacinthino, ex purpura, ex coccino & ex byſſo retorta.* Ita legiſſe Septuaginta clariſſime patet; cum in utroque

loco, cap. XXVIII. & cap. XXXIX. habeant βύσσον κεκλωσμένην, prout τὸ משזר שש reddere ſolent. Verum quidem eſt Septuaginta etiam mentionem facere de auro in malis punicis. Sic enim illi Exodi cap. XXVIII. καὶ ποιήσεις ἐπὶ τὸ λῶμα τοῦ ὑποδύτου κάτωθεν ὡσεὶ ἐξανθούσης ῥόας ῥοΐσκους ἐξ ὑακίνθου καὶ πορφύρας καὶ κοκκίνου διανενησμένου, καὶ βύσσου κεκλωσμένης, ἐπὶ τοῦ λώματος τοῦ ὑποδύτου κύκλῳ. *Et facies ad oras tunicæ infra ut florentia malogranata, ex hyacinthino & purpura & coccino neto, & byſſo retorta, ad oram tunicæ circumquaque.* Mox additur: τὸ δὲ αὐτὸ εἶδος ῥοΐσκους χρυσοῦς, quod ita ſolet reddi: *At eadem ſpecie mala punica aurea.* Sed in hac verſione Græca mendum eſſe, mihi perſuaſiſſimum eſt: ſiquidem textus Hebræus nec ullus auctor probatus inter Judæos, quod ſciam, ne χρὺ quidem de malogranatis aureis habet. Ipſi etiam Septuaginta cap. XXXIX. ubi narratur quod omnia jam ad legem facta fuerint veſtimenta, plane tacent de *malogranatis aureis*, & cum priori loco nullam faciant mentionem de *aureis tintinnabulis*, cum tamen in poſteriori expreſſe habeant κώδωνας χρυσοῦς *tintinnabula aurea*, & cum Textus Hebræus ubique habeat פעמון זהב *tintinnabulum aureum*, clarum eſt, mendum eſſe in verſione Græca, cap XXVIII. in his verbis: τὸ δὲ αὐτὸ εἶδος ῥοΐσκους χρυσοῦς καὶ κώδωνας. Credo itaque hunc locum ſic emendandum eſſe: κατὰ δὲ τὸ αὐτὸ εἶδος ῥοΐσκου, καὶ χρυσοῦς κώδωνας ſcilicet ποιήσεις. *Ad illam autem formam malogranati facies etiam tintinnabula aurea.* Atque ſic τὸ χρυσοῦς referendum eſt ad κώδωνας, non autem ad ῥοΐσκους: hoc modo cum textu Hebræo convenit; ut nullum aurum fuerit in malogranatis, multo minus quod granata aurea fuerint: ſed ejuſdem materiæ & colorum, ac ipſe fuit balteus.

CCCCXXIV. Præter Malogranata appenſa quoque erant *tintinnabula aurea*. Moſes habet פעמונים vocabulum פעמון *tintinnabulum* ſignificare, nemo eſt qui dubitet. Joſephus, & Philo Judæus habent κώδωνας. Vulgatus *tintinnabula*. Lutherus Schellen. Belgæ **Schelletiens**. Galli *Clochettes*. Pontificem Max. in veſtibus habuiſſe tintinnabula, docet etiam Plutarchus *lib.* IV. *Sympoſiac.* quem locum allegavimus libro I. cap. III. Uſus tintinnabulorum apud veteres varius fuit, ut apparet ex docto Opuſculo Cl. Magii *de Tintinnabulis*, quibus tantum addam, apud Hebræos morem fuiſſe, tintinnabula jumentis & aliis animalibus appendi, non minus quam apud cæteras nationes, quod patet Codice *Schabbath*

cap.

cap. v. אין חמור יוצא בזג אע"פ שהוא פקק *Aſinus non egreditur cum tintinnabulo etiamſi obturatum ſit.* Sed & in ædibus habebant ſua tintinnabula ad abigendos domeſticos procul a thalamo, ſi forte vir ſolus cum uxore rem habere vellet. Vide Codicem *Niddah.* Sed & Perſarum Reges ad ornatum veſtium iis uti ſolitos fuiſſe, docet *Targum Scheni* Eſteris cap. vi. x. de quo vide lib. i. cap. viii. Materia tintinnabulorum erat aurum. Ideo פעמונים זהב *aurea* dicuntur. Non erant fictitia quemadmodum malogranata, quæ contexta erant ex filis byſſinis, ut dicerentur *tintinnabula* tantum ob aliquam formam tintinnabulorum quam referrent. Sed ex auro ſolido facta erant, ad modum omnium tintinnabulorum, ut poſsent edere ſonum. Aurum in Sacro veſtitu, quale fuerit, ſatis oſtendimus lib. i. cap. x. ut hic de materia tintinnabulorum nihil addendum cenſeam.

CCCCXXV. Forma autem tintinnabulorum non æque nota eſt: cum varia illorum fuerint genera apud veteres, non minus quam & hodie apud nos. Habemus hodie certum genus tintinnabulorum inſtar globulorum intus cavorum, rotundorum, & undique clauſorum, præter exigua quædam foramina, ut tinnitus interior eſſet, ex ære, argento, auro, & alio metallo etiam mixto, quibus incluſi ſunt globuli ferrei, ut eorum motu tinnitus ederetur. Ejusmodi tintinnabula Antiquos etiam habuiſſe, eorum ſupellex non ſatis manifeſto docet. Poteſt nihilominus dubitari, utrum veteres ejuſmodi non habuerint, cum inter crepundia & crepitacula puerorum, ſic a crepitu dicta, etiam habuerint bullas, ut ex Plauto conſtat. Bullæ autem erant rotundæ, ut docet Iſidorus aliique. Sed an Belgarum **bellen** non ita dicuntur a *bulla?*

„ Aut, ſi mavis, an non potius Latinorum *bullæ* dicuntur „ ab aliqua voce veterum Germanorum? vetuſtiſſimi enim Latini, „ non minus quam Hiſpani, Galli, Cæterique Europæ populi ſer„ mone Germano uſi fuerunt. Germanis *bulten* & *bullen* notat „ gibbum, & verbum *bulten* ſignificat extuberare, ab Hebræo „ בלט *Balat.* Nomen itaque haberet *bulla* ab extuberante & gibboſa „ forma, De verbo בלט & *bulten* ſuperius a nobis quædam dicta „ ſunt. Non tamen ignoro, eſſe qui *bullas* derivari credant a βουλή „ conſilium, quod Magiſtratus, nobiles, ingenui, & ſapientes eos „ a collo, quaſi in pectore geſtaverint. Ideo & Apollinis Bullati ſig„ num nonnulli exiſtimant; quare & βουληφόρος & βουλαῖος dictus

„ ſit,„

,, ſit, propter oracula. De *Bullis* apud Plutarchum, Macrobium, ,, Feſtum, Iſidorum & alios.

De his nos alibi plura, in noſtra Hiſtoria Gelrica, ubi de Cucullo Coſſ. Novomagenſium. At talia in uſu fuiſſe apud Judæos, colligi poſſe videtur ex eo quod comparentur cum uvis, quæ rotundæ ſunt, & quæ intus habent acinos inſtar pilularum iſtarum ferrearum quales rotunda tintinnabula incluſa habere ſolent. Sic Numer cap. VI. v. ubi Nazarenis vino interdicitur, כל ימי נזרו מכל אשר יעשה מגפן היין מחרצנים ועד זג לא יאכל׃ *Omnibus diebus Nazareatus non comedet de vite vini, a pellicula ad acinos.* Hic Jarchius obſervat זג ſignificare קלפות שבחוץ *pelliculam extrinſecam:* & חרצנים eſſe בתוכן כענבול בזוג *in medio inſtar mallei in tintinnabulo.* Hæc habet ex Miſna *Nazir cap.* VI. *Miſna* I. En tibi tintinnabula rotunda & clauſa inſtar uvarum, intus habentium aliquid rotundi inſtar acini. *Malleus* acinus vocatur, quoniam uſum ejus præſtat pulſando, ad edendum tinnitum. Idem docet Aben Ezra; niſi quod putet זג ſignificare *acinum*, at חרצנים *pelliculam.* Chaldæus eodem modo vertit. מקלופין ועד זגין גואין דענבא *A corticibus uſque ad acinos interiores uvæ.* Ex his manifeſtum puto, veteres apud Judæos ejuſmodi tintinnabula rotunda & clauſa agnoviſſe.

CCCCXXVI. Sed aliud etiam dabatur genus tintinnabulorum apud antiquos. Erant enim quædam inſtar ſchyphorum oblongorum, inferius apertorum, in quorum medio pendebat malleolus, linguæ inſtar, cujus motu, quando tintinnabnlo illiditur, fit tinnitus. Talia ſunt præcipue tintinnabula noſtra majora, quæ *Nola & Campana* vulgo vocantur, Germanice ein Klotte & Gallice *Cloche.* Apud veteres tintinnabula fuiſſe ejuſdem formæ, marmora & ipſa ſupellex veterum plus ſatis docent. Videatur Magius in ſuo opere *de Tintinnabulis*, præſertim *cap.* VIII. ubi elegantiſſime depictum habet Elephantum, cui ejuſmodi tintinnabulum appenſum eſt. Sed innumera iſtius formæ effoſa ſunt circa noſtrum Novomagum, quorum plurima poſſidet doctiſſimus noſter Smetius, immo & nos iis non plane caremus, quamvis ærugine & vetuſtate exeſa ſint. Hæc pleraque fieri ſolent ex metallo aliquo mixto, ex ære, ſtanno, ferro &c. Sane Hebræos talia quoque habuiſſe, colligi poteſt ex partibus eorum, prout nobis deſcribuntur. Docent enim Hebræorum Magiſtri, tintinnabula habuiſſe linguam aliquam

ad

ad pulſandum, ut tinnitus daretur; quam linguam vocabant ענבול *malleolum*. Vocabatur autem *lingua* quia erat ferrum aliquod oblongum inſtar linguæ, aut etiam quia inſtar linguæ quaſi ex ore aliquo modo propendebat. Verum quidem eſt, globulum, qui eſt in tintinnabulis rotundis inſtar acini in uva, etiam vocatum eſſe ענבול, uti ſupra oſtendimus, ſed illud factum eſt ideo, quia talis globulus uſum malleoli præſtat. Alias certiſſimum eſt, ענבול proprie loquendo eſſe ferrum aliquod oblongum inſtar alicujus linguæ. Ita explicatur *Maſſechet Parah cap. ultimo*: ubi ענבול dicitur לשון משמיע קול *Lingua quæ edit ſonum.* Alii legunt ברזל משמיע קול *ferrum edens ſonum.* Sane talia fuiſſe videntur plurima tintinnabula Judæorum, præcipue autem Summi Pontificis. Ideoque eis ענבול attribuitur, & זג cum ענבול dicuntur componere totum tintinnabulum, ut videre eſt *Maſſechet Sevachim cap.* IX. quem locum mox allegabimus. Sic etiam *Codice Parah cap. ultimo*, tintinnabulum dicitur conſtare ex זג & ענבול quaſi diceres ex ipſo corpore & malleolo; ita quidem ut ſi unica tantum pars, puta ענבול *malleolus*, aqua luſtrali aſperſa ſit, totum tintinnabulum mundum eſſe dicendum ſit. Cum autem Judæi tintinnabulum deſcribant tanquam rem compoſitam ex duabus partibus, oportet partes eas poſse conſpici, quod non bene poteſt dici de rotundis & clauſis tintinnabulis, quæ exigua tantum habent foramina, globulus enim interior conſpici non poteſt, ſed optime de illis quæ ſunt forma pyramidali & infra ad baſin aperta. Immo ſi totum tintinnabulum cenſebatur mundatum aqua luſtrali, quando vel ſolus *malleolus* ענבול, uti loquuntur, fuit aſperſus, oportet illud intelligi debere de hiſce tintinnabulis tantum, nam in rotundis interior globulus non potuit facile aſpergi, & ſi aſperſus, id eſt ſi aqua luſtralis eo vel maxime perveniſset, illud non potuiſset tam facile obſervari. At omnia iſta facillime fieri poterant in hujuſmodi tintinnabulis oblongis, inferius apertis, quæ malleolum aliquomodo propendentem habebant. Et ſane tintinnabula in pallio S. Pontificis ita deſcribuntur a Maimonide. *Kele Hammikd. cap.* IX. ut dicendum ſit, ea conſtitiſſe ex duabus partibus quæ facile ſeparari poſſent, ſcilicet ex ipſo *corpore* & *malleolo*, quod non poteſt dici de rotundis & clauſis, ſed de oblongis & apertis tintinnabulis. ומביא ע״ב זגין שבהן שבעים ושנים *Et adfert ſeptuaginta duo tintinnabula, in quibus ſunt Septuaginta duo malleoli.* Ita enim conſtructa

ſunt tintinnabula iſta, ut malleolus facile potuerit iis indi & adimi.

CCCCVII. De numero tintinnabulorum variæ ſunt ſententiæ. Juſtinus Martyr inter Chriſtianos ſcriptor antiquiſſimus, duodecim tintinnabula in Pallio S. Pont. fuiſſe docet, ob numerum Apoſtolorum, quos per hæc tintinnabula ſignificatos voluit ob ſonum prædicationis Euangelii. Vide ejus *Dial. cum Tryphone.* De duodecim tintinnabulis quoque mentio fit apud Epiphanium *Hæreſ. lib.* I. XXXIV. *contra Marcoſios.* ϗ τὸ λόγιον τὸ ποικιλτὸν δώδηκα λίθȣς ἔχον, ϗ τȣ̀ς δώδεκα κώδωνας. quem locum valde ridicule vertit *Ianus Cornarius*, præcipue hæc verba: ϗ τὸ λόγιον τὸ ποικιλτὸν, ſic enim ille: *Et poculum varium*, cum debuiſset dicere & *Rationale varium.* Proſper de *Promiſſionibus Dei part.* II. *cap.* III. quinquaginta fuiſse credit. Alii octoginta, ut Durandus in *Rational. divin. Offic. lib.* III. *cap.* XIX. Clemens Alexandrinus *Stromat. lib.* V. Sed quamvis S. Scriptura nihil dicat de numero tintinnabulorum, & malogranatorum, nihilominus ſeptuaginta duo fuiſse doctiſſimi viri, cum inter Judæos, tum inter Chriſtianos, adfirmarunt. Gemarici ſane Codice *Sevachim cap.* X. tot poſuerunt. מביא עב׳ זגין שבהן שבעים ושנים עינבולים ותולה בהן שלשים וששה מצד זה ושלשים וששה מצד זה׃ *Adfert ſeptuaginta duo tintinnabula, quibus inſunt ſeptuaginta duo plectra, & appendunt utrique lateri (i. e. plagulæ pallii) triginta ſex.* Eadem, iiſdem fere verbis, repetuntur a Maimonide *Kele Hammikd. cap.* IX. In eadem ſententia eſt Hieronymus in *Epiſtola ad Fabiolam. In extrema*, inquit, *id eſt ad pedes, ſeptuaginta duo tintinnabula fuerunt, & totidem mala punica.* Videatur etiam Iſidorus *Etym. l.* I. *cap.* II. *& lib.* XIX. *cap.* XXI. Sane ſi ratio ulla afferri poteſt numeri tintinnabulorum, multo probabilior eſt ſententia Judæorum, Hieronymi aliorumque, qui LXXII. ponunt, quam cæterorum qui pauciora aut plura ſtatuunt. Sunt qui putant tot fuiſſe, quia traditur per confuſionem Babylonicam tot ortas fuiſſe linguas, ut hac via oſtenderetur ſonus verbi Dei, præcipue autem Euangelii ad omnes nationes & linguas venturus, ut omnes a Deo edocerentur in Myſteriis ſalutis. Alii qui credunt duodecim ſolummodo fuiſſe, id quidem exiſtimant factum fuiſſe propter XII. Apoſtolos; ſed illis poſſumus reſpondere, id potius factum eſſe ob LXXII. diſcipulos Chriſti, qui

tanquam totidem Euangeliſtæ miſſi ſunt ut eadem munera exercerent, ſcil. ut Euangelium etiam prædicarent omnibus populis & linguis; Poſset etiam conjici LXXII. tintinnabula totidemque malogranata fuiſſe, eadem de cauſa propter quam fuerunt LXXII. Seniores magnæ Synagogæ, & LXXII. interpretes Veteris Teſtamenti, ſi revera tot fuerunt. Cum enim, quando Seniores eligendi erant, quælibet tribus ſex elegerit, quandoquidem numerum illum neceſſarium putabant, ut res bene curarentur, inde ſtatim numerus LXXII. factus eſt, quia XII. fuerunt tribus. Non ſine ratione itaque affirmaretur, LXXII. tintinnabula facta fuiſſe ad ſignificandos LXXII. Seniores magni Synedrii, quibus totus populus Iſraeliticus repræſentabatur, quemadmodum per duodecim lapides in Pectorali repræſentabant duodecim tribus.

CCCCXXVIII. Non poſsum quin hic obſervem etiam aliquid de mognitudine tintinnabulorum & malogranatorum. S. Scriptura de hiſce quidem tacet. Sed Gemarici malogranata tradunt fuiſse inſtar ovi, ut ſupra audivimus. De tintinnabulorum magnitudine etiam ſilent. Probabile eſt illa non fuiſse multo minora, cum alias eorum ſonus a malogranatis facile potuiſſet impediri. Sane ſola malogranata, ſi tantæ fuerint magnitudinis, ſex ulnas minimum Hollandicas in ambitu pallii occupabant; Si autem tintinnabula ejusdem fuerunt magnitudinis, oportet ut pallium inferius laxiſſimum fuerit, & ut ambitu ſuo ad infimas oras comprehenderet duodecim ulnas Hollandicas; quod an verum ſit, viderint illi qui tantæ magnitudinis fuiſse docent malogranata, aut qui LXXII. ponunt tintinnabula totidemque mala punica.

CCCCXXIX. Qua ratione autem tintinnabula, cum ex auro ſolido facta fuerint, oris pallii appenſa fuerint, S. Scriptura non docet. Abarbanel ad Legem Paraſcha Tezave, cum Rabbi Moſe filio Nachmani ſtatuere videtur, mala punica intus cava, illiſque addita fuiſse tintinnabula. Dixit enim hunc doctorem credidiſse שהיו הרמונים חלולים והפעמונים בהם ונראים מתוכם *quod mala punica cava fuerint, & quod in illis fuerint tintinnabula, ſed ita ut e medio malorum punicorum tintinnabula conſpici potuerint.* Sed hæc ſunt lepida commenta, cum hoc modo nec ſatis auxiſsent ornatum palli, nec tintinnabulorum ſonus ſatis clare audiri potuiſset. Satis maniſeſto docet Moſes quodlibet tintinnabulum fuiſse inter duo mala punica, & quodlibet malum punicum inter duo tintinnabula. Sic enim verſu XXXIV. capitis XXVIII. ועשית על שוליו רמוני וג׳

 ופעמוני

ופעמוני זהב בתוכם : פעמון זהב ורמון פעמון זהב ורמון על שולי המעיל סביב׃ *Et facies ad oras ejus malogranata &c. & tintinnabula aurea inter ea. tintinnabulum aureum, & malogranatum, iterum tintinnabulum aureum & malogranatum ad oras pallii circumquaque.* Ita ſane hunc locum explicat Jarchius : ביניהם סביב בין ב׳ רמונים פעמון אחד דבוק ותלוי בשולי המעיל *Inter ea circumcirca, inter duo malogranata tintinnabulum unum, appendet oris pallii.*

CCCCXXX. De his duabus ſpeciebus, ſcilicet de malogranatis & tintinnabulis tantum mentionem facit S. Scriptura, quæ in fimbriis pallii fuerint. Nihilominus Philo Judæus *lib.* III. *de vita Moſis* tres ſpecies recenſet, ῥοΐσκους, κώδωνας & ἄνθινα. *Malogranata, tintinnabula & flores*: quibus etiam triplicem ſignificationem attribuit. Ἐξ αὐτοῦ δὲ, inquit, κατὰ τὰ σφυρὰ ῥοΐσκοι, καὶ ἄνθινα, καὶ κώδωνες εἰσι. τὰ μὲν ἄνθινα σύμβολον γῆς, ἀνθεῖ γὰρ καὶ βλαστάνει πάντα ἐκ ταύτης, οἱ δὲ ῥοΐσκοι, ὕδατος, παρὰ τὴν ῥύσιν λεχθέντες, εὐθυβόλως. οἱ δὲ κώδωνες τῆς ἁρμονίας καὶ συμφωνίας τούτων &c. *Circa talos habet mala punica, flores & tintinnabula. Flores quidam terram ſignificant, omnia florent & germinant ex terra. Mala punica aquam, ſic dicta a flendo : tintinnabula horum harmoniam & concentum.* In eadem ſententia fuiſſe videntur Septuaginta, cum non tantummodo *Malogranata* vocent ἐξανθούσης ῥόας ῥοΐσκους, ſed & exſertis verbis dicant appenſa fuiſſe: ῥοΐσκον, χρυσοῦν κώδωνα καὶ ἄνθινον, *malogranata, aureum tintinnabulum & florem.* Sed vix a me obtinere poſſum ut credam Septuaginta & Philonem credidiſſe præter malogranata & tintinnabula, aliud quid pallio appenſum fuiſſe. Per ἄνθινα illa, mea opinione, non intelligūnt aliquid diverſum ab ipſis malogranatis; ſed tantum formam malogranatorum exprimunt. Scilicet quod facta fuerint, ita quaſi adhuc flores non plane decidiſſent. Non fuerunt matura, ſed adhuc florentia. Ideo Septuaginta dicunt ἐξανθούσης ῥόας ῥοΐσκους,, quod poſſet reddi: *florentia malogranata.* Id ipſum videntur intellexiſſe Judæi, quando ea ſic deſcribunt, ut ſint ſimilia iis quorum *ora nondum ſunt aperta,* שלא פיתחו פיהן Et hoc quidem ad majorem ornatum erat. Solent enim malogranata, antequam ad plenam maturitatem perveniunt, habere quaſi coronulas, quibus eleganter ornantur in acumine. Ut ut ſit, manifeſto patet in fimbriis pallii Pontif. Max. nihil fuiſſe præter malogtanata lanea variorum colorum, & tintinnabula aurea.


Pal-

pag. 461.

II.



I.



CCCCXXXI. Pallia fimbriata veteres etiam habuiſſe alios præter Pont. Max. docet Scholiaſtes Perſii ad hunc verſum:

Scis comitem horridulum trita donare lacerna.

Scis, inquit, *birrum atritum comiti condonare, lacerna pallium fimbriatum, quo olim ſoli milites velabantur, pœnula pallium cum fimbriis longis.*

Regem Perſarum easdem plane habuiſſe fimbrias ac Pont. Max. Hebræorum, ex malis punicis & tintinnabulis, docet *Targum Scheni*, Eſteræ cap. VI. de quo nos plura ſupra.

CCCCXXXII. Ex his omnibus quæ dicta ſunt liquet מעיל Summi Pontificis, fuiſſe tunicam exteriorem talarem ex lana hyacinthini coloris contextam, undique clauſam & rotundam ſine manicis, habens capitium tantum oblongum non transverſum, ſive aperturam per quam caput immitteretur, cui limbus attextus erat ob firmitatem, & in lateribus duo foramina ad exerenda brachia, in infimis oris malogranata ex lana hyacinthina purpurea, coccinea & byſſo alba, cum tintinnabulis aureis circumquaque: quod hæc tabula exhibebit.

EXPLICATIO TABULÆ.

Figura Prima.

A. Pallium Summi Pontificis quod dicitur מעיל.

B. Capitium ſive פי של ראש apertura capitis, per quam caput tranſibat.

C. Foramina ad latera exerenda brachia.

D. Fimbriæ ex malis punicis & aureis tintinnabulis.

Secunda figura exhibet Pontificem Summum tali Pallio veſtitum.

CAP. VI.

DE אפד EPHODO.

Praeceptum de Ephodo ubi extet. Variæ Verſiones. Materia Ephodi. *Ejus forma. Etymologia.* ἐπωμὶς, περιβόλαιον ſtragula, chlamys, Pallium &c. *Hunnorum veſtimenta.* λέντιον, περίζωμα ἱερατικόν. Ephod Bad. ἐπωμὶς *veſtimentum muliebre. An manicatum? Error Ioſephi, Rubenii & aliorum.* Caracallarum *duo genera.* Imperator Caracalla. *Varii auctores allegati. Ephod utrum veſtis talaris. Male aſſeritur a Iudæis.* Gallica palla *apud Martialem.* Palliolum. ἡμιφάριον. Ephod *ad nates dependet. Ioſephus tentatus.* Ephodi *tres partes.* אפור Amiculum. כתפות Humeralia. חשב האפור Cingulum Ephod *duabus plagulis conſtat.* Humeralia *quid? Attexuntur, non aſſuuntur. Iudæorum error.* וחבר *Moſi quid?* חשב האפור *quid? Error Seniorum & vulgati:* חשב & המין *idem. Varii auctores.* Cingulum Ehodi *cur* חשב *dictum? Ex eadem materia textum.* ממנו *Moſi quid?* Ephod *tunica* χιτὼν *&* ἀμάχαλος. *Integra deſcriptio Ephodi ex Iarchio. Varii Auctores.* ſchürtze. פורצינט *pro* שורצינס. Ephod *omnium veſtium ſacrarum, præter pectorale, pretioſiſſima.* משבצות *fibulæ aureæ & gemmatæ:* ἀσπιδίσκαι *apud Ioſephum quid?* Aſpides, Clypei. *Ruffini verſio.* שהם *gemma in humeralibus. iis inſculpta nomina* XII. *tribuum. Litteræ in gemmis protuberantes. In qualibet gemma ſex nomina. Quo ordine? Ioſephus & alii Rabini allegati.* אבני זכרון gemmæ memoriæ *quid?* Catenæ aureæ. Annuli *in Ephodo.* Ephod *quid fuerit? Vera ejus deſcriptio. Tabula* Ephod *Exhibens. Tabulæ explicatio. Samuelis Ephod quale.* ἐφοὺδ βάρ. Ephod *octoginta quinque Sacerdotum* 1. *Sam.* XXII. XVIII. Ephod *Levitæ. Iudic.* XVIII. *Error Hieronymi.* Ephod *veſtis etiam vulgaris.* Ephod στολή. *Ionathani* כרדוט דבוץ χειροδωτες. *Varii auctores.* Ephod *Micæ.* Ephod fuſilis auri *Eſ.* XXX. XXXII. *Mirifica deſcriptio* Ephodi *apud Suidam.*

Pallio

CCCCXXXIII. PAllio ſuperinduebatur אפוד *Ephodum*. De hoc veſtimento extat Exodi XXVIII. verſu VI. Septuaginta habent ἐπωμίδα, qua voce utuntur Joſephus & Philo Judæus. Chaldæus vocem איפודא retinet. Arabs البدنة quod videtur ſignificare *amiculum*; eſt enim بدن *amicuit*. Vulgatus habet *ſuperhumerale*. Junius & Tremellius *Amiculum*. Lutherus ein Leib rock. Galli, Belgæ & Diodati retinent vocem *Ephod*. Joſephus nonnunquam etiam ἐφώδην habet. Aquila ἐπίῤῥαμμα & ἐπένδυμα, ut docet Hieronymus *ad Fabiolam*, & *ad cap.* III. *Hoſeæ*.

CCCCXXXIV. De materia *Ephodi* non multum habeo quod dicam, cum factum fuerit ex *auro*, *hyacinthino*, *purpura*, *coccino* & *byſſo retorta*, ut patet Exod. cap. XXVIII. verſ. VI. Quid autem ſit *aurum*, *hyacinthinum*, *purpura*, *coccinum* & *byſſus retorta*, ſuo loco ſatis fuſe docuimus.

Idem cenſendum eſt de coloribus, nam quicunque noverit qualis fuerit materia *aurum*, *hyacinthinum purpura*, *coccinum* & *byſſus*, etiam noverit quales fuerint colores.

CCCCXXXV. Major verſatur difficultas circa formam hujus veſtimenti. Si vocis Etymon ſpectemus, videtur ſignificare aliquid quo homo quocunque modo amicitur & involvitur. Eſt enim אפד *amicivit*, *accinxit*, hinc אֲפֻדָּה *amictus* Eſ. XXX. XXII. Hanc forte ob cauſam generali voce a quibuſdam *Ephod*, vocatur *amiculum*. Sed hoc vocabulo ejus forma non exprimitur. Nec vulgati *Superhumerale*, nec Aquilæ Ἐπίῤῥαμμα, nec aliorum ἐπένδυμα id ſatis manifeſto docent; cum *ſuperhumerale* nihil dicat, niſi quod humeris impoſitum ſit; & ἐπίῤῥαμμα tantum ſignificet *aſſumentum* aliquod; fortaſſis, quia credebatur a quibuſdam ex pluribus partibus conſutum, ſcilicet ex duabus plagulis & humeralibus, de quibus poſtea plura. Ἐπένδυμα quidem ſignificat veſtem quandam quæ aliis imponebatur, quod *Ephodo* etiam convenit, ſed id de *tunica* aliiſque veſtimentis, teſte Polluce, dici ſolebat.

CCCCXXXVI. Hujus veſtimenti formam exprimere velle videntur Græci, cum id vocent ἐπωμίδα Joſephus *Antiq. cap.* III. non contentus voce ἐπωμίδος addit: ἑλληνικῇ δ' ἐπωμίδι προσεοικότα *Græcanicæ epomidi ſimilem* fuiſſe. Suidæ ἐπωμὶς eſt εἶδος περιβολαίου. Sed & hoc valde generale eſt. Nam quid eſt περιβόλαιον, niſi quælibet veſtis quæ injicitur, *ſtragula*, *chlamys*, *pallium* & id genus

nus alia. Et de Hunnorum quidem veſte Suidas hæc intellexiſſe videtur. ἐπωμίδες δὲ καὶ ἀναξυρίδες, καὶ τῶν ὑποδημάτων τὰ πλεῖστα ἐς τῶν Οὔννων τό τε ὄνομα, καὶ τὸν τρόπον ἀποκέκρινται σφίσι. Προκόπιός φησιν. *Epomides & bracha & pleraque calceamenta Hunnorum ſunt, & nomini & forma reſpondent, ait Procopius.* Heſychio ἐπωμὶς eſt quidem veſtimentum Sacerdotale *lineum.* Ἐπωμίδιον, ὡς λέντιον ἱερατικὸν περιβόλαιον. Alibi λέντιον illi eſt περίζωμα ἱερατικόν. Sane hoc intelligi poſſet de *Ephod bad* Davidis, quod lineum fuit, ſed de Summi Pontificis Ephodo neutiquam. Audiamus ipſum Joſephum qui ſe clarius exprimere conatur. γίνεται γὰρ (ſcil. ἱερατικὴ ἐπωμὶς ſive Sacerdotale Ephod) τοῦτον τὸν τρόπον. ὑφανθεὶς ἐπὶ βάθος πηχυαῖος ἔκ τε χρωμάτων παντοίων καὶ χρυσοῦ συμπεποικιλμένος, περίπυκτον, (aut potius, ut optime manuſcriptum, ἀπερίπλυκτον) τοῦ στέρνου τὸ μέσον καταλιμπάνει, χειρῖσίν τε ἠσκημένος καὶ τῷ πάντη σχήματι χιτὼν εἶναι πεποιημένος. *Fit autem hoc modo: Textum in profunditatem cubitalem,* (aut potius *natium,* poſtea enim patebit Ephodum dependiſſe ad nates uſque) *ex variis coloribus & auro variegatum. intectum pectoris medium relinquit, manicis ornatum atque ita factum eſt, ut omnino ad formam tunicæ fabricatum videretur.* Sed hæc deſcriptio cum ob varias rationes, tum præcipue, quod dicat manicis ornatum eſſe Ephod, mihi non placet. Nullas manicas habuiſſe poſtea patebit. Pollux, *lib.* VIII. ἐπωμίδα ait eſſe veſtimentum muliebre, ſed formam non exprimit. Sane hoc ſenſu Ephod non potuit eſſe ſimile Epomidi, Hieronymus Ephod caracallæ ſimile voluit ſed abſque cucullo. *Palliolum,* inquit, *fuit miræ pulchritudinis, præſtringens fulgore oculos, in modum caracallarum ſed abſque cucullis.* Duo genera caracallarum olim fuerunt. Antiquitus breves erant, deinde demiſſiores & talares habebant Romani, cujus veſtimenti inventor fuit Imperator Antoninus, unde & *Caracalla* dictus eſt. Vide Ælium Spartianum in vita ejus. De breviori & antiqua caracalla id videtur intelligere Hieronymus, quando dicit Ephodum eſſe ſimile caracallæ. Sane ita explicavit Rubenius *de Re Veſt. lib.* I. *cap.* VI. *Ephod,* inquit, *fuit manicatum & breve veſtis genus lateribus ſciſſum, tunicæ illi, quam feciales portant vulgo* Cotte d'armes *dictæ, ſimile.* Bene quidem quod *breve veſtis genus, lateribus ſciſſum* & abſque cucullo dicatur Ephod, ſed male quod ei manicæ attribuantur: cum manicas nullas habuerit, ut poſtea patebit ex ejus ſtructura.

Jarchius

CCCCXXXVII. Jarchius Exodi Capite ultimo Ephodum vult veſtem fuiſſe talarem. רחבו כרחב גבו של אדם ויותר ומגיע עד עקביו *Latitudo ejus eſt ut latitudo tergoris viri, & paulo latius, pertingit autem ad talos.* In eadem ſententia eſt Maimonides *Kele Hammikd. cap.* VIII. האפוד רוחבו כרוחב גבו של אדם מכתף לכתף ואורכו מכנגד אצלו הידים מאחריו עד הרגלים׃ *Latitudo Ephodi accommodata eſt latitudini tergoris hominis, ab humero ad humerum, & longitudo ejus eſt ab axillis uſque ad pedes.* Sed Ephod talare fuiſſe veſtimentum, mihi perſuadere non poſſum, ſic enim Pontifici inter operandum impedimento fuiſſet, eximius color Pallii conſpici non potuiſset, & hoc modo tintinnabulorum ſonus audiri minine potuiſset.

„ Si tamen aliquis hiſce, non obſtantibus, cum Bernhardo „ Anglo, *ad Joſephum Lib.* III. *pag.* 177. credere velit, Ephod „ longam fuiſſe plagulam, ad talos uſque, credat quidquid ab- „ ſurdi credere poteſt credulus, credet ineptiſſima & manifeſto „ falſa: cum nec מעיל *Pallium* conſpici, nec tintinnabula ſonum „ edere potuiſſent, uti jam modo dictum eſt.

CCCCXXXVIII. Certius eſt Ephodum fuiſſe genus veſtimenti brevis, & ultra dimidias nates non propendiſſe. Qualis fuit *Gallica palla*, de qua Martialis:

Dimidiaſque nates Gallica palla tegit.

Atque ſic non male dicitur fuiſſe inſtar ſagi militaris, aut antiquarum caracallarum ante tempora Antonini, quæ breves erant, ablatis cucullo & manicis. Hac de cauſa Hieronymo optime dicitur, non quidem *pallium*, ſed *palliolum*, quaſi diceres ἡμιφάρειον *dimidiatum pallium*, quemadmodum quidam vocem iſtam interpretantur apud Suidam. Ita ſane Ephod deſcribitur a Kimchio 1 Chron. XV. XXVII. ubi de Ephodo Davidis fit mentio, & quod Kimchius exiſtmat ſimile Ephodo Aharonis: hoc enim ad lumbos tantum demiſſum exiſtimabat. ואותו, inquit, אפוד של אהרן שהיה כמין שני לבדים אחד לפנים וחד לאחר ומגיע עד מתניו והיה האזור ארוג ממנו וחגרו בו׃ *Erat ut Ephodum Aharonis quaſi duo panni; quorum alter anterior, alter poſterior erat, uſque ad lumbos demiſſi, & cingulum quo cingebatur ex ipſo contextum erat.* Abarbanel *Paraſcha Tezave*, ad *anum*, id eſt, ad *dimidas nates*, ut loquitur Martialis, demiſſum vult. Sic enim totam formam Ephodi ibi deſcribit, ואמנם צורתו היתה כמו שאומר האפוד היה תלוי מאחרי הכהן ורחבו

 היה

היה כרחב גב הכהן מכתף לכתף כדי שתהיינה הכתפות מחוברות לו והוא היה תלוי למטה מהכתפים כנגד בית השחי והכתפות מחוברות לו ונכפלות לפני הכהן מעט וכנגד הלב היה יוצא מהאפוד כמו חגורה משני צדדיו והוא חוגר בה על מעיל האפוד כמו שיתבאר : *Ita ſane forma ejus erat prout jam dictum eſt. Pendebat itaque Ephodum a tergo Sacerdotis. Latitudo ejus erat ut latitudo tergoris Sacerdotis, ab humero ad humerum, & adhærebant ei humeralia. Pendebat autem ab humeris uſque ad anum. Et humeralia ei adhærebant. Sed in anteriori parte parum erat duplicatum, & circa cor egrediebatur utrinque ex lateribus inſtar cinguli, quo cingibatur Ephod ſuper pallium, quemadmodum id explicatum eſt.* Sane in hanc ſententiam ego pedibus eo, quod Ephod breve fuerit veſtimentum, quod infra *dimidias nates*, aut *lumbos* non fuerit demiſſum. Idem credo intellixiſſe Joſephum, loco allegato ubi dicit, Ephod fuiſſe contextum ἐπὶ βάθος πηχυαῖον *ad profunditatem cubitalem*: quaſi ab humeris longius non fuerit quam cubitus. Sed quod præter humeralia cubitalis fuerit plagula iſta infra humeralia dependens: iſta ſcilicet pars quam Judæi diſtinguunt ab humeralibus, & quam proprie *Ephodum* vocant. Hoc autem modo revera ad nates dependere debebat. Poſſit etiam legi πυγαῖος *nates* pro πηχυαῖον *cubitale*, quaſi dixiſſet Joſephus ὑφανθεὶς ἐπὶ βάθος πυγαίου *textum in profunditatem natium*, id eſt uſque ad nates dependens.

Hæc iterum diſplicent Bernardo: *ſcilicet quod ſit contra honeſtatem Ioſephi, quaſi vero vir gravis & honeſtus non poſſet adhibere, ſi neceſſitas id poſtulat, vocem quæ corporis partes notat. Sed nihil adfirmo, eſt conjectura criticis ſatis familiaris, & ſæpe apta. Diſplicet* Bernardo, *quia non prius ab eo fuit animadverſum. Non ſpero, eum eouſque eſſe profanum, ut jure jurando auſit negare, meam conjecturam genuinam eſſe lectionem, quandoquidem convenit cum veritate rei; quamvis & ego jurejurando nihil affirmem.*

CCCCXXXIX. Ut autem melius intelligeretur tota hujus veſtimenti ſtructura, notandum eſt, illud conſtitiſſe tribus præcipue partibus: ipſo ſcilicet *amiculo*, quod pectus & tergus tegebat ab axillis uſque ad dimidias nates, & quod Hebræorum Magiſtri proprie dictum volunt אפור *Ephod*. Deinde *humeralibus*, partibus iſtis ſcilicet quæ humeros tegunt, ad axillas uſque, quas Judæi putant כתפות dictas a Moſe. Tertio ex חשב האפד *cingulo Ephodi*. ipſum autem *amiculum*, quæ prima & præcipua pars hujus veſtimenti

menti erat, & quod proprie *Ephod* dicebatur, nihil aliud erat quam duo panni, inſtar duorum ſuccinctoriorum, uti vulgo vocantur, qualia ſolent habere mulieres, alterum anterius, alterum poſterius, in ipſis humeris, per humeralia egregiis & pretioſis fibulis juncta. Hæc ſuccinctoria a Kimchio, ut modo audivimus, שני לבדים *duo panni*, ſivæ *duæ plagulæ*, vocantur, quales revera erant. De hiſce plagulis, ſive ſuccinctoriis leges etiam apud Jarchium ad verſ. VI. cap. XXVIII. Exodi, ad vocem אפוד quem locum poſtea integrum recitabimus.

CCCCXL. Secunda pars Ephodi erant *humeralia*, ſive ſuperior pars ab axillis ſurſum protracta uſque ad humeros, ideo כתפות i. e. *humeralia* dicta. Erant autem כתפות ſive *humeralia* nihil aliud quam reliquæ partes hujus veſtimenti ab axillis ad humeros: duo ſcilicet fruſta quæ plagulæ adhærebant, & quæ uſque in humeros protrahebantur, ut anteriora cum poſterioribus jungerentur fibulis gemmatis, de quibus ſuo loco. De hiſce humeralibus loquitur Moſes verſu VI. שתי כתפות חברות יהיה לו אל שני קצותיו וחבר : *Duo humeralia juncta erunt illi, in duabus extremitatibus, & jungentur.* Optime vertuntur כתפות *humeralia*; eſt enim כתף *humerus*. Vocantur autem ita quia humeros tegunt, unde & tota veſtis a quibusdam *humeralis* dicitur, & Græce ἐπωμὶς, ἀπὸ τοῦ ὤμου *humero*. Nota etiam inter *humeralia* ſpatium aliquod vacuum relictum fuiſſe quadratum magnitudine fere ſpithamæ, cui adaptabatur חשן *Pectorale*, quod Joſephus vocat ἀπερίπλυκτον τοῦ στέρνου τὸ μέσον *intectum medium pectus*. Et διάκενον ἐνδύματος *vacuum veſtimenti*. כתפות ſive *humeralia* Judæi credunt ſeorſum texta, & deinde plagulæ acu aſſuta fuiſſe. Maimonides *Hilch. Kele Hammikd. cap.* VIII. ותופר עליו שתי כתיפות כדי שיהיו על כתפות הכהן *Et aſſuuntur illi duo humeralia, ut eſſent ſuper humeros Pontificis.* Et hoc quidem Judæi videntur collegiſſe ex verbis Moſis, cum tam expreſſe dicat; & *juncta erunt* (humeralia) *illi* & *adhærebunt illi* i. e. *Ephodo.* חברות יהיה לו אל שני קצות וחבר *Iuncta erunt illi in duabus extremitatibus, & cohærebunt.* quem locum ſic explicat Abarbanel, loco ſupra a nobis laudato. רוצה לומר שיעשה לאפוד שתי כתפות ויעשו אותם בעצמן נפרדות ממנו ואח״כ תופרין אותן בראשי האפוד באופן שיהיו על כתפות הכהן ועל זה אמר שתי כתפות חוברות יהיה לו על שני קצותיו : *Vult dicere quod fecerint Ephodo duo humeralia, & quod ea fecerint ſeorſum, ita ut ab eo ſeparata fuerint, poſtea autem quod ea aſſuerint extremitatibus*

Ephodi, *ut eſſent ſupra humeros Sacerdotis*; *ideoque dicitur*, *duo humeralia juncta erunt illi ad duas extremitates ejus.* In eadem plane ſententia eſt etiam Jarchius. Sed, pace Hebræorum magiſtrorum dictum ſit, ego puto eos vehementiſſime falli: ignorabant ſcilicet veſtes texi poſſe hoc modo, ideo etiam manicas putant ſeorſum textas & tunicæ aſſutas fuiſſe, quod ſuo loco oſtendimus. Et quamvis Moſes de humeralibus Ephodi, quaſi de partibus ſeparatim loquatur, tamen certum eſt, humeralia non fuiſſe aſſuta, ſed eadem tela texta, ſine acus opera. Moſes enim expreſſis verbis dicit veſtimenta Sacra fuiſſe *opus textoris*, quod ſuo loco probavimus. Quidquid igitur textura abſolvi poterat, non opus erat ut acus adhiberetur. Minime ſane probatur ex eo, quod Moſes dicat: חברות יהיה לו אל שני קצותיו *Et adhærebunt illi ad duas extremitates*: poterant enim adhærere per texturam, non autem per acum. Non enim debebant humeralia eſſe ſeparata ab amiculo, ſive plagula, quod forte in aliis veſtimentis fiebat; ſed debebant ei adtexi ut ei adhærerent. Quod ſub finem iterum repetat vocabulum וחבר *& adhærebit*, poteſt intelligi de cohærentia duarum plagularum, quæ in humeris per lapides שהם tanquam per fibulas gemmatas cohærebant & nexa erant.

CCCCXLI. Tertia pars Ephodi erat חשב האפורה *Cingulum Ephodi*, quo infra axillas corpori adſtringebatur. Vide verſu octavo, ubi Moſes de eo ſic loquitur: וחשב אפודתו אשר עליו כמעשהו ממנו יהיה זהב תכלת וארגמן ותולעת שני ושש משזר׃ Quorum verborum ſenſum Septuaginta minime aſſequuti ſunt; ſic enim illi: ϗ τὸ ὕφασμα τῶν ἐπωμίδων ὅ ἐστιν ἐπ᾽ αὐτῶ, ϗ τὴν ποίησιν ἐξ αὐτῶ, ἔσται ἐκ χρυσίου &c. *Et textura humeralium quæ ſunt ſuper eo*, *ex ipſo fieri debent auro* &c. His deceptus eſt vulgatus: *Ipſa*, inquit, *quoque textura & cuncta operis varietas erat ex auro*, &c. quaſi Moſes per חשב אפודתו intellexiſſet ὕφασμα ἐπωμίδων *texturam humeralium*, aut *texturam & operis varietatem*, ut habet vulgatus, cum certum ſit חשב אפודתו nihil aliud ſignificare, quam *cingulum Ehodi.* Ita ſane hunc locum intelligit Chaldæus, qui pro חשב habet המין quod proprie *cingulum* ſignificat: hinc optime a Jarchio vocatur חגור *cingulum.* Locus itaque Moſis ſic erit vertendus: *Et cingulum amiculi ejusdem operis erit ex ipſo amiculo progrediens*, *ex auro*, *hyacinthino*, *purpura*, *Coccino & byſſo retorta.* Ita ſane ad hæc verba חשב האפוד ſermocinatur Abarbanel: רוצה לומר שיעשה חשב האפוד וזהוא כדמיון אבנט שהיה יוצא משני צדדי האפד והיה חוגר אותו כנגד לבי׃

Vult.

Vult dicere: factum fuiſſe cingulum Ephodi; erat autem inſtar baltei, qui egrediebatur ex eo ab utroque latere, & cinxit ſe eo ad cor ſuum. Maimonides *Kele Hammikd. cap.* VIII. ויש לו כמו שתי ידות יוצאות ממנו באריג לכאן שחוגרין אותו בהם והם הנקראין חשב האפוד: *Habebat* (Ephod) *quaſi duas manicas, quæ egrediebantur ex eo, per texturam ex utroque latere, quibus eum cingebant, & has* (manicas) *vocat cingulum Ephodi.* Ecce hoc cingulum comparatum cum manicis. Abarbanel cingulum hoc etiam vocat duas corrigias. והוא מלאכת האפוד בעצמה מכ״ח חוטין וממנו היה יוצא לכאן ולכאן כמו שתי רצועות: *Et hoc eſt opus ipſum Ephodi ex viginti octo filis, & ex eo* (Ephodo) *egrediebatur* (cingulum) *ex utroque latere, inſtar duarum corrigiarum.* Habuit igitur Summus Pontifex quaſi duo cingula, primo אבנט *balteum*, quo interior tunica ſtringeretur, & חשב האפוד *cingulum Ephodi*, quo duæ plagulæ inſtar duorum ſuccinctoriorum ad pectus & tergus corpori aſtringerentur.

CCCCXLII. Dicitur autem hoc cingulum a Moſe חשב האפוד. Primum vocabulum חשב, indicat proculdubio hoc veſtimentum, & ipſum quidem cingulum fuiſſe מעשה חשב *opus artificioſiſſimum.* Quale autem illud opus fuerit, libro primo cap. XVII. ſuo loco ſatis fuſe explicavimus. At dicitur חשב האפוד *Cingulum amiculi*, non autem חשב כתפות *cingulum humeralium*, quia *amiculo* proprie ſive *plagulæ* anteriori fuit attextum, non autem fruſtis iſtis, quæ כתפות *humeralia* vocantur. Addit etiam Moſes כמעשהו *ut opus ejus*, ut intelligeremus cingulum ex eadem materia fieri, eadem textura abſolvi, & eodem ornamento decorari, quo & ipſum amiculum ſive ſuccinctoria facta & decorata ſunt. Maimonides loco modo allegato: והכל ארוג זהב תכלת וארגמן ותולעת שני ושש של שמנה ועשרים חוטים כמעשה החשן: *Et omnia texta ſunt, ex auro, purpura, hyacinthino, coccino, & byſſo ex viginti octo filis, ut opus Pectoralis.* Jarchius hæc verba כמעשהו ſic explicat: כאריגת הסינר מעשה חשב ומחמשת מינים כך אריגת החשב מעשה חשב ומחמשת מינים: *Qualis eſt textura ſuccinctorii, ſcilicet opus artificioſiſſimum ex quinque ſpeciebus, talis etiam eſt textura cinguli, opus artificioſiſſimum & ex quinque ſpeciebus.* Sic etiam explicatur ab Abarbanele. Tandem addit Moſes ממנו *Ex ipſo*: quibus indicat, cingulum textum fuiſſe ſimul, cum ipſo amiculo ſive plagula, ita ut ex ea egredi videretur. Jarchius hęc verba ממנו יהיה ſic explicat: עמו היה ארוג ולא יארגנו לבד ויחברנו: *Cum ipſo* (amiculo ſive ſuccinctorio) *textum erit,*

erit, non autem texetur ſeparatim, ut poſtea adnecteretur. Abarbanel ובא הכתוב לומר שלא יעשו החשב בלבד ואח״כ יחברו אותו אל האפוד כמו שהיו הכתפות׃ אבל ממנו יהיה רוצה לומה שיהיה ארוג החשב עם האפוד ואותם הדברים עצמם׃

Pergit autem S. Scriptura & dicit cingulum non debuiſſe fieri ſeparatim, & poſtea annecti Ephodo, quemadmodum humeralia, ſed ex eo ipſo erunt, id eſt, textus erit cingulus cum ipſo Ephodo. Et hæ ſunt res ipſæ.

CCCCXLIII Atque hæ ſunt tres illæ partes quibus conſtabat totum Ephod, I. אפוד ſive סינר aut etiam לבדים ipſæ *duæ plagulæ*, ſive duo ſuccinctoria, quorum unum pectus, alterum tergus tegebat; II. כתפות *Humeralia* quæ ab axillis ſurſum trahebantur in humeros; & III. חשב האפוד *cingulum*, per quod circa cor ſtringebantur plagulæ. Erat itaque inſtar tunicæ ſed in lateribus *σχιςȣ̃ ſciſſa* & *ἀμαχάλȣ ſine manicis.* Non diſplicet integram deſcriptionem huc adferre, quam dedit Jarchius, loco modo laudato, ad vocem Ephod. לא שמעתי ולא מצאתי בברייתא פירוש תבניתו ולבי אומר לי שהוא חגורה לו מאחוריו רחב כרחב גב איש כמין סינר שקורין פורצינ״ט שחוגרות השרות כשרוכבות על הסוסים כך מעשהו מלמטה שנ׳ ודוד חגור אפוד בד למדנו שאפוד חגורה היא ואי אפשר לומר אין בו אלא החגורה לבדה שהרי נאמר ויתן עליו את האפוד ואח״כ יחגור אותו בחשב האפוד ות״א בהמיין אפודה למדנו שהחשב הוא החגור והאפוד שם תכשיט לבדו ואי אפשר לומר שעל שם שתי כתפות שבו הוא קרוי אפוד שהרי נאמר שתי כתפות האפוד למדנו שהאפוד שם לבד והכתפות שם לבד והחשב שם לבד לכך אני אומר שעל שם הסינר שלמטה קרוי אפוד על שם שאופדו ומקשטו בו כמו שנאמ׳ ויאפוד לו בו והחשב הוא חגור של מעלה הימנו והכתפות קבועות בו ועוד אומר לי לבי שיש ראיה שהוא מין לבוש שתרגם יונתן ודוד חגור אפוד בד כדרוט דבוץ ותרגם כמו כן מעילים בדרוטין במעשה תמר אחות אבשלום כי כן תלבשנה בנות המלך הבתולות מעילים׃

Non audivi nec inveni in traditionibus explicationem formæ ejus. Sed animus mihi dicit, quod ipſi (Sacerdoti) *accinctum fuerit a tergore ad latitudinem tergoris viri, inſtar ſuccinctorii, quod vocatur* Schürtze (pro פורצי״נט lego שורצינם) *prout principes fœminæ cingi ſolent, quando equitant. Talis eſt forma inferioris partis, ut dictum eſt* (II. Sam. VI. XIV.) Et David cinctus erat Ephodo lineo. *Unde docemur Ephodum ſuccinctorium fuiſſe. Non poteſt tamen dici, quod nihil habuerit præter ſuccinctorium tantum, cum dicatur* (Levit. VIII. VII.) & impoſuit ei Ephodum; *& poſtea*, cinxit eum בחשב האפוד *quod interpretatur Onkelos*, cingulo Ephodi. *Unde docemur* חשב *eſſe* cingulum; *Ephodum autem eſſe nomen ornamenti* (ſive veſtis pretioſæ.

tioſæ. *Non autem poteſt dici, quod propter duo humeralia ſua dicatur Ephod, quoniam dicitur* : duo humeralia Ephodi. *Unde diſcimus* Ephodum *eſſe nomen ſpeciale, &* humeralia *eſſe nomen ſpeciale, &* cingulum *eſſe nomen ſpeciale. Ideoque dico, quod propter ſuccinctorium, quæ eſt pars inferior, dicatur* amiculum, *quoniam eo amicitur & ornatur, prout dicitur* (Levit. VIII. VII.) & amiciet ſe eo. *Sed* חשב *eſt* cingulum *alias* הימנו (Chaldaice cingulum ejus) *Humeralia autem ei ſunt annexa. Iterum mihi dicit animus, quod ſit ſpecies veſtimenti, de quo Ionathan, quando* (hæc verba II. Sam. VI. XIV.) Et David cinctus erat Ephodo lineo, *interpretatur*, Pallio byſſino, *& ſic interpretatur pallia in hiſtoria Thamaris ſororis Abſalonis* (II. Sam. XIII. XVIII.) quia ſic veſtiuntur filiæ Regis virgines palliis.

Hoc veſtimenti genus reliqua omnia præter pectorale, pretio & ornatu antecellebat, factum enim erat ex hyacinthino, purpura, coccino, auro & byſſo retorta. Summo etiam artificio contextum fuit, & inſignia ornamenta habebat: erat enim מעשה חשב, quid autem hoc ſignificet, libro primo cap. XVII. ſatis fuſe oſtendimus, quo & lectorem remittimus.

CCCCXLIV. Præter aurum & cætera ornamenta, etiam lapidibus pretioſis fulgebat in utroque humero, quibus tanquam fibulis gemmatis, duo ſuccinctoria, ſive duæ plagulæ anterior & poſterior nectebantur. De his lapidibus hæc habet Moſes Ex. XXVIII. verſ. IX. ולקחת את שתי אבני שהם ופתחת עליחם שמות בני ישראל ששה משמותם על האבן האחת ואת שמות הששה הנותרים על האבן השנית כתולדתם : מעשה חרש אבן פתוחי חתם תפתח את שתי האבנים על שמות בני ישראל מסבת משבצות זהב תעשה אתם : ושמת את שתי האבנים על כתפת האפוד אבני זכרן לבני ישראל ונשא אהרן את שמותם לפני יהוה על שתי כתפיו לזכרן *Et ſumes duos lapides Schoam & inſculpes illis nomina filiorum Iſraelis. Sex nomina ſupra lapidem unum, & ſex nomina reliqua ſuper lapidem alterum, ſecundum ſuas ætates. Opus ſculptoris lapidum erit, & ſculptura ſigilli ſculpes duos lapides ſecundum nomina filiorum Iſraelis, fundis aureis includes eos. Et pones duos lapides ſuper humeralia Ephodi. Lapides memoriales filiis Iſraelis. Et portabit Aharon nomina eorum coram Deo in duobus humeralibus ad recordationem.* Duæ igitur iſtæ plagulæ, ex quibus corpus Ephodi conſtabat, in humeris cohærebant per duas fibulas aureas, egre-

gia

gia gemma משבצות *Miſchbezoth*, quaſi diceres *fundas*, quia revera erant fundæ quibus incluſæ erant Sardonyches. Sed ipſiſſimæ fundæ, ut diximus, & fibulæ erant quibus poſterior plagula, qnæ in tergo dependet, anteriori adnectebatur. Joſephus *De Bello Iud. lib.* VI. *cap.* VI. eaſdem fundas ſive fibulas aureas certis quibusdam figuris ornatas docet, nempe figura *aſpidum*, ſi Rufinus bene vertit, quæ plagulas retinerent, ne de humeris deciderent; ideoque eas aſpides aureos vocat. δύο δ᾽ αὐτὴν ἐνεπόρπουν ἀσπιδίσκαι χρυσαῖ, κατεκέκλειντο δ᾽ ἐν ταύταις κάλλιστοί τε καὶ μέγιστοι σαρδώνυχες, τοὺς ἐπωνύμους τῶν τοῦ ἔθνους φυλῶν ἐπιγεγραμμέναι. *Duabus autem fibulis aureis aſpidum ſpecie vinciebantur: quibus incluſi erant optimi, maximique Sardonyches, ſcripta tribuum gentis nomina ferentes.* Sed qua ratione ſit inductus Ruffinus ut verteret *aſpides*, non video, cum verti poſſint *clypei parvi*. ἀσπιδίσκη *clypeum parvum* ſignificat. Et ſane S. Pontificem figuram alicujus animalis geſtaſſe in veſtibus ſacris non puto; cum id anſam dare potuiſſet idololatriæ. Ideo Magiſtri docent: cautum fuiſſe ne Ephodum, Pectorale & balteus ulla figura animalis pingeretur, ſed tantum floribus: quod ad חשב & רקם oſtendimus lib. 1. cap. XVII Et ſane fibulas iſtas inſtar parvorum clypeorum ex auro fuiſſe, ego lubenter credo, cum proculdubio per totum humerum extenderentur, ut anterior plagula ornatius poſteriori ad hæreret. Alias facile fieri potuiſſet, ut extremæ partes humeralium criſpatæ & deorſum relapſæ eſſent, niſi hoc modo cohibitæ per ejuſmodi clypei ornatum. Veteres in humeris pretioſiſſimas fibulas habuiſſe, & quidem gemmatas, variis etiam figuris ornatas, omnibus, qui vel parum verſati ſunt in optimis auctoribus, notum eſt. Videatur *Rhodius de Acia cap.* v. Ubi etiam exiſtimat has fibulas aureas & gemmatas Summi pontificis Hebræorum originem dediſſe omnibus cæteris ejuſdem generis fibulis.

Fibulæ non tantum habebant figuram aſpidum, aut clypeorum, ſed & lapides incluſos, שהם, quos Græci σαρδωνύχας, hinc optimo juræ fibulæ gemmatæ vocari poſſunt. Sed qualis proprie lapis fuerit שהם fuſius explicabitur poſtea, ubi de lapidibus pretioſis agendum erit. Hic alia notanda ſunt.

CCCCXLV. Lapidibus arte ſculptoris literæ quædam, & integra quidem nomina inſculpta erant: *Et inſculpes eis nomina filiorum Iſraelis &c. Opus ſculptoris ſigilli, ſculpes duos lapides ſecundum*

nomina

nomina filiorum Iſraelis. Quia tam expreſſe dicitur מעשה חרש *opus ſculptoris*, Abarbanel obſervat Moſen quidem attuliſſe lapides pretioſos illos quos Principes dederunt; ſed ipſum Moſen eos non ſculpſiſſe, ſed peritiſſimum aliquem ſculptorem. Sed & hæc verba. פתוחי חתם תפתח את שתי האבנים *Et ſculptura ſigilli ſculpes duos iſtos lapides*, ſic intelligi vult: ut literæ non inciſæ fuerint quemadmodum id fieri ſolet in ſigillis, quare litterę poſtea cerę impreſſę protuberant, ſed ita ut per ipſam ſculpturam in lapidibus protuberantes eſſent, inſtar alicujus imaginis aut litterę in cera jam poſt ſculpturam expreſſę. ויראה, inquit, מזה שהכתבים היתה חרותה להבלטה : *Ex hoc liquet literas ſculptas fuiſſe protuberantes.*

CCCCXLVI. In quolibet autem lapide ſculpta erant ſex nomina. Sex in dextro & totidem in ſiniſtro: ששה משמותם על האבן האחת ואת שמות הששה הנותרים על האבן השנית : *Sex nomina ſuper lapidem unum, & ſex nomina reliqua ſuper lapidem alterum.* Hęc ſatis ſunt manifeſta. Additur autem כתולדותם *ſecundum generationes ſuas*: quę verba varie exponi ſolent ab Hebręorum Magiſtris. Sunt enim qui putant omnes majores natu inſculptos fuiſſe dextro lapidi, reliquos ſiniſtro, hoc modo:

גד	ראובן
אשר	שמעון
יששכר	לוי
זבולן	יהודה
יוסף	דן
בנימין	נפתלי

Ultimum nomen בנימין ſcribitur cum *jod* in ultima ſyllaba, ut numerus xxv. litterarum in unoquoque lapide reperiretur. Hunc ordinem obſervatum fuiſſe exiſtimat Jarchius ad locum iſtum, & optimo quidem jure: nulla enim ſufficiens datur ratio, ut inde recedamus. Optime ita Ioſephus *Ant. Ind. lib.* III. *cap.* VIII. ἐγγέγραπτο δὲ τούτοις, τῶν Ἰακόβων παίδων τὰ ὀνόματα γράμμασιν ἐπιχωρίοις γλώσσῃ τῇ ἡμετέρᾳ καὶ ἓξ τῶν λίθων ἑκατέρωθεν. οἱ πρεσβύτεροι δ᾽ εἰσὶ κατὰ ὦμον τὸν δεξιόν. *His inſcripta erant filiorum Iacobi nomina, literis vernaculis noſtræ linguæ, in utroque lapide ſena. Majores natu dextrum humerum obtinebant.*

CCCCXLVII. Nihilominus Gemarici, cum Babylonici tum Hieroſolymitani, alium omnino comminiſcuntur ordinem. Volunt enim nomina filiorum Leæ primum ſcripta eſſe, ut *Ruben*, *Simeon*, *Levi*, *Iehuda*, *Iſacar*, & *Zabulon*. poſtea nomina filiorum ancillarum, & filiorum quidem Bilhæ ut *Dan* & *Nephtali*, ante nomina filiorum Zilpæ *Gad* & *Aſer*, poſtremum nomina filiorum Rachelis, ut *Ioſeph* & *Benjamin*. hoc modo:

שמעון	ראובן
יהודה	לוי
זבולן	יששכר
דן	נפתלי
אשר	גד
בנימן	יהוסף

Tali modo lapidibus pretioſis inſculpta fuiſſe nomina tribuum tradidit Maimonides *Hilch. Kele Hammikd. cap.* IX. Et ſic quidem ibi depinguntur.

Nota quod *Nephtali* dextro inſcribatur ante *Dan*: hanc ob cauſam ut in unoquoque lapide non tantum ſex nomina, ſed & viginti quinque litteræ reperirentur. Deinde nomen Joſephi ſcribitur cum litera ה hoc modo יהוסף pro יוסף ob eandem rationem, ſcilicet ut in iſto lapide reperirentur XXV. literæ. Credunt enim Hebræorum magiſtri in unoquoque lapide debere reperiri XXV. literas, ut omnes tribus conſtarent quinquaginta literis. Audiamus Maimonidam: ששה על ואנב זו וששה על אבן זו כתולרותם וכותבין שם יוסף יהוסף׃ ונמצאו כ״ה אות באבן זו וכ״ה אות באבן זו וכן היו כותבין והאבן שכתוב בה ראובן על כתיפו הימנית והאבן שכתוב בה שמעון על כתיפו השמאלית׃ *Sex* (nomina) *ſuper hunc lapidem & ſex ſuper illum, ſecundum ſuas generationes. Et ſcriptum erat nomen Ioſephi* יהוסף *ut reperirentur* XXV. *litteræ in unoquoque lapide. Sic autem ſcripta erant, ut in dextro humero primum nomen fuerit* Rubenis, *in ſiniſtro autem* Simeonis. Eodem modo explicatur ab Abarbanele *Paraſcha Tezave.* Hæc autem deſumpta ſunt a Gemaricis, *Maſſechet Sotah cap.* VII. Hieroſolymitani בני לאה מיכן ובני רחל מיכן חד מיכן וחד מיכן בני שפחות באמצע׃ *Filii Leæ ab uno latere, & filii Rachelis ab altero, & filii ancillarum in medio.* Et paulo poſt: כשם שהן חולקין כאן כן חולקין באבני

באבני אפודי במלאותם׃ כדי שיהו עשרים וח׳ מיכן׃ והלא אינן אלא ארבעים ותשעה אמר יוחנן בנימן רוהולדותם מלא׃ א״ר יורה בר זבידא יתוסף מלא טדות ביהוסף שמו׃ והלא אינן אלא עשרים שלשה מיכן ועשרים ושבעה מיכן אמר רבי יוחנן בנימן היה חצוו בן מיכן וימין מיכן אמר רבי זבידה ויאות מי כתוב ששה שמותם לא׃ אלא משמותם׃ משמותם ולא כל שמותם׃ הראשונים נכתבים ממינו של כ״ג משמאלו של קורא והאחרונים נכתבין משמאלו של כ״ג מימינו של קורא׃ הראשונים אינן נכתבין טל סדר שיהודה מלך האחרונים נכתבין על סדר׃

Quemadmodum diſponuntur hic, ita etiam diſponuntur in lapidibus Ephodi, ut eſſent viginti quinq; in unoquoque latere. Sed nonne reperiuntur tantum XLIX? *Doctor Iohannis dicit* Benjamin *replebit. Doctor Iehuda filius Zebida dicit* Joſephus *implebit, per nomen* Joſeph. *At non reperiuntur niſi* XXIII. *litere ab hac parte, &* XXVII. *ab illa parte. Dixit Doctor Iohannes,* Benjamin *nomen diviſum erat:* בן *ab una parte &* ימין *ab altera parte. Dixit Doctor Zebida, Sane nonne ſcriptum eſt* ſex nomina eorum? *Non*, ſed e ſex nominibus eorum; *Ex nominibus eorum, non autem integra nomina eorum. Priora ſcripta erant in dextro* (humero) *Summi Pontificis, & in ſiniſtro legentis. Et poſteriora ſcripta erant in ſiniſtro S. Pontificis, & in dextro legentis. Priora non erant ſcripta ordine; quia Iudah Regno potitus erat. Sed poſteriora ordine ſcripta erant.* Babilonici hæc habent. אמר רב כהנא כדרך שחלוקין כאן כן

חלוקין באבני האפוד מיתיבי שתי אבנים טובות היו לו לכהן גדול טל כתיפו אחת מכאן ואחת מכאן ושמות שנים עשר שבטי׳ כתוב עליהם ששה על אבן זו וששה טל אבן זו שנ׳ ששה משמותם על האבן האחת וג׳ שניה כתולדותם ולא ראשונה כתולדותם מפני שיהודה מוקדם וחמישים אותיות היו עשרים וחמש טל אבן זו ועשרים וחמש על אבן זו חנינא בן גמליאל אומר לא כדרך שחלוקין בחומש הפקודים חלוקין באבני אפוד אלא כדרך שחלוקין בחומש שני כיצד בני לאה כסידרן בני רחל אחת מכאן ואחת מכאן ובני שפחות באמצע ואלא מה אני מקיים בתולדותם כמשמותם שקרא להם אביהן ולא כשמות שקורא להן משה ראובן לא ראובני שמעון ולא שמעוני דן ולא הדני גד ולא הגדי׃

Dixit doctor Cahana, quemadmodum diſponuntur hic ita diſponuntur in lapidibus Ephodi. Reſpondent, Summus Pontifex habebat duos lapides pretioſos in humeris ſuis, unum in ſingulo latere, & nomina duodecim tribuum iis inſcripta erant, in quolibet lapide ſex nomina, uti dictum eſt (Ex XXVIII. x.) ſex nomina in uno lapide &c. *Poſteriora ſcripta erant ſecundum generationes ſuas, non autem priora, quia Iuda praecedebat. Erant autem quinquaginta lite-*

ræ, ſcilicet viginti quinque in quolibet lapide. Doctor Chanina filius Gamlielis dixit: Non eodem modo diſponuntur in lapidibus Ephodi, quo diſponuntur in libro הפקודים (Numeror. cap. I.) *Sed quemadmodum* δευτερώσεως (Exod. cap. I.) *Hoc ſcilicet modo, ut Filii Leæ & Rachelis ſuo ordine poſiti ſint. Quidam ab hac, & quidam ab illa parte. Et filii ancillarum in medio. Sed quid ego inde concluderem?* Secundum ætates ſuas, *id eſt*, ſecundum nomina ſua: *quemadmodum eos vocavit pater eorum: non autem quemadmodum eos vocavit Moſes:* Ruben, *non* Rubeni, Simeon, *non* Simeoni, Dan *& non* Haddani; Gad *& non* Haggadi. Reſpiciunt hic Gemarici ad Deuter. cap XXVII. verſ. XII. XIII. & ad Exodi cap. I. Priori enim loco legimus: *Hi ſtanto ad benedictionem populo in monte Gerizzinorum, quum tranſiveris Iordanem,* Schimeon, *&* Levi *&* Iehuda, *&* Iſſacar, *&* Joſeph *&* Binjamin. *Hi vero ſtanto ad maledictionem in monte Hebali,* Ruben, Gad *&* Aſcher, *&* Zabulon, Dan *&* Nephtali. quaſi hoc modo ſtetiſſent.

קללה	ברכה
ראובן	שמעון
גד	לוי
אשר	יהודה
זבולן	יששכר
דן	יוסף
נפתלי	בנימן

Exodi autem Cap. I. hoc modo:

בנימן	ראובן
דן	שמעון
נפתלי	לוי
גד	יהודה
אשר	יששכר
יוסף	זבולן

Sed

Sed de hiſce variis ordinibus & diſpoſitionibus plura habebimus capite ſequenti, ubi de nominibus in Pectorali agendum erit. Ordinem autem illum obſervatum fuiſſe, quemadmodum eum priori loco poſuimus, ut eum ponit etiam Jarchius, ego nullus dubito, cum ſit revera ſecundum generationes filiorum Iſraelis: & eo magis hoc credo cum eodem ordine ſculpta fuerint in pectorali, quod ſuo loco patebit.

CCCCXLVIII. Dicuntur etiam lapides illi אבני זכרון לבני ישראל *Lapides memoriales filiis Iſraelis*: quia ſcilicet *eos tulit in humeris coram Deo ad recordationem*, ut addit Moſes. Hoc eſt duodecim nomina tribuum Iſraelis duobus his lapidibus inſculpta erant, ut per ea Pont. Max. omnes duodecim tribus ſibi in memoriam revocaret cum ſacrificaret, ut pro omnibus tribubus ſacrificaret, omneſque ſecum in templum portaret & pro iis thymiamata & preces faceret. Sed de his plura dicimus ſuo loco.

Hic etiam Moſes mentionem facit duarum catenularum, quibus pectorale adhærebat Ephodo. ושתי שרשרות זהב טהור מגבלות תעשה אתם מעשה עבות ונתת את שרשרות העבתות על המשבצות: *Et duas catenas auri puri æquabiles facies illis, opere tortili, & aptabis catenas tortiles fundis.* Sed de his catenis, cum pertineant ad *Pectorale* magis quam ad Ephod, hic non multa dicemus. Omnia fuſius tractabimus capite ſequenti.

CCCCXLIX. Præter lapides iſtos pretioſos in humeralibus, duos etiam aureos annulos habebat Ephod, quibus annectebatur *pectorale.* Sic de iis loquitur Moſes verſu xxvii. ועשית שתי טבעות זהב ונתת אתם על שתי כתפות האפוד מלמטה ממול פניו לעמת מחברתו ממעל לחשב האפוד: *Et facies duos annulos aureos, & pones eos ſupra duo humeralia Ephodi inferne in anteriori parte ejus e regione commiſſuræ ejus, ſupra cingulum Ephodi.* Quamvis hæc dicantur poſtquam Moſes *Pectorale* deſcripſiſſet, nihilominus ad Ephodum magis quam ad pectorale referri debent. Maimonides exiſtimat quatuor annulos aureos Ephodo additos fuiſſe; ſcilicet ſuperne in humerali ad משבצות *gemmatas fibulas*, reliquos duos inferne circa חשב האפוד *cingulum Ephodi.* Vide *Hil. Kele Hammikd. c.* viii. Ubi ſic ſermocinatur ועושה בכל כתף שתי טבעות אחד מלמעלה בראש הכתף ואחרת מלמטה לכתף למעלה מן החשב: *Et fecerunt in quolibet humerali duos annulos, alterum ſuperne initio humeralis, alterum autem inferne ſupra cingulum.* Sed unde hæc expiſcatus ſit vellem ab aliis audire,

dire, cum ipſe id non oſtenderit. Nec opus eſt quatuor annulis in Ephodo, cum id duobus fieri potuerit: quod manifeſtius erit capite ſequenti ubi de Pectorali agendum erit.

CCCCL. Ex omnibus illis quæ jam a nobis dicta ſunt, ſatis conſtat, quid fuerit Ephod? ſcilicet veſtimentum breve χιτὸν & ἀμάχαλον, conſtans duabus plagulis in humeris fibulis aureis gemmatis nexis, & inde ad dimidias nates dependentibus, quarum altera poſterior tergum, altera anterior pectus & ventrem tegebat, anteriori plagula habente duo humeralia attexta, & in utroque humero lapidem Sardonychem aureis fundis inſitum, quibus inſculpta erant XII. nomina tribuum Iſraelis, quibuſque appendebatur Pectorale, & infra axillas attexta duo lora, in utroque latere unum, quibus corpori tanquam cingulo aſtringerentur plagulæ; cum duobus tandem annulis aureis paululum ſupra iſtud cingulum Ephodi, quibus *Pectorale* Ephodo inferius annecteretur. Hæc ſequenti tabula clariora erunt.

EXPLICATIO TABULÆ.

A. & B. שתי סינרין duæ plagulæ ex quibus Ephod componitur. A. anterior. B poſterior.

α. α. שתי כתפות האפוד *duo humeralia Ephodi.*

β. β. חשב האפוד *cingulum Ephodi*, ſive duo lora quibus pro cingulo utitur Sum. Pontifex in ſtringendo Ephodo, ipſi Ephodo attexta.

γ. γ. שתי טבעות זהב על שתי כתפת האפוד מלמטה ומלמעל לחשב האפוד : *Duo annuli aurei in duobus humeralibus ſed inferius verſus ipſam plagulam, ſupra cingulum Ephodi.*

δ. δ. משבצות זהב *fundæ aureæ* cum ſuis lapidibus שהם, quæ fundæ aureæ etiam tenent locum fibularum, quibus anterior & poſterior plagula in humeris cohærebant.

His fundis, ſive fibulis etiam appendebatur חשן *Pectorale*, catenulis aureis.

ε. Τοῦ ςέρνου τὸ μέσον ἀπερίπλυκτον, ſive διάκενον ἐνδύματος, *Medium pectus intectum*, aut *vacuum veſtimenti* inter duo humeralia, cui pectorale adaptatur, ut habet Joſephus.

Tale

pag. 478..



CCCCLI. Tale igitur fuit Ephodum Sacerdotale, ut Iſraelitæ omnia fere veſtimenta geſtarent, *tunicam*, *pallium*, *pileum*, ſic & *Ephodum*, quibus & ipſi Sacerdotes utebantur. Sed quemadmodum fere omnia veſtimenta Iſraelitarum valde differebant a veſtibus Sacerdotum, etſi eodem nomine venirent, ſic & *Ephodum* Iſraelitarum omnino aliud fuit quam Ephodum Summi Pontificis. Ita quidem legimus Annam Samueli filio ſuo etiam feciſſe אפוד ׃ ſed *lineum* fuiſſe ſacra ſcriptura ſimul teſtatur, dicitur enim אפוד בד ׃ (peſſime Septuaginta habent ἐφȣδ βαρ pro ἐφωδ βαδ.) *Ephodum lineum*. I Samuel. cap. II. XVIII. Sed & forma proculdubio a S. Pontificis differebat; non enim legimus illud habuiſſe talia humeralia, & cingulum, & lapides pretioſos & anulos aureos. I. Sam. cap. XXII. XVIII. etiam legimus Dojegum Adomæum irruiſſe in Sacerdotes, & morte affeciſſe eodem die octoginta quinque viros geſtantes אפוד בד *Ephod lineum*. Ubi iterum Septuaginta corruptiſſime, non tantum *trecentos quinque* viros, pro LXXXV. ponunt, ſed & *Ephod* tantum ſcribunt omiſſo τῶ βαδ; cum non tantum mentio fiat de Ephodo, ſed de *Ephodo bad*, ſcilicet de *lineo*. David dicitur etiam חגור אפוד בד *Cinctus Ephodo lineo*. II. Sam. VI. XV. I. Chron. XV. XXVII. Sed in omnibus iſtis locis omnino aliud Ephodum intelligendum eſt, quam illud quod geſtabat Summus Pontifex, & de quo nos agimus. Nam alterius erat materiæ, non ex hyacinthino, purpura, coccino, byſſo retorta & auro, ſed ex puro lino facta erant Ephoda Samuelis, Davidis & aliorum; & formam omnino aliam fuiſſe mihi perſuaſiſſimum eſt. Sunt itaque qui putant intelligi per אפוד בד, *tunicam lineam* qualem habebant omnes Sacerdotes. Talia puto fuiſſe Ephoda Samuelis, LXXXV. Sacerdotum quos occidit Doeg, & iſtius Levitæ, de quibus fit mentio I Sam. XXII. Judic. XVIII. Et in hac quidem ſententia eſt Doctiſſimus Hieronymus, in Hebraicis reliquis Patribus omnibus præferendus, in *Epiſt. ad Marcellam*; ut etiam crediderit Samuelem ideo Ephod habuiſſe, quod fuerit Levita: & quotieſcunque in S. Scriptura ſermo fit de Ephodo, id ſemper de aliqua veſte Sacerdotali intelligi debere. Sed, cum venia doctiſſimi viri dictum ſit, errat Hieronymus. Nam David nec Levita nec Sacerdos fuit, & tamen Ephodo cinctus erat. Levitæ nullam habebant prorſus veſtem ſacerdotalem. Nec ullus Sacerdos Ephodum ſacerdotale gerebat, præter Summum

mum Pontificem. Uno verbo, nullum Ephod Sacerdotale ex puro lino factum erat. Alii itaque credunt Ephoda illa fuiſſe tantum veſtes aliquas elegantes byſſinas, quales viri honoratiores gerere ſolebant. In hac ſententia ſunt Kimchius, & Rabbi Levi Ben Gerſon ad I. Sam. XXII. XVIII. ut ut non plane recedant a ſententia Hieronymi, quo nomine etiam refutari videntur ab Aben Ezra Exod. XXVIII, VI. Putant enim illi, viros iſtos, quos Doeg occidit, dignos fuiſſe ut portarent Ephodum, quod Aben Ezræ non placet; cum nemo dignus fuerit ut hoc veſtimentum gereret quam ſolus Pont. Maximus. Sed per *Ephod bad* S. Scripturam intelligere, veſtem aliquam virorum honoratiorum, ipſi etiam teſtantur Seniores II. Sam. VI. verſ. XV. Ubi pro *Ephod bad* habent: ϗ ὁ Δαβὶδ ἐνδεδυκὼς στολὴν ἔξαλλον *Et David indutus erat ſtola eximia.* Eſt itaque illis *Ephod* nihil aliud quam *ſtola.* Idem plane videtur intelligere Chaldæus Jonathan, cum habeat כרדוט דבוץ *cheirodotam byſſinam*: כרדוט vocem eſſe Græcam, χειροδωτὸν, ſed verpulorum more corruptam, minime dubito. Ideo & Thamaris veſtem, quam ſuo loco oſtendimus eſſe tunicam manicatam, ſive χειροδωτὸν, eodem vocabulo כרדוט exprimit. Eodem igitur ſenſu, ut omnes Iſraelitæ, ſaltem honoratiores, habebant אבנט/מעיל/כתונה &c. eodem ſenſu etiam habuiſſe videntur אפוד, quod ſcilicet & forma & materia a Sacerdotali multum diſcreparet.

CCCCLII. Judicum cap. XVII. & cap. XVIII. etiam fit mentio de quodam Mica, cui erant ædes Deorum & qui Levitam conduxit ut ei eſſet Sacerdos eique fecit אפוד תרפים ופסל *Ephodum Teraphim* & *Idolum.* Cujus autem formæ & materiæ illud Ephod fuerit, non dicitur. Ut ut ſit, tunc temporis nullus fuit Rex in Iſraele & unuſquiſque pro arbitrio ſuo vivebat. Cum itaque ex Levita Sacerdotem fecerint contra legem & *Theraphim ſculptile*, puto & ipſum Ephodum quoque plane aliud genus veſtimenti, quam Ephodum Summi Hebræorum Pontificis fuiſſe. Sed de hoc Ephodo, ut & præcipue de Theraphim, plura dicemus infra, ubi etiam examinabimus *Ephod* & *Theraphim* Hoſeæ cap. III. IV. Tandem etiam mentio fit de *Ephodo fuſilis auri* Eſaiæ XXX. XXII. Sed per illud Ephod Propheta proculdubio nihil aliud intelligit quam *tunicam*, aut pallium, aut aliud etiam aliquod genus veſtimenti quo Deorum ſtatuas veſtire ſolebant Idololatræ. Quid quid eſt, manifeſtum eſt *Ephodum* nomen fuiſſe alterius veſtimenti, præter illud quod gerebat Summus Pontifex.

Coroni-

CCCCLIII. Coronidis loco hic addam mirificam plane deſcriptionem Ephodi, quam nobis dedit Suidas in voce *Ephod.* Ἐφοὺδ. τὸ μὲν ὄνομα ἑβραϊκὸν, ἑρμηνευόμενον δήλωσιν ἢ λύτρωσιν σημαῖνον. τὸ δὲ εἶδος αὐτοῦ σπιθαμαῖον ἦν. ὕφασμα δίκην περιστηθίου ἐκ χρυσονήμου τέχνης ποικίλης πεποιημένον. καὶ ἐν μὲν τῷ μέσῳ εἶχεν ὥσπερ ἀστέρα ὁλόχρυσον. ἑκατέρωθεν δὲ αὐτοῦ, δύο σμαράγδους ἔχοντας ἀνὰ ἓξ τὰς δώδεκα φυλὰς τοῦ Ἰσραήλ. ἐν δὲ τῷ μεταξὺ τῶν σμαράγδων, λίθον ἀδάμαντα. ἡνίκα γοῦν ἔμελλεν ὁ ἱερεὺς ἐρωτᾶν τὸν Θεὸν περί τινος κεφαλαίου, ἐδέσμει αὐτὸ ἐν τῇ ἐπωμίδι, κατὰ μέσον τοῦ στέρνου. καὶ ἐπετίθει τὰς χεῖρας αὐτοῦ ὑποκάτωθεν. καὶ εὑρίσκετο ἐν ταῖς παλάμαις αὐτοῦ ἐξηπλωμένον ὥσπερ πυξίον. καὶ ἀποβλέπων εἰς τὸ ἐφοὺδ, ἠρώτα τὸν Θεὸν τὸ ἐρώτημα. καὶ εἰ μὲν ἀρεστὸν ἦν τῷ Θεῷ τὸ ἐρώτημα, εὐθέως ἔστραπτεν ὁ ἀδάμας λίθος, καὶ ἐφεγγοβόλει ἀκτῖνας ἐκπέμπων. εἰ δὲ οὐκ ἦν ἀρεστὸν, ἔμενεν ἐν τῇ ἰδίᾳ τάξει ὁ λίθος. εἰ δὲ ἔμελεν ὁ Θεὸς εἰς μάχαιραν παραδιδόναι τὸν λαὸν, ἐγένετο αἱματώδης. εἰ δὲ θανατικὸν ἔμελεν, ἐγένετο μέλας. Ephud. *Hoc nomen quidem Hebræum eſt, & ſignificat doctrinam & redemptionem. Forma autem ejus erat inſtar ſpithamæ* (i. e. magnitudine aut longitudine ſpithamæ) *Tela erat inſtar pectoralis ex aureis filis arte variegatoris factum. Et in medio habuit quidem veluti ſtellam totam auream, & utrimque duos Smaragdos, quorum uterque ſex de duodecim tribubus Iſraeliticis inſculptas habebat, & inter duos Smaragdos lapidem adamantem. Quum autem Sacerdos Deum de re aliqua interrogaturus eſſet, illud* (Ephodum, aut potius illum adamantem) *allegavit Epomidi* (humerali) *in medio pectoris. Et manus ei ſupponebat, ut inveniret in palmis ſuis explanatum tanquam in buxea tabula. Et inſpiciens in Ephodum, rogabat Deum ſuper quæſtione* (propoſita.) *Si autem res de qua quærebatur Deo grata erat, confeſtim fulgorem emiſit lapis Adamas, & fulgidos radios ejaculabatur. Si autem non grata erat res* (de qua quærebatur) *lapis in ſuo ſtatu remanebat. Si Deus forte populum gladio tradere voluiſſet, factus eſt* (adamas) *ſanguineus. Si mortalitatem immiſſurus eſſet, niger factus eſt.* Videtur doctiſſimus Grammaticus per ſuum ἐφοὺδ intelligere *Pectorale* potius quam Ephodum. Ephodum autem ipſum vocat ἐπωμίδα, more Græculorum. Sed non minus peccat in deſcriptione illa, ſive *Ephodum* ſic proprie dictum, ſive *Pectorale* intelligat: quod ſatis clare oſtendimus, & adhuc clarius patebit.

CAP. VII.

DE חשן PECTORALE.

חשן Choſchen *ſive Pectorale. Ejus præceptum. Variæ verſiones. Ejus materia eadem quæ Ephodi. Eademque ornamenta. Forma Pectoralis.* זרת Zereth, Spithama. חצי אמה *Locus Ezechielis* XLIII. XIII. XVII. *Kimchius, Septuaginta, Ioſeſephus & Maimonides allegati. In rebus ſacris non ſemper intelligi debere duplum. Pectorale* רבוע quadratum, & כפול duplicatum. *Intus cavum. Duplicatum ob firmitatem. Pectorale pretioſiſſimum omnium veſtimentorum. Hinc* טחשית *dictum. In Pectorali quatuor annuli aurei. Duo inferiores introrſum ſpectabant. Superioribus annulis catenæ aureæ affixæ. pectorale ſolum catenas habuit, non Ephodum.* שרשרות מגבלות. κροσσωτὰ, fimbriæ *male dicuntur. Catenæ cur* שרשרות *dictæ?* שרש Radix. *Opere plexili factæ erant.* ἔργον πλοκῆς מעשה עבות *cur* מגבלות *dictæ?* גבל & חבל *Belgis* **een Kabel.** *Catenæ annectebantur lapidum fundis aureis in humeralibus. Varii auctores. Pectorale qua ratione Ephodo appenſum fuerit? Pectorale ab Ephodo non erat ſeparandum. Tabula repræſentans pectorale. Explicatio Tabulæ. Pectorali ſimile quid habebant Salii apud Romanos.* Ancilia. *Sacerdotes Ægyptiorum. Varii auctores. Pectorale* XII. *gemmis ornatum erat. Fundis aureis gemmæ incluſæ erant.* משבצות fundæ. πλινθίοι. מלא implere lapidibus *quid? Mirifica verſio Ioſephi de textura ſecundum lapides. Gemmis inſculpta erant nomina* XII. *tribuum.* פתוחי חותם Sculptura ſigilli. *Qua arte cælatæ ſint gemmæ? Utrum ordinaria gemmariorum? An extraordinaria?* שמיר Samir. *Vermis adhibitus ad findendos & dolandos lapides ad ſtructuram Templi, & ad cælandos lapides in S. Veſtitu.* De Samir *Talmudicorum aliorumque Iudæorum varia commenta. Varii auctores & loca ſcripturæ allegantur.* שמיר Samir *σμίρις & σμιρίτης.* Smiridis *pulvere gemmæ poliuntur & cælantur. Quo ordine* XII. *nomina gemmis inſculpta fuerint?* כתולדותם *quid? Utrum eodem ordine, quo in humeralibus? Sententia Abarbanelis, Baal Hatturim, Targum Ieruſa-*

Jeruſalemitanum, Chaldæi, Rabboth & aliorum. Verus ſenſus verborum כתולדותם ſecundum generationes eorum. *Verus ordo quo* XII. *nomina ſculpta erant. Ioſephus, Maimonides & Iarchius allegantur, Omnes literæ Alphabeti in gemmis reperiebantur. Quo modo literæ* חטצק. *Præter duodecim nomina tribuum reperta fuiſſe etiam, (ſecundum quoſdam) nomina* אברהם׳ יצחק / יעקב*, &* שבטי יה*, denique* שבטי ישורין. *Varia utriuſque loca Gemaræ, Ialkut, Rabboth & aliorum allegantur.* O*pinio Rabbi Bechai & Baal Hatturim. In quolibet lapide ſex fuiſſe literas, in toto Pectorali ſeptuaginta duas.*

CCCCLIV. HActenus de *Ephodo*, jam *Pectorale* detexendum erit. Hebræis dicitur חשן *Choſchen*, & nonnunquam חשן המשפט. *Choſchen Miſchpat.* Præceptum ejus extat Exodi XXVIII. XV. & XXXIX. Chaldæus habet חשן דינא *Choſchen dina.* Septuaginta λόγιον τῆς κρίσεως. Joſephus λόγιον. Vulgatus *Rationale judicii.* Hieronymus *Rationale.* Lutherus Ampt ſchildlein. Belgæ: **een Borſt-lap des gerichts**. Galli *Pectoral du jugement.* Arabs بدنة الحكومة *Indumentum Iudicii:* eſt enim بدنة *lorica brevis*, ut habet Gigæus.

CCCCLV. Materia Pectoralis eadem eſt quæ & Ephodi. Factum enim erat: כמעשה אפוד זהב תכלת וארגמן ותולעת שני ושש משזר *ſicut opus Ephodi, ex auro hyacinthino, purpura, coccino, & byſſo retorta.* Eaſdem etiam figuras intextas habuit ad ornatum, quales conſpiciebantur in Ephodo: erat enim מעשה חשב *opus artificioſiſſimum*, ut loquitur Moſes. De מעשה חשב nos ſatis ſuo loco.

CCCCLVI. Forma erat quadrata, longitudine & latitudine ſpithamæ. Sic enim Moſes verſu XVI. רבוע יהיה כפול זרת ארכו וזרת רחבו *Quadratum erit duplicatum, longitudine ſpithamæ & latitudine ſpithamæ.* זרת *ſpithamam* ſignificare diſcimus ex Ezech. XLIII. verſ. XIII. collato cum verſu XVII. Ubi זרת explicatur per חצי אמה *dimidium cubiti.* Eodem ſenſu explicatur a Kimchio in libro Radicum: dicit enim זרת ſignificare *tres palmos*, ſive *duodecim digitos.* Hinc Septuaginta pro זרת ponunt σπιθαμὴν *palmum.* Germanis ein ſpanne idem ac Græcum σπιθαμῆ, aut ab extenſione manus & digitorum, quod Germanis eſt ſpannen. Optime etiam Joſephus *Antiq. lib.* III. *cap.* VIII. Pectorale vocat

cat παρέτμημα σπιθαμῆς τὸ μέγεθος, *fruſtum magnitudine ſpithamæ.* Maimonides *Kele Hammikd. cap.* VIII. formam τοῦ חשן ſic deſcribit: ארחו אמה ורחבו זרת וכופלן לשנים נמצא זרת טל זרת מרובע *Ejus longitudo eſt cubitus, & latitudo ejus ſpithama. duplicatur in duo, & ſic reperitur quadratum ſpithamæ.* Eſt igitur ſpithama dimidium cubiti, quod ex Ezechiele jam modo audivimus: quam proportionem etiam natura docet. Et ſane ſpithama juſtam continet menſuram ad tegendum pectus viri, quod experientia ſatis notum eſt. Ubi notandum, in ſacris non ſemper intelligi debere duplum (ut vulgo explicant auctores) alias Pectorale integrum cubitum, ſive quatuor palmos debuiſſet continere; quod eſſet abſurdiſſimum: cum viri pectoris latitudo hoc non patiatur, niſi dicamus humeralia Ephodi etiam tecta fuiſſe Pectorali, quod nemo ſanæ mentis affirmabit.

CCCCLVII. Non tantum quadratum erat Pectorale, ſed & duplicatum. רבוע יהיה כפול *quadratum erit duplicatum* ut ait Moſes. Non erat contextum quadratum, ſed integrum cubitum, ſive duas ſpithamas longum, & ſpithamam unam tantum latum, deinde duplicatum, atque ſic quadratum erat, ut modo ex Maimonide audivimus. Revera aliter explicari non poteſt illud רבוע יהיה כפול *quadratum erit duplicatum.* quorſum enim τὸ כפול niſi hoc ſenſu? Ex his neceſſario ſequitur Pectorale intus fuiſſe cavum, ut non male comparatum fuerit marſupio, ejuſque uſum præſtare potuerit. Utrum autem ad latera conſutum, aut alio modo clauſum, an vero apertum fuerit undique, aut in aliquo latere, nemo facile dixerit. Clauſum tamen fuiſſe, excepto unico latere, inſtar marſupii, per quod ei indi poſſint neſcio quæ imagunculæ, quas *Urim & Thummim* fuiſſe credunt, nonnulli tradiderunt. Sed de iſta opinione nos plura infra. כפול *duplicatum* fuiſſe multi crediderunt, ob firmitatem, ne facile laceraretur, quod fieri alias potuiſſet propter onus, cum ei tot lapides pretioſi, & tot fundæ aureæ, tot annuli & catenulæ adhæſerint, ut ſatis habuerit ponderis.

CCCCLVIII. Omnium veſtium hoc genus veſtimenti fuit ornatiſſimum & pretioſiſſimum: eo uſque aureis catenulis, annulis & lapidibus pretioſis ornatum, ut magis ornamentum quam veſtimentum videretur. Hic non raro a Judæis תכשיט *ornamentum* magis quam בגד *veſtis* vocatur: cum revera vix & ne vix quidem uſum


uſum veſtis præſtiterit, ſed merum fuerit ornamentum ad gloriam, & decus Summi Pontificis. Sed ornamenta iſta jam ſub incudem revocanda ſunt, & primo aurea deinde gemmea.

CCCCLIX. Primum itaque docet Moſes *Pectorale* habuiſſe quatuor annulos, in quolibet ſcilicet angulo unum. De duobus annulis in ſuperioribus angulis hæc habet Moſes: verſu XXIII. ועשית שתי טבעות זהב ונתת את שתי הטבעות על שני קצות החשן : *Et facies duos annulos aureos, & adaptabis eos duobus angulis Pectoralis.* Et verſu XXVI. de annulis in inferioribus partibus Pectoralis. ועשית שתי טבעות זהב ושמת אתם על שני קצות החשן על שפתו אשר אל עבר האפוד ביתה : *Et facies duos annulos aureos, & pones eos ad duos angulos Pectoralis ſuper oras ejus, e regione Ephodi introrſus.* Hic per שפתו *oram ejus* intelligit infimas oras Pectoralis, quod eo manifeſtius eſt, quoniam de ſuperioribus jam ſermonem fecerat. Inferiores autem hi annuli non conſpiciebantur integri, introrſus enim erant e regione Ephodi, ut quaſi laterent inter Ephodum & Pectorale.

CCCCLX. Duobus autem ſuperioribus annulis *catenulæ* infixæ erant, quibus adnecterentur fundis aureis. De his catenulis Moſes verſu XXII. ועשית על החשן שרשרת גבלת מעשה עבות זהב טהור *Et facies Pectorali catenas æquabiles opere plexili, ex auro puro.* De his catenis mentionem jam fecerat Moſes verſu XIV. ubi de Ephodo: ושתי שרשרת זהב טהור מגבלות תעשה אותם מעשה עבות ונתת את שרשרות העבתות על המשבצות : *Et duas catenas auri puri æquabiles facies illas, opere tortili* (plexili) *& aptabis catenas tortiles fundis.* Sunt qui crediderunt de aliis catenis agi verſu XIV. quam verſu XXII. Quaſi Moſes priori loco deſcripſiſſet catenas Ephodi; poſteriori autem catenas Pectoralis: atque ſic quatuor fuiſſe catenas. Sed errant, quicunqne hoc crediderunt. Ephodum nullas peculiares habebat; ut in toto ſacro veſtitu præter duas catenas non fuerint; nec pluribus opus erat, ut Pectorale Ephodo adnecteretur. Pectorale ſolum duas habebat de quibus verſu XXII. Optime igitur Jarchius ad hunc verſum monet, hic agi de iiſdem catenis, de quibus mentio fit verſu XIV. priori loco Moſem catenas iſtas leviter tantum attigiſſe, ut conſtaret Ephodi fundis eas aptatas fuiſſe, ad portandum *Pectorale*: Sed hic de iis agi tanquam proprio ſuo loco, cum factæ fuerint propter Pectorale magis quam propter Ephodum.

CCCCLXI. Dicuntur autem primo: שרשרות גבלות Græci pro שרשרות habent *κροσσωτὰ fimbrias.* Sed an recte, docti viderint, cum fimbriæ talem uſum non ſoleant præſtare, qualem habent catenulæ, & cum magis ad infimas oras adnecti ſoleant, quam parti ſuperiori. Vocantur שרשרות a voce שרש quæ *radicem* ſignificat; ideo quidem, ut animadvertit *Iarchius*, quia factæ erant inſtar radicum arborum: ut eodem modo quo arbores in terra ſuis radicibus retinentur, ſic & Pectorale per has catenulas Ephodo adnecteretur: deinde hoc modo indicatur, has catenas non habuiſſe multos annulos, ſed conſtitiſſe pluribus filis aureis nexis & plexis inſtar funium, quales etiam fere erant *radices* arborum. Eadem de cauſa Moſes addidit: מעשה עבות, quod Septuaginta *ἔργον πλοκῆς opus plexile* reddunt. Abarbanel catenas illas factas fuiſſe docet בארינה *per texturam.* Sed per *texturam* proculdubio intelligit *ἔργον πλοκῆς opus plexile*, nam ea quæ nectuntur & plectuntur, etiam texi dicuntur, uti oſtendimus lib. I. cap. XVI. Hoc Germani dicerent *Flechten* a voce Hebræa כפל *caphal* per metatheſin literarum, unde & Græcorum πλέκειν. Jarchius habet מעשה קליע *opus implexum.* Bartenora eodem modo explicat; ideo dicit vocari מגבלות a גבל *fune*, quia erant inſtar funium. ואפשר לפרש מגבלות טל מעשה השרשרות שלא תהיינה עשויות חוליות חוליות על צורות השלשאלות של ברזל אשר יאמרו בהם השבוים אך יהיו קלועים בחוטי זהב עד שתהינה עבות כדרך מעשה גבלות׃ *Poteſt etiam* מגבלות *explicari de catenis, quod non conſtiterint ex pluribus articulis, ad formam catenarum ferrearum, quibus vinciuntur captivi, ſed plexæ erant ex filis aureis, ut denſæ eſſent inſtar funium.* Ex his ſatis manifeſto conſtat quid ſignificet vox מגבלות id eſt *funes*, prout גבל non minus quam חבל (ג & ח permutantur) funem ſignificat, unde & Belgæ **een Kabel** dicere ſolent. Sunt tamen qui putant מגבלות ſignificare *æquabiles*; quia catenæ illæ æquales erant magnitudine; aut quia certum aliquem terminum attingebant; dependebant enim ab humero uſque ad *Pectorale*: aut etiam denique quia ſpatium aliquod terminabant inter fundas aureas & annulos Ephodi, quæ eſt ſententia Abarbanelis, ואמר מגבלות תעשה אתם להגיד שיגביל המרחק שיש בין המשבצות ובין טבעות האפוד׃ *Et dixit* facies eas מגבלות *ad indicandum quod terminent diſtantiam, quæ eſt inter annulos Ephodi.* Catenulæ iſtæ infixæ & adnexæ erant ſuis extremitatibus annulis ſuperioribus Pectoralis; verſu XXIV. ונתתה את שתי עבותות הזהב על שתי הטבעות

pag. 487.



: הטבעות אל קצות החשן *Et pones duas catenas tortiles aureas in duos annulos in extremitate Pectoralis.* Sed quemadmodum catenulæ annulis pectoralis adhærebant, ita etiam fundis aureis quibus lapides pretioſi inſiti erant, in humeralibus adnectebantur catenulæ ſuis extremitibus reliquis; ut ita pectorale dependeret a fundis aureis ſed per catenulas portaretur. Hoc indicat Moſes cum mox addat verſu xxv. ואת שתי קצות שתי העבתת תתן על שתי המשבצות ונתתה על כתפות האפד אל מול פניו : *Et duas extremitates catenarum impones duabus fundis, & adaptabis eas humeralibus Ephodi extrorſum.*

CCCCLXII. Ex his quæ jam dicta ſunt facile conſtabit, qua ratione *Pectorale* Ephodo appenſum fuerit: extremitates ſcilicet ſuperiores catenarum fundis aureis in humeralibus infixæ erant, ut inde totum *Pectorale* dependeret, per ſuperiores ſuos annulos, quibus adnexæ erant catenarum extremitates inferiores. Pectoralis annuli inferiores annulis humeralium circa Ephodi cingulum hyacinthinis vittis alligabantur & conſtringebantur: quod patet ex verſu xxviii. וירכסו את החשן מטבעתו אל טבעות האפוד בפתיל תכלת להיות על חשב האפוד : *Et adducent pectorale per annulos Ephodi vitta hyacinthina, ut ſit ſuper cingulum Ephodi.*

Additur tandem eodem verſu : ולא יזח החשן מעל האפוד *Et non ſeparabitur pectorale ab Ephodo.* Quod Hebræorum ſapientes ita intelligunt, quaſi pectorale nunquam debeat ſeparari ab Ephodo etiam extra miniſterium; ita quidem ut is qui ſeparaſſet piaculum commiſiſſet, & quadraginta plagis cædi meruiſſet. Gemara *Maſſechet Ioma cap.* vii. וא״ר א׳ המזיח חשן מעל האפוד המסיר בדי ארון לוקה : *Dixit doctor Acha, ſi quis removerit Pectorale ab Ephodo, aut vectes ab Arca, plagis* (xl.) *percutietur.* Vide etiam Maimonidem *Hilch. Kele Hammikd. cap.* ix. Nunquam itaque veſtiebatur Ephodum, quin & ſimul veſtiretur Pectorale. Sed omnia quæ dicta ſunt ſequens tabula ob oculos ponet.

EXPLICATIO TABULÆ.

A. Prima figura exhibet ipſum חשן ſive *Pectorale* ſeparatim, & interiorem partem verſus pectus Sacerdotis, ut omnes quatuor annuli conſpici poſſent.

B. Quatuor annuli pectoralis טבעות החשן.

C. Se-

C. Secunda figura exhibet pectorale cum pretioſis ſuis lapidibus quatuor ordinibus diſpoſitis, ita ut ſingulus ordo tres lapides contineat.

D. Duæ *Catenulæ aureæ* שרשרות מגבלות.

E. Duæ vittæ hyacinthinæ procedentes ex duobus annulis inferioribus, quibus pectorale Ephodo alligatur.

Tertia figura exhibet Pectorale Ephodo adhærens.

F. Duæ שרשרות מגבלות *catenulæ æquabiles*, ſuperius fundis aureis in humerali affixæ, & inferius annulis ſuperioribus Pectoralis.

G. Duo annuli pectoralis, alligati vitta hyacinthina duobus annulis Ephodi, paululum ſupra חשב האפר *cingulum Ephodi.*

H. חשב האפר *Cingulum Ephodi.*

CCCCLXIII. Huic Pectorali ſimile quid habuerunt Salii Sacerdotes apud Romanos: qualia erant eorum *Ancilia*, quæ ſupra tunicam pictam in Pectore geſtabant. Dionyſius Halicarnaſſæus *Antiquit. Rom. lib.* II. χιτῶνας ποικίλους χαλκέαις μήτραις κατεζωσμένοι. *Tunicas variegatas, æreis balteis cingebant.* Per *æreos balteos* intelligit proculdubio *Ancilia*, tanquam Pectorale, non minus quam balteos. Hoc ſane docet Livius *lib.* IV. Tunicæ quæ pictæ inſigne dedit, & ſuper tunicam æneum Pectori tegumen. Videntur itaque *Ancilia* habuiſſe ænea quædam cingula, quibus corpori ſupra tunicam alligabantur. De iiſdem *Ancilibus* & *balteis* latis æneis Saliorum multa habet Plutarchus *in Numa.* τὰς ἱερὰς πέλτας ἀναλάβωσιν ἐν τῷ Μαρτίῳ μηνὶ, φοινικοῦς μὲν ἐνδεδυμένοι χιτωνίσκους, μίτραις δὲ χαλκαῖς ὑπεζωμένοι πλατείαις, καὶ κράνη χαλκᾶ φοροῦντες, ἐγχειριδίοις δὲ μικροῖς τὰ ὅπλα κρούοντες. (Salii) *menſe Martio, Phœniceis tunicis veſtiti, & latis balteis æneis cincti, galeaſque æneas ferentes, cum parvis pugionibus, quibus percutiebant.* Quomodo e cœlo demiſſum ſit primum *Ancile*, & ob quam cauſam ita dictum ſit, ibidem Plutarchus fuſe docet. Veram Ancilium figuram exhibent nummi Auguſti, cum hac inſcriptione P. STOLO. III. VIR. & ANCILIA. ut & Anton. Pii, ut videre eſt in Nummis Arſchotanis, & apud Choulium. De cæteris ornamentis, quæ in Pectore geſtare ſolebant Ægyptiorum Sacerdotes & alii, infra plura dicemus, ubi de *Vrim* & *Thummim* agendum erit. De Saliorum Ancilibus vide etiam Virgilium *Æn. lib.* VIII.

Hinc exultantes Salios, nudoſque Lupercos,
Lanigeroſque apices, & lapſa ancilia cœlo
Extulerat.

Pretio-

CCCCLXIV. Pretioſiſſimis lapidibus ornatum erat Pectorale, duodecim ſcilicet, quot erant tribus Iſraelitarum. Atque ita fuerunt diſtributæ gemmæ illæ, ut quatuor darentur ordines per totum Pectorale, & in quolibet ordine tres lapides. Sic enim verſu XVII. ומלאה בו מלאת אבן ארבעה טורים וג׳ *Et implebis illud impletione lapidis, quatuor ordinibus*, &c. Poſtea explicabitur, quinam in quolibet ordine.

CCCCLXV. Incluſi autem erant hi lapides fundis aureis, eodem modo quo gemmæ in annulis contineri, & fundis, ſive palis aureis includi ſolebant: quod intelligit Moſes verſu XX. משבצות זהב יהיו במלואותם: *fundæ aureæ erunt, quibus continebuntur.* Libro I. cap. XVII. jam docuimus quid ſignificet vocabulum משבצות? *fundas* ſcilicet, quibus lapides in annulis aureis continentur: atque ideo dictam eſſe tunicam interiorem כתנת תשבץ quaſi diceres *tunicam fundis conſitam*, quia ita contexta erat variis πλινθίοις quaſi ornata fuiſſet fundis & palis, quibus gemmæ includuntur verbo מלא *implere.* ומלאת בו מלאת אבן & *implebis illud impletione lapidis*: quia ſcilicet fundæ illæ lapidibus impletæ erant: quo ſenſu etiam explicantur verba iſta a Jarchio, nam ad hæc verba commentatur: על שם שהאבנים מלאות גומות המשבצות המתיקנות להן קורא אתן בלשון מלואים: *Quia lapides replent profunditates fundarum ipſis adaptarum ideo exprimit eos verbo repletionis.* Abarbanel Paraſcha תצוה obſervat, Moſen hic loqui de impletione lapidis in ſingulari, non autem lapidum in plurali: quod omnes ſcilicet lapides ita repleverint Pectorale, quaſi onnes fuerint unicus tantum lapis. Mirifica plane eſt verſio Septuaginta Interpretum; nam hæc verba: ומלאת בו מלאת אבן ſic verterunt: Καὶ καθυφανεῖς ἐν αὐτῷ ὑφάσματα κατὰ λίθον. *Et contexes in eo* (Pectorali) *texturas ſecundum lapidem.* Sane quomodo hoc intelligant, & quid per ὑφάσματα *texturas* ſuas velint, fateor me ignorare, niſi forte eorum mens fuerit: in textura ipſa obſervatos fuiſſe ordines quoſdam, quibus deinde facilius fundæ aureæ cum ſuis lapidibus adaptarentur. Sed lubentiſſime accedo ſententiæ Abarbanelis; qui putat ita omnes iſtos lapides inſitos fuiſſe quaſi unicus tantum fuiſſet lapis. Proculdubio omnes iſtæ fundæ duodecim ex unica maſſa auri conſtabant: ita ut unica iſta maſſa auri XII. fundas haberet, quibus ſingulis gemma indita erat, prout fieri ſolet ab aurifabris.

CCCCLXVI. Hiſce autem gemmis inſculpta erant nomina filio-

rum Jacobi: ut ſingulus lapis nomen unum contineret. verſu xxi. והאבנים תהיין על שמות בני ישראל שתים עשרה על שמתם פתוחי חותם איש על שמו תהיין לשני עשר שבט: *Et lapides erunt ſecundum nomina filiorum Iſraelis duodecim, ſecundum nomina eorum, ſculptura ſigilli, quiſque ſecundum nomen ſuum erit, pro duodecim tribubus.* Hæc verba ſatis ſunt clara: nempe ſingulo lapidi inſculptum fuiſſe nomen alicujus filii Jacobi, capitis ſcilicet alicujus tribus, ita ut quemadmodum xii. tribus, ſive filii Iſraelis fuerunt, ita & duodecim lapidibus totidem nomina tribuum inſculpta fuerint. Sculpta autem erant פתוחי חותם *ſculptura ſigilli*, id eſt eadem arte qua & ſigilla inſculpi ſolebant. Sed de his etiam vide capite præcedenti, ubi de lapidibus in Ephodi humeralibus.

CCCCLXVII. Notandum hic eſt, ex ſententia Judæorum, gemmas haſce cælatas eſſe non vulgari arte, quemadmodum id vulgo fieri ſolet; ſed vermiculo aliquo, quem שמיר *Samir* vocant, cujus virtute etiam lapides cæſi ſint ad ædificationem Templi. Scilicet *Samir* eſt vermis inſtar grani hordei, creatus veſpera Sabbathi, inter decem iſtas res, quæ tunc temporis creabantur, hominibus demum notus factus tempore Salomonis, & per ejus ſapientiam. Animalculum, ut ut molliſſimum inſtar omnium vermium, tanta tamen vi præditum, ut duriſſimas etiam rupes & montes & marmora & adamantes diffindere nullo negotio queat. Cum itaque Rex Salomo templum ædificare decreviſſet, e ſaxis & marmoribus exquiſitiſſimis, nullo adhibito ferro, aquilæ mandat ut hunc vermen ex paradiſo adferret (niſi forte allatus ſit ab Aſmodæo Rege Dæmonum) quo facto, & verme hoc lapidibus & ſaxis adhibito in partes diſſilire ad quæſitam formam omnia coegit, & polivit, unde templum extructum eſt. Sed Deo jam notus erat & Moſi, cum ejus opera etiam tabulæ legis & gemmæ Ephodi expolitæ & cælatæ fuerint. Servatus quoque fuit in arca plumbea furfuris Plena, uſque ad vaſtationem templi primi. Hoc igitur vermiculo (non ordinaria arte gemmariorum) non tantum expolitæ ſunt gemmæ pectoralis, ſed & nomina duodecim tribuum inſculpta. Si quis putet hæc eſſe fabuloſa, ne in errore hoc impio pereat, conſulat, ſi ei datum eſt, magiſtrorum traditiones Codice *Cholin cap.* iii. *Sota cap.* ix *Gittim cap.* vii. *Pirke Avoth cap.* v. & alios. Quamvis Traditiones iſtas legerim & examinaverim, mihi tamen ſunt putidæ fabulæ & nugæ, ſolis Judæis dignæ.

1 Reg.

1 Reg. VI. VII. non legimus lapides politos & dolatos fuiſſe opera ש *Samir*, nec tabulas legis, nec gemmas pectoralis. Mentio quidem ſit ש שמיר *Samir* Ezech. III. IX. Eſ. V. VI. & X. XVII. & alibi. Sed aut ſenticetum ſignificat, aut lapidem duriſſimum. Uno verbo שמיר quando ſumitur pro lapide, ſignificat *Smiridem*, Græcis dictus σμίρις & σμιρίτης. Smiridis autem pulverem adhiberi ad poliendas & cælandas gemmas norunt & teſtantur auctores, qui ſcripſerunt de gemmis & lapidibus. Videatur Boetius, De Laetius & alii. Hoc pulvere (niſi quædam & pulvere adamantino) & S. Pontificis gemmæ proculdubio arte gemmariorum, in qua docti erant Belzeleel & Oliababus, cælatæ ſunt, unde fabula de verme *Samir*. De *Samir* plura ſi quis ſcire deſiderat, adeat Buxtorfii Lexicon, & Bochartum *de Animal. Tom.* II. *lib.* IV. *cap.* XI.

CCCCLXVIII. Quo ordine nomina illa lapidibus inſculpta fuerint, non dicitur expreſſis verbis, ſed tantum: *quiſque ſecundum nomen ſuum.* Capite præcedenti, ubi de iiſdem nominibus in duobus lapidibus Ephodi humeralibus egimus, audivims, omnia iſta nomina ſculpta fuiſſe כתולדותם *ſecundum generationes eorum.* Quomodo autem verba illa varie ab interpretibus intelligantur ibi oſtendimus. Abarbanel ad legem Paraſcha Thezave, in ea quidem eſt ſententia, nomina in pectorali non eodem modo fuiſſe diſpoſita, quemadmodum in lapidibus humeralis, ſed ſecundum vexilla tribuum Iſraelis Num. cap. II. Sic enim ille:

והנה באפוד צוה שיהיו שמות השבטים בשני אבנים מפני שהיתה הכוונה האלהית שהיו שמות השבטים בשתי כתפות הכהן כדי שבנשיאות כפיו יתפלל עליהם ויברכם ומפני זה היו ששה משמותם בכתף אחד וששה משמותם בכתף האחר ולא היה בעבור בד׳ טורים מסודרים אבל בחשן שהיה מקום לטורים צוה יתברך שישימו אבנים בארבעה טורים כנגד ארבעה דגלים שנחלקו בהם השבטים במדבר כי היו בכל דגל שלשה שבטים כמו שיתבאר בסדר במדבר סיני וכן בחשן היו שלשה אבנים בכל טור כנגד שלשת השבטים ההם ולזה נטו חכמים ז״ל במדרש ולכן אחשוב אני שלא היו מסודרים שמות השבטים בחשן כמו שנולדו אלא כמו שהיו דגלים כי היו בטור האחד יהודה יששכר וזבולן כמו שהיה בדגל מזרח׃ ובטור השני ראובן שמעון וגד כמו שהיה בדגל תימנה׃ ובטור השלשי אפרים ומנשה ובנימין כמו שהיה בדגל ימה ובטור הרביעי דן אשר ונפתלי כמו שהיה בדגל צפונה ומפני שלא נכתבו ולא הונחו בחשן כסדר הולדותם אלא כסדר הדגלים לכן לא נאמר בחשן כתולדותם כמו שנאמר באפוד׃

Ecce in Ephodo erat mandatum, ut nomina duodecim tribuum in duobus lapidibus ſculperentur, quia Deus voluit ut nomina tribuum eſſent

 in

in duobus lapidibus humeralium Sacerdotis, ut in elevatione manuum pro eis oraret, vota conciperet: ideoq; ſex nomina eorum erant in unoquoq; humero, non autem erant quatuor ordinibus diſpoſita. Sed quia in Pectorali locus erat ordinibus, juſſit Deus, ut lapides diſponerentur quatuor ordinibus, ſecundum quatuor vexilla, quibus diſtinguebantur tribus in deſerto; erant enim in unoquoq; vexillo tres tribus, quemadmodum conſtat, ſectione Bemidbar Sinai. *Sic in Pectorali erant tres lapides in ſingulo ordine, pro tribus iſtis tribubus. Eo etiam propendent Sapientes noſtri beatæ memoriæ, in ſuis expoſitionibus. Ideo ego exiſtimo nomina tribuum non fuiſſe diſpoſita in Pectorali quemadmodum nati erant,* (ſecundum ætatem filiorum Jacobi) *ſed quemadmodum vexilla erant diſpoſita. Erant autem in primo ordine* Jehuda, Iſchaſcar, & Zabulon, *prout erant in vexillo Orientali. In ſecundo ordine erant,* Ruben, Schimeon & Gad, *ut erant in vexillo Occidentali. In tertio ordinde erant,* Ephraim, Menaſſeh, & Benjamin, *ut in vexillo Meridionali. Et in quarto ordine erant,* Dan, Aſcher, & Nephtali, *ut in vixillo Septentrionali. Et quia non ſcribuntur nec diſponuntur in Pectorali ſecundum ordinem nativitatis ſed ſecundum ordinem vexillorum, ideo in Pectorali non dicitur:* ſecundum generationes eorum, *quemadmodum dicitur in Ephodo.*

Igitur ſecundum Abarbanelem nomina illa hoc ordine ſcripta erant:

זבולן	יששכר	יהודה
גד	שמעין	ראובן
בנימין	מנשה	אפרים
נפתלי	אשר	דן

Sed

Sed hæc ab Abarbanele gratis dicuntur; nullam enim adfert ſufficientem rationem, nec auctoritatem qua ſententiam ſuam probaret: immo contrarium apparet ex optimis auctoribus, ut Baal Hatturim Exodi XXVIII. quem mox citabimus, & Targum Jeruſalemitanum paraſcha *Thezave*, Paraphraſtes Chaldæus in Cantic. Cantic. cap. v. verſ. XIV. *Schemot Rabboth* in eadem *Paraſcha*; & *Bemidbar Rabboth. Paraſcha* II. niſi quod tertius ordo parum invertatur, ponitur enim גד *Gad* ante נפתלי *Nephtali*, putarunt in Pectorali nomina ſcripta fuiſſe, non quidem ſecundum ætates ſed ſecundum Matres: ita quidem ut nomina filiorum Leæ duos priores ordines obtinuerint, *Ruben*, *Simeon*, *Levi*, *Iehuda*, *Iſſaſcar*, & *Zabulon*. Secundo nomina filiorum ancillarum: *Dan* & *Nephtali*, *Gad* & *Aſcher*. Tandem filiorum Rachelis: *Ioſephus* & *Benjamin*, prout eundem ordinem obſervatum volunt in lapidibus Humeralium, ut capite præcedenti oſtendimus, hoc modo:

לוי	שמעון	ראובן
זבולן	יששכר	יהודה
גד	נפתלי	דן
בנימן	יוסף	אשר

At ſi conjecturandum eſt (cur & mihi non licebit conjecturare) plane alio modo oportet diſpoſitos fuiſſe filios Jacobi, ita ut priores fuerint filii ancillarum, deinde filii Rachelis, eodem ſcilicet ordine quo eos diſpoſuit Jacobus Geneſ. cap. XXXIII.

CCCCLXIX. Non eſt igitur dubitandum quin plane eodem ordine ſcripta fuerint nomina filiorum Jacobi in Pectorali, quo reperiebatur in duobus lapidibus humeralium, ſcilicet כתולדותם *ſecundum ſuas generationes*, ut majores natu ſemper priorem locum obtinuerint, uti oſtendimus capite præcedenti paragrapho. CCCCXLVI. hoc modo.

לוי	שמעון	ראובן
נפתלי	דן	יהודה
יששכר	אשר	גד
בנימן	יוסף	זבלון

Sane hoc ordine ſculpta fuiſſe nomina Patriarcharum docet Joſephus *Antiq. lib.* III. *cap.* VIII. γράμματα δὲ ἐπιτέτμητο πᾶσι τῶν Ἰακώβου υἱῶν, οὓς καὶ φιλάρχους νομίζομεν, ἑκάστου τῶν λίθων ὀνόματι τετιμημένου κατὰ τάξιν, ἣν ἕκαστον αὐτῶν γενήσεως συμβέβηκεν. *Omnibus autem* (lapidibus) *inſcripta erant nomina Iacobi filiorum, quos Principes tribuum vocamus, ſingulo quidem lapidi nomen ſecundum ordinem, quo ſingulus natus erat.* quaſi dicere vellet cum Moſe כתולדותם *ſecundum generationes ſuas.* In hac etiam ſententia fuiſſe videtur Maimonides *Hilch. Kele Hammikd. cap.* IX. nihil aliud enim dicit niſi nomina ſculpta fuiſſe ſecundum ſuas generationes : ומפתח על האבנים שמות השבטים כתולדותם *& ſculpta ſunt in lapidibus nomina tribuum ſecundum ſuas generationes.* Nec aliter intelligitur a Jarchio, nam ad verba illa איש על שמו *quiſquis ſecundum nomen ſuum*, hæc habet כסדר תולדותם סדר האבנים אודם לראובן פטדה לשמעון וכן כלם : *Secundum ordinem generationum eorum, pro ordine lapidum, at* אודם *inſcriptum ſit nomen Rubenis* פטדה *nomen Simeonis, & ſic reliqua omnia.* Quicquid igitur diſtinguat Abarbanel inter כתולדותם & על שמותם *Secundum generationes eorum & ſecundum nomina eorum*; perinde enim eſt ſive hoc, ſive illud dicas.

CCCCLXX. Cæterum cum prædictio, quæ fieri ſolebat per *Vrim & Thummim*, conſiſteret in certa quadam lectione literarum his lapidibus inſcriptarum, ut quidam Hebræorum Sapientes contendunt, de quo nos plura infra, omnes literæ totius Alphabethi lapidibus inſculpi debebant: at cum in ſolis duodecim nomini-

minibus non omnes reperirentur, (deſunt enim literæ חטצק) alia præter duodecim Patriarcharum nomina iis inſcripta fuiſſe tradunt Talmudici, qualia ſunt nomina אברהם׳ יצחק׳ יעקב *Abraam Iſaac & Iacob*, quæ ſculpta erant ſuperne ſupra nomen ראובן, & שבטי יה, aut, ſecundum alios, שבטי ישורן infra nomen בנימין Maſſechet *Ioma cap.* VII. in fine Gemaræ: כיצד נעשית ר״יוחנן אומר בולטות ריש לקיש אומר מצטרפות והא לא כתב בהו צ״די אמר רב שמואל בר יצחק אברהם יצחק יעקב כתיב שם והא לא כתיב ט״ת אמר רב אחא בר יעקב: שבטי ישורן כתוב שם *Quomodo fiebat?* (reſponſum per Urim & Thummim) *Doctor Iohannes dicit, literæ eminebant. Reſch Lakiſch dicit cohærebant. Sed ibi non erat litera Zade. Reſpondet Doctor Samuel filius Iſaac, Abraham Iſac Iacob ibi ſcriptum erat. Sed non ſcriptum erat Theth. Reſpondet Doctor Acha filius Iacobi: adſcriptum erat* שבטי ישורן Et in Gemara Jeruſalemitana eodem loco. אית תניי תני הכתוב בולט· מאן דאמר הקול היה שומע ניחא דכתיב וישמע את הקול מאן דאמר הכתב היה בולט והא לית ח״ית בשבטים ולא צ״די ולא ק״וף בשבטים אברהם יצחק יעקב כתיב עליהן והא לית ט״ית בשבטים כל אלא שבטי ישראל היה חקוק עליהן: *Sunt doctores qui tradunt, ſcripturam protuberaſſe. Eſt qui dicit vocem fuiſſe auditam, ut ſcriptum eſt: & audita eſt vox. Eſt qui dicit ſcriptura eminebat. At non erat* Chet *in tribubus, nec* Zade, *nec* Koph: *Sed ſcriptum erat ſupra:* Abraham, Iſaac, Iacob, *Sed ecce non erat* Teth *in tribubus, ſed* שבטי ישראל *ſuper ea erat exſculptum.* Rabboth Schemot *Paraſcha Tezave* idem docet, niſi quod pro שבטי ישראל ponat ישורין ut habet Gemara Babylonica. Eadem fere verbotenus repetuntur in *Ialkut* ex libro *Siphre*. Maimonides *Kele Hammikd. cap.* IX. pro שבטי ישורן habet שבטי יה Sic enim ille: וכתוב בתחילה למעלה מראובן אברהם יצחק יעקב וכתוב למטה מראובן שבטי יה כדי שיהיו כל האותיות מצויות שם: *Et ſcriptum erat ſupra nomen Rubenis*, Abram, Iſaac, Jacob, *& infra nomen Benjamin* שבטי יה *ut omnes literæ ibi reperirentur.* Sic itaque ſcripta erant nomina & voces illæ, ut *Abraham, Iſaac, Iacob*, reperirentur in lapide primo אודם ſupra nomen Rubenis. שבטי ישורן aut ישבטי ישראל aut etiam שבטי יה in ultimo lapide ישפה infra nomen Benjaminis. Rabboth, loco modo a nobis laudato, dicit tantum, primo lapidi אודם ſcriptum fuiſſe *Ruben, Abraham, Iſaac, Iacob*, nulla facta mentione utrum eadem linea, an vero duabus lineis ſcripta fuerint. Quod autem quidam ponant שבטי ישורן pro

שבטי

שבטי יה id putant ideo factum eſſe. quia utrumque idem ſignificat, ſcilicet *filios Iſraelis.* vide *Ceſeph Miſna* ad Maimonidæ locum modo a nobis allegatum. Rabbi Bechai harum vocum אברהם יצחק יעקב שבטי ישורן literas ita diſtributas fuiſſe per omnes lapides, ut in ſingulo ſex litteræ reperirentur, ita ut cuilibet nomini Patriarcharum tot literæ ex hiſce additæ fuerint, quot fieri debebat ad numerum ſenarium componendum. Cum autem בנימין per ſe faceret ſex literas, ex reliquis ei nullam additam fuiſſe conſtat. Videatur Baal Hatturim Exodi cap. XXVIII. verſ. XVII. &c. בכל אבן היה שש אותיות: כי שמות שלשה האבות ושבטי ישורן מצטרף עם כל אחד ואחד טר שיהיה ו' אותיות כמו ראובן. וא' דאברהם. שמיזן ב' לוי רה'ם. יהודה י' דיצחק. יששכר צ' זבולן ח' דן ק' יעק. נפתלי ב' גד שבטי. אשר ישו. יוסק רן' ובנימין לא היה צריך צירוף. כי היה בו ששה אתיות: *In omnibus lapidibus erant ſex literæ, quia nomina trium patrum* (Abraham, Iſaac & Jacob) *&* tribus Jeſchuran *juncta erant in omni* (lapide) *uſque dum reperirentur ſex literæ: ex. gratia* Ruben A. *ex nomine Abrahami*, Simon B. Levi Raham. Jehuda I. *ex nomine Iſaac.* Iſſaſcar Z. Zabulon Ch. Dan C Jako Nephtali B. Gad Schibte. Aſer Jeſchur. Joſeph Ran *Benjamin non opus habebat additamento, quia ſex litteras continet.* hoc modo.

לוי ר'הם	שמעון ב'	ראובן א'
זבולן ח'	יששכר צ'	יהודה י'
גד שבטי	נפתלי ב'	דן ק' יעק
בנימין	יוסף רן'	אשר ישו'

Apparet itaque integram ſummam literarum fuiſſe LXXII. qui numerus myſticus videtur, forte ut ſignificarentur Patres Magni Synedrii, aut ut indicarentur myſteria nominis divini, ſecundum Cabaliſtas. Sed illa omnia ſunt mera figmenta Judæorum, quæ nec ſacra ſcriptura, nec ullo auctore probato nituntur. Si nihilominus

nus verum eſſet *Reſponſa* per *Vrim* & *Thummim* data fuiſſe per literas iſtas in Pectorali, ſane colligi poſſet pluribus opus fuiſſe, quam iis quæ continebantur in XII. nominibus filiorum Jacobi. Sed cum etiam reſponſa, mea quidem ſententia, aliter facta ſint, de quo dicemus infra, ego puto alias litteras non fuiſſe adſcriptas, præter eas, quæ nomina illa XII. exprimerent. Nec Joſephus de litteris illis fictis, ne ſomniaſſe quidem videtur.

Cap. VIII.

DE LAPIDIBUS PRETIOSIS IN GENERE, ET DE אדם ODEM SARDIO IN SPECIE.

Quatuor ordines gemmarum. Iudicium noſtrum de Libello Epiphanii de XII. *gemmis in veſte Aharonis. De Hieronymo, Septuaginta interpretibus, Ioſepho, & reliquis Iudæis. cap.* XXI. *Apocal. allegatur. An certa expoſitio lapidum Pectoralis inde hauriri poſſit? Variæ gemmarum verſiones. Hallucinatio Ionathanis, Onkeloſii, Targ. Ieruſ. Rabboth & aliorum. Arabs, Arias Montanus, Munſterus, Lutherus, Iunius, Piſcator, Belgæ, Galli, Angli, Diodati &c. An quid certi elici poſſit ex Ezechiele, Exodo, Apocalypſi, & Eſaia, ad explicationem S. Pontif. gemmarum? Aben Ezræ in exponendis gemmis difficultas. Varii auctores qui apud veteres de gemmis ſcripſerunt allegantur. Primus lapis* אדם Odem. *Vbi exſtet? Ita dictus a* rubore *&* ſanguine. *Vtrum* Adamas? *Adamas non recenſetur a Septuaginta Interpret. Ioſepho, Hieronymo, Epiphanio, vulgato & aliis. Parum differunt voces* אדם Odem & Adamas. *As terminatio Græca. Græcis* Ἀδάμας *a* δαμάω. *Primum locum videtur debuiſſe obtinere* Adamas. *Elogium Rubeni Geneſ.* XLIX. III. אדם *non ſemper ſignificat* rubere, *ſed ſæpe* ſplendorem. *Varii auctores.* זהורי ادم λάμπω. אדם *non eſſe* Adamantem. *An* granata *ut vult Abarbanel? An* Rubinus? *An* σαρδόνυξ *ut habet Ioſephus? Ejus hallucinatio.* שרדנגין Sardangin *male Rabboth.* χ. ג, & כ *permutantur. An legendum* שרדנין Sardanin, *Sardonius.* אדם *non eſſe Sardony-*

chem. nec granatum, *nec* Rubinum. *Significat* Sardium. *Varii auctores allegantur. Sardius quid Theophraſto, Orpheo, Plinio, Iſidoro & aliis?* אדם *Chaldæis* סמקן *Semakan*, סמוקתא Semuktha, & סמקתא Semaktha סמק Rubere. *Belgarum* Mee, *unde tinctura rubra. Belgis* **Smaſt** *a Chaldæor.* סמק Semak rubere. *Paraphraſtes Cant.* V. XIV. אחמר & חמרא Vinum rubrum. אדם *gemma rubra. Vexillum Rubeni rubrum. Rabboth allegatur. Epiphanius de* אדם Sardius *utrum a piſce dicta? Apocal.* IV. III. *allegatur.* πυρωπὸς *Epiphanio & Iunio. An ab inſula Sarda nomen habeat? Varii auctores. Loci natales Sardii. Græcorum & Romanorum falſæ etymologiæ ex ignorantia linguarum Orientalium. Sardius a* שרד Sered. *Locus Eſ.* XL. XIII *explicatur.* שרד *Kimchio* צבע *color. Luthero* Rötelſtein/ *Plinii tria genera Sacerdotum.* אדם Odem, *Demium apud Plinium. Salmaſius male correxit* Diſenium. *Sardonyches,* μολοχὰς, Molochites. Corneolus, *quaſi* carneolus, *a carne ſanguinolenta. Hujus gemmæ variæ virtutes. De gemmarum virtute quid cenſeamus.*

CCCCLXXI. HActenus de quatuor ordinibus, quibus diſpoſiti erant lapides pretioſi in Pectorali, & de nominibus in iis inſculptis: oportet ut lapides ipſos, quales fuerint, propius examinemus. Hoc ordine a Moſe memorantur verſu XVII. אדם פטדה וברקת הטור האחד *Odem, Pitdah, & Bareket in ordine primo.* הטור השני נפך ספיר ויהלם *Secundus ordo continet, Nophech Sapphir, & Iahalom.* והטור השלישי לשם שבו ואחלמה *Tertius ordo, Leſchem, Schebo, & Achlama.* והטור הרביעי תרשיש ושהם וישפה *Et quartus ordo Tarſchiſch, Scoham & Iaſpeh.* Ordines & nomina lapidum Hebraice habemus, quales autem fuerint non æque certum eſt, cum id hactenus ab ipſis Judæis ignoretur.

CCCCLXXII. Epiphanius quidem hanc materiam ſatis meditatus & perſcrutatus videtur: cum integrum libellum de XII. lapidibus in veſte Aharonis conſcripſerit, quem etiam laudat & commendat Hieronymus, in Epiſtola ad Fabiolam. Sed a recta via ſepe aberrat. Septuaginta quidem & Joſephus, ut omnium Judæorum vetuſtiſſimi, & tanquam oculati teſtes præ cæteris omnibus fidem merentur, nihilominus juſtiſſimam cauſam nobis dant eorum commentaria & verſiones, quæ hodie ad manus noſtras per-

pervenerunt, de iis non minus quam de reliquis omnibus dubitandi, quod in ſequentibus plus ſemel oſtendemus. Non mirum ſi Hieronymus & vulgatus nonnunquam lapſi ſint, cum non niſi ex traditione illorum loqui videantur. Enimvero omnes erant homines, qui falli poterant, ut revera decepti ſint. Johannes Theologus, qui non eſt locutus, niſi ductu Spiritus ſancti, in ſua Apocalypſi capite XXI. mentionem facit duodecim lapidum, ut de ejus expoſitione minime dubitandum eſſet, ſi ad veſtimentum Aharonis reſpexiſſet: at cum incertum ſit utrum hos lapides intellexerit, & cum inverſo ordine omnes recenſuerit, ad explicationem gemmarum Pectoralis nos non multum juvabit. Quotquot de his gemmis ſcripſerunt fere omnes inter ſe diſſentiunt, & diverſo ordine eas recenſent. Septuaginta ſextum lapidem reddunt *ἰάσπις*, *cum Iaſpis* Moſi ſit ultimus: ut in hoc loco videantur reſpexiſſe ad Ezechielem cap. XXVIII. XIII. ubi *Iaſpis* etiam ſextum locum obtinet. Eundem lapidem ſcilicet שהם quem in humeralibus vertunt *σαρδόνυχον*, hic vocant *βηρύλλιον*. Eodem modo recenſentur ab Epiphanio. Vulgatus ſeptuaginta ſecutus eſt, niſi quod *Onychum* ponat ante *Beryllum*. Joſephus primum lapidem hic vocat *σαρδόνυχα*, cum in Ephodo idem nomen dederit ei, qui hic eſt undecimus. *Iaſpis* ei eſt quintus, cum Moſi ſit ultimus. Ubique fere a Joſepho alio ordine recenſentur, quam a ſeptuaginta interpretibus. Hieronymus, qui fere ubique Joſephum ſequutus eſt, tamen eodem ordine lapides diſponit, quo & ſeptuaginta, niſi quod in quarto ordine cum Joſepho Onychum habeat ante Beryllum.

CCCCLXXIII. Non minus hallucinantur Hebræorum magiſtri antiquiſſimi Jonathan, Onkeloſius, Targum Jeruſalemitanum, Rabboth, alii. Cum enim Chaldæus & Targum Jeruſalemitanum primum lapidem vocent סמקתא *Semaktha*, & סמקן *Semakan*, Rabboth eundem dicit שרדנגין *Sardanegin*. Tertium Chaldæi & Targum Jeruſalemitanum ברקתא *Beraktha*, aut ברקן *Barkan*, cum Rabboth eum vocet דייקינתין *Diakinthin*. Quartum Rabboth vocat ברדינין *Bardigin*, Targum Jeruſal. כדכרנא *Cadcarna*. Ionathanus איזמורד *Iſmurad*. Onkeloſius אזמרגדין *Iſmaragdin*. Quintum Onkeloſius vocat שבזין *Schabzin*, reliqui סנפרינון *Samperinum*. Sextum idem Onkeloſius סבחלום *Sabchalom*. Rabboth אזמרגדין *Iſmaragdin*; Targum Ieruſalemitanum עין עגלא *Een Egla*, *oculus vituli*. Ionathanus

thanus כרדכוכין *Cardechuchin*. Septimum Onkeloſius כרום ימא *crum jama*. Ionathanus קנכירינון *Kankirinun*, Targum Ieruſalemitanum זוזין. Rabboth בוחלין Octavum Onkeloſius קנבירי *Kanbire*. Ionathanus ערקין *Arkin*. Targum Ieurſal. ברולין *Berulin*. Rabboth אבאטים. Nonum Onkeloſius טרקיא *Tarkia*.. Ionathanus עין עגלא *Een Egla* (qui Targum Ieruſalemitano ſextus eſt) Rabboth הימיסין *Himiſin*. Targum Ieruſ. זמרגדין *Semaragdin*. Decimum Onkeloſius עין עגלא *Een Egla* (qui Targ. Ieruſalemitano eſt ſextus, & Ionathano nonus) Ionathanus & Targum Ieruſalam. כרום ימא רבא *Krum Iama Rabba*, (qui Onkeloſio ſeptimus eſt) Rabboth קרומטסין *Kerumtaſſin*. Undecimum Onkeloſius בורלא *Burla* vocat. Ionathanus fere eodem modo ברילוות חלא *Berilioth chala*. Targum בדולחא *Bedolcha*. Rabboth פראלוקין *Pralukin*. Ultimum Onkeloſius פנטירי *Pantiri*, Ionathanus fere eodem modo אפנטורין *Apanturin*; Targ. Ieruſ. מרגליתא *Margalita*, eodem fere modo Rabboth מרגליטו *Margalito*. Iterum aliter vocantur a Paraphraſte Cantic. cap. v. xiv. veluti אחמר עקיק׳ ברקן ושפרן׳ כחלי׳ אזמורד׳ גיהר׳ בירלא׳ אספור׳ טבאג׳ פרוזג מריבג׳ אפנטור - *Aehmar*, *Akik*, *Barkan Veaphran*, *Cachale Iſmorad*, *Gihar*, *Birla*, *Iſpor*, *Tabag*, *Peroſag*; *Meribag*. *Apantur*. Nec magis inter ſe conveniunt poſteriores interpretes, ut *Arias Montanus*, *Munſterus*, *Lutherus*, *Iunius & Tremellius*, *Piſcator*, *Belgæ*, *Galli*, *Angli*, *Diodati*, Alii. His & ipſe *Arabs* addendus eſt.

CCCCLXXIV. Quid in re tam incerta & tam dubia, certi ſtatuendum erit? Quid ex tanta confuſione tantiſque tenebris ordinis & lucis tandem exſpectandum erit? Optime magnus Hieronymus ad Ezechielem cap. xxviii. verſ. xiii. *In Ezechiele & in Exodo, & in Apocalypſi, & in Eſaia ſibi omnes lapides & lapidum ordines comparati, magnam & legenti & differenti faciunt quæſtionem.* Optime etiam Aben Ezra ad Exod. cap. xxviii. אין לנו דרך בבירות לדעות אבני המלאים כי הגאון תרגם כרצונו כי אין לו קבלה שיסמוך עליה: *Nobis nulla eſt certa ratio interpretandi lapides Pectoralis, quoniam excellentiſſimus Vir* (Saadias) *eos vertit pro lubitu, ut qui nullam habuerit traditionem cui niteretur.* Igitur non eſt mirum ſi inter res S. Scripturæ, quæ explicari nequeunt, lapides pretioſi primo loco ponantur ab auctoribus. Utinam doctiſſimus Bochartus libellum, quem alicubi dicit de gemmis S. Scripturæ ſcripſiſſe, in lucem edidiſſet! quam clare videremus hodie multa quæ hacte-

hactenus in occulto latent? Utinam blattæ & tineæ, aliæque temporis injuriæ nobis non invidiſſent ea, quæ apud veteres commentati ſunt de lapidibus & gemmis, viri doctiſſimi *Archelaus*, *Agatharcides Samius*, *Thraſyllus Mendeſius*, *Heraclytus Sicyonius* *Ariſtobulus*, *Nicias Malloies*, *Dorotheus Chaldæus*, *Theophilus*, *Sudines*, *Zenothemis*, *Sotacus*, *Bocchus*, *Anaxagoras*, *Empedocles*, *Democrites*, *Alexander Aphrodiſienſis*, aliique auctores graves; qantum eſt quod ſciremus, quod hodie miſere ignoramus! Nihilominus quid & nos cenſeamus in medium proferre auſi ſumus. Et quamvis fortaſſis veritatem non ſemper aſſequuti ſimus; ſperamus tamen nos aliis anſam daturos ulterius inquirendi, & tandem aliquando verum ſenſum aſſequendi.

CCCCLXXV. Primus igitur lapis eſt אדם *Odem*. Extat etiam Ezech. XXVIII. XIII. Si ad hujus lapidis etymologiam reſpiciamus, dicendum erit, eum fuiſſe rubrum colore: eſt enim Hebræis אדם *rubrum*: hinc & פרה אדמה *vacca rufa* Num. XIX. II. & Eſaiæ cap. I. XVIII. אם יאדימו כתולע *ſi fuerint rubra* (peccata) *inſtar coccini*. Unde & דם *ſanguis* (ablato א) ob ruborem. Hanc ob cauſam quidam Rabbinorum hunc lapidem vertunt *Rubinum*, a rubore ſic dictum. Nihilominus mihi olim in mentem venit, per hunc lapidem forte intelligendum eſſe *Adamantem*. Sane cum omnes lapides pretioſiſſimi in hoc veſtimento reperiri debeant, (omnia enim erant מן המובחר *ex optimo*) & cum Adamas nulli cedat pretio, immo reliquos omnes ſuperet, induci non poſſum, ut credam eum defuiſſe. Hanc ob cauſam a multis interpretibus recenſeri ſolet, ut ut ejus non meminerint, nec Seniores nec Ioſephus, nec Hieronymus, nec Epiphanius, nec vulgatus, nec Galli, nec ipſe Iohannes in ſua Apocalypſi. Si vero locum ſuum quoque habuit Adamas in Pectorali, veriſimile credebam eum eſſe אדם *Odem*. Et hoc quidem ipſius nomen videtur ſignificaſſe, exigua namque eſt differentia inter *Odem* & *Adamas*. Hoc ex illo deductum videtur. Quemadmodum *Iaſpis* & *Sapphirus*, quibus adnumero *Topazium* & *Smaragdum*, nomina ſua retinuerunt: ut *Iaſpis* a יָשְׁפֵה *Iaſpe*, *Saphyrus* a ספיר *Saphir*, *Topazius* a פטדה *pitdah*, *Smaragdus*, aut potius *Maragdus* a ברקת *Bareket* (de quibus ſuo loco plura): ſic & *Adamas* dici poſſet ab אדם *Odem*, addito *as*, terminatione Græca. Novi quidem unde *Adamas* derivari ſoleat a Grammaticis, qui præter

Latina & Græca parum ſciunt, ſcilicet a Græco *ἀδαμας*, quaſi diceres *indomitus*, quia (ſi diis placet) nulla vi diffringi poteſt, ut etiam ferrum utrinque diſſultet, incudeſque inſuper ipſæ diſſiliant, ut ait Plinius *lib.* XXXVII. *cap.* IV. At novi hæc gratis dici, & a lapidariis noſtris hodie rideri. Multo veriſimilius eſt igitur, *Adamantem* dici ab Hebræorum *Odem*, quam a Græcorum *δαμάω domo.* Deinde *Adamus* ut eſt omnium lapidum pretioſiſſimus, ſic & priorem potioremque locum videtur debuiſſe obtinere. Accedit ut omnium lapidum eſt duriſſimus, pretioſiſſimus digniſſimuſque, ita eum aptiſſime adhibitum fuiſſe ad indicandum Rubenum filium Jacobi maximum natu, cum fuerit כחו וראשית אונו וג׳ *virtus & initium potentiæ ejus, excellentia dignitatis, & excellentia roboris ejus.* Geneſ. XLIX. III. Nihil obſtat quod אדם rubrum colorem ſignificet, cum Adamas ſit ſplendens, & albus; nam (quod jam ab aliis obſervatum eſt) non ſemper rubrum, ſed ſæpiſſime ſplendorem eximiumque candorem denotat, prout & ipſis Latinis *rutilare* non ſemper ſignificat *rubrum eſſe*, ſed *cum ſplendore fulgere.* Hoc ſenſu arma dicuntur *rutilare Æn. lib.* VIII.

Arma inter nubem cœli regione ſerena
E cœlo rutilare vident.

Luna & ſtellæ Poetis *rutilare* dicuntur, pro ſplendere; & Olor ob eximium candorem dicitur *purpureus.* Horat. *lib.* IV. *Od.* I.

Tempeſtivus in domo
Pauli, purpureis ales oloribus
Comeſſabere Maximi.

Eodem modo Chaldæis, זהורי *purpuram*, aut potius *coccinum* ſignificat & lucem, a זהר *lucere.* Arabibus quoque أدم אדם non ſolum *rubrum* ſed *ſumme candidum* ſignificat. Græcorum *λάμπω* non tantum eſt *rutilare*, ſed & *ſplendere*, ut habet vetus Gloſſarium: ut non adeo abſurdum eſſet, ſi aliquis diceret *adamantem* ab Hebræis dictum eſſe אדם *Odem*, non quidem a *rubore*, ſed a ſummo ſplendore, & lucentiſſimis radiis quos emittit. Nihilominus tamen, quia tot viri docti, quibus non leviter contradicendum eſt, lapidem יהלם *Iahalom*, qui ordine eſt ſextus, *adamantem* verterunt, & quia graviſſimas rationes habeo, quibus inducar ut crederem primum hunc lapidem אדם aliud genus lapidum ſignificare, (quod poſtea patebit) priorem ſententiam luben-

bentiſſime muto, & in caſtra eorum tranſeo, qui eum aliter vertunt; quamvis non omnes interpretes ejuſdem ſint opinionis.

CCCCLXXVI. Primo quidem Abarbanel אדם vocat גראנאטה *granata*, a malorum punicorum *granis* האדם הוא הנקראת גר״אנאטה בלעז הדומה לרימון שגרגיריו אדומים והיה כנגד ראובן בכור ישראל כי היה כחו וראשית אונו : *Lapis* אדם Odem *is eſt, qui vulgo* granata *dicitur. Similis eſt malogranato, cujus grana ſunt rubra. Erat autem Rubeni deſtinatus, qui erat maximus natu ex filiis Iſraelis, quia erat virtus & initium roboris ejus.* At cum granata non ſit gemma magni pretii, & cum reliqui interpretes ejus nuſquam meminerint, quantum ſcio, niſi forte ſub nomine *carbunculi* vilioris, & cum Abarbanel nullam adferat rationem ut opinionem ſuam firmaret, eadem facilitate, qua proponitur, refelli etiam poteſt. Ex Judæis hodiernis plurimi, & olim alii *rubinum* deducunt à rubore, uti ſupra obſervavimus. Sed id nulla auctoritate nec ratione probant. Et quamvis *Rubinus* & olim & hodie pretioſiſſimus ſit, cum tamem nihil aliud ſignificet quam veterum *carbunculum*, quod infra demonſtrabimus, validiores ſane habemus rationes, ut credamus hunc lapidem *rubinum* non fuiſſe, quod etiam ſuo loco patebit.

CCCCLXXVII. Joſephus σαρδόνυξ habet. Ab hoc auctore recedere religio mihi eſſet, cum fuerit ipſe non tantum Judæus, ſed & Sacerdos, qui hunc lapidem cum toto ſacro veſtitu, centies vidiſſe poterat, cum ſtante adhuc templo vixerit. Sed ipſe ſibi non conſtat, & non niſi hallucinanter de eo & de reliquis loquitur, ut illius opus aut corruptum ſit a librariis, aut ab eo omnino non ſcriptum dicendum putem. Nam cum hic אדם *Odem*, qui eſt primus ordine, *Sardonychem* vocaverit, alibi, ubi de Ephodo agit, idem nomen dedit lapidi שהם *Schoham*, qui hic eſt penultimus, quaſi אדם & שהם unum eundemque lapidem ſignificarent, quod tamen dicendum non eſt. Nihilominus cum Joſepho facere videtur Rabboth Schemoth, *paraſcha* XXXVIII. ubi אדם vocat שרדנגין *Sardanegin:* quod vocabulum, ut cuilibet obvium eſt, nihil aliud notat quam Græcorum σαρδονύχες, mutato tantum χ in ג pro כ, cum terminatione plurali, prout fere ſemper accidere ſolet Rabinis in deſcribendis lapidibus pretioſis. Sed & ipſa Rabboth fortaſſis male. Deinde dici etiam poteſt

legendum

legendum eſſe שרדנין *Sardanin* omiſſo נ & tunc nihil aliud eſſe quam Græcorum σάρδιον *Sardonium.* Enimvero שרדנין legendum eſſe potius quam שרדננין, eo facilius crederem, cum ob alias cauſas, tum etiam quod in editione Amſtelodamenſi, qua utor, vix diſcerni poſſit inter נ & ג, ut non ſatis certus ſim an utraque litera non ſit ג *gimel.* Si alia editio mihi eſſet ad manus, fortaſſis errorem facilius animadverterem. Quid quid eſt, אדם *Sardonychem* eſſe, non puto, non magis quam *granatum* aut *Rubinum.*

CCCCLXXIIX. Pedibus igitur eo in ſententiam Septuaginta interpretum, Epiphanii, vulgati, Hieronymi, Belgarum, Gallorum, aliorumque qui hunc lapidem σάρδιον vertunt. Erat autem Sardius lapis ruber, ut omnes fere auctores fatentur, quamvis de genere ipſo non conveniant. Iſidorus *Orig. lib.* XVI. *cap.* VIII *Sardius*, inquit, *rubrum habet colorem.* Theophraſtus *de lapidibus.* τοῦ γὰρ Σαρδίου, τὸ μὲν διαφανὲς, ἐρυθρότερον δὲ καλεῖται θῆλυ. τὸ δὲ διαφανὲς μὲν, μελάντερον δὲ καὶ ἄρσεν. *Sardius pellucidus eſt; is qui clarius rubet vocatur fœmina; pellucidior autem & ſaturatior, mas dicitur.* Hinc Orpheus *in Achate*, & Epiphanius, σάρδια θ᾽ αἱματόεντα *Sardium ſanguineum* dicunt. Plinius *lib.* XXXVII. *cap.* VII. *Sardium rubrum* docet. De hoc loco plura poſtea. Talis erat & lapis אֹדם *Odem.* Hinc a quibuſdam *Granata* aut *rubinus* a *rubore* dicitur, ut ſupra oſtendimus. Idem plane intelligunt Chaldæi cum pro אדם *Odem* habeant סמקן *Semakan* & סמוקתא *Smuktha*, & Targ. Jeruſalemitanum סמקתא *Semaktha*; quæ voces nihil aliud ſignificant quam *rubrum:* eſt enim סמוק *ſmuk rubor* Prov. XXIII. XXXI. לא תחמי חמרא די סמוק *ne aſpicias vinum cum rubeſcit.* Et Ionathanus Num. XIX. II. תורתא סמוקתא *Vacca rufa.* Nota eſt infectoribus quædam herba, cujus radices adhibentur ad infecturam rubri coloris: Belgice **Mee** dicta, cujus magna copia eſt in Inſulis quibuſdam Zelandiæ, & circa Oſtium Helii, ſive Brielam Hollandiæ urbem. Id quod viliſſimum eſt in iſta radice, infectores Belgice vocant **Smak**/ quo ſolent uti, tanquam medicamine in inficiendis pannis laneis, quos nigro colore tingunt, etſi radix iſta revera ſit rubra. Quis non videt vocem iſtam **Smak** Belgas deſumpſiſſe a Chaldæis, ut nihil aliud ſit, quam id ipſiſſimum סמק *Semak*, *rubere.* Ad rubrum colorem proculdubio Etiam reſpexit paraphraſtes Cantic. cap. V. XIV. ubi אֹדם vertit אחמר *Achmar*: ut & Arabs احمر *Achmar.*

Quid

Quid illa vox ſignificet nemo dicet, niſi forte lapidem rubrum inſtar vini; nam *fermentatio*, a qua dictum vult doctiſſimus Du Dieu, in Geneſ. cap. xxviii. Nihil habet cummune cum Gemma. Notum enim eſt חמר ſive חמרא *chamra*, *vinum* & *rubrum* quidem *vinum* (quale in iſtis regionibus plerumque eſſe ſolet) ſignificare. Hunc lapidem rubrum fuiſſe docet etiam Rabboth *Bemidbar paraſcha* ii. Ubi omnes lapides pectoralis confert cum vexillis xii. Tribuum docetque lapides ejuſdem coloris fuiſſe, cujus coloris ſingulum vexillum illius tribus erat. ראובן אבנו אודם ומפה שלו צבוע אדום ומצוייר עליו דודאים : *Ruben inſculptus eſt lapidi Odem, & vexillum ejus rubrum eſt, & depictos habuit dodaim.* Sane Epiphanius in *libello de duodecim gemmis in veſte Aharonis*, hunc lapidem non tantum *Sardium*, ſed & *rubrum* docet. *πρῶτος λίθος σάρδιος ὁ βαβυλώνιος οὕτω καλούμενος ἐστὶ δὲ πυρωπὸς τῷ εἴδει καὶ αἱματοειδής. σαρδίῳ τῷ ἰχθύϊ τεταριχευμένῳ ἐοικώς. διὸ καὶ σάρδιος λέγεται, ἀπὸ τοῦ εἴδους λαβὼν τὸ ἐπώνυμον. ἐν βαβυλῶνι δὲ τῇ πρὸς Ἀσσυρίαν γίνεται ἐστὶ δὲ διαυγὴς ὁ λίθος. Primus lapis eſt Sardius Babylonius dictus. Eſt autem igneus, & ſpeciem ſanguinis refert. Sardio piſci ſale condito ſimilis* (ſcilicet ſale condito & exſiccato, inſtar noſtrorum halecum & Salmonum, Belgice **gerookte Salm/** quia intus egregie rubent.) *qua de cauſa etiam Sardius dicitur, a forma nomen ſumens. Naſcitur autem in Babylonia prope Aſſyriam: Eſt etiam lapis pellucidus. Sardium* eſſe lapidem rubrum colligitur etiam ex capite iv. iii. Apocalypſeos; ubi facies Dei dicitur ſimilis lapidi *Sardio;* quod veteres explicant de facie Dei irata, quam dicunt πυροειδὲς ardentem inſtar ignis: *διὰ τὸ φοβερὸν τοῦ Θεοῦ, πυροειδὲς γὰρ τὸ σάρδιον: propter terrorem Dei: cum Sardius ſit igneus.* Hinc & πυρωπὸς vertitur ab Epiphanio, Iunio & aliis: *Ignea* dicuntur *rubra*, quod alibi monuimus.

CCCCLXXIX. אדם lapidem rubrum & *Sardium* fuiſſe, videtur colligi poſſe ex ipſa voce *Sardii*. cum nihil aliud quam *rubrum* ſignificet. Novi quidem plurimos auctores, non infimi nominis, voluiſſe Sardium dici a loco nativitatis: quod ſcilicet circa Sardiniam repertus ſit primus illius generis lapis, ut docet Plinius loco ſupra laudato. *Ipſa gemma vulgaris, & primum Sardibus reperta.* Hujus veſtigiis inſiſtunt Grammatici. Heſychius in voce Νησαίη. λίθος, inquit, ἔνιοι τὴν σάρδιον διὰ τὸ ἐν σαρδόνι γίνεσθαι. *Lapis quem quidam Sardonium vocant, quia in Sardinia naſcitur.* Iſidorus

rus *lib.* XVI. *Orig. cap.* VII. *Sardius dictus eſt, quod primus repertus ſit a Sardibus.* Sed hæc opinio merito a multis rejicitur, cum reperiatur potius circa Babyloniam, & in India, Arabia, circa Leucada Epiri, & circa Ægyptum, immo & in Europa ad Rhenum, in Bohemia, Sileſia aliiſque Regionibus, ut a Plinio aliiſque obſervatum eſt. Scilicet ita ſolet fieri apud Græcos & Romanos, ut quando ignorant linguas Orientales, illorumque populorum ritus & mores, cum ideo veram ſignificationem rerum & nominum ex ingenio linguarum aſſequi non poſſint, ipſi nomina fingant, aut ſenſum forment e locis, nativitate, & origine rerum, etiam falſiſſime. Sic Judæi dicti ſunt Tacito a monte *Ida*. Αδαμ aliis quia a quatuor partibus terræ creatus eſt, quæ per quatuor litteras deſcribuntur, *Topazius* ab Inſula *Topazion*, ut poſtea patebit, & *Sardius* a Sardibus.

CCCCLXXX. Mihi itque perſuaſum eſt *Sardium* ita dictum eſſe, non a *piſce Sardio*, nec ab inſula, quod a Sardibus primum repertus ſit; ſed a voce Hebræa שרד *Sered*, quæ rubrum colorem ſignificat, ut docti jam obſervarunt. Eſaiæ XLIV. verſ. XIII. חרש עצים נטה קו יתארהו בשרד: Verum quidem eſt quibuſdam interpretibus שרד eſſe *ruminam*, ut vulgato, aut *Amuſſim*, ut Junio & aliis; nihilominus tamen veriſimilius eſt vocem iſtam ſignificare colorem, quam aliquod inſtrumentum. Hoc ſenſu ſumitur a Kimchio & aliis: *Faber lignarius extendit lineam, delineat Sered.* Nec aliter, mea opinione, ſumi debet. Solent enim artifices in fabricandis imaginibus primum creta, minio, aut alio colore omnes partes imaginis quaſi delineare, ut poſtea inſtrumentis ſuis omnia accuratius & certius ad formam quæſitam formare queant. Optime ergo a Kimchio שרד *Sered* dicitur צבע *color*, & a Luthero Rötelſtein. Atque ſic *Sardius* diceretur hic lapis, non a nativitatis loco, ſed a nativo ſuo colore *rubro*. Idem videtur indicaſſe Rabboth, ſi legatur סרדנין quaſi *Sardii*, aut potius שרד *Sered*, mutato tantum ש in ס quod frequens. A *Sered* igitur dicitur *Sardius* Græcis & Romanis.

CCCCLXXXI. אדם *Odem Sardium* ſignificare videtur poſſe Probari ex ipſo Plinio *lib.* XXXVII. *cap.* VII, ubi inter Sardorum genera recenſet etiam *Demium*. *In India*, inquit, *trium generum* (Sardorum) *rubrum*, *& quod* DEMIUM *vocant rubore* aut *rubedine*, (ſi verum eſt, *rubedinem* dici pro *rubore*, ut quidam con-

contendunt.) Sane hunc locum ego ſic legendum puto, non quidem *diſenium a magnitudine*, ut correxit Salmaſius; nec *demium a pinguedine*. Nulla enim opus eſt pinguedine. Manifeſtum igitur eſt, *Sardium* dici *demium* voce Hebræa, quaſi אדם *Odem*, propter rubrum colorem. Verum eſt, Plinium ita de tribus iſtis generibus loqui, quaſi *Demium a rubro* vellet diſtinguere. Sed fortaſſis intelligit eos gradu tantum diſtingui, ut tamen ille etiam qui *demium* dicitur, ruber ſit: & ita quidem ut magis ruberet quam reliqui, utque peculiari modo *demium* dicatur a rubore. Fortaſſis etiam expungi debet ex hoc loco Plinii particula copulativa *&*; atque ſic legendum eſſet: *In India trium generum Sardorum, rubrum quod demium vocant a rubore.* En ergo *Demium* ipſiſſimum אדם *Odem*, id eſt *rubrum* Ideoque *Demium* vel *Odem* ſignificat Sardium.

CCCCLXXXII. Cæterum varia ſunt Sardorum genera; non enim omnes ſunt ejuſdem coloris. Et inter genera Sardorum, ponitur etiam *Sardonyches*, qui & μολοχὰς *Molochites* ab Epiphanio vocatur, de quo nos poſtea ſuo loco plura. Verus Sardus rubet quidem, ſed non eſt ſaturatus, palloris aliquid admixtum habet; *corneolus* ideo vulgo dicitur, quaſi *carneolus* a carne humana, vel a carne ſanguinolenta, ut habet Boetius *lib.* II. *de Gemmis*, *cap.* LXXX.

CCCCLXXXIII. Variæ hujus lapidis recenſentur virtutes. Epiphanius de hoc lapide: δυνάμεως δέ ἐςι θεραπευτικῆς, ᾧ κέχρηνται οἱ ἰατροὶ πρὸς οἰδήματα, καὶ ἄλλας πληγὰς ὑπὸ σιδήρου γιγνομένας. *Vim habet medendi tumores & alia vulnera ferro inflicta.* Sed multa majora miracula ei attribuuntur: timorem pellit, audaciam præſtat, a veneficiis maleficiiſque geſtantem adſerit, ſanguinem e naribus fluentem compeſcit, animo lætitiam, ingenio quoque acumen invitat; ſomnia etiam mala prohibet, litigantes victores facit. Vide Franciſcum Ruæum *de Gemmis lib.* II. *cap.* VI. Boetium *lib.* II. *cap.* LXXXII. & Laetium *lib.* I. *cap.* XVI.

CCCCLXXXIV. Lectorem hic monitum volo (idem de omnibus lapidibus judicandum cenſeo) mihi eſſe admodum ſuſpectum, quidquid auctores paſſim de miraculis gemmarum tradunt. Non quod earum omnem vim naturalem in dubium revocari velim, quaſi nullum uſum haberent, ne in medicina quidem; ſed vaniſſima & nugaciſſima figmenta puto, maximam partem, quæ auctores fabulari ſolent, de motibus animi, de cogitationibus, voluntate, aliiſque rebus quæ a libera hominum mente dependent:

ejuſmodi ſunt & illa quæ de ſomniis ſomniare ſolent: quaſi tanta illis ineſſet vis, ut mentem & cogitationes regerent, ſomniaque fatidica inducerent. Quando igitur vim & virtutem gemmarum, & nunc, & in reliquis quæ ſequuntur, recenſeo, id facio non quod credam revera talem iis ineſſe virtutem, ſed ab aliis eam gemmis attribui.

Cap. IX.

DE פטדה TOPAZIO.

Secundus lapis eſt, פטדה Pitdah. *ubi exſtet. Paraphraſtes Cantic.* v. xiv. עקיק Akik. *Targ. Ieruſ.* טרקין Arkin. *An legendum* טרקיא Tarkia, *pro* Turkois. פטדה Topazius. *varii interpretes.* Topazius *an ruber*? *Error Epiphanii. Veterum* Topazius *hodie* Chryſolithus. Topazius *veterum viridis. Varii auctores.* פטדה Pitdah *quoque viridis. Ideo a Chaldæis & Targ.* ירקן *&* ירקתא Jarkan *&* Jarketha *dicitur a colore viridi.* Bernhardi Angli inepta accuſatio. *Topazii locus natalis. An Inſula* Topazion? *Error veterum de iſta Inſula. Fons erroris.* Chitis. a כתם latere. Τοπάζιον *eſt ipſum vocabulum* פטדה Pitdah. ד *&* ז *permutantur.* פטדה Pitdah *pro* טפדה tophdah, *& inde* טפזה Tophza, Topaza, Topazion. *Syrus Apocal.* xxi. xx. ܛܘܦܕܝܘܢ Topadion. *Rabboth male* שומפזין Schomphozin, *pro* טומפזין Tompozin. *aut* Topazin, *Patria* Topazii *Arabia. Iob.* xxviii. xix. פטדה כוש Pitdath Cuſch. כוש Arabia. *Inſula Topazion Arabica. Varii auctores. Topazius in magnam molem interdum excreſcit. Eſt tamen lapis pretioſus. Varii Auctores. Tavernerius de Topazio Magni Mogolis. Topazii virtutes.*

CCCCLXXXV. Secundus lapis eſt פטדה *Pitdah*. Idem extat Job. cap. xxviii. xix. addito epitheto כוש *Cuſch*, ut dicatur פטדה כוש *Pitdath Cuſch*. Topazius illius mentionem etiam facit Ezech. cap. xxviii. xiii.

CCCCLXXXVI. Paraphraſtrs in Cantic. cap. v. xiv. habet עקיק *Akik*. Sed unde vox iſta derivetur & quid ſignificet, fateor me

or me ignorare; niſi forte legendum ſit ערקין *Arkin*, ut habet Targum Ieruſalemitanum de octavo lapide: aut potius טרקיא *Tarkia* ut Onkeloſius vocat nonum lapidem; atque ſic eſſet *Turquois* uti vulgo vocatur. At ſi hæc illius eſt mens, proculdubio deceptus eſt, cum lapis Turquois in pectorali non exſtiterit, quod poſtea clarius patebit.

CCCCLXXXVII. פטדה *Pitdah* igitur *Topaſius* vertitur fere ab omnibus interpretibus, Ioſepho, Septuaginta, Hieronymo, Vulgato, Germanis, Gallis, Anglis, Belgis, aliis, quibus & ego lubens accedo. Et ſane hunc lapidem fuiſſe *Topazum* aut *Topazium*, patet ex ejus colore. Verum quidem eſt Epiphanium, in *libello de* XII. *lapidibus*, Topaſium rubrum dixiſſe: λίθος inquit, τοπάζιον, ἐρυθρὸς τῷ εἴδει ὑπὲρ τὸν ἄνθρακα. *Topazius colore rubet magis quam carbunculus.* Sed toto cœlo aberrat magnus Epiphanius, cum omnes auctores clament eum eſſe ex genere viridium. Verum etiam eſt, *Topazii* nomen mutatum eſſe apud recentiores hodieque a lapidariis noſtris vocari *Chryſolithon*. At Chryſolithus veterum flavus eſt, aureo colore fulgens. Confundunt igitur hodie lapidarii *Topazium* & *Chryſolithum*, ut hunc *Topazium*, iſtum autem *Chryſolithum* vocent. Non igitur audiendi ſunt.

„ Hæc fortaſſis cauſa eſt, quod Danæus (notante Ludovico „ Du Dieu) Topazium *lucentem* quidem & *tranſparentem* dicat, „ verum non viridis ſed crocei coloris. Eſſe ſpeciem quandam „ Topazii dictam Chryſopraſium, cui croceus color tribui po- „ teſt, de quo Plinius libro 37. c. 8. eam paululum declinare a „ Topazio in aurum, quamvis ei omnis viror denegari non poſ- „ ſit, cum Plinius addat, hanc ipſam porri ſuccum referre.

CCCCLXXXVIII. *Topazium* autem veterum viridem fuiſſe, clamant omnes auctores. Plinius *Libr.* XXXVIII. VIII. *Egregia etiam nunc topazio gloria eſt, ſuo virenti genere.* Docet, præterea porri ſuccum non male exhibere colorem topazii; *ut ſit e viridi pallens*, ut habet de chryſopraſio, qui eſt ex genere topaziorum. Hinc & De Laetius *lib.* I. *cap.* IX. *de gemmis*, docet proprium topazii colorem habere *porri ſimilitudinem*. Hinc ab Iſidoro Smaragdis adnumeratur, *Orig. lib.* XVI. *cap.* VII. *Topazion ex virenti genere eſt omnique colore reſplendens.*

„ Hinc Rabbi Iona (notante eodem Du Dieu) dicit פטדה Ara- „ bica lingua dici זמירד *Smirad*, id eſt *Smaragdus*: quare & *Pit-*

„*dath Cuſch* apud Iobum cap. XXVIII. a nonnullis vertitur *Smaragdus.* Credibile eſt ob eandem cauſam ab Arabe verſum eſſe „اخضر *Achſar*, *viridis.* A Syro ܙܪܓܐ *Zeraga*, *ſubviride* & igneo colore ſplendens. Vide apud eundem Du Dieu.

Ideo & vitri colorem referre dicitur Topazius: unde & a Græcis ὑαλοειδέες, & ὑάλῳ παρεμφερὴς, id eſt *vitrei coloris*, & *vitro ſimilis* dicitur Orpheo, Diodoro Siculo, Agatharchidi, Pſello, & aliis, ut locis, quos poſtea allegabimus, patebit. Orpheus περὶ λίθων. ubi de Topazio.

Ἐσθλὸν δ' αὖτ' ἐπὶ τοῖσι καὶ ὑαλοειδέες εἶναι
Κλείονται θνητοῖσι θυηπολίῃσι τοπάζιοι.

En *Topazios* ὑαλοειδέες *vitro ſimiles.* Eſt autem ὕαλον *vitrum* viride. Servius ad Virgilium *Georg. lib.* VI.

---- ---- Mileſia vellera nymphæ.
Carpebant hyali ſaturo fucata colore.

Hyali, inquit, *pro hyalino*, *colore vitreo*, *viridi*, *Nymphis apto.* Sed ita videtur Topazius virere, ut aliquid ex auri colore trahat; ideoque olei recentis virorem habere dicatur. Alexander Polyhiſtor apud Stephanum: ὅμοιον τῇ χροᾷ τῇ τοῦ νέου ἐλαίου. *Similis eſt colore oleo recenti.* Oleum autem flavedinem aliquam auri habet, & virorem vitri. Eo reſpexit proculdubio Strabo *lib.* XVI. ubi *de Topazio*: λίθος δ' ἐστὶ διαφανὴς χρυσοειδὴς ἀπολάμπων φέγγος ὅσον μεθημέραν μὲν οὐ ῥᾴδιον ἰδεῖν ἐστί. *Eſt autem lapis pellucidus auro ſimilis*, *ſplendore tanto refulgens*, *ut interdiu videri non poſſit.* Pſellus περὶ λίθων δυνάμεως. Τοπάζιον λίθος ἐστι διαφανὴς, ὑέλῳ παρεμφερής. φύεται δὲ εἰς τὸν Ἀραβικὸν λεγόμενον κόλπον ἐν τινι πελαγίᾳ νήσῳ, καὶ ἡμέρας μὲν οὐχ ὁρᾶται, κρύπτει γὰρ αὐτοῦ τὸ φέγγος ἥλιος. νυκτὸς δὲ διαλάμπει πόῤῥωθεν, καὶ τραχὺς μὲν εὑρίσκεται καὶ ἀνώμαλος, τεχνικοῖς δὲ ὀργάνοις λεαίνεται. οὗτος μαινομένους ἀποκαθίστησι τριβεὶς καὶ ποθεὶς. δρᾷ δὲ τὰ αὐτὰ καὶ περίαπτος. *Topazius eſt lapis pellucidus*, *vitro ſimilis. Naſcitur autem in Arabico*, *ut dicunt*, *ſinu*; *in inſula quadam maxima*, *& quamdiu dies eſt videri non poteſt*, *Sol enim ejus ſplendorem occultat*, *at noctu procul relucet*: *& inæqualis*, *ſed inſtrumentis mechanicis lævigatur. Hic furibundos in priſtinum ſtatum reſtituit*, *ſi teratur & potetur*, *quæ omnia etiam exequitur ſi alligetur.* Hæc fortaſſis cauſa fuit, quod lapidarii recentiores eo facilius ad iſtum errorem delapſi fuerint, ut crederent *Topazium* eſſe *Chryſolithum.* Ut

ut

ut ſit, ex his omnibus clarum eſt veterum Topazium fuiſſe colore viridem.

CCCCLXXXIX. Summi autem Pontificis פטדה *Pitdah*, viridem fuiſſe lapidem, Iudæorum magiſtri docent. Hanc ob cauſam a Chaldæis & Targum Ieruſalemitano ירקן *Iarkan*, & ירקטא *Iarketha* dicitur; quaſi *lapis viridis:* eſt enim ירק *viride.* Abarbanel ad *Paraſcham Tezave* : הפטדה כנגד שמעון והיה אבן ירוקה *Pitdah Simeoni dicatus eſt, eratque lapis viridis.* Rabboth *Bemidbar Paraſcha* II. Simeonis vexillum viride docet. Supra jam monuimus eundem habere colorem vexilla, qui & in gemma cujuslibet tribus repertus eſt. שמעון, inquit, פטדה ומפה שלו צבוע ירק ומצוייר עליו שכם *Simeon ſculptus erat in Pitdah, & illius vexillum erat viride, habebatque pro ſigno depictum Sichemum.*

CCCCXC. Sed פטדה *Pitdah* ſignificare *Topazium*, ipſa vox & Etymologia ſatis manifeſto, mea qnidem ſententia, indicat. Non poſſum ignorare Plinium *lib.* XXXVII. *cap.* VIII. docere, *Topazium* nomen ſuum habere ab Inſula *Topazio*, in qua effoderetur; iſtamque inſulam ſic eſſe dictam Trogloditarum lingua, in qua Topazin ſignificationem habet quærendi. *Id accidit*, inquit, *in Arabiæ Inſula, quæ Chitis vocatur, in qua Trogloditarum prædones, cum diutius fame & egeſtate preſſi herbas radiceſque effoderent, eruerunt Topazion. Hæc Archilai ſententia eſt. Iuba Topazion inſulam in rubro mari a continenti ſtadiis* CCC. *abeſſe tradit, nebuloſam & ideo quæſitam ſæpe navigantibus, ex ea cauſa nomen accepiſſe. Topazin enim Trogloditarum lingua ſignificationem habere quærendi.* Eadem repetuntnr ab Iſidoro *lib.* XV. *cap.* VII. At Plinium, aut auctores quos allegat, errare, mihi eſt perſuaſiſſimum. Non enim hic lapis nomen ſuum ab iſta inſula habet, ſed inſula forte ita dicta eſt a lapide; aut ſi lapis ab inſula nomen habet, non ſequitur *Topazium* ita dici a verbo quod *quærendi* ſignificationem habet. Niſi quis dicat, iſtam Inſulam dictam eſſe Topazion a *quærendo*, ab Arabico; ſcilicet ab ipſa voce *Chitis*: hæc enim vox Arabice videtur ſignificare *latere, occultare.* Nam כתם Arabibus, imo & ipſis Hebræis, eſt *occultare.* Illa autem quæ occulta ſunt ſolent quæri. Et cum Inſula iſta nebuloſa & navigantibus quaſi occulta ſit, ut habet Plinius, non mirum, ſi *Chitis* & inde *Topazion* dicta eſſet.

CCCCXCI. Ipſa vox τοπάζιον *Topazius*, mea ſententia, nihil aliud

aliud eſt quam vocabulum Hebræum, & ipſiſſimum quidem פטדה *Pitdah*, levi mutatione & tranſpoſitione litterarum. Nihil familiarius eſt quam litteras ejuſdem organi permutari. Cum itaque ד & ז ſint ambæ literæ dentales, ex ד facile fieri poterat ז in voce *Topazius*. Quicunque vel prioribus digitulis attigit linguam Hebræam, Syram, Chaldæam, cæteraſque Orientales, noverit τ & σ apud Atticos & reliquos Græcos, Belgas & Germanos non minus permutari, quam ד in ז apud Orientales. Mutato itaque in voce פטדה *pitdah* ד in ז, nihil reſtat, niſi quod ט poni debeat ante פ, ſic habebimus טפדה quod legi poteſt *Topda* pro פטדה *pitdah*, aut *potdah*, & permutato ד in ז, טפזה *Topza*, aut *Topaza*. Silentio non eſt prætereundum quod Syrus Apocal. XXI. verſ. XX. Græcum τοπάζιον verterit ܛܘܦܕܝܘܢ *Topadion*; ubi omnino eædem literæ reperiuntur quæ in voce פטדה *pitdah*, niſi quod Syrus addiderit terminationem Græcam, quod Orientalibus non eſt inſolens, poſt Græcorum imperium. Hæc eſt cauſa proculdubio, uti jam animadvertimus, quod Rabboth Schemoth habuerit שומפזין *Sompoſin*, quod nihil aliud eſt quam Græcorum τοπάζιον quamvis corruptiſſimum, prout Rabboth omnibus fere lapidibus pretioſis ſolet dare nomina Græca, aut ex Græcis corrupta. Quis igitur non videt pro שומפזין legendum eſſe טופזין *Topazin*, *Sanperinum*, mutato ש in ט quod non eſt inſolens, & eliſo מ e medio, quod abſque neceſſitate irrepſit, ut נ in voce סנפרינון *Sanperinum*, pro ספיר *Saphir* & id genus alia.

CCCCXCII. Sed & patria hujus gemmæ indicat eam eſſe *Topazium*. Jobus cap. XXVIII. XIX. eam vocat פטדת כוש *Pitdath Cuſch*. At vero כוש *Cuſch* nihil aliud eſt quam Arabia, quod pluribus argumentis probavit doctiſſimus Bochartus in ſuo *Phaleg*. Igitur פטדת כוש proprie eſt *Topazius Arabicus*. Optimos autem topazios reperiri in Inſula *Topazion*, & iſtam Inſulam partem eſſe Arabiæ, certum eſt. Expreſſis verbis hoc docet Plinius, & ex eo Iſidorus, locis modo laudatis. *Id accidit*, inquit, *in Arabia Inſula, quæ Chitis vocatur* &c. Pſellus. quem ſupra audivimus, φύεται εἰς τὸν Ἀράβικον λεγόμενον κόλπον ἔν τινι πελαγίᾳ νήσῳ. De eadem Inſula mentionem etiam facit Diodorus Siculus, quamvis ſub alio nomine: docet enim *lib.* III. in ſinu Arabico, eſſe Inſulam *Ophiodem*, quaſi diceres *Serpentinam*, propter multitudinem

nem ſerpentum dictam, in qua reperitur lapis *Topazius.* παρακομισθέντι δὲ τοὺς τόπους κεῖται νῆσος πελαγία μὲν τῷ διαστήματι, τὸ δὲ μῆκος εἰς ὀγδοήκοντα σταδίους παρεκτείνουσα, καλουμένη δὲ Ὀφιώδης· ἣ τὸ μὲν παλαιὸν ὑπῆρχε πλήρης παντοδαπῶν καὶ φοβερῶν ἑρπετῶν, ἀφ' ὧν καὶ ταύτης ἔτυχε τῆς προσηγορίας. ἐν δὲ τοῖς μεταγενεστέροις χρόνοις ὑπὸ τῶν κατὰ τὴν Ἀλεξάνδρειαν βασιλέων οὕτως ἐξημερώθη φιλοτίμως, ὡς μηδὲ ἔτι κατ' αὐτὴν ὁρᾶσθαι τῶν προϋπαρξάντων ζώων. οὐ παραλειπτέον δ' ἡμῖν οὐδὲ τὴν αἰτίαν τῆς περὶ ἡμέρων φιλοτιμίας. εὑρίσκεται γὰρ ἐν τῇ νήσῳ ταύτῃ τὸ καλούμενον τοπάζιον, ὅπερ ἐστὶ λίθος διαφανόμενος, ἐπιτερπής, ὑάλῳ παρεμφερής, καὶ θαυμαστὴν ἔγχρυσον πρόσοψιν παρεχόμενος. *Ultra hæc loca inſula eſt, in longitudinem octoginta ſtadiorum extenſa, Ophiodes dicta. Olim plena fuit omnium generum horrendis ſerpentibus, a quibus & nomen ſumpſit. Poſtea autem a Regibus Alexandriæ plane ab ejuſmodi animalibus repurgata eſt, ut nullum amplius in ea conſpiceretur. Non autem prætermittenda cauſa, ob quam ita repurgata eſt: invenitur ſcilicet in iſta Inſula lapis quem vocant Topazium, qui eſt lapis pellucidus, vitro ſimilis, & mirificum auri aſpectum præbens.* Tandem poſtquam multa dixiſſet de cuſtodibus iſtius inſulæ, ne lapides a quolibet effoderentur; addit hunc lapidem in petra naſci, die, propter calorem & radios ſolis, non apparere, noctu autem in tenebris ſplendere, & procul oſtendi in quo ſit loco. Cuſtodes autem inſulæ, qui ſorte diſponuntur, loca oſtendere, & lapidi, qui ſeſe prodit, ſignum imponere; die autem exſcindere eos juxta locum ſignatum lapidem, tradereque opificibus qui artis ſunt periti, ut inde lapidem erruerent. Eadem plane docet Photius in ſua *Bibliotheca* ex Agatharchide Polyhiſtore. περὶ θερμῶν ὑδάτων αὐτοφυῶν, ubi agit de mari rubro, & Inſulis quæ Arabicæ cenſentur. ὃν παραπλεύσαντι νῆσος ἔγκειται, τῇ μὲν θέσει πελαγία, μῆκος ἔχουσα σταδίων ὡς ὀγδοήκοντα, ἣν καλοῦσιν Ὀφιώδη, πρότερον μὲν γέμουσαν παντοίων ἑρπετῶν, ἐφ' ἡμῶν δὲ ἐλευθέραν τούτων. ἐν δὲ ταύτῃ γίνεται τῇ νήσῳ, φησὶ, καὶ τὸ καλούμενον τοπάζιον. ἔστι δὲ τοῦτο, λίθος διαφανόμενος, ὑάλῳ προσεμφερὴς, ἡδεῖαν ἐν χρυσῷ θεωρίαν ἀποδιδούς. *Quem ubi prænavigaris, inſula exporrigitur, in pelago ſita, longitudine ſtadiorum octoginta, Ophiodes* (Serpentina) *dicta. Nam omnis generis ſerpentibus quondam referta erat, ſed ætate noſtra libera eſt. In hac lapillus naſcitur, Topazius dictus. Eſt autem lapis pellucidus, vitro ſimilis, & jucundum auri aſpectum præbet.* Narrat præterea fere omnia illa quæ jam annotavimus ex Diodoro Siculo, de cuſtodibus, &

modo hanc gemmam inveniendi & ex petra exſcindendi. Nec prætereundus eſt Strabo *libro* XVI. ubi eadem fere narrat de Inſula Ophiode & Topazio, qui ibi naſcitur: Μετὰ δὲ τὸν κόλπον, Ὀφιώδης καλουμένη νῆσος ἀπὸ τοῦ συμβεβηκότος ἣν ἐλευθέρωσε τῶν ἑρπεδῶν ὁ βασιλεὺς, ἅμα καὶ διὰ τὰς φθορὰς τῶν προσορμιζομένων, ἀνθρώπων ἐκ τῶν θηρίων, καὶ διὰ τὰ τοπάζια. Poſt ſinum (nempe Arabicum) eſt Ophiodes *Inſula ab eventu appellata, quam Rex a ſerpentibus liberavit, cum multi applicantes a ſerpentibus interficerentur propter topazia.* Apparet igitur Inſulam illam, in qua reperiuntur Topazii, in Arabia eſſe, Non mirum igitur ſi a Jobo dicatur פטרת כוש *Topazius Arabicus.* Eſt igitur פטרה *Pitdah* in Pectorali *Topazius.*

„ Veterem Topazium colore fuiſſe viridem, ita tamen ut ali„quid ex aureo habuerit mixtum, inſtar olei recentis, manifeſtò „conſtat, non ſolum ex verparum ſententia, ſed & ex optinis „vetuſtiſſimiſque Græcis & Latinis, auctoribus. Bernhardus „tamen Anglus, ad Ioſephum pag. 181. more ſolito, id eſt „ineptiendo, Braunium iterum colaphis excipit, de colore Topa„zii. Is ſcilicet *conciliabit Judæos ſcriptores Græcoſque, Braunio aliiſ„que invitis.* At cur Braunio invito? *Conſtat enim ex tribus pro„batiſſimis ſcriptoribus & pervetuſtis, hanc gemmam tam flavedinem „auri præ ſe, quam vitri virorem ferre,* & quæ ſequuntur. En quan„tus vir eſt Bernhardus? Sed quid hæc tanto molimine contra „Braunium? Braunius ſane, invito Bernhardo, auctores optimos „vetuſtiſſimoſque Iudæos, Græcos & Latinos concilaverat: cum „eadem docuiſſet antequam ſciret Bernardum eſſe in rerum natu„ra, totque nugas in viros honeſtos effutire poſſe. Clariſſima „ſunt verba mea, hoc ipſo capite paragr. CCCCLXXXIIX. „prioris editionis paragr. IV. *Sed ita videtur Topazius virere, „ut aliquid ex auri colore trahat, ideoque olei recentis virorem habere „dicitur.* Quod & probo ex Polyhiſtore, Strabone, Diodoro „Siculo, ex Photio & aliis, in eodem paragrapho & ſequentibus. „Quantus itaque vir eſt Bernhardus! Exiſtimavit proculdubio, „neminem mea verba legiſſe, aut intellexiſſe, præter ſe omniſa„pientem. Forte non ſine cauſa adfirmarem, Bernhardum, quæ „de hujus gemmæ novit colore, & quæ tanta ſapientia tantoque „apparatu, me, ſi Diis placet, *invito*, in me effutiit, a me didi„ciſſe. Hiſce ineptiis famam ſibi nullam acquiret Bernhardus, „& hoc a me diſcat. Sed regnat in eo perpetuus contradicendi „ſpiritus & αὐτοφιλία.

Hic

CCCCXCIII. Hic lapis interdum in magnam excreſcit molem; adeo ut etiam ſtatuæ ex eo factæ fuerint IV. cubitorum, qualis erat illa ſtatua Arſinoæ Ptolomæi Philadelphi uxoris; de qua vide Plinium, loco ſupra allegato. Sed valde dubito, utrum vera fuerit gemma illa ſtatua, an non genus aliquod marmoris rari & exquiſiti, Topazii colorem referens. Boetius tamen docet, Topazium non magnam habere auctoritatem & cælaturæ non excedere pretium. *lib.* II. *De Gemmis, cap.* LXIV. *Cauſa*, inquit, *eſt quantitas & magnitudo, quæ illum vilem efficit.* Idem docet Abarbanel: & eam infra Sardium ponit. אינה חשובה כאדם *Non eſt pretioſa ut Sardius.* Nihilominus Topazios etiam pretioſos fuiſſe lapides tempore Moſis, manifeſtum eſt, cum in toto Pectorali nihil fuerit niſi *ex optimo.* Sed & a Jobo, capite ſupra laudato, inter pretioſas gemmas ponitur *Topazius Arabicus.* Oportet ſane hunc lapidem magni æſtimatum fuiſſe, cum tanta cura inſula *Chitis*, ſive *Ophiodes* a cuſtodibus cuſtodita fuerit, ne lapides furto auferrentur: adeo etiam ut nulla navis in Inſula relinqueretur, & ſub pœna mortis prohibitum ſit, ne ullus eam intraret, ut docent Diodorus Siculus, Aagatharchides, & Strabo. Regina etiam, cui Thebani Topazium attulerunt, ut ait Epiphanius (modo is verus fuerit Topazius) eum *διαδήματι μέσον τοῦ μετώπου περιέθετο, diademati impoſuit in medio frontis.* Nobiliſſimus Tavernerius Itin. Jnd. *lib.* II. *cap.* XX. narrat Magnum Mogolem habere *Topazium* CLVIII. ceratiorum, Goæ emptum ducentis ſeptuaginta & duobus fere millibus flonerorum. Videtur tamen per *Topazium* intelligere gemmam quam veteres *Chryſolithum* vocabant, more recentiorum lapidariorum.

CCCCXCIV. Mirificas etiam virtutes Topazio attribuunt paſſim naturæ indagatores. Sanguinis, ut ajunt, eruptiones ſiſtit, vulnerique admotus extemplo fluentem ſanguinem compeſcit, bilem iramque & phrenititem mitigat, ſi pro amuleto geſtetur. Nocturnos etiam timores, & puerorum terriculamenta, ac lunaticos, paroxyſmos arcere creditur, ut habet Boetius *lib.* II. *cap.* LXIII. Epiphanius tradit eum attrita medica cote reddere ſuccum, non pro ſuo colore rubrum, (rubrum enim topazium putabat, uti ſupra annotavimus) ſed lacteum. Implet autem ſucco illius attritæ quot crateres voluerit is qui affricat, idque ſine prioris ponderis iminutione. Statim addit: χρησιμεύει γὰρ καὶ ὁ ἐξ αὐτοῦ οὗτος χυλὸς

πρὸς πάθος ὀφθαλμῶν καὶ πινόμενος ἢ ἀντιπαθεῖ πρὸς ὕδρωπας καὶ τοῖς ἀπὸ σαφυλῆς θαλασσίας μαραινομένοις. *Utilis eſt ſuccus ejus ad oculorum morbos, & epotus adverſatur hydropi, & medetur tabescentibus ab ùva marina ſumpta.* Sed Epiphanium de vero S. Pontificis פטרה *Pitdah* loqui, vix credibile eſt, cum ei rubrum colorem attribuat pro viridi. Pſellus, quem ſupra audivimus, *Hic furibundos in priſtinum ſtatum reſtuit, ſi teratur & potetur, quæ omnia etiam exequitur ſi alligetur.*

CAP. X.

DE ברקת SMARAGDO.

Tertius lapis eſt ברקת Bareketh. *Variæ expoſitiones* Ceraunium, Carbunculus. דייקינתין Diakinthin. *Legendum* הייקינתין Hiakinthin, *hyacinthus.* ברקתא Beraktha, & ברקן Barkan. *Targ. Ieruſalemitanum, Ionathanus, Onkeloſius. Cantic. cap.* V. XIV. ברקן ושפרן Barkan veaphran. *Per* ברקתא *Chaldæi non videntur intelligere* Smaragdum. *Nihilominus* Smaragdum *ſignificat. Varii auctores. Smaragdus a fulgore. Oculi Leonis ex Smaragdis terribiles thynnis.* ברק ſplendere. برق *σμάραγδος idem ac μάραγδος. Et hoc ex* ברקת Bareketh ב & מ *permutantur.* בתנן & מתנן زبرجد Zabargiad, *pro* Smargiad. *Boetius & De Laetius Arabum Codices male corrigunt. Baculus a* מקל Macal. *κάμηλος.* חבל, *globus a* גלם golem, præmium *pro βραβεῖον* &c. *Littera* ג/ ח/ כ/ ק *K. H. G. permutantur. A* ברקת Bareketh *fit* Bareged, *& hinc cum terminatione Græca* Baragdos, *tandem μάραγδος &* Smaragdos. *Pro* ברק Barak *Perſæ dicunt* Bereg; מי ברג Me Bereg. סוסיא בארג Μάραγδος *an* ἀμαρμαίρω? *verbum* μαρμαίρω *a* μαρμαρίζω. *Hinc* μαρμαρυγή. *Forte ab aliquo verbo abſoleto* μαρίγω; *quod eſſe poſſet a* ברק Barak. *Colores Smaragdorum. Vexilli Levi colores Sententia Rabboth de* Bareketh. *Smaragdi* hyacinthizontes apud Plinium. דייקינתין. *Plinius de variis Smaragdis.* برقا بوقان & برقشن Βαρχθὰν *ab Arabico* ברקת Borcathon. *Bocharius laudatur.* ברקת *eſt lapis viridis. Varii auctores. Smaragdi Orientalis*

rientales & Occidentales, Schythica optima Smaragdus. Eſt pretioſiſſima gemma. Ejus moles. Υδάδη σμάραγδος. *Varii Smaragdorum virtutes.*

CCCCXCV. TErtius lapis eſt ברקת *Bareketh.* De hoc etiam fit mentio Ezech. xxviii. x. Syrus retinet vocem hebræam ܒܘܪܩܐ *Borco* Arabs اصفر ac ſi diceres *lapidem flavum.* Interpres Latinus vocem Syram vertit *carbunculum.* Arabica autem vertitur *Topazius.* Symmachus *Ceraunium* exponit, ut docet Hieronymus ad Fabiolam. Abarbanel habet קרבונקלו *Carbunculo.* Ab hoc decepti videntur Belgæ qui etiam habent *Carbunculum.* Sed cum hoc nulla anctoritate probetur, non poſſum iis aſſentiri. *Clariſſimus Lud. Du Dieu Belgas tradit hanc gemmam vertiſſe* Smaragde. *Quam autem habuerit rationem ſcire deſidero, certum enim eſt, eos tertium lapidem primi ordinis vertiſſe* carbonckel, *ſed* נפך *primum ſcil. ſecundi ordinis* Smaragd.

CCCCXCVI. Rabboth Schemoth habet דייקינתין *Diakinthin.* Hanc vocem Græcam eſſe nullus dubito. At corrupta eſt, ut fere omnes reliquæ quibus utitur Rabboth ad exprimendos lapides pretioſos. Scribendum itaque cenſeo הייקינתין *Hyakinthin*, mutato tantum ד in ה leviſſima mutatione. Nihil aliud igitur ſignificat, quam *Hyacinthum.* At fallitur Rabboth ſi per *Bareket* intelligit hyacinthum: nam alium omnino ſignificare, mihi perſuaſiſſimum eſt. Sed & ipſa Rabboth alium lapidem quam hyacinthum intelligere videtur, cum ei plures colores attribuat, album, nigrum & rubrum, qui in hyacintho non reperiuntur. Sed de his mox plura.

CCCCXCVII. Targum Jeruſalemitanum & Jonathan eandem vocem retinent, habent enim ברקתא *Berakiha.* Onkeloſius ברקן *Barkan*, quod idem ſignificat. Paraphraſtes Cantic. cap. v. verſ. xiv. quoque ברקן ſed addito ועפרן hoc modo: ברקן ועפרן *Barkan veafran.* Quid autem per ברקתא / ברקן & ברקן ועפרן intelligant, æque incertum eſt. Sunt qui putent Chaldæos per hæc vocabula intellexiſſe *Smaragdum.* Sed de hoc etiam dubitari poteſt. Saltem Onkeloſium & Jonathanem per ſuum ברקן non intellexiſſe *Smaragdum*, certum eſt; nam quartum lapidem, nempe נפך *Nophech* vocant אזמרגדין *Iſmaragdin*, & איזמורד *Iſmured*, quorum utrumque ſignificat *Smaragdum*, quod ſuo loco patebit. Quid

igitur Chaldæi per *Bareketh* intellexerint, nemo facile divinabit. Hoc ſaltem conſtat eos credidiſſe: non eſſe *Smaragdum.*

CCCCXCVIII. Nihilominus tamen maxima pars interpretum ut Septuaginta, Joſephus, Hieronymus, vulgatus, Lutherus, Galli & alii *Smaragdum* verterunt. In hanc ſententiam pedibus eo. Enimvero ברקת *Bareketh* ſignificare *Smaragdum*, primo patet ex illius proprietate. Nulla nota eſt gemma cui tantus ſplendor attribuatur, quam Smaragdo. Secundum Athenæum *Smaragdus* nomen ſuum habet a *fulgore. lib.* III. Plinio teſte *lib.* XXXVII. *cap.* V. Smaragdi ſplendor non *mutatur ſole, non umbra, nod lucernis, ſed ſemper eſt radians.* Ideo ei *fulgorem* ibidem attribuit. Hinc Orpheus περὶ λίθων in Achate habet αἰγλήεντα μάραγδον *ſplendentem Maragdum.* Ab Epiphanio vocatur διειδὴς καὶ σίλϐων *pellucidus & ſplendens.* Martialis ut fulgorem Smaragdorum bene exprimeret, eis attribuit ignem,

Gemmatum Scythicis ut lucet in ignibus aurum.

Et Ovid. *Metam.* II.

In ſolis Phœbus claris lucente Smaragdis.

Sed ad Smaragdorum fulgorem probandum, imprimis notari debet hiſtoria quam narrat Plinius loco modo a nobis allegato: nempe in inſula Cypri; *tumulo Reguli Hermiæ juxta cetarias, marmoreo leoni inditos fuiſſe oculos ex Smaragdis, ita radiantibus etiam in gurgitem, ut territi inſtrumenta refugiebant thynni.* Quis non videt hæc optime convenire τῷ ברקת *Bareketh*: nemo enim, qui in Hebraicis non eſt plane peregrinus, ignorare poteſt ברק *Barak* ſignificare *ſplendere, coruſcare,* ut Ezech. cap. XXI. X. Sic & Arabice برق *ſplenduit, ſulgaravit,* & *fulminavit.* Eſt igitur ברקת *Bareketh* gemma maxime fulgens. Cum autem nulla magis fulgeat quam *Smaragdus*, optimo jure a pleriſque interpretibus *Smaragdus* vertitur *Bareketh.*

CCCCXCIX. Deinde ipſum Græcorum σμάραγδος *Smaragdus* latet in Hebræorum vocabulo ברקת *Bareket*, ut Græcorum σμάραγδος ex Hebræorum *Bareket* factum ſit. Ut autem hoc probaremus; notandum eſt primum, Græcos non raro dicere & ſcribere μάραγδος abſque σ pro σμάραγδος. Et revera σ initio additur abſque neceſſitate, quod etiam fit in aliis vocabulis, more Græcorum, ut σμικρὸς pro μικρὸς, & ſexentis aliis, Hinc Athenæus *libro* III. Orpheus *in Achate* & alii habent μάραγδον abſque σ. Videndum igitur tantum erit, utrum μάραγδος poſſit deduci ex *Bareketh.* Hoc facil-

cillime fiet, modo cogitemus apud Hebræos permutari litteras ejuſdem organi; cum autem ב & מ ſint labiales, ſæpiſſime permutantur, ut בתנן *bathnan* pro מתנן *Mathnan.* Hoc autem maxime locum habet in lingua Arabica. Dicunt enim מגדאד *Magdad* pro בגדאד *Bagdat.* מכה *Macah* pro בכה *Bacah*, & infinitis locis aliis. Sed ipſum *Smaragdum* Arabes ſcribunt cum ב potius quam cum מ. ut زبرجد *Zebargiad* pro زمرجد *Smargiad.* Sic enim Serapion & Pandectarius *Zabarget*, aut potius *Zabargiat* pro ſmaragdo: ut male codices eorum carpantur a Boetio & de Laetio, qui legi volunt *Zamarut.* Græcos etiam Hebræorm ב convertere in מ patet vel ex voce חבל *chabal* funis, ubi Græci habent κάμηλος pro κάβηλος, hinc & Belgice **een Kabel.** Sic & Hebræorum מ Latini convertunt in B. ut *Baculus* pro *maculus* a מקל *macal.* גלם *golem*, *gloma*, & inde *globus.* Ex Hebræorum מטה *Mittah*, Germani habent *Beth*, *lectus.* Ejuſmodi plura occurrunt. Non dicam idem fieri in linguis Græca & Latina, ut *præmium* pro βραβεῖον, *cicuma* pro κικαβὴ & ſexcenta alia. Non mirum igitur ſi dicamus μάραγδος dici quaſi βάραγδος. Quam facile porro fieri poſſit βάραγδος ex *Bareket*, ſciunt omnes, qui non ignorant in omnibus fere linguis permutari literas ג / ה / ח / כ / ק K. H. G. & id genus alia. Igitur in voce ברקת littera ק mutata eſt in ג *gimel*, quod non magis de longo petitum eſt, quam ſi quis crederet κάμηλον dici Græce pro גמל *Gamel*, & כבול pro גבול *Dogma* a δοκέω, *frigus*, a φρίκη, & alia innumera. Sic a *Bareket*, aut potius a Chaldæo *Berakta* fiet *Bareget*, aut *Beragda*, & inde *Maragdos.* Sed exempla aliunde non ſunt petenda, quam ab ipſo verbo ברק *Barak.* nam pro eo Perſæ dicunt ברג *Bereg.* Hinc in Codice *Avoda Zara cap.* II. מי בארג *Me Bereg*, quaſi מי ברק *Me Berek*, *aqua limpida.* Et Sanhedrin *cap.* XI. סוסיא בארג ſunt סוסיא ברקא *equi ſplendidi.* Ergo ex Hebræo, aut potius Chaldæo *Berakta*, factum eſt *Meragda*, & Græca terminatione *Meragdos*, inde tandem *& Smaragdus.*

D. Novi equidem Græculos velle vocabulum μάραγδον derivari a verbo μαρμαίρω, teſte Athenæo *lib.* III. ad hunc verſum Menandri:

> Μαράγδων εἶναι ταῦτ᾽ ἔστι, καὶ σάρδια.

Παρὰ γὰρ, inquit, τὸ μαρμαίρειν ὠνόμασται τῷ διαυγὴς ὑπάρχειν. *Sic vocatur a verbo μαρμαίρειν propter fulgorem.* Et revera μαρμαίρω expli-

plicatur *vibrante ſplendore coruſco:* & hoc quidem optime quod a fulgore ſic dicatur, cum Hebræo ברק *ſpenduit* optime convenit. Sed quibus legibus σμάραγδ☉ fiat a μαρμαίρω, non video, niſi dicamus & ipſum μαρμαίρω derivari a radice ברק *Barak*, Sane ſi Smaragdus deduci debet ab aliquo verbo Græco, id potius fiet a μαρμαρύσσω aut etiam μαρμαρίζω, quam a μαρμαίρω. Hinc μαρμαρυγή, & μαρμαρυγώδης apud Homerum *Odyſſ.* θ *fulgidos radios vibrans.* Sed quis non videt hoc verbum derivari ab aliquo obſoleto, & fortaſſis a μαρίγω, & per dupplicationem primæ Syllabæ, μαρμαρίγω, *ſplendeo?* Si autem tale verbum unquam in uſu fuit apud vetuſtiores Græcos, proculdubio factum eſt ab Hebræo ברק *Barak*, unde *Marac*, *Margo*, *Marigo*, inde μαρμαρίγω, μαρμαρίζω, μαρμαρύσσω, & μαρμαίρω. Hinc & μάρμαρ☉, *Marmor*, propter ſplendorem. Quidquid alii dicant, nullus dubito, quin μάραγδ☉ & *Smaragdus* derivatum ſit ab Hebræo *Bareket* aut *Beraktha*, atque ſie ברקת ſignificare Smaragdum.

DI. Colores Smaragdorum quidem varii ſunt, ſecundum varia genera, ut oſtendit Plinius *lib.* XXXVII. *cap.* V. Omnes tamen virides perhibentur. Rabboth *Bemidbar Paraſcha* II. huic lapidi tres dat colores, *album nigrum*, & *rubrum*, quales dicit fuiſſe in vexillo Levi: לוי ברקת ומפה שלו צבוע שליש לבן ושלישי שחור וג׳ אדום ומצוייר עליו אורים ותומים: *Nomen Levi inſcriptum eſt lapidi Bareketh, & vexillum ejus erat tertia parte album, tertia parte nigrum, & tertia parte rubrum. Et eo depictum erat Vrim & Thummim.* Sed Rabboth per hunc lapidem *Smaragdum* intellexiſſe non puto, cum eum alibi (ut ſupra audivimus) vocet *Hyacinthum*, & in hoc loco ſextum lapidem יהלם, dixerit אזמרגדין *Smaragdum.* Unde patet Raboth hos lapides peſſime confudiſſe, & eorum nec nomen nec naturam, nec colorem noviſſe. Novi quidem Plinium mentionem facere cujuſdam Smaragdi *hyacinthizontis*, ut non adeo abſurdum eſſet, ſi quis diceret, eum reſpexiſſe ad ejuſmodi lapidem eumque vocaſſe דייקינתין aut potius, ut emendavimus, הייקינתין *Hyacinthum.* Utrum autem tres colores, albus, niger & ruber, in eo fuerint, non credo facile poſſe probari. Deinde Plinius etiam tradit, dari quoſdam Smaragdos Medicos, qui ſunt *fluctuoſi, & rerum imagines complexi, ut papaverum. aut avium pinnarumque vel catulorum* & alios, qui & Carchedonii dicuntur, habere *colores incertos*, & eſſe *virentium in cauda pavonum*

num columbarumque collo plumis ſimiles. Non poſſum etiam ſilenlentio præterire, apud Arabas ab eodem verbo بَرَّ quod idem eſt ac Hebræorum ברק, unde *Smaragdus* derivatur, varia vocabula venire, quæ ſignificant colorem varium. Hinc بُرْوَا oculus, propter varios colores *album & nigrum*, ut habet Gigæus; & بَرْقَان *locuſta verſicolor, varia* & بَرْقَش *variis coloribus pinxit*, & id genus alia bene multa. Hinc non male doctiſſimus Bochartus, *Phaleg. lib.* II. *cap.* XIX. lapidem quem Arabes pro Baccho colebant dictum vult Βαρχαθὰν ab Arabico ברקתא *Borcathon*, id eſt *lapis diſcolor.* Ejuſdem generis lapidem videtur intellexiſſe Rabboth per hoc *Bareketh*, qui eſſet *albus, niger & ruber.*

DII. Sed quicquid ſtatuat Rabboth, cum amplius dubitari non poſſit, quin *Bareketh* ſignificet *Smaragdum*, certiſſimum eſt hanc gemmam *Bareketh* fuiſſe viridem colore: hic enim verus & nativus Smaragdi color eſt. Plinius *lib.* XXXVII. *cap.* V. *Tertia auctoritas Smaragdi perhibetur pluribus cauſis nullius coloris aſpectus jucundior eſt. Nam herbas quoque virentes frondeſque avide ſpectamus. Smaragdos vero tanto libentius quoniam nihil omnino viridius comparatum illis viret; præterea ſoli gemmarum contuitu oculos implent nec ſatiant. Quin & ab intentione alia obſcurata, aſpectu Smaragdi recreatur acies Scalpentibuſque gemmas non alia gratior oculorum refectio eſt: ita viridi lenitate laſſitudinem mulcent.* Iſidorus *Orig. lib.* XVII. *cap* VII. *Omnium gemmarum virentium Smaragdus principatum habet, cui veteres tertium poſt margaritas & uniones tribuunt dignitatem. Smaragdus a nimia viriditate dicitur. Omne enim ſatis viride Smaragdus dicitur. Nullis enim gemmis vel herbis major hoc auſteritas eſt, nam herbas virentes frondeſque exuperat: inficiens circa ſe viriditate repercuſſum aerem.* Ergo non mirum ſi & Martialis aurum *virens* dixit, propter Smaragdos. Pſellus περὶ λίθων δυνάμεως praſineum colorem attribuit Smaragdis, accedentem ad auri colorem, ita ut ſemper aliquid glauci habeat ἡ σμάραγδος πρασοειδής ἐστι καὶ ἠρέμα χρυσίζουσα καὶ τοι καὶ τοῦ γλαυκοῦ, παρεμφαίνουσα χρώματος. Ad praſinum Smaragdus etiam refertur ab Epiphanio, *libro* XII. *de lapidibus.* de tertio lapide, quem Smaragdum dicit: λίθος σμάραγδος οὗτος καλεῖται καὶ Περσίζινος, ἐστι δὲ καὶ χλωρὸς τῷ εἴδει, καὶ διαφορά τις ἐν αὐταῖς τινὲς μὲν αὐτοὺς Νερωνιανοὺς καλοῦσιν ἄλλοι δὲ Δομετιανούς. καὶ ὁ μὲν Νερωνιανὸς,

πικρός ἐϛι τῷ εἴδει, σφόδρα χλωρίζων, διειδὴς καὶ ϛίλβων. *Lapis Smaragdus vocatur etiam Praſinus; eſt autem viridi colore, ſed inter ſe aliquo modo differunt. Quidam autem vocant eos Neronianos, alii Domitianos. Et Neronianus quidem parvus eſt, valde virens, pellucidus & ſplendens.* Notandum eſt, Apocal. IV. III. *Iridem* dici *ſimilem Smaragdo*; ſcilicet quia nullus color in Iride magis eſt conſpicuus quam viridis.

DIII. Varia etiam recenſentur genera Smaragdorum: *Ægyptii, Bactriani, Cyprii, Æthiopici, Perſici, Medici, Carchedonii.* Pſellus: γεννᾷ δὲ, ταύτην καὶ Αἰθιοπία, καὶ Αἴγυπτος καὶ Πέρσις, καὶ τινα ὄρη τῆς Ἀττικῆς. *Progenerat autem eam* (Smaragdum) *Æthiopia, & Ægyptus, & Perſia, & quidam Attica montes.* Sed omnium optimi ſunt *Schytici.* Videatur Plinius loco modo laudato. *Nobiliſſimi*, ait eodem loci, *Scytici, ab ea gente, in qua reperiuntur appellati. Nullius major auſteritas, nec minus vitii. Et quantum Smaragdi gemmis diſtant, tantum Scythici a cæteris Smaragdis.* De Scythicis Martialem jam ſæpius audivimus. Deinde probatiſſimos ait Plinius eſſe eos, *qui viriditatem puri maris imitantur.* Proximos, qui vocantur *Chryſoberilli*, & ſunt paulo pallidiores. Hodie diſtinguere ſolent lapidarii inter Orientales & Occidentales. Orientales ſunt optimi. Bonitatem Smaragdorum lapidarii probant, ſi in ore detentus frigidus appareat, & in ſole viriditatem ſervet.

DIV. Smaragdus pretioſiſſimus eſt lapis, ut ei Plinius tertium locum dederit, poſt Adamantem & margaritam. Refert etiam Delaetius *lib.* I. *cap.* VIII. anno CIↃ IↃ XL. *Smaragdos in ſummo apud magnates & opulentiores cives pretio fuiſſe, ita ut cum adamantibus de gloria certarent.* Raro magnitudinem ſigilli æquant, teſte Theophraſto περὶ λίθων. Ἔϛι δὲ, inquit, σπανία, καὶ τὸ μέγεθος οὐ μεγάλη. *Eſt autem rara & mole haud magna*; quamvis ipſe etiam fateatur, & poſt eum Plinius tradi *in commentariis* de Regibus Ægyptiis, miſſum aliquando dono a Babyloniorum Rege, longitudine quatuor cubitorum, latitudine trium; poſitos etiam in Jovis obeliſco Smaragdos quatuor, longitudine quadraginta cubitorum, latitudine partim quatuor partim duorum. Sed fortaſſis erat ψεύδης σμάραγδος, qualis erat illa pila εὐμεγέθης ἐν τῷ Ἡρακλέους ἱερῷ *Satis magna in Herculis Templo*, ut addit ipſe Theophraſtus. Apud Delaetium fit mentio Smaragdi XXV. cera-

tiorum

tiorum, anno CIↃ IↃ LXXI. æſtimati XX. Mill. coronatis, cum ante triplo majori pretio venundari potuiſſet. Addit præterea Peruvianos Smaragdos nonnunquam ovum columbinum ſuperare.

DV. Non vulgares vires huic lapidi adſcribuntur. Pſellus: αὕτη καταπλαττομένη μεθ' ὕδατος ἐλεφαντικοῖς, βοηθεῖ. Πινομένη δὲ μεθ' ὕδατος αἵματος ἐπέχει ῥοάς. *Si cum aqua ex eo fiat cataplaſma leproſos juvat; Et ſi cum aqua bibatur, retinet fluxum ſanguinis.* Epiphanius λέγεται δὲ καὶ παρὰ τοῖς μυθοποιοῖς προγνωστικὸς εἶναι. *dicuntur etiam a fabulatoribus vim habere prædicandi res futuras.* Adhibentur etiam ad alvi fluxum, & dyſenterium ſiſtendum; contra venena bibuntur. Inter amuleta præcipue commendantur Smaragdi; nam ſi e puerorum collis pendeant, eos ab epilepticis paroxyſmis tutari creduntur, & comitialem morbum impedire, ita quidem ut ſi morbi violentia a lapide ſuperari nequeat, iis in partes diffringatur; coxæ mulieris alligati dicuntur partum accelerare; e collo pendentes inanes timores ac dæmones arcere; memoriam firmare, viſum reficere, adulterium prodere, futurorum cognitionem dare, eloquentiam efficere & opes augere. Plura vide apud Plinium, Theophraſtum, Pſellum, Epiphanium, Boetium, Delatium & alios.

CAP. XI.

נפך Nophech *eſt quartus lapis. Ubi exſtet? Male dicitur* אזמרגדין Iſmaragdin. איזמורד Iſmured. כחלי cachale כוחלא Chryſolithus. Ἄνθραξ. Carbunculus *eſt Rubinus.* Targ. Jeruſ. ברכרנא cadacrna *corrupte pro* carchedonio ד & ר *permutari.* ברדכוכין cardecuchin, *&* כרכונין Carcunin. *Legi debere* ברכדונין Carchedonin, carchedonius. ברדינין *corrupte pro* כרכדונין. χαλκηδὼν *&* καρχηδόνιος. Carchedonium *eſſe* Carbunculum, *dici a* Carthagine. Καρχηδῶνα, Carthago, קרתא חדת Kartha chadah, Carthada, Nova Civitas. Νεάπολις Novomagum, Neuwſtatt/ *unum idemque eſſe.* Carbunculum *non naſci circa Carthaginem. Ab illius mercatoribus coemitur & ad alios populos deportatur. Pernæ Weſt-phalicæ Moguntiacæ dictæ, & Caſtaneæ nuceſque Palatinæ Colonienſes dicuntur. Error Epiphanii. Theopraſtus aliique auctores citantur.* נפך *a* פוך *id eſt* ſtibium.

bium. II. *Reg.* IX. XXX. & *Ieremiæ* IV. XXX. Stibium viride. *Datur etiam rubrum.* צרודא / צרידא & צריזא / צרוזא: Ceruſſa. *Cognatio inter* Ceruſſam & ſtibium *apud Plinium. Antimonium eſſe* ſtibium. נפך *eſſe lapidem rubrum.* Carbunculi. *albi, Maſculi, fœminæ. Varii* carbunculi. *Optimi rubri.* carbunculus *a* carbone *aut ſimilitudine ignis ſic dictus. Theophraſtus a Delatio explicatur. carbunculus habet colorem cœli ſereni. Rabboth allegatur. Cœlum non ſemper eſſe cæruleum, ſed & igneum. Locus Math.* XVI. II. *allegatur. Syrus habet* ܣܘܡܩܐ *id eſt* ruber. נפך, ἄνθραξ, Carbunculus, & Rubinus *eadem gemma. Optime dicitur ab Abarbanele & Luthero* Rubinus. *Fabula de carbunculi ignibus. Varii auctores. Gemma a Ciconia demiſſa in gremium Heracleæ. Moles carbunculi.* Rubinus *Imperatoris Rudolphi* II. *Tavernerius de* Rubino *Magni Mogolis. Virtutes carbunculorum.*

DVI. Quartus lapis eſt נפך *Nophech.* Hujus lapidis etiam meminit Ezech. cap. XXVI. XVI. & I Chron. XXIX. II. Eſaiæ LIV. XI. Onkeloſius habet אזמרגדין *Iſmaragdin* & Jonathanus איזמורד *Iſmured,* quorum utrumque ſignificat *Smaragdum.* Horum auctoritate decepti videntur Belgæ, qui etiam habent *Smaragd.* Arab كحلي *cachle.* Paraphraſtes Cant. cap. V. XIV. habet כחלי *cachale.* Sed *cachale* Talmudicis eſt שיש ומרמרא Vide Maſſechet *Succah cap.* V. ubi gloſſa notat שיש ſignificare *marmor album,* & כוחלא *viride* quod *Smaragdum* rerepreſentat. At hos interpretes erraſſe manifeſto conſtat, ex iis quæ diximus ad lapidem *Bareketh.* Junius & Tremellius habent *Chryſolithum;* Sed qua auctoritate, non video. Patebit infra ad תרשיש lapidem נפך non fuiſſe *Chryſolithum.*

DVII. נפך *Nophech Carbunculum* fuiſſe, vix dubito. Sane ita vertitur a doctiſſimis & vetuſtiſſimis interpretibus. Galli & Diodati habent *Eſcarboncle.* Septuaginta, Joſephus & Epiphanius ἄνθραξ. Eſt enim ἄνθραξ *Carbo,* quod ſciunt ii qui non plane ſunt peregrini in Græcis, ſive *Carbunculus* ut etiam poſuit vulgatus & Hieronymus. Lutherus *Rubinum* habet, ſed *Rubinus* nihil aliud eſt quam *Carbunculus,* quod poſtea clarius conſtabit. Targum Jeruſalemitanum quidem habet כדכרנא *Cadcarna:* Sed hanc vocem Græcam eſſe, & quidem corruptiſſimam, nullus dubito. Nihil aliud eſt quam

Carchedonius; quod levi mutatione fieri poteſt, tranſponendo tantum ד in locum ר, hoc modo כרכדנא *Carchadana*, at quis non videt hoc eſſe *carchedonium*: quam facile enim ד & ר permutari poſſint apud Hebræos, non minus quam apud Syros, cuilibet litteras tantum inſpicienti, facile patebit, etiamſi alias nec arare nec literas noverit. Idem proculdubio intelligit Jonathanus, quum ſextum lapidem verterit כרדכוכין *Cardechuchin*, aut, ut habent alii כרכוכין *Carcuchin*. Quis non videt legendum eſſe כרכדונין *Carchedonin*, id eſt *Carchedonius*. Idem plane intellexiſſe puto Rabboth Schemoth per ſuum ברדיגין *Bardigin*: quemadmodum vertit hunc נפך *Nophech*. Proculdubio vitio librariorum factum eſt, ut ſcriptum ſit corrupte pro כרכדונין *Carchedonin*. Verpuli Græcæ linguæ ignari ejuſmodi vitia facile committere poterunt, præſertim ſi alius ex alio has voces ſibi non intellectas pejus tranſcribat. Igitur ſecundum Targum Jeruſalemitanum & Rabboth Schemoth נפך erit *Carchedonius*. Proculdubio eundem lapidem intellexit Johannes Theologus Apocal. cap. XXI. per χαλκηδῶνα, quod nihil aliud eſt quam Καρχηδόνιος, mutato ר R in ל L, quod non eſt inſolens.

DVIII. Jam vero *Charchedonium* ſignificare carbunculum, dubitari non poteſt. Plinius *lib.* XXXVII. *cap.* VII. gemmam hanc *Charchedonium* dictam vult ab urbe *Carthagine*. *Principatum*, inquit, *habent Carbunculi a ſimilitudine ignium appellati, cum ipſi non ſentiant ignes, ob id a quibuſdam apyroti vocati. Horum genera Indici & Caramantici, quos & carchedonios vocavere, propter opulentiam carthaginis magnæ.* Carthaginem Καρχηδῶνα vocatam fuiſſe, ex Appiano, Euſebio, Hieronymo aliiſque conſtat. Non quidem a ſuo Conditore, ut viri docti putant, ſed quod lingua Phœnicia קרתא חדת *Kartha chadath*, aut, ut habet Solinus, *carthada*, id eſt *nova civitatis*, dicta ſit: ut *Carthago* idem ſit ac καινὴ πόλις, aut etiam νεάπολις, immo & noſtrum *Novomagum*. Nam ſive dixeris *Carthada*, *Carthago*, ſive νεάπολις, ſive *Novomagum*, ſive *Nova civitas*, ſive Neüwſtatt, perinde erit. Ut ut eſt, lapis *charchedonius* ſic dicitur ab urbe Carthagine. Non quidem, ut credidit Epiphanius, quod *carbunculus*, ſive Carchedonius naſcatur circa urbem Carthaginem. γίνεται, inquit, ἐν Καρχηδόνι τῆς Λιβύης, ἥτις Αφρικη καλεῖται. *Naſcitur in carthagine Libyæ, quæ Africa dicitur.* Et in fine ejuſdem capitis: ἔστι δὲ ὁ χαλκηδόνιος καλέμενος

λίθος παραπλήσιος τούτῳ, ὅτι καὶ ἐκ τοῦ αὐτοῦ τόπου εὑρίσκεται) *Eſt etiam gemma dicta carchedonius* (ſic enim ſcribi deberet, potius quam *calchedonius*) *huic non abſimilis, quoniam ibidem loci reperitur.* Duplicem enim hic errorem errat Epiphanius. Primum quod *Anthracem* ſive *carbunculum* diſtinguat a *carchedonio*, cum *carchedonius* ſit ipſiſſimus ἄνθραξ ſive *carbunculus*: deinde quod putet *carchedonium* naſci circa *Carthaginem*, ideoque *carchedonium* dici. Nam etſi nomen ſuum ſortita ſit ab urbe *carthagine*, id non factum eſt quod ibi naſcatur (naſcitur enim Carbunculus in India, ut docet Pſellus: ὁ ἄνθραξ, ἐν Ινδοῖς μὲν ἔχει τὴν γένεσιν, *carbunculus in India naſcitur)* ſed ut habet Plinius, propter opulentiam urbis: ſcilicet quod opulentiores mercatores Carthaginienſes ejuſmodi lapides coemerint, & cum aliis mercimoniis ex India aliiſque locis Carthaginem aſportari curaverint, & inde ad alios populos miſerint venales. Eodem ſane ſenſu hodie multæ res *Hollandicæ* dicuntur apud plures nationes, quæ in Hollandia non creſcunt; ſed quia in India aliiſque regionibus coemuntur ab Hollandis, & ab iis ad alios populos deportantur. Sic pernæ WeſtPhaliæ, a Gallis dici ſolent *Moguntinæ, jambons de Mayence*, quod a mercatoribus Moguntinis in Weſt-Phalia coemerentur, Moguntium deferrentur, & inde in Galliam mitterentur. Et caſtaneæ & nuces ex Palatinatu apud Hollandos vocari ſolent *Colonienſes*, quia ex Palatinatu prius Coloniam, & inde in Hollandiam mittuntur. In Palatinatu *ſal Colonienſe*, dicitur ſal Gallicum & Luſitanum, quod ab Hollandis ſuis navibus deferatur *Coloniam*, inde in Palatinatum. Eodem plane ſenſu *Carbunculus* dicitur ab urbe Carthagine. Hinc Theophraſtus Περὶ λίθων. ἄγεται, inquit, δ᾽ οὗτος ἐκ Καρχηδόνος Μασσαλίας. *Fertur huc Carthagine & Maſſilia.* Hæc vera ratio eſt, quod ἄνθραξ ſive *Carbunculus Carchedonius* a Græcis, & a Judæis כרכדנא *Carchadna*, & כרכדונין *Carchedonin* dictus ſit.

DIX. Ut ut ſit, patet נפך. ſecundum vetuſtiores & doctiores interpretes eſſe *Carchedonium*, ſive *Carbunculum.* Et ſane hoc ex ipſo vocabulo נפך colligi poſſe videtur. Derivari ſolet נפך a radice פוך, unde aliquando abſque נ ſcribitur, ut I Chron. XXIX. II. & Eſaiæ cap. LIV. XI. ubi פוך a Jarchio exponitur נופך, & a Græcis ἄνθραξ id eſt *Carbunculus.* Notum eſt פוך ſignificare *ſtibium* aut *fucum*, quo inungi ſolent oculi: ut II Reg. IX. XXX. ותשם בפוך עיניה: *& poſuit oculos ſuos in ſtibio*, vel in *fuco*, id eſt

fuco

fuco aut ſtibio inunxit oculos ſuos. Græci ἐςιβίσατο τȣ̀ς ὀφθαλμȣ̀ς, כי תקרעי בפוך עיניך *quia laceras oculos tuos ſtibio.* Græci iterum ἐὰν ἐγχείσῃ ςίβῃ τȣ̀ς ὀφθαλμȣ́ς σȣ. *Unguis ſtibio oculos tuos.* Verum quidem eſt ſtibium nonnunquam fuiſſe viride. Eo fortaſſis reſpexit Onkeloſius & Jonathanus, qui *Nophech* Smaragdum verterunt. Et Paraphraſtes Cantic. v. XIV, qui habet כחלי *cachale*, quod a quibuſdam *marmor viride* exponitur. Sed alterius etiam coloris, nempe rubri fuit. Chaldæus in hiſce locis utrumque, id eſt lapidem *Nophech* & פוך ſive *ſtibium* vertit צרידא ut habent Biblia Regia, Aruch, Elias & Buxtorfius. Eodem modo Syrus ܙܕܝܕܐ *Zedida*, quod a Latino vertitur *Hyacintus.* Sed in Venetis legitur צרידא *zerida.* Ego legerem צריזא *Zeriza* aut potius צרוזא *Zeruſſa*; atque tunc nihil aliud eſſet quam *ceruſſa*, quæ proculdubio veriſſima lectio eſt. Quanta autem ſit cognatio inter *Stibium* & *ceruſſam* docet Plinius *lib.* XXIII. *cap.* VI. & *lib.* XXXIV. *cap.* XVIII. & alibi. At *ceruſſa* ut & *ſtibium*, prout varie præparantur aliquando rubra ſunt, ut Plinius ibidem docet. Et cum ſtibium etiam fiat ex antimonio, immo cum ſit ipſiſſimum *antimonium*, ut hodie vocatur, quod norunt medici, ruber color ei adſcribi poteſt; nam antimonium præparatum, præſertim Chryſtallinum eſt rubrum. Igitur ſecundum has interpretationes נפך erit lapis ruber, qualis revera eſt carchedonius, ut mox patebit.

DX. Albos fuiſſe Carbunculos quoſdam, alios etiam variis maculis diſtinctos, poſt Theophraſtum docet Plinius *lib.* XXXVII. *cap.* VII. Quoſdam dicit eſſe maſculos, alios fœminas. Maſculos acriores, lucidiores & magis in ſole flagrare docet. Quoſdam habere in tranſlucido ſtellas intus & fulgentes aureas guttas in corpore non in cute: immo fere ſtellarum hyadum & numero & diſpoſitione ſtellari, unde acceſſit religio, ut ob id a Chaldæis in cærimoniis habiti ſint; & quantum numero ſtellarum accedit tantum & pretio accedere. Nihilominus pretioſiſſimi carbunculi inſigni rubore lucebant inſtar ignis aut ardentis carbonis, unde & ἄνθρακες ſive *Carbunculi* dicti. Ideo Plinius loco modo laudato, *carbunculos a ſimilitudine ignium appellatos* dicit. Et mox *optimos eſſe amethyſtizontas, hoc eſt quorum extremus igniculus in amethyſti violam exit.* Theophraſtus περὶ λίθων. ἄλλο δέ τι γένος, inquit, ἐςὶ λίθων ὥσπερ ἐναντίων πεφυκὸς, ἄκαυςον ὅλως, ἄνθραξ καλȣ́μενος. ἐξ

ȣ ἧ

οὗ καὶ τὰς σφραγίδας γλύφουσιν. ἐρυθρὸν μὲν τῷ χρώματι, πρὸς δὲ τὸν ἥλιον τιθέμενον, ἄνθρακος καιομένου ποιεῖ χρόαν τιμιώτατον δὲ ὡς ἐπεῖν, μικρὸν γὰρ σφόδρα τετταράκοντα χρυσῶν. ἄγεται δὲ οὗτος ἐκ Καρχηδόνος καὶ Μασσαλίας. οὐ καίεται δὲ ὁ περὶ Μίλητον γωνιειδὴς ὢν, ἐν ᾧπερ καὶ τὰ ἑξάγωνα καλοῦσι δὲ ἄνθρακα καὶ τοῦτον. ὃ καὶ θαυμαστὸν ἐστιν. ὅμοιον γὰρ τρόπον τινὰ καὶ τὸ τοῦ ἀδάμαντος. *Aliud autem quoddam eſt genns lapidum, quaſi e contrariis genitum, incombuſtibile penitus; carbunculus appellatur; e quo & ſigilla ſculpunt; Rubens quidem colore, ſoli autem expoſitus, ardentis carbonis facit colorem, pretioſiſſimum, ut ita dicam: Nam valde parvus quadraginta aureis æſtimatur, fertur ex Carthagine & Maſſilia. Non ardet autem qui circa Miletum invenitur, anguloſus inter quos ſunt & ſexanguli. Vocant autem & hunc carbunculum; quod mirum eſt: ſimilis quodammodo ratio eſt adamanti.* Scio quidem Delaetium *de lap. lib.* I. *cap.* III. hunc locum de *granato* intelligere. Non poſſum etiam ignorare granatos adamantinos, hyacinthos rubentes & id genus alia, inter rubinos & carbunculos recenſeri; nihilominus hæc deſcriptio carbunculo multo magis convenit, quam granato. Puniceum colorem carbunculo attribuit Epiphanius. Eſt autem puniceus color igneus, ut alibi docuimus. λίθος ἄνθραξ, inquit, οὗτος εἶδος ξυφοίνικον (alii legunt φοίνικον, alii ὀξυφοίνικον, quæ lectio fortaſſis eſt optima) ἔχει. *Carbunculus lapis colorem habet phœniceum*, aut *acute phœniceum.* Ut autem melius intelligeretur, ſtatim addit: ὀλίγον δὲ ὁ κεραύνιος λίθος αὐτῷ ἔοικε, καλοῦσι δὲ τὸν κεραύνιον, οἰνωπόν. *Carbunculo aliquomodo ſimilis eſt lapis Ceraunius, quem vocant Oenopum*, (qui vini colorem oſtendit.)

DXI. Rabboth Bemidbar τῷ נפך dat colorem cœli, יהודה נפך וצבע מפה שלו דמותו כמין שמים ומצוייר עליו אריה. *Iehuda ſculptus eſt in Nophech; & color vexilli ejus ſimilis eſt cœlo, depictum habet Leonem.* Sed qualem colorem cœlo hic attribuat Rabboth, non exprimitur. Notum quidem eſt cœlum vulgo cœruleo colore depingi. Sed talis color in Saphiro tantum reperitur, non in alia gemma. Cum autem *Nophech* non ſit Saphirus, ſuſpicor an non alium potius colorem intellexerit: nempe talem qui in cœlo conſpicitur; oriente aut etiam occidente ſole, rutilantem, & inſtar carbonis ardentem; talis enim color cœlo etiam attribuitur. De hoc loquitur Chriſtus Matth. cap. XVI. II. ὀψίας γενομένης λέγετε, Εὐδία. πυρράζει γὰρ ὁ οὐρανός. *Veſpera jam accedente dicitis: Serenum erit,*

quia

quia cœlum igneſcit. Optime verbum πυῤῥάζειν a *Syro* vertitur ܣܡܩ ܓܝܪ ܫܡܝܐ *Rubet enim cœlum.* Jam ad lapidem אדם oſtendimus apud Chaldæos & *Syros* סמק ſignificare *rubere.* Colligo itaque iterum נפך eſſe lapidem rubrum & inſtar ignis ardentis, ideoque eſſe *carbunculum.*

DXII. Ex his etiam conſtat ἄνθρακα ſive carbunculum veterum, immo Hebræorum נפך nihil aliud fuiſſe quam lapidem quem hodie vulgo dicimus RUBINUM, quod jam obſervarunt Boetius *de Lapid. lib.* II. *cap.* IX. & Delatius *lib.* I. *cap.* II. Ideo ab Abarbanele vertitur רובין *Rubinus*, & a Luthero ein Rubin. *Rubinus eſt gemma*, inquit Boetius *lib.* II. *cap* X *diaphana rutilans, rubensque, exigua portiuncula cærulei coloris, ac limam reſpuens. Rubedo ipſius non eſt puri minii, vel cinabaris, ſed ſanguinis potius, cocci laccæ indicæ, aut Kermeſini. quo tamen minus cærulei, modo aliquid in extremo igniculo appareat, eo nobilior eſt.*

DXIII. Plane miraculoſa, aut potius fabuloſa de carbunculi ignibus atque fulgore, narrat Epiphanius *lib. de* XII. *Gemmis in veſte Aharonis.* ἕτεροι δὲ φασὶ τὸν λίθον τοῦτον οὕτως εὑρίσκεσθαι, οὐκ ἐν ἡμέρᾳ κατοπτευόμενον κατὰ τὴν νύκτα πόῤῥωθεν δίκην λάμπαδος, ἢ ἄνθρακος σπινθηρίζοντος καὶ ὡς μακρόθεν φαινόντος. καὶ τοῦτο ἐπιγινώσκοντες οἱ αὐτὸν ἀναρευνῶντες, ῥαδίως εὑρίσκουσιν αὐτόν. βασαζόμενον δὲ ἀδύνατον διαλαθεῖν, ὁποίοις γὰρ ἂν ἱματίοις κατακρυβῇ, ἡ αὐταυγία αὐτοῦ ἔξωθεν τῆς περιβολῆς φαίνεται, ὅθεν καὶ ἄνθραξ κέκληται. *Alii dicunt lapidem iſtum ita reperiri: interdiu non videri, ſed noctu cominus inſtar lampadis & carbonis ſcintillantis procul apparere. Atque ſic eum quærentes agnoſcunt, & facile inveniunt. Si geſtatur, quibuſcunque etiam veſtibus occultetur, latere tamen non poteſt: ſplendor enim ejus extra veſtes apparet, unde & carbunculus appellatur.* Carbunculum ſplendore ſuo etiam veſtes penetrare poſſe credat Judæus Apella non ego. De carbunculo etiam intelligunt auctores, quod narrat Ælianus *lib.* VIII. XXI. de quodam lapide, quem ciconia in gremium Heracleæ demiſit, qui inſtar facis totam domum ſplendore ſuo replevit. Garcias ab Horto, & Ludovicus Vartomannus ejuſmodi quid referunt de hoc genere lapidis; ſed ipſi hoc non credunt, nec ipſi viderunt. Vide Boetium *lib.* II. *cap.* VIII.

DXIIII. Hodierni *Rubini*, qui veri & genuini ſunt veterum carbunculi, raro excedunt pondus XX. ceratiorum. Nihilominus

nus tradit Boetius *cap.* XIII. *lib.* II. Imperatorem Rudolphum II. Rubinum habuiſſe, qui magnitudinem parvi ovi gallinæ æquaret, emptum LX. ducatorum millibus: quem tamen Boetius putat majori pretio debuiſſe æſtimari, cum parem nullum habuerit, non minus quam Cleopatræ margarita. Scribit etiam Garcias ab Horto Regulum Decan habere Rubinum XXXIV. ceratiorum, emptum ſex auri minis, id eſt CXCII. libris auri, ut obſervat Tollius in notis ab Boetium *lib.* II. *cap.* XVI. Tavernerius in ſuo *Itiner. Ind. lib.* II. *cap.* XXII magnum Mogolem narrat habuiſſe *rubinum* emptum millione quadringentis viginti quinque millibus florenorum. Sed addit tandem a peritiſſimo gemmario Indo animadverſum fuiſſe, eum non fuiſſe verum rubinum. Addit ſe vidiſſe in India *rubinos* qui excederent pondus quinquaginta ceratiorum.

DXV. Magnas præterea virtutes attribuerunt veteres Carbunculis. Scilicet: geſtatum vel epotum venenis reſiſtere, a peſte præſervare, triſtitiam arcere, libidinem coercere, malas cogitationes & ſomnia avertere, animum exhilarare, & hominis infortunia prædicere, amittendo nativum ſplendorem, & id genus alia: Pſellus *de virtute lapidum*, κεφαλαλγίας ἰᾶσθαί φασι παρὰ τῷ κάμνοντι θυμιώμενον. *Hunc morbis capitis*, inquit, *mederi referunt, ſi ægroto offeratur ſuffitus.*

CAP. XII.

DE ספיר SAPHIRO.

ספיר Saphir *quintus eſt lapis. Ubi ejus fiat mentio. Variæ interpretationes. Ioſephus male ponit ἰάσπιν.* Arabs مها Maha, & بلور. Belur, Beryllus. שבזין / שבזיזא / אזמורד *An legendum.* טפזין Topazin. ספירונין Saphirunin, *&* סנפרינון Sarperinun, *& corrupte pro* ספיר *aut* σάπφειρος Saphirus *qualis gemma? Utrum alba? Locus Exodi* XXIV. X. *allegatur.* לבנה *quid?* לבן albeſcere. Lur לבנה Libne, populus alba. *Locus Geneſ.* XXX. XXXVII. *allegatur. alba* Saphiri, Leucoſaphiri. *Cæruleis Saphiris color abſtrahi poteſt. Rabboth Thren.* IV. VII. Saphirum *credidiſſe* Adamantem. Saphiri *duræ. Utrum ſint rubri? Locus Thren.* IV. *explicatur.* פנינים *Utrum* Ebor? *An*

An Carbunculus? *an* Corallia? *Loca Exodi* XXIV. X. *Ezech.* I. XXVI. *& Cantic.* V. *exponuntur. Cocceji ſententia expenditur. Saphirum non eſſe rubram. Senſus literalis & Myſticus* ספיר *eſſe* Saphirum: *Habere colorem cœli, Loci Exodi* XXIV. X. *& Ezech.* I. XXVI. *iterum allegantur.* Saphirus *comparatur. cum venis ſanguine plenis. Locus Lament.* IV. VII. *exponitur.* גזרה *quid Cantic.* V. XIV. Ebur *politum & albiſſimum.* Eburnea colla. *Varii auctores.* Ebur *humanam naturam Chriſti,* Saphirus *divinam ſignificat: aut ejus* inocentiam, vibices, verbera *&* ſanguinem. *Veterum* Saphirum *cœruleum fuiſſe. Varii auctores. Dicitur* nigra *&* κύανος. Cyanum *eſſe cœruleum colorem.* Saphirus *aureo pulvere aſperſus. Locus Iobi* XXIV. VI. *allegatur. Varii auctores. Veterum* Saphirus *utrum Lazulus? An* amethyſtus, *an* hyacinthus. Saphiri *pellucidis Iudæis noti fuerunt. Noſtram* Saphirum *pretioſiſſimam & pellucidam eſſe. Vexillum Iſcaſcaris pictum habuiſſe ſolem & lunam. Quare?* שחר *non ſemper* nigrum *ſignificat: Sed intenſiſſime* cœruleum. Doncker Blaauw חכלת *etiam dicitur* שחור πορφύρη μελάινη. *Loci natales Saphiri. Earum moles. Lex Dei an ſcripta fuerit in* Saphiro? *Exodi cap.* XXIV. *allegatur. Pretium* Saphirorum. *Eorum virtutes. Imaginem ex Saphiro geſtaſſe Sacerdotem Ægyptiorum.*

DXVI. QUintus lapis eſt ספיר *Saphir.* Hujus lapidis etiam fit mentio Exodi XXIV. Cantic. V. XIV. Job. XXVIII. V. XVI. *Eſ*aiæ LIV. XI. Lament. IV. VII. Ezech. I. XXVI. XI. & XXVIII. XIII. Syrus habet ܣܦܝܠܐ *Saphila*, mutato ר in ל ut & alibi.

DXVII. Joſephus habet Ἰάσπις. Sed male, cum *Iaſpis* ſit omnium ultimus, ab ipſo Moſe ישפה *Iaſpe* dictus. Dici poſſet Joſephus jaſpidem & ſaphirum confundere, cum ſaphirus inter jaſpidum genera ponatur. Vide Plinium *lib.* XXXVII. *cap.* IX. Arabs habet مها *Maha*, & Exodi cap. XXIV. IX. بلور *Belur*, id eſt *beryllus.* Sed male iterum. Berillus enim plane alius eſt lapis. Jonathanus Cant. V. XIV. habet אזמורד *Iſmorad*, id eſt *Smaragdus.* Hunc errorem jam impugnavimus ſupra ad lapidem ברקת. Onkeloſius habet שבזין *Schabzin.* Sic & Jonathan Lament. IV. VII. שבזיזא *Schabziza.* Nemo facile dixerit quid ſit *Schabzin*, cum

ex fontibus Hebræorum non facile deduci poſſit. Exiſtimo igitur eſſe vocem Græcam, ſed corruptam, prout Chaldæi fere omnibus gemmis Græca nomina dare ſolent. Legi debet, mea opinione, טפזין *Topazin*, atque ſic erit *Topazius*. Sane eodem jure vocari poſſet *Topazius*, quo & ab aliis *Iaſpis*, *Beryllus*, & *Smaragdus*. Nec ſilentio præterire poſſum miſerrimam hallucinationem Jonathanis, qui eundem lapidem vertit Smaragdum & Topazium, dictis locis, & Exod. XXVIII. כפירונין *Saphirunin*, id eſt *Saphirus*.

DXVIII. Non opus eſt ut huic lapidi aliud nomen detur quam illud ipſum quod ipſi datum eſt a Moſe, nempe ספיר *Saphirus*: cum iſtud nomen ad hunc uſque diem fere apud omnes populos retinuerit. Optime igitur Græci σάπφειρος, vulgatus & Hieronymus, Lutherus, Angli, Galli, Belgæ, & tot alii *Saphirus*. Sic & Judæi. Verum quidem eſt, Targum Jeruſalemitanum, Jonathanum & Rabboth habere ספירונין *Saphirunin*, סמפורינא *Sampurina* & סנפירינן *Sanperinun*. Sed quis non videt voces iſtas omnes eſſe corruptas ex Græco σάπφειρος, inſerendo מ aut נ pro Græcorum π aut dages forte. Quis non videt ipſiſſimum vocabulum σάπφειρος factum eſſe ex Hebræorum ספיר quo uſus eſt Moſes? Eſt igitur *Saphirus* ex iſtis lapidibus qui nomina ſua retinuerunt, ut *Iaſpis*, *Demium*, (אדם) *Topazius* (פטדה) & *Maragdus* (ברקת).

DXIX. Quæſtio ſupereſt qualis lapis fuerit ספיר *Saphirus* Moſis: nam etſi conveniant de nomine, diſſentiunt tamen auctores de illius natura & colore. Sunt qui credunt fuiſſe gemmam albi coloris. In illa ſententia fuiſſe Jonathanem, docet Aben Ezra Exod. cap. XXIV. X. quod ibi dicatur כמעשה לבנת ספיר *operis pavimenti Saphiri*. Nam cum vox לבנה non tantum laterem, aut pavimentum lateribus ſtratum ſignificet, ſed etiam rem albam, (eſt enim לבן *albeſcere*, *album*; unde & *luna* ab *albore*. Hinc & Latinis *Luna* ab Hebræorum לבנה *Levana* dicta. לבנה *libne* populus alba Geneſ. XXX. XXXVII.) crediſiſſe videtur *Saphirum* lapidem *album* ſignificare. Fatendum eſt ſane reperiri etiam ſaphiros *albos*, ſaltem adeo dilutos, ut magis albi credendi ſint quam alterius coloris. Tales perhibentur præcipue illæ quæ fœminæ cenſentur. Hinc albæ ſaphiri *leuco ſaphiri*. Sed & ipſis ſaphiris, qui cœrulei ſunt, color abſtrahi poteſt, ut fiant albi; ita etiam ut adamantem egregie mentiantur, adeo ut non niſi a perito gem-

mario

mario fraus detegi poſſit. Hanc artem docet Alexius Pedemontanus *lib.* VI. *de ſecretis.* Hæc cauſa eſt proculdubio quod Rabboth *Thren. cap.* IV. VII. omnia fere adſcripſerit ſaphiro, quæ propria ſunt adamanti, quaſi ſaphirus ipſi nihil aliud fuiſſet quàm *Adamas.* א״ר פנחס מעשה באד׳ א׳ שהלך למכור ספיר אמר לו הלוקח על מנת לבודקו אקחנו נתנו על גבי הסדין והתחיל מקיש עליו בפטיש נבקע הסדין ונחלק הפטיש והספיר עמד במקומו ס״א ספיר גזרתם א״ר יודן כל גזירה וגזירה שהיתה בירושלים היתה קשה כספיר. *Dixit doctor Pinchaſius, accidit ut vir aliquis Romam proficiſceretur ad vendendum ſaphirum. Dixit ei emptor, emam eum hac conditione, ut eum prius probarem. Poſuit eum ſuper linteum; percuſſit eum malleo, ſciſſum eſt linteum, & malleus in partes diffractus, ſed ſaphirus integer in ſuo loco remanſit.* Iterum ſaphirus (Lament. IV. VII.) eſt eorum ſectio. *Dixit doctor Iodan, omnes ſectiones quæ ſunt Hieroſolymis dura ſunt ut ſaphirus.* Non male igitur conjicit doctiſſimus C. l'Empereur, vir de me meiſque ſtudiis plurimum meritus, ex loco iſto fortaſſis aliquos colligere, ספיר fuiſſe adamantem, in doctiſſimis ſuis notis ad Grammaticam Kimchii, *lib.* I. פ׳ ח. Fatendum ſane eſt ſaphiros valde eſſe duras, ut limam reſpuant, & ſatis incommode cælari poſſint; ut docet Boetius *de Lapid. lib.* II. *cap.* XLII. Formatur etiam ſmiridis pulvere adamantino, teſte Delatio, *de Lapid. lib.* I. *cap.* VII.

DXX. Sunt qui rubrum colorem ſaphiro attribuunt, inter quos agmen ducit Aben Ezra. Opinionem ſuam conatur probare ex eodem loco, Thren. cap. IV. זכו נזיריה משלג צחו מחלב אדמו עצם מפנינים ספיר גזרתם *Puriores erant Naziræi illius nive; nitidiores lacte, rubebant corpore magis quam carbunculi, ſaphirina polities eorum.* Sic habet Junius. At Hieronymus: *Rubicundiores ebore antiquo, ſaphiro pulchriores.* Græci: Ἐκαθαρίωθησαν ναζηραῖοι αὐτῆς, ὑπὲρ χιόνα ἔλαμψαν, ὑπὲρ γάλα ἐτυρώθησαν, ὑπὲρ λίθȣ σαπφείρȣ τε ἀπόσπασμα αὐτῶν. *Mundati ſunt Naziræi ejus, ſuper nivem fulſerunt, ſupra lac coagulati ſunt, ſupra lapidem ſaphirum avulſio eorum.* Hic non exprimunt Græci nec colorem nec naturam פנינים & ספיר. Prius Hieronymo eſt *ebur antiquum,* & quidem *rubrum.* Junio eſt *carbunculus*, ideoque *rubrum.* Sed de colore ſaphiri & illius duritie omnino tacet. Aben Ezra utrumque rubrum credidit Exodi cap. XXIV. Addit moris eſſe Spiritui ſancto in S. ſcriptura, ut eundem ſenſum pluribus vocabulis, & duplicatis vocibus,

uti loquitur, exprimat: ideoque quemadmodum albor Naziræorum deſcribitur per *nivem* & lac, ſic etiam eorum ruborem deſcribi, non tantum per *Peninim*, ſed etiam per *Saphir. Peninim* eſſe gemmas rubras plurimi crediderunt: ideo quibuſdam ſunt *corallia*, ut Boetius contendit, *Animadverſ. Sacr, lib.* IV. *cap.* III. Syrus in Jobo *carchedonium* exponit; Junius *carbunculum*. Utrumque rubrum eſſe, & *carchedonium* & *corallium*, ſatis notum eſt. Igitur *ſaphirus* ſecundum Aben Ezra eſt lapis colore rubro.

DXXI. Doctiſſimus Coccejus, præceptor meus, de ſtudiis meis meritiſſimus, & cujus manes veneror, Cant. cap v. XIV. *ſaphirum* non tantum docet fuiſſe lapidem rubrum, ſed ſpecifice *Rubinum*. Ideo Exod. XXIV. X. & Ezech. I. XXVI. ubi textus Hebræus habebat *ſub pedibus ejus eſt pavimentum Saphirinum*, ille habet: *ſub pedibus ejus eſt laterculus rubini*. Et Cant. v. pro *involuti ſaphir*, ponit: *involuti pyropis*, aut *coopertum rubinis*. Præcipua autem ratio doctiſſimi Viri, cur ſaphirum rubrum putet, illa eſt: quod hoc colore Chriſti ſanguis & paſſiones optime repræſententur, prout Johannes I. Epiſt. cap. v. VI. dicit, Chriſtum veniſſe *per aquam & ſanguinem*. Putat igitur in Cantico per ebur ſignificari alborem aquæ, & per ſaphirum ruborem ſanguinis, qualis eſt in Rubino. Perſuaſiſſimum tamen mihi eſt, ſaphirum non eſſe lapidem rubrum. Ratio quam adfert Aben Ezra nullius eſt momenti. Nam quod attinet iſtam duplicationem vocum, quibus exprimeretur color albus & ruber Naziræorum Lament. cap. IV. nondum eſt in confeſſo, illam ita ſeſe habere; ut ab eo gratis ita ponatur. Deinde nondum conſtat פנינים *peninim* ſignificare *corallia* aut *carbunculum*, aut *rubinum*, aut ullam aliam gemmam rubram: cum doctiſſimus Bochartus *de Animal. part.* II. *lib.* I. *cap.* VI. & VII. pluribus conetur probare, margaritas, ideoque gemmas albas potius quam rubras ſignificari: ut, ſi iſta duplicatio vocabulorum locum haberet in S. ſcriptura, omnia alba eſſent, & *nix* & *lac* & *peninim* & *ſaphirus*, eo magis quod, ut ſupra oſtendimus, reperiantur etiam ſaphiri albæ.

Idem judicium fieri debet de opinione doctiſſimi Cocceji. Primum non ſatis bene conſtat Cant. cap. v. Spiritum S. reſpexiſſe ad innocentiam & paſſiones Chriſti. Poſſunt ſane aliæ virtutes & perfectiones Chriſti intelligi per *ebur* & *ſaphirum*. Nec, mea opinione, ſenſus myſticus & typicus ex aliquo loco S. ſcri-

pturæ

pturæ elici debet, antequam conſtet de ſenſu literali. Deus in verbo ſuo non ſolet exponere naturas rerum, typorum, & figurarum, per naturam antityporum, & rerum figuratarum. Contrarium omnino obſervari ſolet. Poſito ſenſu literali, ſequitur ſenſus typicus & myſticus; non autem ,poſito ſenſu myſtico, ſequitur ſenſus literalis. Alias ex quolibet quodlibet fieret. Deinde ſi vel maxime ebur & ſaphirus innocentiam & paſſiones Chriſti ſignificarent, non ſequeretur tamen ſaphirum rubrum eſſe, quod infra patebit.

DXXII. Philo Judæus *lib.* I. *Legis Allegor*, *Praſinum* dicit. ὁ δὲ σάπφειρος πράσινος λίθος ἐςίν. *Saphirus autem eſt lapis praſinus.* Eſt autem color praſinus viridis. Eundem colorem ei dediſſe videntur, qui dicebant eſſe *Jaſpidem*, *Beryllum* & *Smaragdum*; gemmæ enim ſunt virides, aut ſubvirides. Sed hi male.

DXXIII. Vocabulum ספיר nihil aliud ſignificare quam noſtrum *ſaphirum*, ut & hodie vocatur, ideoque cæruleam gemmam eſſe, ipſa S. ſcriptura & optimi auctores clamant. Et primum quidem ſaphiro adſcribitur color cœli. Exodi cap. XXIV. X. *Aſpexerunt Deum Iſraelis, & ſub pedibus ejus velut opus pavimentum ſaphiro* (כמעשה לבנה ספיר) *& tanquam ipſa ſubſtantia cœli ſereni.* Sic & apud Ezech. cap. I. XXVI. Expanſum cœli, quod ſolium Dei vocatur, dicitur etiam ſimile lapidi ſaphiro. *Superne ad expanſum illud quod erat ſupra caput, illorum quaſi ſpecies lapidis ſaphiri ſimilitudo ſolii erat.* At cœli color cœruleus eſt, ut libro I. cap. XIII. ubi de תכלת egimus, ſatis fuſe probavimus. Sed hæc lippis nota ſunt. Deinde ſaphirus dicitur ſimilis venis ſanguine repletis, in albiſſimo & nitidiſſimo corpore. Ita ſane intelligo locum Lament. IV. VII. *Puriores erant Naziræi illius nive, nitidiores lacte, rubebant corpore magis quam carbunculi,* (aut ſecundum alios: *ſplendent magis quam margaritæ*) *ſaphirina polities eorum.* Pro *ſaphirina politie*, textus habet ספיר גזרתם, quod varie exponi poteſt. Nam aut politiem ſignificat גזרה, quaſi diceret: Naziræi erant corpore ſano & eleganti, nitentes inſtar ſaphiri: aut, quod mihi multo credibilius eſt, גזרה ſignificat ipſas venas ſanguine plenas, quæ carnem varie interſecant, inſtar rivulorum ſaphirinorum. Secundum hanc explicationem ſenſus iſtius loci erit: corpora eorum erant candida inſtar nivis & lactis, immo ſplendentia tanquam margaritæ, (aut rubentia genis, labiis, &c. inſtar corallii) intercurrentibus

ve-

venulis ſanguine plenis ſaphiri inſtar, cœruleo colore gratiſſimo. Hæc vera deſcriptio eſt pulcherrimi & elegantiſſimi corporis.

DXXIV. Imprimis notandus eſt locus Cantic. v. xiv. מעיו עשת שן מעלפת ספירים *viſcera* (id eſt corpus ſive venter) *ejus eſt ebur politum.* Quis non videt hic deſcribi pulcherrimum aliquod corpus? Nihil ad hanc rem aptius adhiberi poteſt quam *ebur* & *ſaphirus.* Nihil quod corporis elegantiam magis augeat. Ebur ſane albiſſimum & nitidiſſimum eſt. Hinc *eburnea colla* apud Ovidium *Metamorph.* III.

Impubeſque genas, & eburnea colla,

Et Virgil. *Æn, lib.* I. ubi Æneæ pulchritudo deſcribitur:

Quale manus addunt ebori decus.

Et Plautus, *Moſtel. Act.* I. *Scen.* III. ancilla dominam ſuam etiam ebore candidiorem dicit: & ceruſſam qua meretriculæ faciem oblinire ſolebant, atramentum præ eburneo candore dominæ ſuæ affirmat:

Phi. *Cedo ceruſſam.* Sc. *quid ceruſſa opus nam?*
Phi. *qui malas oblinam.*
Sc. *Una opera ebur atramento candefacere poſtulas.*

DXXV. Quemadmodum per *ebur politum*, candor ac ſummus nitor corporis exprimitur, ita & per ſaphiros nihil aliud intelligitur quam venæ ſanguine plenæ, quæ corpus undique percurrunt. Quis neſcit venas intra cutem & carnem in corpore plane cœruleas, inſtar ſaphirinorum rivulorum apparere, & quo corpus candidius & nitidius eſt, eo venas magis cœruleas ſeſe prodere? unde corporis pulchritudini non exigua gratia accedit. Non obſtat quod dicatur *obtectum ſaphiris*, cum tamen venæ ſint intra corpus: nam eo non minus extuberant venæ ſupra carnem, ut fere corpus videantur obtegere: ſaphirus igitur non eſt colore rubro, ſed cœruleo, prout venæ, quamvis ſanguine rubro repletæ, in albiſſimo corpore, non *rubra*, ſed *cœrulea* apparent. Si autem hæc de ſponſo Eccleſiæ, nempe Chriſto, intelligi debeant, hoc modo aptiſſime ſignificantur pulchritudo ejus omneſque virtutes divinæ & humanæ. Humana natura per corpus *eburneum* exprimitur; divina, divinæque perfectiones per *ſaphirum*, qui cœleſti ſuo colore, cœleſtes perfectiones, divinamque naturam non

non male repræſentat. Poteſt etiam dici per candorem & nitorem eboris exprimi ejus innocentiam & ſanctitatem; & per ſaphiros, ejus paſſiones, plagas, vibices & & verbera, quæ non raro cœrulea apparent, unde Belgis: **paers en blaeuw ſlaen** / id eſt verberibus aliquem cœruleum reddere. Immo ſanguis Chriſti hac via optime repræſentatur per ſaphirinas venas, cum ob ſanguinem quo venæ ſunt repletæ ſaphiri dicantur, ut non opus ſit *ſaphirum* rubrum fingi, multo minus eum *Rubinum* exponi.

DXXVI. Eundem colorem cœruleum veterum habuiſſe *ſaphirum*, tam eſt clarum, quam quod eſt clariſſimum. Plinius *lib*, XXXVII. *cap*. IX. *Cæruleæ & ſaphiri raroque cum purpura.* Ideo Theophraſtus *libello de gemmis* dicit *ſaphirum* πορφυρίζειν *purpuraſcere.* Et Epiphanius λίθος σάπφειρος πορφυρίζων, ὡς βλάττης πορφύρας τῆς μελαίνης τὸ εἶδος. *Saphirus lapis purpuraſcit inſtar blattæ, ſive purpuræ nigræ.* Sed & cyano ſimilis dicitur *ſaphirus.* κυανῷ τῷ ἄῤῥενι *Cyano maſculo*, ut habet Theophraſtus; quod Plinius dicto loco, ſic vertit: *Quæ ſunt ex iis Cyanei coloris mares æſtimantur.* Dionyſius in Poemate de ſitu orbis, ſaphirum κυανέην *Cyaneam* vocat. Eſt autem κύανος ſive *Cyanus* purpureus, id eſt *cœruleus*, uti notant Euſtathius, Heſychius & reliqui Grammatici Græci. Hinc non ſolum de cœlo & de mari dicitur, ſed & de floribus, de nubibus, de ſerpentibus & draconibus. Hinc κύανεος δράκων apud Homerum *Iliad*. Λ. id eſt *draco cœruleus*, aut *ſerpens cæruleus*, ut habent Ovidius, Virgilius & alii.

DXXVII. Non tantum cæruleus color Saphiro attribuitur in S. Scriptura: memoratur præterea Saphirus aſperſa pulvere aureo: id eſt certis quibuſdam punctis aureis, inſtar pulveris notata. De hac mentionem facit Jobus, ſummus naturæ indagator. cap. XXVIII. commate VI. מקום ספיר אבניה ועפרת זהב לו *Lapides ejus ſunt Saphiri, & pulvis ejus eſt aureus.* Hic proculdubio pulvis aureus referri debet ad Saphirum; quaſi diceret in ſaphiro ejus eſſe pulverem aureum. Sane reperiri certum genus Saphiri, aureis punctis, tanquam pulvere, conſperſi, quotidiana experientia docet, & omnes auctores clamant. Theophraſtus ἡ σάπφειρος αὕτη δ᾽ ἐςὶ ὥσπερ χρυσόπαςος *Saphirus eſt quaſi auro compactus.* quod Plinius, loco modo laudato, ſic vertit: *Saphirus enim & aureis punctis collucet.* Dionyſius, loco jam allegato, Saphirum non tantum *cyaneam* ſed & *auream* dicit. Utrumque hoc verſu comprehendit:

Χρυσείης κυανῆς τε καλιὼ πλάκα σαπφείροιο.

Solinus *cap.* XX. *Et cyaneus lapis e Schythia eſt optimus, ſi cærulo coruſcabit: cujus gnari in marem & fœminam genus dividunt. fœminis nitor purus eſt. mares punctulis ad gratiam interlucentibus auratilis pulviſculus variat.* Nec Epiphanius hæc ignoravit. πολλὰ δὲ γένη τούτου ὑπάρχουσιν. ἐστὶ γὰρ ὁ βασιλικὸς χρυσοστύγης. οὐ πάνυ δὲ οὗτος θαυμαζόμενος ὡς ὁ δι᾽ ὅλου πορφυρίζων. *Varia*, inquit, *quidem ſunt ejus genera. Regius quidem aureis punctis notatus eſt; ſed is non eſt in tanta admiratione ut ille qui plane purpuraſcit.* Eadem attribuuntur Saphiris ab hodiernis gemmariis. Videantur Boetius *lib.* II. *cap.* XLII. *& ſeqq* Delaetius *lib.* I. *cap.* VII Franciſcus Ruæus *lib.* I. *cap.* II, & alii,

DXXVIII. Notari etiam debet, hodie ſaphiros, quæ maxime in pretio ſunt, multo pulchriores & præſtantiores eſſe illis, de quibus agit Plinius locis ſæpius citatis. Docet enim ſaphiros non tantum aureis punctis collucere, ſed & cryſtallina centra intervenire, præcipue in cyaneis, ſcalpturæ eſſe inutiles & nuſquam pellucidas: cum tamen hodiernæ ſaphiri præſtantiores ſint pellucidæ, non minus quam cæteræ gemmæ pretioſæ, & ſcalpturæ aptiſſimæ, abſque ejuſmodi cryſtallinis punctis, & aureo pulvere. Oportet igitur præſtantiſſimas ſaphiros, quales hodie habemus pellucidas & abſque cryſtallinis aureiſque punctis, ignoraſſe Plinium; ut obſervat Salmaſius, in notis ſuis ad Solinum; aut alium lapidem intellexiſſe per Saphirum. Fortaſſis per ejuſmodi ſaphiros Plinius intellexit illum lapidem quem hodie vocamus *lazulum*; Et ſane cum eundem fere habuerit colorem cæruleum, qualem conſpicimus in vera ſaphiro, non mirum ſi & ipſa ſaphirus a Jobo, Plinio aliiſque auctoribus vocata ſit. Videtur etiam Plinius veram ſaphirum appellaſſe *amethyſtum*, aut *hyacinthum*; cum dicat eas *abſolutum fœlicis purpuræ colorem habere*, & *ad illam tingentium officinas dirigere vota. lib.* XXXVII. *cap.* IX. quod ſaphiris noſtris non male conveniret. Vide quæ diximus lib. I. cap. XIII. Sane apud Judæos pellucidas notas fuiſſe, manifeſtiſſimum eſt: adeo etiam ut *pellucidum* illorum philoſophis dicatur ספיר *ſaphir*: Nam ſive dicas *ſaphirinum*, ſive *pellucidum*, perinde erit. Moimonides *More Nevochim part.* II. *cap.* XIX. הגלגל ספיר והככבים אינם ספירים : *Orbis eſt pellucidus, ſed ſtellæ non ſunt pellucidæ.*

Ejus-

DXXIX. Ejuſmodi Saphirum pretioſiſſimam & pellucidam intellexiſſe Moſen, dubitari minime debet, cum fuerit ſcalpturæ aptiſſima, ut quæ integrum nomen inſculptum habebat. Nulla igitur puncta cryſtallina, aut aurea habere poterat. Deinde omnia in ſacris debebant eſſe מן המובחר *ex optimo.* Rabboth Bemidbar, loco toties laudato, colorem vexilli Iſcaſcaris, quem dicit inſculptum fuiſſe ſaphiro, tradit habuiſſe depictum Solem & Lunam. Quod factum eſt proculdubio quia ſaphirus eſt colore cœleſti, id eſt cæruleo. Verum quidem eſt, Rabboth docere colorem hujus vexilli fuiſſe שחר quod *nigrum* ſignificat. יששכר ספיר ומפה שלו צבוע שחור דומה לכחול ומצוייר עליו שמש וירח ע״ש ומבני יששכר יודעי בינה לעתים: *Iſchaſchar ſaphiro* (inſculptus erat) *& color ejus erat ſchachor inſtar marmoris, & depictum habebat Solem & Lunam, ut dicitur* (1. Chron. XII. XXII.) *Et filiis Iſchaſcharis noſcentes ſcientiam temporum.* Sunt qui Saphirum attribuunt Dani, ſed nullam adferunt rationem. Rabboth *Iſchaſchar* ponit. Sed affirmare auſim in hoc loco שחור ſignificare colorem *cæruleum*, non autem *nigrum.* Nam cœruleus color intenſus & ſaturatus inſtar ſereni cœli eſt, & primo aſpectu tanquam niger apparet. Belgis diceretur **Doncker blauw.** Sed libro 1. cap. XIII. paragr. CLXXVIII. oſtendimus תכלת id eſt *cæruleum*, non raro dici שחור *ſchachor.* Sed & ipſi auctores Græci Saphirum *nigrum* dicunt. Theophraſtus περὶ λίθων: ἣν καλοῦσιν, inquit, σάπφειρον. αὕτη γὰρ μέλαινα. οὐκ ἄγαν πόρρω τοῦ κυανοῦ τοῦ ἄρρενος. *quem vocant ſaphirum; is enim niger eſt, nec multum diſtat a Cyano maſculo.* Ad hunc locum optime notavit Delaetius: *Saphirum nigram dici ob ſaturum colorem cæruleum.* Sic & Epiphanius, loco quem ſupra allegavimus, eodem modo docet: Saphirum purpuraſcere, inſtar, πορφύρης μελαίνης *purpuræ nigræ.* Ejuſmodi igitur Saphirum cæruleo colore ſaturatam, pellucidam, ſcalpturæ aptam & pretioſam intelligit Rabboth. Et talem fuiſſe ספיר *Saphirum* S. Pontificis, de qua Moſes hoc loco, nullus dubito.

DXXX. Naſcuntur Saphiri in India, Scythia, & Æthiopia, ut docent Plinius, Solinus, Epiphanius, alii. *Inveniuntur etiam,* inquit Boetius *lib.* II. *cap.* XLII. *in Calecut, Canonor, Regno Biſnagar, Zeylon, & præſtantiſſimæ in Regno Pegu. Confinia Bohemiæ, & Sileſiæ ſatis præſtantes ferunt.*

DXXXI. Epiphanius auctor eſt: famam eſſe, tam magnas ſaphiros

ros repertas fuiſſe, ut in templo apud Indos, Baccho extructo gradus ex ſaphiro trecentos ſexaginta quinque reperti fuerint; quamvis, ut ipſe addit, *id multis non credatur.* Sed & legem, quæ Moſi tradita fuit in monte expreſſam fuiſſe docet in lapide Saphiro. γέγραπται δὲ καὶ ἐν τῷ νόμῳ, τὴν τῷ Μωυσεῖ ὀφθεῖσαν ὀπτασίαν ἐν τῷ ὄρει, καὶ δοθεῖσαν νομοθεσίαν, ἐπὶ λίθου σαπφείρου πεφυκέναι λέγεται. *Scriptum autem eſt in lege, viſionem quæ apparuit Moſi in monte & latam legem in lapide Saphiro expreſſam fuiſſe.* Forte reſpexit ad Exod. cap XXIV. Sed ibi nihil aliud dicitur niſi quod ſolium Dei fuerit inſtar Saphiri, non quod tali lapidi lex fuerit inſcripta. Hodie ſane Saphiri non ſunt magnæ molis: ut ſaphirus unius ceratii valeat, ſecundum Boetium *lib.* II. *cap.* XLIV. duos imperiales. Decem ceratiorum, centum imperiales. Centum creatiorum decem millia Imperialium: quamvis Garſias ab Horto exiſtimet: nullius ſaphiri pretium, quantumvis magni & vividi coloris, mille Luſitanicos aureos ſuperare. Huic lapidi poſt Adamantem, Rubinum, ſive carbunculum, & unionem, primus datur locus a gemmariis.

DXXXII. Inſignes virtutes ſaphiro attribuuntur. Epiphanius. Ἀλεξίπονος δέ ἐστι. τελβόμενος γὰρ καὶ ψυδράκων καὶ φυμάτων γινομένας πληγὰς σὺν γάλακτι ἰᾶται, χελόμενος τοῖς ἡλκωμένοις. *Locum etiam habet in medicina. Attrita enim & lacti permiſta plagis quæ fiunt ex puſtulis albis & tuberculis medetur, ſi illis illinatur.* Docet etiam Dioſcorides *lib.* V. *cap.* CLVII. ſaphirum potam prodeſſe illis qui a ſcorpione percuſſi ſunt: contra inteſtinas exulcerationes; excreſcentias in oculis, uvaſque & poſtulas inhibere, & ruptas membranas cogere, Dicitur etiam geſtata ab homine rebus Venereis dedito, ſordeſcere & nitorem amittere, immo & Veneris tentigines prohibere. Ideo Sacerdotibus & Eccleſiaſticis, qui caſtitatem voverunt, utiliſſimam eſſe. Sed & geſtata dicitur gratiam apud homines & Principes conciliare, inimicos placare, incantamenta prohibere, carcere detentos liberare, ac iram Dei mitigare. Sed de hiſce omnibus plura ſcire qui deſiderat, adeat Boetium *lib.* II. *cap.* XLIII.

Sacerdotum etiam apud Ægytios imaginem ex ſaphiro geſtaſſe in collo, quam vocabat veritatem, docet Ælianus *var. Hiſt. lib.* XIV. *cap.* XXXIV.

Cap. XIII.

DE יהלם ADAMANTE.

יהלם Jahalom *eſt ſextus lapis. Ubi exſtet? Variæ verſiones. Non eſſe* Jaſpidem, *nec* Saphirum, *nec* Smaragdum, *nec* Carchedonium, *nec* Carbunculum, *nec* Rubinum, *nec* oculum Vituli. *Error Septag. Hieronymi, vulgati, Epiphanii, Ioſephi, Rabboth, Ionathanis, Arabis, Targum, Gallorum. Broughtonii &c.* יהלם *Utrum ſit* Adamas. *Apocal.* XXI. *de* Adamante *nulla fit mentio.* Jahalom *eſſe* Adamantem. אנך Anach *Amoſi* VII. VII. *a Septuaginta & Symmacho male exponi* Adamantem. *Orpheus ἀνακλίτην ponit. Reineſii error. Salmaſii opinio.* Onyx *an dicatur ab* אנך anach? *Reineſii & Druſii conjectura.* אנך *non eſſe* gemmam, *ſed* plumbum, *aut* ſtannum בדיל آنك Anak. *τηκόμενον ἀλείφωσις apud Theodotionem & Aquilam.* ברתאנך Barath Anach, Britania, *quaſi* ager ſtanni. *Bochartus laudatur.* אנך *apud Amoſum utrum* trulla cementarii? *an* libella *aut* perpendiculus? חוט קו *Plumbum filo appenſum. Gallis* un Niveau. דין Judicium. ein Bleyſchnür/ **Pas-loot.** יהלם *eſſe* Adamantem. Adamas *non dicitur a. δαμάω. Sed ab Hebræo* יחלם *In* יהלם jod *redundat. Hinc* חלם Halam, *&* Alam, Alma, Almas, *&* Admas, *aut* Adamas. *Variæ mutationes & tranſpoſitiones literarum. Aben Ezra pro* יהלם *habet* אלמס Almas. Λ *facile mutari in* Δ *varia exempla.* Adamas *lapis omnium duriſſimus. De ejus duritie fabuloſa apud Plinium & Hieronymum. Eadem durities a Rabboth Saphiro attribuitur* יהלם *ab* הלם Halam, confringere, contundere. הלמות Halmuth *malleus. Aben Ezra & Abarbanel allegati.* סכהלום *Sabhalom* apud Onkeloſium. סבה *Siba*, cauſa, הלום conterens. *Ionathan, Cantic.* V. XIV. גיהר gihar *male dicitur* Jaſpis: *Exponi debet* Adamas. נהרים *Maſſechet Oholoth ſunt* Petræ duræ *&* acutæ. Adamas *albiſſimus & ſplendidiſſimus. Color vexilli Zabulon albus. Locus natalis* Adamantis. *Quo tempore naſcatur? An in alio* Adamante *& in* Auro? Adamas *pretioſiſſimus. Ejus moles. Tavernerius de ingenti* Adamante *Magni Mogolis. Ejus virtutes.*

DXXXIII. SExtus lapis eſt יהלם *Iahalom* Occurrit etiam Ezechielis cap. XXVIII. XIII. Septuaginta, vulgatus, Hieronymus, Epiphanius & Galli habent *Iaſpis*. Sed male, cum *Iaſpis* ſit ultimus lapis. Joſephus *ſaphirus*. Et hoc male, quod ex iis quæ ad lapidem præcedentem diximus conſtat. Rabboth אזמרגדין *Iſmaragdin*. At Smaragdus eſt ברקת quod ſuo loco probavimus. Jonathanus habet כרכוכין corrupte pro כרכדונין *Carchedonin*, id eſt *Carbunculus*, aut optimus *rubinus*. Sic Arabs بهر مان *Bahar man*, *Rubinus*, *verus carbunculus*. Sed oſtendimus נפך *Nopech* eſſe *Carbunculum*. Targum Jeruſalemitanum habet עין עגלא *een Egla*, *oculus Vituli*. Eodem nomine Onkeloſius vocat lapidem תרשיש qui eſt decimus, de quo ſuo loco. Broughtonius Anglus *Sardonychem* vertit, ſed male, cum Sardonyx ſit שהם, ut ſuo loco patebit. Errant itaque iterum Septuaginta, & Hieronymus, & vulgatus, & Epiphanius, & Joſephus, & Rabboth, & Jonathanus, & Arabs, & Targum, & Galli, & Broughtonius & quicunque יהלם expoſuerunt *Iaſpidem*, aut *Smaragdum*, aut *Carchedonium*, aut *Carbunculum*, aut *Rubinum*, aut *oculum vituli*, aut *Sardonychem*.

DXXXIV. Alii יהלם vertunt *Adamantem*, ut Abarbanelius, Aben Ezra, & poſt eos Lutherus, Belgæ, Junius, Angli, Diodati, alii. Verum quidem eſt Johannem in Apocal. cap. XXI. *Adamantis* non meminiſſe: ut vel inde colligi poſſit, aut adamantem in pectorali non fuiſſe, aut Johannem non reſpexiſſe ibi loci ad gemmas, quibus pectorale ornatum erat. Nihilominus tamen cum omnium gemmarum pretioſiſſimæ fuerint in pectorali, & cum Adamas reliquos omnes ſplendore & pretio ſuperaverit, a me obtinere non poſſum, ut credam eum in pectorali defuiſſe. Cum autem nullus ex reliquis lapidibus reperiatur cui hoc nomen conveniat, inquirendum eſt, utrum id τῷ יהלם *Iahalom* non poſſit attribui.

DXXXV. Non ignoro quoſdam Adamanti omnino aliud nomen dediſſe Hebraice quam יהלם. Sunt qui docent in S. Scriptura *Adamantem* vocari אנך *Anach*. Hoc probare conantur ex Amoſo cap. VII. VII. על חומת אנך. Quater ibi reperitur אנך & a Septuaginta ſemper exponitur per ἀδάμαντα *adamantem*. Eodem

dem modo Symmachus, teſte Hieronymo. Et ſane ipſe etiam Orpheus περὶ λίθων ubi de Gallactite.

> *Τόνγε παλαιγενέες μὲν ἀνακλίτην ἀδάμαντα*
> Κλεῖον.
> *Hunc & anactiten veteres adamanta vocabant.*

Igitur *adamas* veteribus eſt *anactites*. Sed quam bene conveniant *anactites* & אנך *anach*, cuilibet conſpicuum eſt. Hinc eſt, quod doctiſſimus Reineſius *Var. Lect. lib.* II. *cap.* VII. putet Adamantem eſſe *Anach*, ideoque dici *anachiten*, quod *vanos metus pellat ex mente*, ut habet Plinius *lib.* XXXVII. *cap.* IV. quamvis Salmaſius putet *anaciten* dici ἀπὸ τῆς ἀνάγκης *a neceſſitate*, vel coactione. Conjicit etiam Reineſius Onychum dici ab Hebræorum אנך *anach* potius quam a Græcorum ὄνυξ. Vide etiam Druſium ad Amoſum, ubi fere eadem reperies, quæ extant apud Reineſium. Sed, pace doctiſſimorum virorum dictum ſit, nulla nos cogit neceſſitas ut credamus אנך ſignificare aliquam gemmam, multo minus *adamantem*.

DXXXVI. אנך *Anach* Hebræis eſt *plumbum* aut *ſtannum* teſte Kimchio, qui docet Arabibus אנך idem eſſe quod Hebræis בדיל id eſt *plumbum*, *ſtannum*. ita ſane انك *anak plumbum*, *ſtannum*, ex Ibn Maruph habet Cl. Golius in ſuo Lexico. Hanc ob cauſam Theodotion אנך reddit τηκόμενον *fuſum*, quod ſtannum aut plumbum ſit maxime fuſile. Et Aquila pro אנך habet ἀλείφωσιν, quod Hieronymi eſt *ſtagnatura*. Hinc *Anglia* dicta eſt *Bretanica* inſula, a ברת אנך *Barat anach*, id eſt *ager ſtanni*, quod doctiſſime demonſtravit Bochartus, in ſua *Phœnicia lib.* I. *cap.* XXXIX. Eſt igitur apud Amoſum אנך non quidem *adamas*, ſed *ſtannum* aut *plumbum*. Sane propheta ibi loquitur de aliquo inſtrumento, quo utuntur artifices in ædificandis muris, ut ex toto contextu manifeſto patet. Hieronymus quidem habet *trullam cementarii*; ſed rectius ab aliis exponitur *libella*, aut *perpendiculus*, ad quem murus ſolet extrui. Eſt igitur Arabibus, ut Jarchius ad hunc locum notat, אנך *anach* חוט קו *linea* ſive *filum*, (puta cui appenſum eſt plumbum) qua uti ſolent in ædificandis ædibus, Gallis *un niveau* Idem ſane intellexit Chaldæus, אנך habet, ideo pro דין *judicium*, quia architecti ſecundum ejuſmodi inſtrumenta, id eſt fila quibus plumbum appendet, opus ſuum judicant, utrum rectum ſit. Optime igitur τὸ אנך Lutherus vertit ein bleyſchnür/ & Belgæ **een pas**

loot; id eſt plumbum filo appenſum, ad conſtruendum murum. Manifeſtum igitur eſt אנך apud Hebræos non ſignificare *Adamantem*, & ſi *Adamas* Græcis dictus eſt ἀνακλίτης, id non eſſe factum ex aliquo vocabulo Hebræo, ſed ex ipſo Græco ἀνάγκης, ut vult Salmaſius.

DXXXVII. יהלם *Iahalom* autem *Adamantem* ſignificare multo probabilius eſt. Et primum quidem Adamas videtur latere in ipſo vocabulo יהלם *Iahalom.* Novi quidem Græculos, qui more ſuo fere omnia vocabula, quæ ab Oriente ad eos tranſierunt, a ſua lingua deduci volunt, docere ἀδάμαντα derivari a δαμάω *domo*, ut ita dictus ſit per a privativum, quia domari non poteſt, cum omnia ſua duritie ſuperet & a nulla re vincatur, quod mox ex Plinio audiemus. Sed cum Hebræorum lingua multo ſit antiquior quam Græca, & cum *Adamas* ex Hebræorum fontibus deduci poſſit, fruſtra illius origo quæritur apud Græcos: eo magis quod ob eaſdem cauſas Hebraice ſic dici poſſit, propter quas creditur ita dici Græce. Pro יהלם *Iahalom* dicendum erit הלם *halam*, abſorpta littera *jod*, quod apud Hebræos non eſt inſolens. Sed in hac voce literam *jod* redundare animadvertit Aben Ezra. Eſt igitur *jod* ſervilis litera tantum, cum radix ſit הלם *halam.* Deinde docti non poſſunt ignorare litteras י ה & א *jod*, *he* & *aleph* perpetuo mutari, ut ſcriberetur *Alam* pro *Iahalom*, aut etiam *alma* & tandem *Almas.* Quam facile in fine nominum Hebræorum, Græci aſſumant s. vel ex ſolis ſeptuaginta interpretibus clariſſime conſtat: ut non mirum, ſi pro *jahalom* dicatur *Halam*, *Alam*, & tandem *Almas.* Sane יהלם *jahalom* אלמס *Almas* dici, docet Aben Ezra, ad Exodi XXVIII. וחכם גדול ספרדי אמר כי יהלם הוא הנקרא אלמס שהוא שובר כל האבנים ונוקב הבדולח *Doctiſſimus Hiſpanus dixit, quod* jahalom *dictus ſit* Almas, *quia confringit omnes lapides & perforat margaritas. Carolus Cluſius Exoticorum libro* VII. *cap.* XLVII ubi de *Adamante. Almas*, ait, *dicitur Arabibus, quos plerique omnes Mauritani ſecuti ſunt.* Igitur *Iahalom* idem eſt ac *Almas.* At quis non videt quam facile fieri poſſit *Adamas* ex *Almas*? Mutari debet tantum Λ in Δ, qua mutatione nihil familiarius, cum litteræ Λ & Δ ſint ejuſdem organi, ideoque permutari ſoleant. Exempla habemus luculentiſſima in Δαλίδα pro דלילה Δαλίλα, φιδίτια pro φιλίτια, *Madidus* pro μυδάλεος, *Rigidus* pro ῥιγηλὸς, & id genus ſexcenta

centa alia. Non mirum igitur ſi pro Ἄλμας dicatur ἄδμας & inde ἄδαμας.

DXXXVIII. Deinde *Adamas* omnium lapidum eſt duriſſimus, adeo etiam ut omnes lapides illius pulvere poliantur & terantur, ipſe autem non niſi ſuo pulvere, eo uſque ut plane fabuloſa de *adamantis* duritie nugentur auctores. Plinius *lib.* XXXVII. *cap.* IV. *Incudibus hi deprehenduntur* (adamantes) *ita reſpuentes ictum, ut ferrum utrinque diſſultet incudeſque ipſæ diſſiliant. Quippe duritia inenarrabilis eſt, ſimulque ignium victrix natura, & nunquam incaleſcens. Unde & nomen indomita vis Græca interpretatione accepit.* Et paulo poſt: *Siquidem illa invicta vis duarum violentiſſimæ naturæ rerum ferri ignisque contemptrix, hircino rumpitur ſanguine, nec aliter quam recenti calidoque macerata, & ſic quoque multis ictibus, tunc etiam, præterquam eximias, incudes malleosque ferreos frangens.* Eadem fere verbotenus repetuntur & traduntur ab Hieronymo, ad cap. VII. Amoſ. quæ fere omnia de Chriſto & Apoſtolis vult intelligi, quæcunque de ejus duritie, de incude, de igne, de ſanguine hircino a Plinio narrantur. Eandem duritiem Rabboth Schemot attribuit *Saphiro*, quam quidam adamantem exponunt, ut ſupra de Saphiro audivimus. Hæc quidem fabuloſe narrantur: cum experientia quotidie doceat, nihil facilius malleo diffringi quam *adamantem*: ut eos caute admodum tractare cogantur lapidarii, & vix malleo attingere audeant, cum eos aureis fundis inſerunt: nihilominus certiſſimum eſt, adamantem, non tantum inter gemmas, ſed inter omnia corpora duriſſimum. Pſellus: ὁ Ἄδαμας χροιὰν μὲν ἔτος ἔχει ὑελίζουσαν καὶ στιλπνὴν, κραταιός ἐστιν καὶ δύσθραυστος. *Adamas vitreum & ſplendidum habet colorem, ſolidusque & fractu defficilis.*

DXXXIX Sed hæc, ſi de ullo lapide, de יהלם *Iahalom* dici debent, dicuntur. יהלם enim dicitur a radice הלם *halam.* Sed הלם ſignificat *confringere, contundere.* Hinc הלמות *Halmuth*, *malleus.* Judic. V. XXII. Eſaiæ XLI. VII. & Judic. V. XXVI. Dicitur יהלם a verbo הלם confringere, quia ſcilicet ſua duritie *omnes lapides confringit, & margaritas perforat*, ut modo ex Aben Ezra audivimus. In eadem ſententia eſt Abarbanel *Paraſcha Thezave.* Nam poſtquam dixiſſet יהלם eſſe דיאמאנטי *diamanti*, addit יהיה אבן הולמת כל אבנים ומשברתן והיה לא תשבר לרוב חומה ויובשה *Eſt lapis confringens omnes lapides, ſed ipſe non confringitur, propter*

 nimium

nimium calorem & ſiccitatem. Eodem reſpexit Onkeloſius, qui יהלם exponit סבהלום *Sabhalom.* Eſt autem vox illa compoſita ex סכה *Siba, cauſa,* & הלום *conterens,* quaſi diceres: *cauſa*, ſive *inſtrumentum conterens*: quod omnia conterat.

Non poſſum etiam ſilentio præterire, quod Jonathanus, erſi Exodi xxviii. יהלם *carchedonium* verterit, ut ſupra oſtendimus, nihilominus Cant. cap. v. xiv. eum vocet גיהר *gihar.* Verum quidem eſt גיהר a quibuſdam exponi *Iaſpis*: ſed male, cum *Iaſpis* ſit ipſiſſimum ישפה *jaſpeh.* Sed ego *Adamantem* ſignificare multo probabilius exiſtimo. Sane גהרים *geharim* Maſſechet *Oholoth cap.* viii. *Miſna* ii. a gloſſis exponitur ſpecies petrarum durarum & acutarum: ut optime *Adamas* dici poſſit גיהר quaſi *duriſſima petra,* aut duriſſimus lapis.

DXL. Accedit tandem & ejus color. Adamas omnium lapidum albiſſimus eſt & ſplendidiſſimus, aereus, albicans & mirifice ſcintillans. Videatur Pſellus de *Adamante*, loco modo laudato. Hoc lippis & tonſoribus notum eſt: ut nulla ulteriori probatione opus habeat. Rabboth Bemidbar eundem omnino colorem attribuit τῷ יהלם quamvis eum alibi etiam *Smaragdum* dixerit. זבולן יהלם וצבע מפה שלו לבנה ומצייור עליו ספינה על שם זבולן לחוף ימים ישכן Zabulon (inſcriptus erat) *lapidi Iahalom, & color vexilli ejus erat albus, & depictam habebat navem, quia dicitur* (Geneſ. xlix. xiii.) *in portu maris habitabit.* Sane color *albus* & ſplendens non convenit Smaragdo, nec ulli alii lapidum in Pectorali, niſi ſoli *Adamanti.* Rabboth *Iahalom* attribuit zabuloni. A Doctiſſimo Lud. De Dieu datur Nephtali.

DXLI. Adamantes in variis regionibus inveniuntur, ut animadvertit Plinius. Sed optimi in India, præſertim in *Biſnagar*, *Decan* & *Malacca.* Dicuntur adamantes naſci tempore biennii, quidam etiam ex alio adamante, alii in auro. Sed hoc fabuloſum creditur. Affirmat tamen Carolus Cluſius *Exoticor Libro* vii. xlvii. Vide Boetium, *lib.* ii. *cap.* i. ii. iii. & ſequentibus, Delatium, Ruæum & alios.

DXLII. Adamas omnium gemmarum eſt pretioſiſſima. Plinius *Maximum in rebus humanis, non ſolum inter gemmas, pretium habet adamas, diu non niſi Regibus, & iis non niſi paucis cognitus.* Eſt lapis parvus, etſi etiam nonnulli reperiantur, qui l. lx. lxx. ceratia pendent. Tradunt auctores in *Biſnagar* adamantes reperiri

riri cxl. ceratia pendentes. Immo repertum fuiſſe unum magnitudine ovi minoris gallinacei, qui pendet ccl. ceratia. Nobiliſſimus Tavernerius, noſtri temporis ſummus gemmarius. *Itiner. Ind. lib.* ii. *cap.* xii. mentionem facit de *adamante* Magni Mogolis, pendente cclxxix. ceratia: qui ſecundum ejus ſupputationem valeret minimum undecim milliones, ſeptingenta viginti tria millia florenorum; id eſt, ut Latine loquar, ciↄccl. H. S. ſive millies ducenties quinquagies ſeſtertium minimum. Immenſum ſane pretium unius lapilli! In Belgio, ut obſervant Gemmarii, major non eſt viſus, illo quem emit Philippus Hiſpaniarum Rex, ducturus Eliſabetham Henrici II. Galliarum Regis filiam, xlvii. ceratiorum octogies millenis coronatis. De hiſce vide etiam Carolum Cluſium *Exoticor. lib.* vii. *cap.* xlvii.

DXLIII. Virtutes plane mirificæ huic lapidi vulgo attribuuntur. *In medicina efficaciſſimus eſt*, præſertim *Cyprius*. *Adamas & venena*, ait Plinius loco modo laudato, *irrita facit, & lymphationes abigit, metuſque vanos expellit ex mente. Diſſidet etiam cum magnete, in tantum ut juxta poſitus ferrum non patiatur abſtrahi; aut admotus magnes apprehenderit, rapiat, atque auferat.* Addit Hieronymus & *maleficis artibus eum poſſe reſiſtere* Pſellus: ἡμιτεϛταίους πυρετοὺς σβέννυσιν ἐξαρτώμενος. *Febres ſemitertianas ſuſpenſus aut alligatus reſtinguit.* Dicitur præterea adulteria mulierum revelare ſi clam capitibus ſupponatur: peſtem, faſcinationes, incantamenta, inſaniam, inſomnia, incubos & ſuccubos, dæmonumque nocumenta & præſtigia arcere, conſtantiam, victoriam animique fortitudinem efficere. Quidam tamen adamantem nocentiſſimum venenum dicunt. Sed omnia vana & ficta eſſe nullus dubito. vide plura apud Boetium, Carolum Cluſium, alios.

Cap. XIV.

De לשם Hyacintho.

לשם Leſchem *eſt ſeptimus lapis. Alibi in S. Scriptura non reperitur. variæ verſiones.* זוזין ברלא Achates *hominis faciem repræſentans.* לשם *pro* Semel, ſimulacrum, *hinc ſimile.* Leſchem *urbs Dani ceſſit. Ibi prima Idolatria committitur* מאטישטא *pro* אמאטישטא Amethyſto, *ἀμέθυςος non eſt* לשם. כוחלין *&* כוחל. *λιγύριον, λίγυρον & λιγκύριον. Varii auctores.* קנכירינון Kanchirinum, *&* קנכירי Kanchire *pro* לנכירי Lynchurius. Lyncurius *an* Succinum? לשם *quaſi* gleſſum, *male ſtatuit Geſnerus.* Succinum *veteribus Germanis dictum* gleſſum *quaſi* glaß vitrum glaß *dici a* גלוש *geluſch glaber* glat. Succinum *non poni inter gemmas. Pſelli de Ligurio judicium.* Lincurium *utrum Panthera. Varii auctores.* אפנטורין *&* פנטירי *pro Panthera.* Lyncurius *an ex Lyncis urina? Varii auctores. Fabula de* Lyncis urina. Lyncurius *a* Linguria. *Lyncurius ſculpturæ aptus.* לשם *eſſe* Hyacinthum. *Apocal.* XXI. *mentionem facit de Hyacintho. veterum hyacinthus ut plurimum cæruleus. Vexillum Danis. Ejus color inſtar Saphiri. Varii auctores.* Hyacinthi *flores & gemmæ variorum colorum. Hodiernis Gemmariis* hyacinthi *ſunt aurei coloris, ideo magis* chryſolithi. *Ejuſmodi* hyacinthos *utrum agnoverit Plinius?* Hyacinthi *deſcriptio ex Boetio. Epiphanius quinque ſpecies* hyacinthorum *ponit. Arabum* Natef Νάτιβος. לשם *optima* hyacinthus. Jacinthe labelle. *Varii auctores* כוחלין Cochalin, כוחל cochal *&* פוך ſtibium, carbunculus *&* hyacinthus *accedens ad carbunculum.* Hyacinthi *locus natalis. Ejus virtutes.*

DXLIV. SEptimus lapis eſt לשם *Leſchem.* In S. Scriptura alibi non reperitur; ideo ex verbo Dei de eo nihil certi tradi poteſt. Arabs habet جزع *Geza.* Latinus vertit *ligurium.* Syrus ܩܢܩܢܘܢ *Kankanun.* quod latinus vertit *Achaten.* Targum Jeruſalemitanum habet זוזין *Zuzin.* At quid hoc ſignificet incertum eſt. Videtur quidem derivari a זוז *moveri,* ideoque ſignifi-

ſignificare lapidem cujus ſplendor mobilis eſt, quod attribui poſſet *opalio*, ut mihi videtur. Sed talem fuiſſe lapidem nullis rationibus hactenus probatum eſt. Paraphraſtes Cantic. v. xiv. habet ברלא *Birla*, id eſt *beryllus*. Sed ille ſolus, quantum ſciam, in hac ſententia eſt.

DXLV. Quidam לשם *Achatem* crediderunt, quod animadvertit doctiſſimus Jacobus Altingius, in ſua Oratione de Ephodo & Pectorali. Et talem quidem *Achatem*, quæ variis maculis hominis faciem inverſam repræſentaret. Ideo volunt hunc lapidem dictum eſſe *Leſchem*, per metatheſin literarum, ſcilicet לשם *Leſem* pro סמל *Semel*, quod *ſimulacrum* ſignificat, unde & Latine *ſimile*. Volunt igitur huic lapidi inſculptum fuiſſe nomen *Danis*, quod urbs *Leſchem* illi ceſſerit in ditionem, quod is, vitiata Religione, primum ſimulacrum erexerit publice. Sed cum hæc nulla auctoritote probentur, eadem facilitate, qua dicuntur, rejici poſſunt. Abarbanelius habet מאטישטה *Matiſta*, ſed corrupte pro אמטישטה *Ametiſta*, id eſt ἀμέθυςος. Et hunc videtur ſecutus Junius, qui habet *Cyanum*, qui *amethyſto* non eſt valde abſimilis. Sed infra patebit אחלמה eſſe *amethyſtum*. Rabboth Schemoth habet כוחלין *Cochalim*. Eſt autem כּוחל *cochal* lapis pretioſus *carbunculus*, ut a quibuſdam dicitur. Sed de hoc plura vide in fine hujus capitis.

DXLVI. Septuaginta, Joſephus, Epiphanius, Hieronymus, vulgatus, Lutherus, Belgæ, Galli, Angli, Diodati & alii habent λιγύϱιον, λίγυρον, & λιγκύϱιον, quod ſignificat *Lyncurium*. Jonathanus, etſi in Cantic. cap. v. legatur *Beryllus*, tamen hic habet קנכירינון *Kauchirinun*. Cum hoc videtur convenire Syrus per vocem *Cancanun*. Sed hanc vocem corruptam credo, & legendum eſſe ל pro ק לנכירינון *Lynchirinun*, id eſt *Lyncurium* Onkeloſius habet קנכירי *Kanchire*. Iterum mutari debet ק in ל, ut legatur לנכירי *Linchire*, id eſt *Lynchurius*. Habent igitur optimi & vetuſtiſſimi interpretes *Lyncurium*.

DXLVII. Sed qualis lapis fuerit inquirendum eſt. Quidam *Lyncurium* putarunt nihil aliud eſſe, quam optimum ſuccinum, Ideoque ei attribuunt omnia illa quæ ſuccino proprie conveniunt. Theophraſtus de Lapidibus: ἕλκει γὰρ ὥσπερ καὶ ἤλεκτρον. οἱ δὲ φασιν οὐ μόνον κάρφη καὶ ξύλον, ἀλλὰ καὶ χαλκὸν καὶ σίδηρον, ἐὰν ᾖ λεπτός. *Trahit ſicut ſuccinum: quidam ajunt non ſolum feſtucas & lignum, ſed etiam æs & ferrum, ſi tenue ſit.* videantur etiam Plinius, Strabo & alii.

& alii. Ideo Geſnerus *de* XII. *gemmis* in veſte Aharonis credidit, ipſam etymologiam ſuccini ſive electri aliquomodo in voce לשם *Leſem* latere. Putat enim ſuccinum ſive Lyncurium dici *Leſchem*, & inde deductum eſſe *gleſſum*, quod Germanis veteribus ſuccinum ſignificavit, teſte Plinio *lib.* XXXVII. *cap.* III. Sed mea opinione fallitur doctiſſimus Geſnerus. Veteres enim Germani ſuccinum *gleſſum* vocarunt, non a *Leſchem*, ſed a ſimilitudine vitri; cum ſuccinum vitro ſit ſimillimum. At Germanis vitrum dicitur glaß. glaß non derivatur a לשם *Leſchem*, ſed ab alia voce Hebræa, ſcilicet a גלוש *geluſch*, id eſt *glaber*. Eſt enim Hebræis גלש *detondit*, *deglabravit*, unde & Germanorum Belgarumque glat/ *glaber*, mutato tantum S. in T. quod fieri ſolet. Mihi tamen credibile non eſt לשם ſive *Lyncurium* eſſe *ſuccinum*; cum Theophraſtus & Plinius dicant, eum ſimilem eſſe electro ſive ſuccino, non quod ſit ipſum ſuccinum, quod patebit ex locis quæ mox allegabuntur. Et revera quamvis ſuccinum olim valde æſtimatum fuerit, quamvis ad hunc uſque diem apud Indos appetatur; nihilominus inter gemmas pretioſas non habetur, quemadmodum reliqui lapides in Pectorali, fatentibus Plinio, Epiphanio, Hieronymo, aliis, quod infra oſtendimus. Ideo Pſellus inter lapides ignotos etiam ponit λιγγούριον.

DXLVIII. Subdubitavi aliquamdiu utrum per *Lyncurium* non debeamus iutelligere, gemmam aliquam maculis depictam inſtar *Lyncis* aut *Panthera*. Nam & Lynces, quæ huic lapidi nomen dediſſe a quibuſdam creduntur, maculas habent. Oppianus *Cyneget. lib.* IV.

> Μούνη δ᾽ εἰσιδέειν ἀνεμοίϊος ἔπλετο χροιή.
> *Solus autem aſpectu diverſus eſt color.*

De Lynce ibi loquitur, & ſtatim addit lynces habere colorem *croci & ſulphuris.* Virgilius *Georg.* III.

> *Quid lynces Bacchi variæ. & genus acre luporum?*

Et *Æneid. lib.* I.

> ——— ——— *Et maculoſæ tegmine lyncis.*

Hinc Euripidi in Alceſto dicuntur βαλιαὶ λύγκες *maculoſæ lynces*; ideo inter pantheras ea de cauſa numerantur. Notum eſt apud veteres etiam gemmam in pretio fuiſſe, quam *pantheram*, aut etiam *pardalion* vocabant, ob varias maculas. Plinius *lib.* XXXVII *cap.* XI. *Sunt & a leonis pelle & pantheræ nominatæ leontios, pardalios.*

dalios. Boetius *lib.* II. *cap.* CCCIII. *Panthera alias*, inquit, *Evanto habet diverſos colores in uno corpore mixtos inſtar Pantheræ, unde illi nomen eſt. Habet ſigna in ſe nigra, & rubra, pallida, viridia, roſea, & purpurea. Invenitur in Media.* Hic lapis etiam notiſſimus erat Judæis. Legimus enim apud Jonathanem אפנטורין *Apanturin*, & apud Onkeloſium פנטיר' *Pantire*, quorum utrumque lapidem *pardalion*, ſive *pantherium* ſignificare, quis non videt? Quemodmodum autem hic lapis *pardalius* & *pantherius*, dici ſolebat ob maculas, ſic & *lynceus* ſive *Lyncurius*, ob eandem cauſam. Obſtat tamen quod pantherius inter Jaſpidum genera magis ponatur, quam inter alia. Sed & achates variis maculis depicta eſt, ut & leoninæ pelli ſimilis dicatur a Plinio. Hanc ob cauſam fortaſſis לשם *Achates* a quibuſdam vocatur.

DXLIX. Deinde lapis *lyncurius* dicitur a lynce, non quod maculis notatus ſit, ſed quod ex lyncis urina creſcere credatur. Dicunt enim lyncem, quando urinavit, urinam tegere arena, inſtar felis, & ex iſta urina arena mixta concreſcere lapidem lyncurium. Ælianus *de Animal. lib.* IV. *cap.* XVII. Καὶ ἡ λύγξ δὲ ἀποκρύπτει τὸ οὖρον. ὅταν γὰρ παγῇ λίθος γίνεται, καὶ γλυφαῖς ἐπιτάδειός ἐστι καὶ τοῖς γυναικαίοις κόσμοις συμμάχεται φασὶ δὲ τῆς γλυφῆς. *Et lynx ſuam urinam in terram occultat, quæ ubi concreverit, fit lapis, ad ornatum muliebrem, & ad ſculpturam.* Theophraſtus περὶ λίθων eadem narrat. ἔτι δὲ διαφανή τε σφόδρα καὶ πυῤῥά. Βελτίω δὲ τὰ τῶν ἄργων, ἢ τὰ τῶν ἀῤῥένων, ἢ τὰ τῶν θελείων, ὡς καὶ τῆς τροφῆς διαφερούσης, καὶ τοῦ πονεῖν, ἢ μὴ πονεῖν (καὶ τῆς τοῦ σώματος ὅλως φύσεως, ᾗ τὸ μὲν ξηρότερον) τὸ δ᾽ ὑγρότερον. εὑρίσκουσι δ᾽ ἀνορύττοντες οἱ ἔμπειροι. κατακρύπτεται γὰρ καὶ ἐπαμᾶται γῆν ὅταν οὐρήσῃ. *Porro autem pellucida ſunt valde & ignea: meliora autem e feris quam ex cicuribus, & e maribus quam e fœmellis: utpote & nutrimenti differentis; & aut laborare aut non laborare, & omnino totius corporis naturæ, quatenus hoc ſiccius, illud humidius. Inveniunt autem foſſores periti. Abſcondit enim & aggregat arenam cum minxerit.* Et Plinius *lib.* VIII. *cap.* XXXVIII. *Lyncum humor ita redditus ubi gignuntur, glaciatur, areſcit in gemmas carbunculis ſimiles, & igneo colore fulgentes, lyncurium vocatas, atque ob id ſuccino pleriſque ita generari prodito.* Et *libro* XXXVII. ubi de ſuccino: *Demoſtratus lyncurion id vocat, & fieri ex urina lyncum beſtiarum, e maribus fulvum & igneum, e fœminis languidius atque candidum. Alii dixerunt Langurium, & eſſe in Italia*

lia

lia Langurias, Idem de lynce narrat Plutarchus, in *libello, utrum animalia utantur ratione.* Ariſtoteles, Solinus, Ovidius, Epiphanius, alii. Sed ſi lynx urinam ſuam ita arena tegit, quis dicet ubi minxerit, & an ibi, & quidem ex iſta urina talis lapis concretus ſit?

DL. Fabulam eſſe quidquid dicant de lynce & ejus urina ex ipſis iiſdem auctoribus, quos jam allegavimus, manifeſtum eſt. Expreſſis verbis hoc fatetur Plinius *lib.* XXXVII. *cap.* III, *De Lyncurio proxime dici cogit auctorum pertinacia. Quippe etiamſi non electrum id eſſet, Lyncurium tamen gemmam eſſe contendunt. Fieri autem ex urina quidem lyncis, ſed egeſtam terra protinus beſtia operiente eam, quoniam invideat hominum uſui. Eſſe autem, qualem in igneis ſuccinis, colorem ſcalpique. Nec folia tantum aut ſtramenta ad ſe rapere, ſed æris etiam ac ferri laminas, quod Diocli Theophraſtus credidit. Ego falſum id totum arbitror, nec viſam in ævo noſtro gemmam ullam ea appellatione.* Eodem modo fere Epiphanius λίθος λιγύριον. τούτου δὲ τὴν εὕρεσιν οὐδαμῶς ἔγνωμεν οὔτε παρὰ φυσιολόγοις, οὔτε παρά τισιν ἀρχαίοις τοῖς περὶ τούτων μεμεριμνηκόσιν. *De lapidis ligurii inventione nec apud Philologos, nec apud veteres, qui harum rerum meminerunt, quicquam reperimus.* Eadem eſt ſententia Hieronymi *in Epiſtola ad Fabiolam.* Lyncurius lapis igitur ſic dici videtur, non quod ex urina lyncis ſit natus, ſed a patria, quod ſcil. naſcatur in *Liguria.* Theophraſtus *in Liguria* (περὶ λιγυστικὴν) *effodi dixit*: & Sudines *arborem eſſe, quæ lyncurium gignat in Liguria*, in qua ſententia etiam erat Metrodorus, ut docet Plinius *lib.* XXXVII. *cap.* III. Et Strabo *lib.* II. ubi de *Liguria.* πλεονάζει δ' ἐστὶ καὶ τὸ λιγγούριον (ſive λιγκούριον) παρ' αὐτοῖς, ὅ τινες ἤλεκτρον προσαγορεύουσι. *Abundat ibi etiam Lincurius, a quibuſdam electrum dictum.* hinc & λιγύριος vocatur non minus quam λιγκύριος. Manifeſtum igitur eſt, fabulam de electro, ſive lapide lyncurio, qui naſci dicitur ex urina lyncis, inde ortam eſſe, quod in *Liguria* ſuccinum etiam repertum ſit. Cum autem ſuccinum Græcis antiquioribus maxime notum fuerit, quod in *Liguria* naſcebatur, *Ligurium* illud vocabant, & ob ſimilitudinem vocum *Liguria* & *Lincuria*, more ſuo excogitarunt *Lyncem* animal, quod ipſius cauſa eſſet.

DLI. Sed quamvis Lyncurius non fuerit *ſuccinum*, & quamvis ex urina lyncis concretus non fuerit, nihilominus tamen fuit

fuit gemma ſculpturæ etiam apta. Theophraſtus, loco toties laudato; αὕτη τε δὴ βελτίων τῇ δυνάμει, καὶ τὸ λιγγύριον. καὶ γὰρ ἐκ τούτου γλύφεται, καὶ ἐστὶ στερεωτάτη καθάπερ λίθος. *Hæc autem præſtans viribus, uti & Lyncurium, namque ex ipſo ſculpuntur ſigilla. Eſtque ſolidiſſimum inſtar lapidis.* Omnia fere verbotenus repetit Plinius *lib.* XXXVII. *cap.* III. quem locum ſupra allegavimus.

DLII. Sed cum Lyncurius non ſit concretus ex lyncis urina, & cum non ſit electrum, ſive ſuccinum, quæri adhuc poteſt: quid per *Lyncurium* intelligi debeat? ideoque qualis lapis fuerit gemma לשם? Puto itaque *Lyncurium* adeoque לשם de quo agimus, nihil aliud eſſe, quam certam aliquam *hyacinthum.* In hac conjectura hæſit Epiphanius *libello de* XII. *gemmis in veſte Aharonis.* Καὶ, inquit, ὅτι πῶς ἐν τῇ τῶν λίθων τούτων ὀνομασίᾳ, οὐκ ἐμνήσθησαν καὶ ὑακίνθου, καί τοι γε περιόπτου καὶ ἐντίμου ὄντος λίθου, ὥστε εἰς νοῦν ἡμᾶς λαβεῖν, μήποτε τὸ λιγύριον τοῦτο καλεῖ ἡ θεία γραφή. *Et quia in recenſione lapidum illorum, S. ſcriptura non meminit etiam hyacinthi, qui tamen eſt præcipuus & pretioſus lapis, nobis venit in mentem. num forte S. ſcriptura hunc lapidem* λιγύριον *ita vocaverit.* Et hæc ſententia eſt Hieronymi in *Epiſtola ad Fabiolam.* Adde quod ſi Johannes Apocal. XXI. reſpexit ad lapides pectoralis, *hyacinthus* ibi etiam reperiri debuerit, cum ab eo expreſſe nominetur. Sed cum hyacinthorum varia ſint genera, credibile eſt, lapidem לשם ex illis fuiſſe, qui maxime accedunt ad *ſuccinum*, qua de cauſa *Lyncurium*, *Succinum* & *electrum* ab auctoribus paſſim vocatur.

DLIII. Verum quidem eſt, veteres per hyacinthum ut plurimum intellexiſſe lapidem *Cæruleum.* Plinius *lib.* XXXVII. *cap.* IX. *Ille emicans in amethyſto fulgor violaceus, dilutus eſt in hyacintho.* Eſt igitur ejus color violaceus, ſed dilutior quam in amethyſto. Solinus *in Æthiopia*: *Inter ea quæ diximus nitore cæruleo hyacinthus invenitur, lapis pretioſus, ſiquidem inculpabilis invenitur.* Iſidorus *lib.* XVI. *cap.* IX. *Hyacinthus ex nominis ſui flore vocatur. Hic in Æthiopia invenitur, cæruleum colorem habens.* Ideo Epiphanio πορφυρίζειν dicitur, & poetæ Græci κυανέους ὑακίνθους dicunt. Sed ſupra ad Saphirum oſtendimus cyaneum colorem, eſſe cæruleum. Ob eandem cauſam Ambroſius ad Apocal. XXI. XX. dicit *hyacinthum cœli ſereni colorem habere, qualem & ſaphirus habet.* Talem omnino colorem lapidi לשם attribuit Rabboth Bemidbar. *Paraſcha.* II. ubi Danis vexillo, ideoque huic lapidi colorem ſaphiri attribuit:

buit : דן לשם וצבע מפה שלו דומה לספיר ומצוייר עליו נחש על שם יהי דן נחש *Dan* (ſculptus erat) *in lapide Leſchem, & color vexilli ejus erat ſimilis ſapphiro, & in eo pictus erat ſerpens, quia dicitur* (Genes. XLIX. XVII.) *Dan erit ſicut ſerpens.* Eo videtur reſpexiſſe Abarbanelius, *paraſcha Thezave*, cum לשם expoſuerit מאטישטה *Matiſta*, id eſt *Amethyſtus.* Sane *Amethyſtus*, ut norunt Viri docti, hyacintho eſt admodum ſimilis, ut etiam a quibuſdam inter hyacinthos ponatur: emicat enim in amethyſto fulgor violaceus, quemadmodum in hyacintho, & quidem ſaturatior. Fortaſſis etiam Abarbanelius per Amethyſtum nihil aliud intelligit quam hyacinthum veterum. Nam amethyſti nomine hodie venit ille lapis, quem veteres hyacinthum vocabant: atque ſic eundem videtur intelligere lapidem cum Rabboth. Hos videtur ſecutus Junius, cum לשם vertit *Cyanum.*

DLIV. Sed quamvis *hyacinthus* & *hyacinthinus* color ut plurimum cœruleus tradatur ab auctoribus, & quidem ita, ut, quando de colore ſolo in abſtracto, (ut loquuntur Philoſophi, id eſt nulla habita ratione rei cui ineſt,) loquuntur, ſemper intelligant colorem cœruleum, quod ſuo loco, ubi de תכלת egimus, ſatis oſtendimus: nihilominus tamen diverſorum colorum hyacinthos gemmas memorant ipſi auctores. Eoſdem fere colores, quos animadvertimus in flore *hyacintho*, attribuunt quoque *hyacintho* gemmæ, *cæruleos*, *rubros*, *flavos*, *aureos*. & id genus alia. Hyacinthi gemmæ hodie noſtris gemmariis non ſunt *cœrulei*, ſed aureo colore collucentes, ideoque videntur *Chryſolithi* magis quam *Hyacinthi.* De ejuſmodi hyacinthis loqui videtur Plinius *libro* XXXVII *cap.* IX. *Hyacinthos*, inquit, *Æthiopia mittit & chryſolithos, aureo colore collucentes.* Novi quidem emendationem criticorum qui vocem *hyacinthos* nolunt jungi τῷ *chryſolitho*: quaſi ad præcedentem vocem pertineret, & nova inciperet periodus a voce *Æthiopia*, hoc modo. *Æthiopia mittit & chryſolithos* &c. Hæc dicuntur quidem, ſed non probantur. Non video quæ cauſa ſit, quod veteres non agnoverint *hyacinthos* variorum colorum: cum habuerint *carbunculos*, immo & *ſaphiros* non ejuſdem coloris, uti ſupra audivimus. Doctiſſimus Boetius *lib.* II. *cap.* XXX. præter hyacinthos cœruleos, multas alias recenſet. *Primo genere*, inquit, *continentur ignis inſtar rutilant, ac cocci colorem referunt, minii nativi, aut ſanguinis bilioſi inſtar, Hos Galli* Jacinte la belle,

belle, *vocant, atque proxime Granati Bohemici colorem referunt, ſed dilutiorem, abſque ulla nigredine intermixta. Hi cæteris omnibus præferuntur, ac ad carbunculi genera referri poſſunt: Secundo genere continentur qui rubedine croci flaveſcunt, planeque vitri e ſtibio coccinati, aut plumbi eum lateribus ter in laminam ferri fuſi, & vitrificati colorem repreſentant. Tertio genere continentur, qui ſuccini flavi colorem ita exacte oſtendunt, ut dignoſci a ſuccino niſi duritie aut palea* (quam non attrahunt) *non poſſint.* Epiphanius etiam quinque ſpecies hyacinthorum ponit. ὑάκινθος, inquit, οὗ τὰς μὲν ἰδέας ἔχει διαφόρους ὅσῳ γὰρ εὑρίσκεται ὁ λίθος βαθὺς τῇ χροιᾷ τοσοῦτον ἀναγκαιότερός ἐστι τῶν ἄλλων. ἔοικε δὲ ὑάκινθος τῇ ἐρέᾳ ἡ ὑποπορφυρίζων πως. διὸ καὶ ἡ θεῖα γραφὴ ἐξ ὑακίνθου καὶ πορφύρας τὰ ἱερατικὰ ἐνδύματα κεκοσμῆσθαι φησί. Καὶ ὁ μὲν πρῶτος λίθος καλεῖται θαλασσίτης. ὁ δὲ δεύτερος ῥοδονός. ὁ τρίτος, νάλεβος. ὁ τέταρτος λέγεται χαννιαῖος. ὁ δὲ πέμπτος περίλευκος. *Hyacinthus diverſas habet formas, quo enim lapis reperitur colore profundior, eo cæteris præſtantior eſt; Similis eſt colori lanæ, quæ purpuraſcit aliquatenus. Quapropter divina ſcriptura tradit veſtes Sacerdotales hyacintho & purpura ornatas fuiſſe. Et primus quidem lapis vocatur marinus. Secundus Roſeus. Tertius Nativus* (id eſt exponente Salmaſio ruber, inſtar *Natef*: eſt enim νάλεβος Arabum *Natef*, inſtar paſtelli rubri) *Quartus channiæus. Quintus perileucus.* Pſellus ὑάκινθον dicit etiam θαλαττόχροον *marini coloris.*

DLV. Cum igitur varia ſint genera hyacinthorum, credibile omnino eſt, auctores per lyncurium, ideoque per lapidem לשם intellexiſſe hyacinthum ex optimis illis, qui maxime ad carbunculum accedunt, & qui aliquomodo electrum repræſentant, quales Boetius ponit in primo genere, Gallis *jacinthe la belle*, quod *inſtar ignis rutilat*, ut idem Boetius loquitur. Tales revera *Lyncurios* agnovit Theophraſtus. Sunt enim, ut ait, διαφανή τε σφόδρα καὶ πυῤῥά. Et Plinius: *Lyncum humor areſcit in gemmas carbunculis ſimiles, igneo colore fulgentes.* Videantur loca quæ ſupra allegavimus. Talem gemmam per לשם intellexiſſe Rabboth Schemot, ubi לשם exponit כוחלין *Cochalin.* Eſt autem כוחל *Cochal* lapis pretioſus carbunculo ſimilis, ideo & ipſe carbunculus a Rabinis כוחל dicitur, ut ſupra ad נופך oſtendimus. Dici etiam poteſt, Rabboth intelligere per ſuum כוחל *cochal*, hyacinthum, quem Boetius ponit ſecundo genere, qui *rubedine* (ut ait) *croci* flaveſcit, plane-

planeque vitri e ſtibio coccinnati colorem erpræſentat : nam כחל non minus quam פוך *ſtibium*, & utrumque etiam *carbunculum* ſignificare, ad lapidem נופך oſtendimus. Quidquid dicatur, manifeſtum eſt, optimos auctores per לשם, in veſte S. Pontificis, nihil aliud intellexiſſe, quam optimam *hyacinthum* igneo colore fulgentem, inſtar carbunculi, ſed ad ſtibium & ſuccinum aliquomodo vergentem. Naſcitur hyacinthus in India; Æthiopia & Scythia. Pſellus: ὑάκινθος. τοῦτον τίκτει μὲν Ἰνδία. *Hyacinthum India gignit.*

DLVI. De Hyacinthorum virtutibus quædam memorat Epiphanius: ſcilicet eas non tantum eſſe pretioſas, ſed & miram habere efficaciam. In ignis carbones conjecta non tantum non abſumitur, ſed carbones potius extinguit: immo ſi quis eam panniculo involvat, & in carbones ignitos conjecerit, panniculum etiam illæſum conſervari perhibetur. Dicitur præterea conducere mulieribus parituris, ut facilius pariant: tandem & ſpectra fugare. Pſellus περὶ λίθων δυνάμεων. ἰᾶται, inquit, τὰ πνευματώσεις καὶ ῥήγματα, μελαγχολίαν τὲ παύει σὺν ὄξει ποθείς. *Tuſſes rupturaſque ac Melancholiam ceſſare facit, ſi cum aceto bibatur.*

Cap. XV.

DE שבו ACHATE.

שבו Schebo *Octavus lapis. Alibi in S. Scriptura non reperitur. Variæ verſiones.* אכפור Eſpor. מגניטא Magneta. טרקיא Tarkeja, Turquois. טרפין *idem ac* טרקין Tarquin *pro* Turquois. ἀμέθυστος. *Topazius.* בורלין Burlin, Beryllus. *Apocal.* xxi. *mentio fit* τοῦ βηρύλλου. *Varii auctores.* Achates *quædam viridis inſtar berylli. Broughtonius habet* Chryſopraſe. שבו *eſſe* Achatem *Varii auctores* אבאטים Abatim *pro* אכאטים Achatim, *id eſt*, Achates. *Eſt gemma notiſſima. Varias refert imagines.* Achates *Regis Pyrrhi in qua conſpiciuntur novem Muſæ & Apollo Cytharam tenens. Variæ* Achates. *Plinius & Orpheus de* Achate. Achates *a variis punctis & maculis nomen ſortita eſt.* Achates *ab Hebræo* עקוד Akud, punctis notatum. *Bochartus laudatur.* שבו *Lapis variorum colorum.* Perileucus; Leuchates. *Vexillum* Gadis

ex Rabboth. Epiphanius allegatur. Locus natalis Achatum. *Earum moles. Pretia. Virtutes.*

DLVII. OCtavus lapis eſt שבו *Schebo.* Alibi in S. Scriptura hic lapis non reperitur. Si hujus vocis radicem quæramus, videtur dici שבו a verbo שבה *captum cepit*, aut abduxit: aut a שבי *captivitas, multitudo captivorum.* Sed hæc nihil faciunt ad detegendam ejus naturam.

DLVIII. Paraphraſtes Cantic. v. xiv. habet אספור *Eſpor*, id eſt *Saphirus.* Sed male, ut conſtat ex iis quæ ad ספיר *Saphirum* diximus. Abarbanelius habet מגניטא *Magneta.* Sed *Magnes* inter gemmas non reputatur; nec illius meminit ullus ex vetuſtioribus interpretibus. Onkeloſius vertit טרקיא *Tarkeja*, id eſt *Turquois.* Jonathan, cum alibi habeat ואספור hic tamen ponit ערקין *Arkin.* Sed hoc corruptum eſt, mea opinione, & legendum eſt ט pro ע hoc modo טרקין *Tarkin:* quod iterum ſignificabit *Turkois.* Sed *Turkois* veteribus notum fuiſſe, & ſub quo nomine, incertum eſt; ideo de hac gemma non multa dicenda habeo. Joſephus habet ἀμέθυϛ☉. Sed probabilius eſt ſequentem lapidem eſſe *Amethyſtum.* Judæis Germanis hodie dicitur *Topazius.* At Topazius eſt פטדה, ut ſuo loco oſtendimus. Targum Jeruſalemitanum habet ברולין *Berulin*, id eſt *Beryllus.* Sed qua auctoritate non video, niſi forte per Beryllum intellexerit Achatem. Johannes Apocal, xxi. inter lapides pretioſos, quos recenſet, etiam ponit βήρυλλον. Si autem reſpexit ad xii. lapides in Pectorali, neſcio qualem intellexerit per ſuum βήρυλλον niſi noſtrum שבו *Schebo.* Sed & ipſe *Beryllus* qualis ſit *Achates.* Enimvero reperiuntur nonnunquam Achates quæ ſunt ſubvirides inſtar berylli. Broughtonius vertit *Chryſopraſe.* Sed ſolus eſt, quantum ſciam, qui ſic vertit. Forte inde factum eſt, quod viderit, a quibuſdam dici *Beryllum*; nam *Beryllus Chryſopraſo* non eſt adeo diſſimilis.

DLIX. Et ſane maxima pars interpretum, שבו vertunt *Achatem.* Sic habent ſeptuaginta, vulgatus, Hieronymus, Epiphanius, Junius, Lutherus, Belgæ, Galli, Angli & alii. In eadem ſententia fuit *Rabboth Schemoth*, cum pro שבו etiam habeat אבאטים *Abatim.* Sed legendum eſt proculdubio כ pro ב (facile

enim hæc litera pro illa ſcribi poteſt, ab imperitis librariis) hoc modo אכאטים *Achatim*, id eſt *Achates*.

DLX. Hodie fere nulla gemma magis nota eſt quam *Achates*. Eſt enim lapis ille pulcherrimus, variis coloribus, imaginibuſq; decoratus; ut fere nihil exſtet quod natura in hoc lapide non depinxerit; Cœlum, ſtellas, nubes, aves, terram, mare, flumina, fontes, herbas, arbores, ſylvas, flores, ædes, urbes, omnium generum animalia, denique & homines, nudos, veſtitos, & quicquid fere reperitur in hoc orbe condito. Sed omnium celeberrima eſt *Achates* Pyrrhi Regis, in qua ſpectabantur novem Muſæ, & Apollo Cytharam tenens, non arte ſed natura pingente, variis lineis & coloribus ita diſcurrentibus, teſte Plinio, *lib.* XXXVII. *cap.* I. Et pro variis picturis, varia etiam nomina accepit. *Phaſſachates, Anthachates, Hæmachates, Leuchates, Dendrachates, Sardachates, Corallachates, guttis aureis ſaphiri modo dinſtincta, qualis copioſiſſima in Creta, Sacra appellata* &c. Datur etiam Achates leoninæ pelli ſimilis. Vide Plinium eodem libro *cap.* X. ubi multa alia reperies. Nulla ſane eſt gemma de qua plura dixerit Orpheus, in ſuo libello *De Lapidibus*, aut quiſquis iſtius libelli ſit auctor, quam de *Achate*. Paucula tantum hic annotabimus.

Καὶ πολυειδέα πῖνε μετ' ἀκρήτου βρομίοιο,
Μορφὴν παντοίην ἐπιειμένον ἐσθλὸν Ἀχάτην.
Πολλὰ μὲν οὖν ῥέα γ' ἐστὶν Ἀχάτου χρώματ' ἰδέσθαι.
Ἐν γάρ οἱ δήεις ὁρόων ὑάλωπιν ἴασπιν,
Σάρδια θ' αἱματόεντα, καὶ αἰγλήεντα σμάραγδον.
Ἐν δ' ὅγε μιλτοπάρηος, ἀτὰρ καὶ χαλκὸν ἐν αὐτῷ
Δήεις, καὶ χροιὴν ἐαροτρεφέος μήλοιο.
Ἀλλ' οἷος πάντων προφερέστατος εἴκε μιν εὕροις
Εἶδος ἔχοντα δαφοινὸν ἀμαιμακέτοιο λέοντος.

Et multiformem bibe cum mero vino,
Forma omnis generis indutum bonum Achatem.
Multos quidem facile eſt Achatis colore videre.
In ipſo enim invenis vitreum Iaſpidem,
Sardium ſanguinolentum, & ſplendentem Smaragdum.
Inde ille minio coloratus, poſtea & ferrum in ipſa
Invenis & colorem verni pomi.

Sed

Sed ſolus omnium utiliſſimus, ſi ipſum invenias,
Formam habentem fulvi indomiti Leonis &c.

DLXI. Propter varios iſtos colores & puncta nomen ſuum ſortita eſt *Achatet*. Eſt enim hoc vocabulm non Græcum nec Latinum, ſed Hebræum עקוד *Akud*. Hinc *Achud*, *Achad*, & tandem terminatione Græca factum eſt *Achates* Significat autem Hebræis עקוד *Akud*, *punctatum*, aut punctis & maculis notatum, quales fuerunt hirci Jacobi Geneſ. xxv. xxxv. Cum igitur hæc gemma ita ſit punctata, non mirum ſi etiam *Achates*, quaſi diceres *punctata*, dicatur. De his vide plura apud doctiſſimum Bochartum, in ejus *Phœnicia lib.* I. *cap.* XXX.

DLXII. שבו de quo agimus, lapidem fuiſſe variorum colorum, docet *Rabboth Bemidbar*, loco toties laudato. Sed *albi* præſertim & *nigri* coloris eum tradit, ut *Perileucus*, aut *Leuchates* videretur, quales inter præſtantiſſimas *Achates* recenſent noſtri gemmarii, ut videre eſt apud Boetium *lib.* II. *cap,* XCVI. Docet itaque Rabboth *Schebo* inſcriptum habuiſſe nomen Gadis, & vexillum ejus fuiſſe mixtum ex albo & nigro. Supra jam ſæpius monuimus vexilla habuiſſe eoſdem colores, quales tribus habebant in gemmis Pectoralis. גד inquit, שבו וצבע מפה שלו לא לבן ולא שחור אלא מעורב שחור ולבן ומצוייר עליו מחנה של שם גד גדוד יגידנו. *Gadis* (nomen inſcriptum eſt) *lapidi Schebo, & color vexilli ejus nec albus nec niger erat, ſed mixtus ex nigro & albo, & depicta habebat caſtra, quia dicitur* (Geneſ. XLIX. XIX.) *Gad, turma turmatim populabitur eum.* Hujuſmodi Achatem videtur intellexiſſe Epiphanius *cap.* VIII. λίθος Ἀχάτης. οὗτος ὑπελήφθη εἶναι περίλευκος καλλούμενος ὃς ὑπὸ τὴν ὑάκινθον εὑρίσκεται) *Gemma Achates hanc ſuſpicati ſunt quidam eam eſſe, quæ dicitur perileucos, quæ in hyacinthi mentione dicta eſt.*

DLXIII. Ubique locorum fere hodie reperiuntur *Achates*, in India, præſertim in Germania, ſub ditione Landt-Gravii Lichtenbergenſis, & in Bohemia, & tam elegantes quidem ut cum Indicis certare poſſint. Indicæ tamen cæteris præferuntur. Olim celebriores inveniebantur in Sicilia juxta flumen ejuſdem nominis, uti conſtat ex Theophraſto, Plinio, Solino, Iſidoro & aliis.

Tanta mole aliquando excreſſit Achates, ut pocula & ſcyphi inde fieri poſſint. Piſis ad monumentum Gregorianun in campo ſancto dicuntur exſtare duæ cruſtæ ovatæ, amplitu-

plitudine ferme cubitali, ut refert Boetius *lib.* II. *cap.* XCVI. Idem Boetius tradit, ſe vidiſſe fruſtum duarum palmarnm latitudine, cui Julii cæſaris imago, & uxoris ejus tam artificioſe olim inſculpta fuerat, ut octo millibus thalerorum (uti loquitur) venditum fuerit. *Sed antiquitas*, addidit, *operis augebat pretium.*

DLXIV. Achates quidem hodie ob molem & magnam copiam, non ſunt in magno pretio: ut alicui mirum videri poſſit, in Pectorali repertam fuiſſe hanc gemmam. Nihilominus optimæ Indicæ, & Bohemicæ non plane reiiciuntur, adeo ut non viliores habeantur *Sardonyche*, ut docet Boetius. Olim eas magno pretio æſtimatas fuiſſe, cenſtat ex Theophraſto, Plinio & aliis. Theophraſtus libello περὶ λίθων. Καλὸς δὲ λίθος καὶ ὁ ἀχάτης, ὁ ἀπὸ τοῦ Ἀχάτου ποταμοῦ τοῦ ἐν Σικελίᾳ. καὶ πωλεῖται τίμιος. ἐν Λαμψάκῳ δὲ ποτ᾽ ἐν τοῖς χρυσίοις εὑρέθη θαυμαστὴ λίθος, ἐξ ἧς ἀνενεχθείσης πρὸς τίεραν, σφραγίδιον γλυφερὸν ἀνεπέμφθη βασιλεῖ διὰ τὸ περιττόν. *Pulcher autem lapis eſt & Achates, ex Achate fluvio Siciliæ, & venditur magno pretio. Ac Lampſaci aliquando in aurifodinis inventa fuit mirabilis gemma, ex qua miſſa Tyram, ſigillum ſculptile miſſum Regi propter excellentiam.* Plinius *lib.* XXXVII. *cap.* X. *Achates in magna fuit auctoritate: nunc in nulla eſt: reperta primum in Sicilia juxta flumen ejuſdem nominis, poſtea plurimis locis.* Proculdubio tempore Moſis adhuc in magna fuit auctoritate, ut non mirum, ſi adhibita fuerit inter reliquas gemmas ad ornatum Pectoralis.

DLXV. Raras & plane mirificas virtutes huic gemmæ auctores ſolent attribuere, præſertim Orpheus, qui docet: contra ſcorpionum ictus valere, mulieribus virum amantem reddere, homines efficere eloquentes; eam geſtanti omnes conatus feliciter ſuccedere; febrim ſanare, & quartanam, & id genus alia. Plinius loco modo laudato. *Leoninæ pelli ſimiles, potentiam habere contra ſcorpiones dicuntur. In Perſis vero ſuffitu earum tempeſtates averti, & præterea flumina ſiſti.* Ideo Orpheus ait: πάντων προφερέστατον eſſe εἶδος ἔχοντα δαφοινὸν ἀμαιμακέτοιο λέοντος. *Omnium utiliſſimam, formam habentem fulvi indomiti Leonis.* De remedio adverſus morſus ſcorpionum, viperarum & aliarum beſtiarum vide etiam Epiphanium. Hinc fabula nata eſt, Aquilam nido ſuo imponere *Achatem*, ut pullos ſuos contra venenatarum beſtiarum morſum tutos redderet. Rubrum tandem Achatem tradunt viſum acuere, & ab omni injuria defendere.

CAP. XVI.

DE אחלמה AMETHYSTO

אחלמה Achlama *nonus lapis. Alibi in S. Scriptura non exſtat. Dictus a* חלם ſomniare *quod ſomnia ciet.* Eumeces *apud Plinium.* זמרגדין Smaragdin. טבאג Tabag *corrupte pro* אכאט Achat, *aut* טפאז Topaz *id eſt* Topazius עין עגלא Oculus vituli. Oculus Beli *apud Plinium.* Leucophthalmus *&* Lycophthalmus. Onyx Indica. *Varii auctores. An per* oculum vituli *Achates intelligi debeat? Joſephus allegatur.* אחלמה *eſſe* Amethyſtum. *Varii auctores.* הימיסין *in Rabboth corrupte pro* המיתיסין Hamithiſin *pro* Amethyſtus. *Ejus fit mentio Apocal.* XXI. Amethyſtus *qualis gemma. Vinum colore refert, & uvas maturas,* **Blaauwe-druyven.** *Varii auctores. Plura genera Amethyſtorum. Omnes violacei coloris quid habent. Veterum purpura* amethyſtina. אחלמה *vini colorem habere docet Rabboth. Color vexilli Nepthali.* οἰνωπός. *Theophraſtus, Plinius, Epiphanius, Scaliger citantur. Locus natalis* Amethyſtorum. *Optimæ Indicæ. Earum pretia, Virtutes.*

DLXVI. NOnus lapis eſt אחלמה. Et hic lapis alibi in Sacra Scriptura non exſtat: ut nec de eo ex verbo Dei aliquid certi dici poſſit.

DLXVII. Hæc gemma dicta videtur אחלמה *Achlama* a verbo חלם *chalam*, id eſt *ſomniare.* Hinc colligunt Judæi, *Aben Ezra, Abarbanelius* & alii hunc lapidem ita dictum eſſe, quod geſtantibus ſomnia inducat. Cujus autem generis ſit non docent. Plinius ſane *lib.* XXXVIII. *cap.* VII. mentionem facit alicujus lapidis, qui talem vim habeat. *Eumeces*, inquit, *in Bactris naſcitur ſilici ſimilis, & capiti ſuppoſita viſa nocturna oraculi modo reddit.* Utrum Judæi eundem intellexerint lapidem incertum eſt.

DLXVIII. Targum Jeruſalemitanum habet זמרגדין *Smaragdin*, id eſt *Smaragdus.* Sed hic erratum eſſe patet ex iis quæ ad ברקת diximus. Paraphraſtes Cantic. v. XIV. habet טבאג *Tabag.* ſed quid hoc ſignificet nemo dicet. Suſpicor tamen hoc vocabulum eſſe

corruptum, & legendum eſſe אכט *Achates.* aut potius טפאז *Tapaz*, id eſt *Topazius.* Sed Jonathanus & Onkeloſius ipſi, ubi de gemmis in pectorali agitur, pro אחלמה habent עין עגלא *Een Egla.* i. e. *oculus vituli.* Ita & Szrus ܥܝܢ ܥܓܠܐ *Een Egla* Iterum incertum eſt quid per oculum vituli intellexerint, niſi forte gemmam illam, quam Plinius vocat *oculum Beli*, *lib.* XXXVII. *cap.* X. *Beli oculus albicans pupillam pingit nigram e medio aureo fulgore lucentem: Hæc propter ſuam ſpeciem ſacratiſſimo Aſſyriorum Deo dicatur.* Aut fortaſſis eſt *Leucophthalmus*, aut, ut legit Boetius *lib.* II. *cap.* XCIX. & Geſnerus *lib.* I. *de figur. lapidum*, *Lycophthalmus*, *oculus lupi rutila alias*, *oculi ſpeciem candidam nigramque continens*, ut docet Plinius eodem loci. Et *cap.* XI. *Lycophthalmus.* inquit, *quatuor eſt colorum, ex rutilo ſanguineo: in medio nigrum candido cingitur, ut luporum oculi, illis per omnia ſimilis.* Sed onychem Indicam aut Arabicam forte intelligunt per ſuum *oculum vituli.* Nam & hæc oculum non male repræſentat, tradente Plino, eodem libro *cap.* VI. *Zenothemis Indicam Onychem* plures habere varietates, igneam, nigram, corneam. cingentibus candidis venis oculi modo, intervenientibus quarundam oculis obliquis venis. Tandem & *Achatem* intelligi per *oculum vituli*, dici poſſet: cum reperiantur *Achates*, quæ formam oculi exacte repræſentant. Nihilominus quid Chaldæi proprie intellexerint per עין עגלא *oculum vituli*, mihi adhuc latet. Joſephus habet ἀχάτην; ſed videtur confudiſſe ἀχάτην & ἀμέθυστον, quod forte factum eſt incuria librariorum, qui codices male exararunt. Si hoc factum eſt, tunc per שבו intellexit *Achatem*, & per אחלמה *Amethyſtum*

DLXIX. Septuaginta & Epiphanius vertunt Ἀμέθυστον. Sic & vulgatus, Hieronymus, Junius, Lutherus, Belgæ, Galli, Angli, Diodati, aliique bene multi. Rabboth Schemoth habet חמיסין. Hæc vox corruptiſſima eſt, & legi debet המיטיסין *Hamuthiſin* pro ἀμέθυστος. Ita ſane ego hoc vocabulum emendo. *Amethyſti* etiam meminit Johannes Apocal. cap. XXI. ut ſi ad gemmas in pectorali reſpexit, אחלמה eum intellexiſſe credibile ſit. Eſt igitur *Achlama*, ſecundum optimos vetuſtiſſimoſque auctores; *Amethyſtus.*

DLXX. Naturam Amethyſti nunc indagabimus. Eſt autem lapis violacei coloris & videtur a vini colore nomen habere, quod paucis

aucis docet Theophraſtus in libello de lapidibus : *τὸ δ' ἀμέθυστον*, inquit, *οἰνωπὸν τῇ χρόᾳ*, *Amethyſtus vinum colore refert.* Alii volunt Amethyſtum *uvas maturas colore referre* : uvas ſcilicet non albas, ſed violaceas, Belgis **Blaauwe Druyven.** Sed audiamus Plinium, qui non tantum colorem, ſed & virtutes, & præſtantiam, & locum natalem, id eſt quidquid ad explicationem hujus gemmæ requiritur, ſatis fuſe exponit *lib.* XXXVII. *cap.* IX. *Principatum amethyſti Indicæ tenent. Sed in Arabiæ quoque parte, quæ finitima Syriæ Petræa uocatur, & in Armenia minore, & in Ægypto, & in Gallia* (Agricola *lib.* VI. *de foſſil.* legit *Galatia*) *reperiuntur: ſordidiſſimæ autem Viliſſimæque in Thaſo & Cypro. Cauſam nominis afferunt, quod uſque ad vini colorem accedens, prius quam eum deguſtet, in violam deſinat, fulgorque quidem in illa purpura non ex toto igneus, ſed in vini colorem deficiens. Perlucent autem omnes violaceo colore, ſcalpturis faciles. indicæ abſolutam felicis purpuræ colorem habent: ad hancque tingentium officinæ dirigunt vota. Fundit autem eum aſpectum leniter blandum, nec in oculos, ut carbunculi, vibrat. Alterum earum genus deſcendit ad hyacinthos. Hunc colorem Indi Sacon vocant, talem gemmam Sacodion. Dilutior ex eodem ſaphiros vocatur. Eadem paranites in contermino Arabiæ, gentis nomine. Quartum genus colorem vini habet. Quintum ad viciniam Cryſtalli deſcendit, albicante purpura dejectu. Hoc & minime probatur quando præcellens debet eſſe in ſuſpectu, velut ex carbunculo refulgens quidam in purpura leviter roſeus nitor. Tales aliqui malunt pæderotas vocari, alii anterotas, multi Veneris gemmam, quod maxime videtur decere & ſpecie & colore extremo gemmæ.* Et paulo poſt: *Multum ab eo diſtat hyacinthos, tamen è vicino deſcendens. Differentia hæc, quod ille emicans in amethyſto fulgor violaceus, dilutus eſt in hyacintho. Primo quoque aſpectu gratus, evaneſcit antequam ſatiet, adeoque non implet oculos, ut pene non attingat. marceſſens celerius nominis ſui flore.* Addam integram quoque deſcriptionem *Amethyſti*, ex Epiphanio, *de* XII. *lapidibus*, *cap.* IX. Λίθος Ἀμέθυστος, οὗτος κατὰ τὴν αὐτοῦ περιφέρειαν φλογίζων ἐστὶ βαθέως. ἡ δὲ αὐτή ἐστι λευκοτέρα ἐκ τοῦ μέσου, οἰνωπὸν ἀποπέμπουσα εἶδος. ἡ δὲ μορφὴ αὐτοῦ διάφορος. τάχα δὲ καὶ αὐτὸς ἐν τοῖς ὄρεσι γίνεται τῆς Λιβύας ὁ μὲν γὰρ αὐτῶν ἐστιν ὑακίνθῳ καθαρῷ παραπλήσιος. ὁ δὲ ἀμφικόχλῳ. γίνεται ἐν ταῖς ὄχθαις τῆς θαλάσσης τῆς αὐτῆς Λυβίας. *Amethyſtus circumferentiam habet profundo ceu colore flammæ ardentem. ipſa vero circumferentia in medio albior eſt, & vini colorem*

vibrat, Forma ejus eſt varia. forte autem & ipſa in montibus Lybiæ naſcitur. Quædam ex eis puro hyacintho eſt ſimilis, altera vero purpuræ, naſciturque in litore & præruptis locis maris ejuſdem Lybiæ. Varia igitur genera amethyſtorum, ſed omnia violacei coloris quid habent, præſertim illa gemma quæ *Sacodion* dicitur. Hinc Pſellus: Αμέθυσος, inquit, ὑακινθώδης μὲν ἐςι τὴν χροὰν, *Amethyſtus hyacinthini coloris eſt.* atque ita quidem, ut, quo propius accedunt ad purpuram, & quo plus habent de carbunculi igne, eo præſtantiores ſint: ut etiam veterum purpura violacea *amethyſtina* dicta ſit a Plinio, quod alibi probavimus.

DLXXI. Quod autem אחלמה ſive *amethyſtus* vini rubri colorem referat, docet quoque *Rabboth Bemidbar.* Dicit enim אחלמה inſcriptum habuiſſe nomen Nephtali, & colorem vexilli ejus fuisſe inſtar vini clari, cujus rubor non eſt ſaturatus. נפתלי אחלמה וצבע מפה שלו דומה ליין צלול שאין אדמתו עזה ומצוייר עליו אילה על שם נפתלי אילה שלוחה *Achlama* (inſcriptum habet nomen) *Nephtali, & color vexilli ejus ſimilis erat vino claro, cujus rubor non eſt ſaturatus; & depictam habebat cervam, quia dicitur) Nephtali eſt cerva emiſſa.* Ecce quam bene hæc conveniant cum verbis Theophraſti, Plinii, & Epiphanii, qui *amethyſtum* dicunt οἰνωπὸν, vini nempe colorem referentem. Optime etiam Scaliger in Exercitat. dicit in amethyſto eſſe vinoſum colorem, ſed parciorem:

DLXXII. Ex Plinio jam ſatis conſtat, quinam ſint loci natales amethyſtorum. Sed naſcuntur etiam in Germania, ut in Miſnia & Bohemia, ſed eæ dilutiores & molliores, ideoque viliores quam in India. Optimæ ſunt Indicæ quæ ſunt ſatis duræ, abſolutumque felicis purpuræ colorem habent: atque hæ, ut ſunt raræ, ſic & caræ ac pretioſæ. Talis proculdubio fuit אחלמה in Pectorali. De Amethyſtorum pretio vide Boetium *lib.* II. *cap.* XXXIII.

DLXXIII. Raras eis attribuunt virtutes auctores. Judæi, ut audimus, docent eam geſtantibus ſomnia inducere. Dicuntur præterea ebrietatem inhibere, ideoque Græcis ἀμεθύςȣς vocari; malas cogitationes prohibere, ſœlix ingenium, vigilantiam, ac induſtriam efficere, immo geſtantem Principum gratiam ſibi facile conciliare. Sed audiamus Plinium, loco modo laudato. *Magorum vanitas*, inquit, *reſiſtere ebrietati eas promittit, & inde appellatas. Præterea ſi lunæ nomen ac ſolis ſcribatur in iis: atque ita ſuſpendantur è collo capillis cynocephali vel plumis hirundinis, reſiſtere veneficiis.*

neficiis. Jam vero quo modo adeſſe reges adituris. Grandinem quoque avertere, ac ſimilia, & locuſtas, precatione addita, quam demonſtrant. Nam è Smaragdis quoque ſimilia promiſere, ſi aquilæ ſcalperentur, aut ſcarabæi: quidem ſcripſiſſe eos non ſine contemptu & irriſu generis humani arbitror, Pſellus: de Αμεθύςῳ. ἰᾶται ἡ καὶ κεφαλαλγίας, καὶ τοὺς πίνοντας οἶνον φυλάττει νήφοντας, ὅθεν αὐτῷ καὶ τ' ὄνομα. *Sedat dolores capitis & vinipotores conſervat ſobrios, unde & illi nomen.*

CAP. XVII.

DE תרשיש CHRYSOLITHO.

תרשיש Tarſchiſch *decimus lapis. Ubi exſtet? Variæ verſiones.* Turquois. *Apud veteres nomen* Turquois *ignotum.* Turquois *an dicatur* Tarſchiſch *à ſimilitudine ſoni?* ταρσεῖς Tarſis *multi retinent. Inter quos eſt Coccejus.* כרום ימא Kerum jama, & כרום ימא רבא Kerum jama Rabba. קרומחסין *an corrupte pro* קרום ימין *Qualis gemma ſit?* Spuma maris. Fuligo maris. *utrum* Turquois? *an* Beryllus? θαλασσοβαφής. Aqua marina. פירלה Pirle *pro* Beryllus Thalaſſius. פרוזג Perozag *corrupte pro* פרזוז Prazus, *id eſt* Prazus. *Varii auctores.* כרום ימא *utrum* Opalus? verſicolores. כרום Kerum *eſt avis colorem mutans. Et mare colores mutat. Pulcherrima gemma eſt* Opalus, *ſed ſcalpturæ non eſt apta.* תרשיש *non eſſe hyacinthum* cœruleum *ut vult Jachias: nec* Cyaneum *ſecundum Bochartum. Ejus hallucinatio. Coccejus* Sardonychem *docet, ſed male. Locus Cantic.* V. XIV. *examinatur. Apocal.* IV. & *Daniel.* X. VI. *allegantur.* תרשיש *eſſe* Chryſolithum. *Varii auctores. Ejus meminit Johannes Apocal.* XXI. XX. *Quænam gemma ſit* Chryſolithus. *Dicitur* ἀπὸ τοῦ χρυσοῦ *ab* auro. *Hodiernis gemmariis dicitur* Topazius. *Varias gemmas* Chryſolithos *dici. Sed veræ quibus nullum vitium, & quæ aureo colore maxime tranſlucent. Talem fuiſſe* תרשיש *probatur ex Daniele* X. V. VI. *Hujus loci expoſitio apud Coccejum Ejus lapſus. Apocal.* IV. III. *allegatur.* וגויהו כתרשיש *quomodo intelligendum? A* cingulo aureo *corpus* aureum *dici* כתם & אופז. *Iterum allegatur Cantic.* V. XIV. *Inde probatur* תרשיש *eſſe* Chryſolythum. *Idem probatur ex nomine* תרשיש. *Utrum ſic dicta* תרשיש *ab urbe* תרשיש

Tarſis *in Hiſpania? Error Bocharti id ſtatuentis.* Tarſis *Hiſpanica tempore Moſis nondum exſtitit.* Tarſis *tamen ſæpiſſime Provinciam aut civitatem ſignificat. Huic gemmæ unde nomen. Multa loca S. Scripturæ allegantur.* Tarſis *Indica antiquiſſima? In India naſci optimas* chryſolythos. *Talem fuiſſe, de qua agimus,* תרשיש *credibile eſt.* Chryſolithorum *moles. Earum locus natalis. Sunt raræ & pretioſæ. Earum virtutes.*

DLXXIV. Decimus lapis eſt *Tarſchiſch.* Illius etiam fit mentio Ezech. I. XVI. & X. IX. & XXVIII. XIII. Cantic. V. XIV. & Dan. X. VI.

DLXXV. Lutherus & Belgæ habent *Turkois.* Sed male: cum hic lapis apud veteres non fuerit notus nomine *Turkois*, immo cum hactenus dubium ſit, utrum veteribus ullo modo cognitus fuerit, ut ſupra oſtendimus ad lapidem octavum. Sunt qui exiſtimant, ſic dici ob ſimilitudinem ſoni, ac ſi diceretur *Turkois*, quaſi *Turſis*, aut *Tarſis* a תרשיש *Tarſchiſch.* Theodotio & Symmachus vocabulum *Tarſis* retinent, teſte Hieronymo in Danielem, cap. X. VI. Sic & ſeptuaginta Ezech. I. XVI. & Cantic. V. XIV. & Dan. X. VI. habent ταρσεῖς. Hos ſequutus eſt doctiſſimus Coccejus: nam ubique fere *Tarſis* retinet. Sic & Hieronymus & alii. Septuaginta bis exponunt *ἄνθρακα carbunculum*, ut Ezech. X. IX. & XXVIII. XIII.

DLXXVI. Onkeloſius & Targum Jeruſ. habent כרום ימא *Kerum jama* (peſſime legit Geſnerus *Karus jama*) Jonathanus כרום ימא רבא *Kerum jama Rabba.* Cum his videtur convenire Rabboth Schemoth, quæ habet קרומטסין *Kerumtaſſin* Sed hæc vox corrupta eſt, & legi debet, mea opinione, קרום ימין aut כרום ימין *Krum jamin*, quod idem erit ac כרום ימא *Kerum jama.* Sed qualem gemmam ſignificet כרום ימא incertum eſt. Saadias ad Danielem cap. X. VI. docet Judæos intelligere per *Krum jama* lapidem album, inſtar ſpumæ maris. הוא inquit, דמות גלי הים בעת תרוממנה גליו יראה בראש הגלים כמראה אבן תרשיש לבנה וזה שאנו מתרגמין תרשיש כרום ימא *Hic ſimilis eſt fluctibus maris, nam quo tempore fluctus ejus valde elati ſunt, conſpicitur in alteriore parte fluctuum aliquid inſtar lapidis Tarſchiſch albi. Et hinc eſt quod interpretemur Tarſchiſch Kerum jama.* Secundum hanc interpretationem *Kerum jama* erit *ſpuma maris*, & *Tarſchiſch* erit lapis albus. Quibus autem

autem rationibus id probetur, non video. Si ad verbum explicare velimus כרום ימא erit *fuligo maris*. Eſt enim כרום *Fuligo* aut *livor*. Atque ſic *Krum iama* erit lapis, qui colorem maris, id eſt ejus viriditatem refert, quod de *Turquois* aliquo modo dici poteſt Nihilominus hoc Beryllo magis conveniret. Is enim *viriditatem puri maris imitatur*, ut loquitur Plinius *lib.* XXXVII. *cap,* V. ideo & θαλασσιβαφὴς *colorem maris habens*, dicitur ab Epiphanio; Ab Italis *aquá marina.* Sane Judæos crediditiſſe *Tarſchiſch* eſſe *beryllum* ex aliis auctoribus ſatis conſtat. Abarbanelius exponit פירלה *Pirle*, ſed corrupte, ut ſolet, pro *beryllus*. Ab his decepti ſunt proculdubio Junius, Diodati aliique qui eum *beryllum*, & *beryllum Thalaſſium* exponunt. Junius videtur hunc lapidem *thalaſſium* exponere, quia תרשיש ipſum mare nonnunquam ſignificat. Ipſe Jonathan cum alibi, ut jam modo annotavimus, habuerit כרום ימא, tamen Cantic. V. XIV. habet פרוזג *Perozag.* Sed hanc vocem ex Græco corruptam eſſe exiſtimo, & emendo hoc modo פרוזז *Perozas*, aut potius פרזוז *Prazos*, id eſt *Praſus*, qui *beryllo* non multum eſt diſſimilis. Eſt enim *Prazius*, ſive *Praſus*, ut etiam legitur, lapis viridis, docente Plinio, *lib.* XXXVII. *cap.* VIII.

DLXXVII. Fortaſſis per כרום ימא Targum, Jonathanus, Onkeloſius & Rabboth intelligunt *Opalum*: videtur enim כרום ſignificare, non tantum fuliginem, aut virorem maris, ſed quemlibet colorem varium & mutabilem, qualis conſpicitur in quibuſdam avibus; ut in pavonibus, & in collo columbæ, ac ejuſmodi aliis, quæ diverſo colore lucent, pro varia radiorum ſolarium oppoſitione unde & *verſicolores* dicuntur, quod colores quaſi ſingulis momentis vertant. De ejuſmodi ave leges Maſſechet *Berachoth cap.* I. עוף אחד יש בכרכי הים כרום שמו וכיון שחמה זורחת מתהפך לכמה גוונין *Eſt quædam avis in civitatibus maritimis, quæ vocatur* Kerum, *quod, quando ſol lucet, colores ſæpius mutet.* Hanc autem avem cum nulla gemma melius poſſum comparare, quam cum *Opalo*, qui omnes fere colores ejus repræſentat, & ſingulis momentis mutat inſtar pavonis, aut columbæ colli, pro varia diſpoſitione & radiorum reflectione. Nec adeo mirum eſſet hanc gemmam dici *Kerum jama, fuligo maris*, cum & ipſum mare nonnunquam, ubi ſolis radiis feritur, ejuſmodi colores varios & mutabiles repræſentet, quod navigantibus ſatis notum eſt. Sane cum Opalus ſit

pre-

pretioſiſſima gemma, ut Smaragdis tantum cedat, cui ineſt carbunculi tenuior ignis, amethyſti fulgens purpura, Smaragdi virens mare, & cuncta pariter incredibili miſtura lucentia, ut ait Plinius *lib.* XXXVIII. *cap.* VI. non mirum eſſet ſi aliquis crederet opalum etiam inter XII. gemmas pectoralis locum ſuum obtinuiſſe, eundemque fuiſſe כרום ימא *Crum jama*, ſive lapidem תרשיש At cum Opalus ſit ſatis mollis, nec ſcalpturæ aptus, ut qui gratum colorem ſcalptura amitteret, Tarſchiſch Opalum fuiſſe, non exiſtimo.

DLXXVIII. Jachias in Danielem cap. X. VI. hyacinthum cœruleam credidit. Sic enim commentatur. תרשיש היא אבן יקרה כעין תכלת והוא רמז לשמים אשר הם מגשמיות רק ויקר ומראה תכלת : *Tarſchiſch eſt lapis pretioſus colore hyacinthino, quo ſignificantur cœli, qui conſtat corpore tenui & pretioſo. colore hyacinthino.* Eadem animadvertit Aben Ezra ad Cantic. V. XIV. ad vocem תרשיש *Sunt*, inquit, *qui dicant, eum eſſe* כעין השמים *colore cœli.* In eadem ſententia alicubi fuit Bochartus, *Hiſtor. Animal. lib.* VI. *cap.* XVI. ubi *Tarſchiſch* exponit *Cyaneum.* Sed doctiſſimus vir illam ſententiam ipſe alibi impugnat, ut mox patebit. Sane תרשיש *hyacinthum* verti a quibuſdam, a nobis jam eſt annotatum, lib. I. cap. XIII. At quamvis mihi multo probabilius ſit, *Tarſchiſch* ſignificare lapidem cæruleum quam viridem, nulla tamen hactenus auctoritas me movit, ut crederem eum fuiſſe hyacinthum aut cyanum.

DLXXIX. Doctiſſimus Coccejus, etſi videatur dubius hærere, qualis lapis fuerit *Tarſis*; cum fere ubique vocabulum *Tarſis* retineat, nihilominus tamen תרשיש exponit *Sardonychem.* Et Ezech. cap. XXVIII. *Sardonychem* a שהם (quem nos verum *Sardonychem* putamus) diſtinguit. Rationem ſententiæ dat ex Cantic. cap. V. XIV. ubi *Tarſis* putat ſignificare *ungues*; & quod Angelus dicatur inſtar *Tarſis.* Ungues autem dicit ſimiles eſſe *Sardonycho*, & corpus viri debere carneum colorem habere. Hoc lapide putat etiam pulchre deſignari naturam humanam Chriſti. Sed vellem ut alia argumenta attuliſſet doctiſſimus vir, quibus opinionem ſuam probaſſet. Sed cum hoc non fecerit, ab ejus opinione non veremur recedere. Nam primo non conſtat Cant. V per *Tarſchiſch* intelligi *ungues*; ſiquidem per vocem illam poſſit intelligi aliquod ornamentum manus aut digitorum: atque ſic forte quædam virtutes & perfectiones Chriſti per ejuſmodi ornamentum repræſen-

præſentantur. Deinde non eſt certum per lapides, præſertim per *Tarſchiſch*, ibi ſignificari naturam humanam Chriſti. Nonne poſſet dici æquo jure, repræſentari iterum ejus virtutes, aut gloriam & majeſtatem, aut etiam naturam divinam: cum & ipſe doctiſſimus Coccejus fateatur, tres gemmas, de quibus fit mentio Apocal. IV. ſignificare tres perſonas. Sunt etiam qui Tarſchiſch שהם exponunt, docente Saadia Dan. X. VI. atque ſic *Tarſchiſch* revera erit *Sardonyches*. Sed & hoc male, cum *Tarſchiſch* & *Schoham* ſemper diſtinguantur in S. Scriptura.

DLXXX. Mea autem opinione, תרשיש ſignificat *Chriſolithum*. Sane χρυσόλιθον habent Septuaginta interpretes, & Joſephus, Epiphanius, Hieronymus, vulgatus, Galli, Angli, alii. *Chryſolithum* etiam memorat Johannes Apocal. cap. XXI. XX. Lapidem autem *Tarſchiſch* eum intellexiſſe non dubito, ſi ad XII. gemmas in pectorali reſpexit.

DLXXXI. Videndum primo qualis gemma fuerit *Chryſolithus* apud veteres, deinde utrum illa quæ de Chryſolitho dicuntur, lapidi *Tarſchiſch* non conveniant? *Chryſolithus* igitur eſt *gemma*, ut ait Plinius *lib.* XXXVII. *cap.* IX. *aureo colore tranſlucens.* *Æthiopia*, inquit, *mittit & chryſolithos aureo colore tranſlucentes.* Iterum; *Optima Chryſolithi ſunt, quæ in collatione aurum albicare quadam argenti facie cogunt.* Et *cap.* XI. *Colos appellavit Chryſolithum aureus.* Epiphanius libello toties allegato. λίθος χρυσόλιθος τοῦτόν τινες χρυσόφυλλον κεκλήκασι χρυσίζων μὲν ἐστιν. *Chryſolithus. Hinc nonnulli chryſophyllum vocarunt; eſt enim aureus.* Ita ſane chryſolithus dictus eſt ἀπὸ τοῦ χρυσοῦ *ab auro*, quaſi diceres: *aureus lapis*, propter colorem quem habet aureum. Hanc gemmam hodierni gemmarii quidem non *chryſolithum*, ut veteres, ſed *Topazium* vocant. At male, cum veterum *Topazius* non *aureus*, ſed *viridis* fuerit, ut ad gemmam פטדה oſtendimus.

DLXXXII. Credibile quidem eſt, nomen illud *chryſolithi* eſſe generale & pluribus gemmis attribui ab auctoribus: ut omnis lapis, cui aliquis color aureus ineſt, chryſolitus dictus fuerit. Nam & illæ quæ in *electri* colorem declinant chryſelectri dicuntur, & tales ſunt fortaſſis hyacinthi moderni. Si candida vena interveniat *Leucochryſos* vocant. Nihilominus tamen illæ quæ aureo colore maxime tranſlucent, & quibus nullum vitium nec alius color immixtus eſt, quales ſunt Indicæ

& Bactrianæ, veræ ſunt chryſolithi, atque ſic dictæ quaſi κατ' ἐξοχὴν.

DLXXXIII. Talem ſane fuiſſe lapidem חרשיש colligi poteſt ex capite x. Danielis, commate v. & vi. *Et ſublatis oculis meis vidi, quod ecce vir unus erat indutus* בדים (veſtibus lineis) *& lumbi ejus cincti erant inſigni auro Uphaz.* וגויתו כתרשיש *Et corpus ejus erat ut Tarſis. Et vultus ejus ſimilis fulguri, & oculi ejus ſimiles facibus ardentibus, & brachia & pedes ejus ſimiles ære terſo.*

DLXXXIV. Verum quidem eſt, doctiſſimum Coccejum hoc loco uti tanquam præcipuo argumento, ut probaret *Tarſis* ſignificare *Sardonychem*, Vult enim *Tarſis* habere colorem *carneum*, qualem habere ſolent corpora humana, eo quod Daniel dicat: *Et corpus ejus eſt ſimile Tarſis.* Color autem corporis aut carneus repræſentatur per Sardonychem. Sed hæc expoſitio minime placet. Non puto hic deſcribi corpus aliquod nudum, cujus color carneus ſeſe oculis exhibeat, ſed corpus aliquod veſtitum. Exſertis verbis docet Daniel corpus illud, aut virum illum veſtitum eſſe lineis veſtibus: ut corpus ejus non potuerit conſpici. Igitur de carneo colore ibi non loquitur Daniel. Sed ſi vel maxime reſpexiſſet ad colorem corporis nudi, non ſequitur tamen eum intellexiſſe colorem carneum, cum & *vultus* ejus, & *brachia* & *pedes*, quæ partes omnia nudæ erant, more veterum, omnino aliter repræſentet, quam carneo colore. *Vultus* enim erat ſimilis *fulguri. Oculi* ſimiles *facibus ardentibus*, *brachia* & *pedes* ſimiles *æri terſo.* Sane ſi vultus per fulgura, oculi per faces ardentes, & brachia pedeſque per æs terſum repræſentari poſſunt; corpus etiam poteſt eodem modo demonſtrari per aurum. Nec ſilentio prætereundum eſt, quod Apocal. iv. iii. dicatur in *throno ſediſſe virum ſimilem jaſpidi.* Si jaſpis, quæ eſt gemma viridis, corpus humanum repræſentare poteſt; quare non etiam chryſolithus, quæ aurea eſt gemma?

DLXXXV. Quando igitur Daniel dicit וגויתו כתרשיש *& corpus ejus erat ut Tarſis.* Nihil aliud intelligit, quam corpus ejus fuiſſe inſtar optimi & fulgidiſſimi auri: quod eo facilius credo, cum jam dixerit: *& lumbi cincti erant inſigni auro uphaz.* Daniel itaque per גויה *corpus* videtur intelligere, non quidem totum corpus (nam corpus veſtitum erat veſtibus lineis) ſed illam partem corporis, quæ cingulo aureo cincta erat, cum reliquis par-

tibus

tibus corporis circa cingulum, quæ propter ſplendorem aurei cinguli totæ aureæ apparent. Solent enim colores ornamentorum valde ſplendentium & radiantium attribui ipſis corporibus, quæ iſtiusmodi ornamentis ſunt decorata, propter reflexionem. Sic Apocal. IV. vir in throno ſedens videtur dici ſimilis jaſpidi & Sardio, ideo quod iris eum undique cingat, & viridem colorem inſtar Smaragdi a ſe diffundat. Sic & aurum viride dicitur a Martiali, propter Smaragdos, quibus ornatum erat, ut ſuo loco docuimus. Non mirum igitur hujus viri corpus ſimile dici *chryſolitho*, ſive *auro*; cum auro cinctum fuerit. Et ſane cingulum illud erat ex כתם & quidem אופז *uphaz*, id eſt ex *optimo auro*, quod maxime rutilat & ſplendet, ut lib. I. cap. X. oſtendimus, optimo jure igitur *chryſolito* ſimile dicitur.

DLXXXVI. Idem manifeſto probatur Cantic. V. XIV. ידיו גלילי זהב ממלאוים בתרשיש *Manus ejus ſunt globuli aurei, ornati* (ſive repleti) *Tarſchiſch.* Iterum *aurum* & *Tarſis* junguntur. Hic proculdubio per *Tarſchiſch* intelligitur *chryſolithus*, quæ tota eſt aurea, & manum inſtar ſplendidiſſimi auri rutilare facit. Nam hic non tantum dicuntur manus globuli aurei; ſed & ratio ſtatim additur, ob quam ita dicantur. Nempe propter annulos aureos; ſed præcipue propter eximias chryſolithos, quibus & annuli, ideoque manus ornatæ ſunt. Nihil exſtat quod optimum aurum melius repræſentet, quam præſtanriſſima chryſolithus; ut etiam in illius conſpectu aurum albicare, quadam argenti facie, cogatur, quemadmodum ſupra ex Plinio andivimus. Igitur Chriſti virtus & ſplendor in S. Scriptura per optimas chryſolithos, ideoque per aurum ſplendidiſſimum repræſentatur. Et ſane quamvis Chriſtus nulla rerum externarum commendatione opus habeat, nihilominus tamen certiſſimum eſt, & ipſius naturam divinam, & humanam, & illius virtutes, & gloriam, & majeſtatem, & officia, cum Sacerdotalia, tum prophetica & Regia exprimi per rerum colores, ſplendoremque, ſive in veſtimentis, ſive in metallis, ære, auro & gemmis. Quare autem hic color aureus Chriſto attribuatur, & quid ſignificet operoſe ut examinemus, non eſt hujus loci. At quidquid alii cenſeant, certum eſt, quod תרשיש auro ſimilis dicatur, ut neceſſario concludendum ſit, *Tarſchiſch* eſſe *chryſolithum*.

DLXXXVII. Idem aliquo modo probari poteſt ex ipſo no-

mine תרשיש *Tarſchiſch.* Nomen illud ſortita eſt hæc gemma, aut a loco natali, aut ſaltem a loco, unde ad alios populos delata eſt. Doctiſſimus Bochartus in ſuo *Phaleg. lib* III. *cap.* VII. putat lapidem תרשיש ita dictum eſſe ab urbe תרשיש *Tarſis* in Hiſpania, a Phœnicibus, poſt fugam & expulſionem a Joſue paſſam, ædificata. Hoc probare conatur, quod Plinius loco modo a nobis laudato, dicat: *Bocchus auctor eſt. & in Hiſpania repertas* (chryſolithos) *quo in loco chryſtallum dicit ad libramentum aquæ puteis effoſſis inde erutam.* Hinc clariſſimus vir colligi vult, תרשיש multis in locis S. Scripturæ fuiſſe in Hiſpania, ideoque per gemmam *Tarſis*, intelligendam eſſe chryſolithum Hiſpanicam. Sed, pace doctiſſimi viri dictum ſit, vehementiſſime a vero aberrat. *Chryſolithus*, de qua hic agitur, ſive *Tarſis* minime poteſt intelligi de illa Hiſpanica, de qua loquitur Plinius, cum ſtatim poſt exitum ex Ægypto, tempore Moſis, quo tempore, Pectorale factum eſt, *Tarſis* illa Hiſpanica nondum extiterit in rerum natura. Condita enim eſt poſt obitum Joſuæ, & expulſionem Chananæorum ſive Phœnicum, qui, patria relicta, alias ſedes quærebant in Africa, in Hiſpania & alibi, ibidemque *Tarſis* urbem condiderunt, multis annis poſt Pectorale gemmis ſuis decoratum.

DLXXXVIII. Nihilominus *Chryſolithum* a Moſe *Tarſis* vocari, a certo aliquo loco, ſive regio ſit, ſive civitas תרשיש *Tarſis* dicta, minime dubito. Conſtat I Reg. X. X. XXII. & II. Chron. IX. XXI. & I Reg. XXII. XLIX. & II Chron. XX. XXVI. XXXVII. & ex aliis locis, fuiſſe aliam civitatem *Tarſis* in Oceano Indico ad quam tendebant naves profectæ ex Eziongebere, in mari rubro, Ophiræ, id eſt Tabrobanæ, ut videtur, proxima quemadmodum ipſe Bochartus eodem loci doctiſſime obſervavit. Hæc *Tarſis* proculdubio Hiſpanica multo antiquior, & ante Moſen jam nota fuit, nomenque ſuum iſti Hiſpanicæ *Tarſis* dedit, per Phœnicum mercatores qui Indicam jam noverant, & inde inter res pretioſas etiam chryſolithos attulerunt. Nam in India optimas etiam chryſolithos, Hiſpanicis multo pretioſiores naſci, & inde ad alios populos mitti, ex eodem Plinio, eodem loci conſtat. *Æthiopia mittit & chryſolithos, aureo colore tranſlucentes.* Et mox: *Præferuntur iis Indicæ, & ſi variæ non ſint Bactrianæ.* Indicas itaque chryſolithos intellexit Moſes, non Hiſpanicas & a *Tarſchiſch* Indica ſic dictæ erant, non ab Hiſpanica. Deinde cum omnia

nia

nia in ſacris debuerint eſſe מן המובחר *ex optimo*, quis dicet Moſen Hiſpanicam chryſolithum (etiamſi tunc temporis nota fuiſſet, prætuliſſe Indicæ quæ præſtantiſſima fuit.

DLXXXIX. Patet igitur תרשיש non aliam fuiſſe gemmam, quam *chryſolithum*, & quidem Indicam, aut Bactrianam, ita dictam, quod in aliqua Provincia, aut urbe *Tarſis* dicta naſceretur, aut ab alia aliqua regione eo deportaretur, indeque ad alios populos, prout & carbunculus, ut ſupra docuimus *Carchedonius* dicitur, ab urbe *Carthagine*, eo quod a Carthaginis mercatoribus coemeretur, atque inde ad alios populos deportaretur. Sane ex *Tarſchiſch*, non tantum aurum, ſed & multas alias res pretioſas veniſſe, ex S. Scriptura manifeſto conſtat. Videantur loca quæ modo a nobis allegata ſunt.

DXC. Permagnæ chryſolithi repertæ ſunt, etiam quæ XII. pondo penderent, ut ait Boetius *lib.* II. *cap.* LXV. Tradit Doctiſſimus vir, ſe vidiſſe chryſolithum duarum ulnarum longitudine, & fere ſemi ulnæ latitudine, quæ Rudolpho ſecundo Cæſari data fuerit. Reperiuntur quoque non tantum in India, Æthiopia, apud Bactrianos, in Arabia & in Hiſpania, de quibus Plinius, ſed &, ut docet Epiphanius, ἐν τῷ φρέατι διπέτρῳ· περὶ τὸ Ἀχαιμενίτιδος τεῖχος τῆς Βαβυλῶνος. *in puteo duplicis petræ, ad mœnia Achmænitidos Babyloniæ*, & in Germania, præcipue in Miſnia & Bohemia. Hæ autem ut & Arabicæ, & Hiſpanicæ ſunt viliores mollioreſque, ideo non valde æſtimatæ: Pretioſæ autem ſunt Indicæ & Bactrianæ, quæ ſunt duriſſimæ, abſque vitiis, & aureo colore gratiſſime lucentes. Rariſſimas ſane & pretioſiſſimas reperiri chryſolithos, patet ex eo quod jam obſervavimus ad פטרה, ex Tavernerio, ubi audivimus magnum Mogolem habere Topazium pendentem CLVIII. ceratia, emptum ducentis ſeptuaginta duo fere millibus florenorum. Verum quidem eſt, Tavernerium gemmam iſtam vocare *Topazium*, ſed jam animadvertimus intelligendam eſſe *chryſolithum*, cum auctor iſte, more neotericorum Gemmariorum *Topazium* dicat flavum, id eſt aurei coloris.

DXCI. Raras etiam huic gemmæ virtutes attribuunt auctores. Auri & Solis lapis creditur, propterea que vitalis facultatis fomentum. Timores etiam nocturnos & melancholiam minuere atque depellere, intellectum confortare, moleſtiſque inſomniis dæmones terrere, & fugare; puſillanimitatem & ſtultitiam au-

ferre; ſapientiam animique conſtantiam promovere; ac a faſcinationibus ferentem tueri, brachio ſiniſtro alligatus aut e collo ſuſpenſus, traditur. Sed de his plura vide apud Cardanum, Ruæum, Boetium & alios, qui imperitam plebeculam ejuſmodi næniis paſcere amant. Pſellus περὶ λίθων δυνάμεων. χρυσόλιθος ἀυλίθετον σχῆμα ποιεῖ πάθεσιν ὀφθαλμῶν, *Chryſolithus oculorum doloribus adverſatur.*

Cap. XVIII.

DE שהם SARDONICHE.

שהם Schoham *eſt undecimus lapis. Ubi exſtet? Variæ expoſitiones.* קרישטאל Kriſtal. פראלוקין pralukin & פארולין Parulin *pro* בארולין Berulin, Beryllus, βήρυλλος. בורלא Burla, & בירלות חלא Beriloth chala & بلور Belur *iterum* βηρύλλιον *ſignificat.* מריבג Meribag. *corrupte pro* ברילז Berilas, *id eſt* Baryllus. ברולחא Berolcha. *Syrus* ܒܪܘܠܚܐ ברולחא & ברלה בדולחא *an* ברולח Berolach *legendum? Varii auctores.* שהם *non eſſe* Beryllum. *Nec* σμάραγδον *ut bis habet Phylo Iudæus. Septuag. habent* βηρύλλιον. *Eorum hallucinatio. Quid cenſendum de interpretibus Ptolomæi qui* σοὰμ *retinent. Nonnunquam ponunt* πράσινος, & σμάραγδος, & σάπφειρος & ὄνυξ & σάρδιος. *Varia loca Scripturæ allegantur.* שהם *eſſe* Sardonychem. *Varii auctores. Ordo gemmarum inverſus apud plures auctores per* ὄνυχα Sardonychem *intellexiſſe; immo & per* Sardium. Nicolus Onnctel. ניקלא שהם *eſſe* Sardonychem *probatur Geneſ.* II. XII. Piſchon *brachium* Euphratis. *Euphratem ferre* Sardonyches. *Varii auctores. Probatur quoque ex Paraphraſi Eſtera* I. V. סנדלכין Sandalechin *quaſi* שרדנגין Sardanegin Sardonyches. *Rabboth allegatur.* סנדלפונין Sandalphunin *corrupte pro* סנדלכין, *aut potius pro* סרדנגין Sardanegin *id eſt* Sardonyches. *Bochartus allegatur. Terra* Chavila. *Eſt altera terra* Chavila *verſus mare rubrum. Ejus Metropolis* די סהים Du Sohaim. *An ita dicta a* שהם Schoham Sardonyche? *Mons Indiæ* Sardonyx *dictus.* שהם *an a* שחום Schachum nigreſcere *Ara-*

Arabice سخمة Sachma, *nigror. Arabicæ* Sardonyches *nigræ.* Sardonyx *vera dicitur a* Sarda *&* Onych. *Variæ* Sardonyches. *Secundum Rabboth lapidem* שהם *eſſe nigram* Sardardonychem. *Vexillum Ioſephi.* ראם Reem *capra*, etiu Rebe? Ram, Lam. *Vera* Sardonyx *Indica. Apocal.* xx. *mentio ſit* Sardonychis. Sardonyches *olim in magno fuerunt pretio. In diademate Regum. Polycratis incredibilis fortuna. Plinius explicatur. Varii auctores allegantur.* Sardius, Sardonyx, *&* Onyx *ſigillis aptiſſima. Earum virtutes. Ab omnibus fere Iudæis ſuperſtitioſe geſtatur.*

DXCII. VNdecimus lapis eſt שהם *Schoham.* Exſtat quoque Geneſ. II. XII. Exodi XXV. VII. & XXVIII. X. Ubi de humeralibus Ephodi. Et Exodi XXXV. XXVII. & XXXIX. VI. Jobi XXVIII. XVI. I Chron. XXIX. II. & tandem Ezech. XXVIII. XIII.

DXCIII. Fuerunt qui שהם *Chryſtallum* expoſuerunt, præcipue Judæi qui habent קרישטאל *Cryſtal*, ut notat Abarbanelius. Rabboth Schemoth habet פראלוקין *Pralukin*; corrupte, ut puto, ex Græco, ut legendum ſit, mea opinione, פארולין *Parulin*, aut potius, בארולין *Barulin*, pro βήρυλλος. Onkeloſius habet בורלא *burla*, id eſt *beryllus.* Jonathanus בריליות חלא *Berilioth chala.* Sed per ſuum Berilioth etiam *Beryllum* intelligit, addito tantum τῷ *chala*, quod Rabinis *arenam*, aut etiam acetum ſignificat. Arabs habet بلور *Belur*, quod etiam credo ſignificare *beryllum.* Sic & Septuaginta βηρύλλιον. Paraphraſtes Cantic. V. XIV. מריבג *Meribag.* Sed qualem gemmam vox iſta ſignificet, adhuc ignoratur. Fortaſſis ſcribendum eſt ברילז *Berilas*; eo ſenſu quoque eſſet *Beryllus.* Nemini enim mirum videri debet, ſi dicamus imperitum librarium male exſcripſiſſe, & poſuiſſe מריבג pro ברילז, quamvis & hoc corruptum eſſet ex Græco. Targum Jeruſalemitanum habet בדולחא *Bedolcha*, quod Chaldæo idem eſt ac Hebræum בדלח *Bedolah* Geneſ. II. verſ. XII. At *Schoham* non poteſt eſſe *Bedolah*, cum manifeſtiſſime diſtinguantur per Moſen, ibidem loci. בדולחא quibuſdam eſt *Margarita*, aliis *Bdellium*, aliis etiam *Chryſtallum.* Fortaſſis in Targum etiam legi debet ברולחא *Berolcha*, mutato *Res* in *daleth.* Sane pluribus in locis Syrus pro ברולחא habet.

habet ܒܪܘܠܟܐ *Berolcha.* Legi etiam poſſet ברולח *Berolach.* Si autem legamus *Berolcha* aut *Berolach*, iterum nihil aliud erit quam *Beryllus*, Beryllus autem inter genera chryſtallorum ponitur: ut non mirum, ſi a quibuſdam Judæis קריסטאל *Cryſtal* vocetur. Igitur ſecundum vetuſtiſſimos & pleroſque Judæos שהם erit *Beryllus.* Sic & Broughtonius eum vertit *Beryl.*

DXCIV. Non omnes tamen ſunt in iſta ſententia. Philo Judæus lib. III. de vita Moſis bis mentionem facit de lapide *Schoham* in humeralibus, ſed in utroque loco habet σμαράγδους. Septuaginta hic quidem habent βηρύλλιον, ut modo monuimus, ſed tam dubii hærent vertendo hoc lapide, ut clariſſime conſtet, eos veram illius cognitionem non habuiſſe. Ideo vel inde liquet, falſiſſimum eſſe, quod verpuli de ſuis interpretibus apud Ptolomæum gloriantur, qui, etſi ſinguli ſua cellula incluſi, & ab omni mutuo conſilio remoti fuerint, tamen eo uſque conſpiraverint, & in ſuis verſionibus conſenſerint, ut alter ab altero ne in minimo quidem apice diſſentiret. Aut ſi non vana crepant iſti auctores, oportet hanc verſionem, ut ut vetuſtiſſimam & ante tempora Chriſti receptam, Ptolomaica illa poſteriorem eſſe. Aliquando vocem שהם retinent ut I Chron. XXIX. II. ubi σοάμ. Nonnunquam inter virides gemmas recenſent, ut Geſ. II. XII. ubi habent πράσινος. Et Exodi XXVIII. X. σμάραγδος Et cap. XXV. textui infarciunt σμάραγδον, per quem videntur intelligere שהם, de quo paulo ante Moſes loquutus fuerat. Sic & verſu XXVII. ejuſdem capitis. Et cap. XXXIX. VI. Semel etiam σάπφειρον exponunt, ut Ezech. XXVIII. XIII. Ponunt etiam ὄνυξ, ut Jobi XXVIII. XVI. Tandem & σάρδιος, ut Exodi XXVII. VII. & XXXV. IX. Quis in tanta caligine non cæcutiet? Mea ſane opinione שהם non eſt *cryſtallus*, nec *beryllus*, nec *Praſinus*, nec *Smaragdus*, nec *Saphirus*, nec *Onyx*, nec *Sardius*, niſi forte *Onyx* & *Sardius* ſumantur pro *Sardonyche*, quod nonnunquam ab auctoribus fieri ſolet.

DXCV. Pedibus igitur eo in ſententiam eorum qui שהם *Sardonychem* vertunt: ut Joſephus, Hieronymus, Vulgatus. Nonnunquam ipſi etiam Septuaginta interpretes, ut jam modo audivimus, Sardonychem videntur intelligere. Sic & Aquila, teſte Hieronymo ad Fabiolam. *Ioſephus*, inquit, *Sardonychas vocat*, *cum*

cum Hebræo Aquilaque conſentiens. Hos ſequuti ſunt Lutherus, &, ut puto, Galli, Diodati, Junius. Verum quidem eſt, Septuaginta interpretes hic habere ὀνύχιον, non σαρδονύχα, & ultimo quidem loco, cum deberet eſſe penultimus. Sed ordinem ſuſpicor inverſum eſſe, quod etiam factum puto a Joſepho, Vulgato & Hieronymo. Forte male ordinem obſervarunt librarii in exſcribendo. Sane credibile non eſt Septuaginta שהם vocaſſe βηρύλλιον, & ישפה ὀνύχιον. Multo credibilius eſt eos ישפה *Iaſpidem* vocaſſe *beryllum*, cum uterque ſit ex genere viridium gemmarum. Si autem שהם ὄνυχα vocabant, mea opinione, per ὄνυχα intellexerunt *Sardonychem*. Idem forte crediderunt Galli & Diodati, per ſuum *Onyx*: alias decepti ſunt. Quidam etiam σάρδιον tantum habent, ut Septuaginta Exodi XXVII. & XXXV. IX. Sic & Junius. Vix induci poſſum, ut credam auctores iſtos, præſertim Joſephum, Septuaginta, Vulgatum & Hieronymum per ſuum *Onychem* & *Sardium* aliud quid intellexiſſe, quam *Sardonychem*: cum & ipſimet lapidem illum alibi Sardonychem vocent. De Joſepho eſt manifeſtiſſimum: nam cum שהם vertat ὀνύχιον ubi de Pectorali agitur, alibi, ubi de gemmis in humeralibus Ephodi diſſerit, ponit σαρδόνυχες tribus in locis; ut *Antiq. lib.* III. *cap.* VIII. & IX. & *de Bello Iud. lib.* VI. *cap.* VI. Credibile igitur eſt, Joſephum שהם ſemper expoſuiſſe σαρδονύχες, ut error ſit librariorum quotieſcunque legimus ὄνυξ aut ὀνύχιον. Eodem modo credo errorem irrepſiſſe, cum אדם, qui primus lapis eſt, dicatur a Joſepho σαρδόνυξ. Legendum eſt proculdubio σάρδιος, quemadmodum apud Septuaginta interpretes. Et apud eoſdem Exodi XXVII. VII. & XXV. IX. ubi pro שהם legimus σάρδιον, legendum puto σαρδόνυξ. Poſſet tamen dici, iſtos auctores, qui ponunt *Onychium* aut *Sardium* pro שהם crediddiſſe *Onychium*, *Sardium* & *Sardonychem* eſſe unum eundemque lapidem; quod eo facilius fieri potuiſſet, cum omnes ejuſdem generis eſſe credantur, & cum *Sardonyx* ſit mixtus ex *Sardio* & *Onyche*. Hæc cauſa eſt quod tam *Onyx* quam *Sardonyx* vulgo *Nicolus* dici ſoleat, & ab hodiernis Judæis Germanis ein Onyckel. Sane שהם dici *Nicolum*, non minus quam cryſtallum, docet Abarbanelius: שהם הוא ניקלא בלעז או קרישטאל *Schoham eſt Nikla barbare*, aut *cryſtallus*.

DXCVI. שהם in Pectorali fuiſſe *Sardonychem*, probatur ex Geneſ. cap. II. commate XII. ubi Moſes dicit ex terra *Havi-*

 la

la aſportari ברולח ושהם *bedolach* & *Schoham.* Iſta terra irrigata erat fluvio *Piſchon*: At *Piſchon* erat brachium, ut ex eodem Moſe conſtat, *Euphratis.* Euphratem, aut ſaltem loca quædam illi vicina, *Sardonychas* ferre, docet Plutarchus in Libello de fluminibus, & Stobæus Sermone XCVIII. Dicit enim huic fluvio adhærere montem Δρίμυλλον καλούμενον, ἐν ᾧ γεννᾶται λίθος σαρδόνυχι παρόμοιος. *Drimillum dictum, in quo naſcitur lapis Sardonychi ſimilis.* Sed & ipſa Sardonyx intelligi videtur, cum ſtatim addat: ᾧ οἱ βασιλεῖς ἐν τοῖς βασιλείαις (ſive ut alii volunt ἐν τοῖς βασιλείοις *in diadematibus*) χρῶνται. *quo reges utuntur in ſuis Regiis*, ſcilicet ornamentis, & inſignibus regiis, *ſceptris*, *coronis* &c. Sardonychem ad ornandas coronas Regum adhibitas fuiſſe, conſtat ex Joſepho *Antiq. lib.* VII. ubi docet coronam Regis Amonitarum, quam abſtulit Davidus II. Sam. XII. XXX. habuiſſe ἐν μέσῳ πολυτελῆ λίθον σαρδόνυχα. *in medio pretioſam Sardonychem.*

DXCVII. Sed circa Euphratem naſci *Sardonychas* optimas, docet etiam paraphraſis Chaldæa Heſteræ cap. I. v. ubi legimus in ripis Euphratis effoſſas eſſe, magna copia, *margaritas*, *beryllos*, & *Sardonychas.* חפר בספר פרת ואשכח תמן שית מאה ותמנן אחמיתין דנחשא מליין דהב טב יוהרין ובורלין וסנדלכין *Fodit in Euphratis ripa, & ibi reperit ſexcentas & octoginta ſex arcas areas, plenas optimi auri, margaritarum, beryllorum & Sardonychum.* Hic per סנדלכין intelligo *Sardonychas.* Eſt enim *Sandalechin* vox corrupta ex Græco *Sardonyches*, prout Rabboth Schemoth etiam habet שרדנגין *Sardenegin*, quod tamen propius accedit ad *Sardonyches.* vide quæ ad illam vocem diximus in lapide אדם *Odem.* Maſſechet *Sanhedrin cap.* VII. legimus ואחר משגרו לדרום להביא לו סנדלפונים *Et miſit aliquem in Meridiem, ut afferret ei Sandalphunim.* In hoc loco doctiſſimus Bochartus legit סנדלכין *Sandalchin*, id eſt *Sardonyches.* In editione Amſteldamenſi legitur סנדלפונים. Immo ita legendum eſſe videtur colligi ex gloſſa, cum & ipſa habeat *Sandalphunim*, non autem *Sandalechim.* Explicat etiam gloſſa vocem סנדלפון & dicit ſignificare lapidem pretioſum. סנדלפון שם אבן טוב: *Sandalphun*, inquit, *eſt nomen lapidis pretioſi.* Nihilominus Judæis alibi etiam ſignificat certum aliquem angelum. Libenter tamen concedo doctiſſimo Bocharto, pro *Sandalphim* legendum eſſe *Sandalchin*, & hanc vocem ſignificare *Sardonyches.* Sed ex hoc loco non ſatis clare conſtat unde afferantur *Sardonyches*,

ches, utrum ex Meridie, an vero ex Septentrione; duo enim miſſi ſunt, ut refert Gemara, alter in Septentrionem, alter in Meridiem, ut omnia genera gemmarum afferrent. אחד משגרו לצפון וא׳ משגרו לדרום להביא לו סנדלפונים טובים ואבנים טובות ומרגליות . *Unum miſerunt in Septentrionem, & unum miſerunt in Meridiem, ut afferrent bonos Sandalphunim* (aut potius *Sandalchin*, id eſt *Sardonychas*) *& lapides pretioſos & margaritas.* Credibile tamen eſt, quemadmodum præſtantiſſimæ Smaragdi afferebantur ex Scythia, ideoque ex *Septentrione*, ſic & ex Meridie allatas eſſe Sardonychas optimas & margaritas, prout revera ex Meridie, id eſt ex terra Chavila, circa Euphratem, & e ſinu Perſico Sardonyches & margaritæ ad alios populos aſportantur. Et hæc quidem ſententia optime convenit cum verbis Moſis Geneſ. II. XII. quem locum jam modo allegavimus, ſcilicet in terra Chavila reperiri lapidem שהם ובדולח *Schoham* & *Bedolah*, id eſt *Sardonychem* & *margaritam*. Sed hæ Sardonyches magis Arabicæ erant quam Indicæ.

DXCVIII. Eſt & alia terra Chavila verſus mare rubrum, prope Sabæos, ut docet doctiſſimus Bochartus, in ſuo *Phaleg lib.* II. *cap.* XXVIII. In iſta terra metropolis eſt די סהים *Du Sohaim*. Quemadmodum autem poſterior hæc Chavila nomen ſumpſit a priori & antiquiſſima iſta, de qua loquitur Moſes, ita hæc urbs videtur nomen hoc *Du Sohaim* ſortita a Sardonyche. Nam די סהים *du Sohaim* ſic dicta videtur a שהם *Schoham* vel סהם *Soham*, *Sardonyche*, quæ in terra Chavila reperitur. Ita ſane in India eſt mons quidam, quæ *Sardonyx* vocatur ob gemmam ſic dictam, ut legimus apud Ptolomæum *lib.* VII. *cap.* I. Σαδόνυξ ὄρος, ἐν ᾧ ὁμώνυμος λίθος. *Sordonyx mons, in quo eſt lapis illius nominis.*

DXCIX. Sed & in ipſa voce שהם *Schoham* videtur aliquomodo latere natura Sardonychum. שהם dictus videtur a Chaldæo שחום *Schachum*, *nigrum*: eſt enim Chaldæis שחם *Schecham*, *nigreſcere*, ut & apud Arabes سخمة *Sachma* nigrorem ſignificat. Ideo, mutato ſolum ה in ח quod frequens, שחם videtur ſignificare lapidem nigrum. Tales ſane ſunt Sardonyches Arabicæ, quæ habent radicem nigram. Verum quidem eſt, Sardonychem ſic dici compoſita voce, quod revera ex duabus gemmis *Sarda* & *Onyche* compoſita ſit, ut notat Plinius *lib.* XXXVII. *cap.* VI. *Sardonyches* inquit, *ut ex nomine ipſo apparet, intelligebantur*,

tur, candore in Sarda; hoc eſt veluti carnibus ungue hominis impoſito & utroque tranſlucido. Quicunque ſemel intellexerit colores & naturam *Sardii* & *Onychii*, facile noverit quid ſit *Sardonyx*. Supra, ubi de אדם egimus, ſatis docuimus Sardium eſſe rubrum, ideoque dici *Demium* quaſi *Odem*, a colore rubro: immo & *Sardam* a *Sered*, quod ſignificat rubricam. Nonnunquam ruborem habent ſanguinis bilioſi; ſæpe tamen carnei coloris & exigua portione ſanguinis tinctæ ſunt. Quod attinet *Onychem*, omnibus notum eſt, eam ſic dici ab *ungue*. Ideo Sudines apud Plinium docet: in iſta *gemma eſſe candorem unguis humani ſimilitudine. Lib.* XXXVII. *cap.* VI. Mox addit: *Zenothemis Indicam Onychem plures habere varietates, igneam, nigram, carneam cingentibus candidis venis* (aut, ut legit Salmaſius, *Zonis) oculi modo, intervenientibus quarundam oculis obliquis venis.* Et paulo poſt: *Sotacus Arabicas onychas nigras inveniri candidis zonis. veram autem onychem plurimis variisque cum lacteis zonis habere venas omnium in tranſitu colore inenarrabili, & in unum redeunt concentum ſuavitate grata.* Conſtat igitur quales gemmæ fuerint Sarda & Onyx. Cum autem Sardonyx ex utroque compoſita ſit, debet habere ruborem *Sardæ*, & alborem *unguis*, aut onychis. Delaetius *lib.* I. *cap.* XIX. *Radicem,* inquit, *habent Onychis, ſed ſuperficiem Sardæ.*

DC. At quemadmodum *Sardæ* & *Onyches* non omnes ſunt ejusdem coloris, ita nec ipſæ *Sardonyches*. Quædam *Cæca* appellantur, quæ ſcilicet non tranſlucent. Quædam, quæ Arabicæ dicuntur, radicem habent nigram. Alia cæruleum imitantem, non ſine ſpe purpuræ ob candorem in minium tranſeuntem, ut loquitur ipſe Plinius. Propter ejusmodi radicem nigram, aut nigricantem Sardonyx Arabica (ad quam reſpexiſſe videtur Moſes, cum dicat ex terra Chavilla venire שהם) videtur ab Orientalibus dicta שהם *Schoham*, quaſi diceres gemmam *nigram*. Sane talem gemmam lapidem שהם ſignificare, videtur credidiſſe *Rabboth Bemidbar*, ubi docet, vexillum Joſephi, quod ejusdem coloris fuit cum lapide שהם *Schoham*, fuiſſe valde nigrum. יסף שהם וצבע מפה שלו שחר עד מאד ומצוייר לשני נשאים אפרים ומנשה מצרים על שם שהיו תולדותם במצרים ועל מפה של אפרים היה מצוייר שור ע״ש בכור שורו זה יהושע שהיה משבט אפרים ועל מפה שבט מנשה היה מצוייר ראם על שם וקרני ראם קרניו על שם גדעון בן יואש שהיה משבט מנשה׃ *Joſeph lapidi Schoham* (inſcriptus erat) *& vexillum ejus erat valde nigrum,*

grum, depictoſque habuit duos principes, Ephraimum & Menaſſen Ægyptios, quia in Ægypto nati ſunt: Vexillum Ephraimi depictum habebat taurum, quia dicitur (Deuteron. XXXIII. XVII.) primogeniti bovis illius. *Is autem erat Iehoſua ex tribu Ephraim; & vexillum tribus Menaſſæ depictum habebat monocerotem* (potius ראם *Reem* ſignificat capram aut orygem, ut putat doctiſſimus Bochartus. Unde, ut & hoc in tranſitu notem, Germanis ein Rehe/ aut potius Belgis een Ram/ id eſt *Caper* aut *aries*. Inde forte Germanorum & Belgarum Lam/ mutato R. in L. ſumptoque genere pro ſpecie) *quia dicitur* (Deuteron. XXXVIII. XVII.) & cornua orygis ſunt cornua: *propter Gideonem filium Ioaſi, qui erat ex tribu Menaſſæ.* Videtur igitur Rabboth credidiſſe שהם eſſe Sardonychem Arabicam, cujus radix erat nigerrima. Pſellus varias etiam recenſet *Sardonychas*; Alia dicit μέσλω ἔχἰ γαμμλω λδυκήν. ἔςι ἢ μονόχροος. *mediam habet lineam albam; & eſt unius coloris.* Alia διεζωσμλύη *zona cincta eſt.* Et alia ποικίλη *variegata.*

DCI. Verum tamen eſt, præſtantiſſimas Sardonychas Indicas, radicem habere candicantem iſtar unguis, & ſuperficiem rubram inſtar carnis ſanguine bene tinctæ, atque utrumque tralucidum. Præterea cum in rebus ſacris omnia debuerint eſſe מן המובחר *ex optimo*, שהם in pectorale, talem fuiſſe gemmam, Indicam ſcilicet Sardonychem, magis eſt veriſimile. Nihilominus dici etiam poteſt, Arabicam Sardonychem tempore Moſis caram & pretioſam fuiſſe, ideoque adhibitam in pectorali, aut omnes Sardonychas Indicas, quæ candicantem radicem habebant שהם (ut ut nigrum ſignificet) dictas fuiſſe ab Arabicis, propter aliquam ſimilitudinem. Tandem cum reperiantur tot genera ſaphirorum, hyacinthorum, aliarumque gemmarum, quamvis colore differant, idem tamen nomen retinentes, non eſt mirum ſi & varie reperiantur Sardonyches, nigra radice, aliæ albicante, quæ omnes שהם vocantur. Sed quidquid alii cenſeant, ex iis quæ diximus ſatis conſtare puto שהם eſſe *Sardonychem.* Johannes Apocal. cap. XXI. inter duodecim lapides etiam numerat τ̀ σαρδονύχα *Sardonychem*, qua voce videtur denotare שהם *Schoham*, ſaltem ſi reſpexit ad XII. gemmas Pectoralis.

DCII. Sed noſtræ ſententiæ aliquis objicere poſſet, *Sardonychem* non eſſe lapidem magni pretii, cum tamen in S. Scriptura שהם ponatur inter gemmas pretioſiſſimas, veluti Jobi cap. XXVIII.

 XVI.

xvi. *Non poteſt taxari* (ſapientia) *inſigni auro Ophir*, Schoham *pretioſo Saphiro.* Sic & Ezechielis cap. xxviii. xiii. & Geneſ. ii. xii. *Margaritæ* aliique lapides & *Schoham* junguntur tanquam pretioſiſſimæ gemmæ. Verum etiam eſt Plinium docere Sardonychem non fuiſſe magni pretii, *lib.* xxxvii. *cap.* vi. Sed Plinius ibi videtur id intelligere de Arabicis tantum, in quibus nullum Sardarum veſtigium apparet, quæ nonnunquam tantæ ſunt magnitudinis, ut inde capulos factitarent. Immo & apud Indos dicit non habitas eſſe in honore. Ipſe tamen Plinius fatetur: Romanos tandem ſuaſiſſe Indis, ut ipſi quoque iis gauderent. Sardonychem revera in magno etiam fuiſſe pretio apud veteres, ſatis manifeſto conſtat ex iis quæ jam a nobis dicta ſunt; ponuntur enim סנדלכין *Sandalchin*, id eſt *Sardonyches* inter res pretioſas, quæ magna cura & labore acquiruntur, ut ſupra ex paraphraſi Eſteræ cap. i. v. & ex Codice *Sanhedrin cap.* vii. audivimus. In corona Regis Amonitarum fuiſſe Sardonychem magni pretii, tradit Joſephus, quamvis alii אבן שואבת *lapidem attrahentem*, id eſt *magnetem*, dicant. Reges etiam utuntur Sardonyche in diademate quæ effoditur circa montem Drimylum ut ex Plutarcho audivimus. Sed & Polycratem Samium Tyrannum in annulo pretioſiſſimam Sardonychem geſtaſſe, quam valde æſtimabat, docet Plinius *lib.* xxxvii. *cap.* i. Rara hiſtoria & incredibilis fortuna Tyranni a Plinio ibi narratur. Verum quidem eſt, Herodotum docere illam gemmam fuiſſe *Smaragdum*, nihilominus Plinius Sardonychem dicit. Quod tantum affirmat Solinus in capite de Arabia, ſed inſuper dicit etiam Sardonychem fuiſſe luxuriæ facem apud Romanos. *Claudius Cæſar*, teſte Plinio, *Smaragdos induebat & Sardonychas.* Idem Plinius: *Primus Romanorum Sardonyche uſus eſt prior Africanus, ut tradit Demoſtratus, & inde Romanis hanc gemmam fuiſſe celeberrimam.* Martialis quoque lib. v. Epigr. xi. Sardonychas jungit *Smaragdis, Adamantibus, & Jaſpidi*:

Sardonychas, Smaragdos, Adamantes. Jaſpidas uno
Portat in articulo Stella, *Severe, meus.*

Juvenalis Sardonychem gemmam principem vocat. Satyra xiii.

——— ——— ——— *gemmaque Princeps*
Sardonyches, loculis cuſtoditur eburnis.

Et

Et Satyra ſeptima:

——— ——— ——— *Conducta Paulus agebat*
Sardonyche, atque ideo pluris quam Gallus agebat.

Videatur etiam ejus Satyra VI. Perſius, Martialis alibi, & alii.

DCIII. Sigillis nulla aptior gemma quam *Sardius*, *Onyx* & *Sardonyx*. Ideo nulla magis apud Antiquos ſigillis eſt adhibita. Unde tot ſigilla vetera adhunc uſque diem reperiuntur in iſtis gemmis. Raræ virtutes Sardonychi adſcribuntur. Pſellus περὶ λίθων δυνάμεων. Σαρδόνυξ ὀφθαλμῶν ἵστησι ῥεύματα, καὶ διεζωσμένη τοὺς τῶν ἐμβρύων ἐπέχει ὀλίσθους, ἡ δὲ ποικίλη ὠφελεῖ μελαγχολικοῖς ἐξαρτωμένη, *Oculorum ſedat fluxiones, & in modum zonæ cincta, embryonum caſus cohibet. Qui variegatus eſt, melancholicis prodeſt, ſi appendatur.* Dicunt eum nocuos affectus, animi faſtum veneraque domare, immo ad omnia valere, ad quæ Sardius ſeu Corneolus. Hinc hodie vix ullus reperitur verpa apud Germanos, qui non *Nicolum*, aut *Onykel*, ut eum vocant, quemque שהם putant, geſtet.

Cap. XIX.

De ישפה Jaspide.

ישפה Jaſpeh *eſt duodecimus lapis. Ubi exſtet? Variæ verſiones.* ὀνύχιον, מרגליתא Margalitha, מרגליטות Margalitoth. מרגניית Marganith. אפנטורים Apanturim & מרגניית אפנתורים Marganith Apanturim. מרגליות *non ſemper* Margaritam, *ſed & quamlibet gemmam ſignificare.* Panthera *gemma cum* Jaſpide *convenit.* Jaſpis *non eſt* Panthera, *nec* unio *ſive* margarita, *Sculpturæ ineptas eſſe* margaritas. ישפה *eſſe* Jaſpidem. *Varii auctores. De Iaſpide mentio fit Apocal,* XXI. XX. גשפי Gaſpi. אפנטור & אפנטורים *eſſe* Jaſpidem. Jaſpis *varias habet maculas inſtar Leonis pellis. Ejus color viridis. Speciem refert Smaragdi,* σμαραγδίζουσα, & σμαραγδίζων *apud Pſellum & Epiphanium. Varii alii auctores,* Onychipuncta; Jaſponyx. Jaſpidum *ſeptem ſpecies. Vexillum Benjaminis omnes habuit colores. Optima* Jaſpis *Indica eſt viridis. Iaſpis* Schythica, Cypria, & Ægyptiaca. *Iaſpidis virtutes.*

DCIV. Duodecimus omniumque ultimus lapis eſt ישפה *Iaſpeh.* Extat etiam Exodi XXXIX, XIII. Ezech. XXVIII. XIII.

DCV. Quamvis hæc gemma ſit notiſſima nomenque ſuum retinuerit ad hunc uſque diem apud omnes populos, nihilominus varie ab interptetibus verti ſolet. Septuaginta habent ὀνύχιον. Hos ſequuti ſunt Joſephus, Hieronymus, vulgatus, Epiphanius. Galli & alii. Sed male, cum nullam rationem afferant, qua ſententiam ſuam firmarent. Targum Jeruſalemitanum habet מרגליתא *Margalita*, id eſt *margarita.* Rabboth Schemoth fere eodem modo מרגליטות *Margalitoth.* Jonathanus מרגנייה *Marganith* quod idem ſignificare videtur, ac *Margalitha*, mutato ל in נ quod non eſt inſolens, ut alibi docuimus. Jonathanus habet non tantum *Marganith*, ſed addit præterea אפנטורים *Apanturim*: ſic מרגניית אפנטורים *Marganith Apanturim.* Videtur igitur per vocabulum מרגניית nihil aliud intelligere, quam aliquam gemmam. Nam מרגליות (ideoque & מרגניית) Judæis ſæpiſſime ſignificat quamlibet gemmam aliam, non minus quam margaritam. Suſpicor itaque apud Jonathanem מרגניית אפנטורים, eſte *gemmam Pantheram*, quod non male cum *Iaſpide* conveniret. Ideo Cantic v. XIV. habet אפנטור *Apantor* tantum, non addita voce מרגניית *Marganith.* Utrum autem lapidem *Pantheram* etiam intelligant Targum Jeruſ. & Rabboth, non auſim adfirmare. Veriſimilius eſt eos intelligere *Margaritam*, ſive pretioſum *unionem.* Sed toto cœlo aberrant; cum nullam poſſent afferre auctoritatem, nec ullam rationem, ad probandum *Iaſpeh* ſignificare *Unionem*, Deinde *Unio*, ſive *Margarita* non poterat adhiberi in Pectorali, cum omnis gemma inſculptum habere debuerit aliquod nomen duodecim tribuum. Sed ad ſcalpturam ſigillorum margarita plane inutilis eſt; præterquam quod omnem gratiam, pretium & ornatum amitteret ſi ſcalperetur, aut ſi vel tantillum raderetur ejus ſuperficies.

DCVI. Calculum igitur appono illis qui hanc gemmam *Iaſpidem* vertunt; Sic enim Lutherus, Junius, Belgæ, Diodati & alii. Sane ישפה ſignificare Jaſpidem ipſa vox ישפה *Iaſpeh* indicat. Quis non videt Hebræorum ישפה *Iaſpeh*, eſſe ipſiſſimum Græcorum ἴασπις & Latinorum *Iaſpis*. *Iaſpis* itaque erit ex lapidibus qui nomen ſuum retinuerunt, & ad alios populos tranſtulerunt; quemadmodum

ספיר

ספיר *Saphirus* aut σάπφειρος. Adde, ſi placet, *Demium*, *Topazium* & *Maragdum*. Nulla ſane eſt cauſa propter quam nomen *Iaſpis* non retineamus, & τὸ ישפה *Iaſpeh* aliter vocemus. Ipſi etiam Septuaginta interpretes & Joſephus Jaſpidem memorant: ſed inverſo tantum ordine, incuria (ut puto) Librariorum. Tam graves auctores tantæ oſcitantiæ accuſare non poſſum, ut dicerem eos crediſſe ישפה aliam notare gemmam, & יהלם aut ספיר eſſe veram *Iaſpidem*, prout ſic ab iis vertitur, aut potius confunditur in eorum ſcriptis. Sed & Johannes in ſua Apocal. cap. xxi. xx. etiam habet ἴασπιν *Iaſpin*. Si autem ad xii. gemmas in Pectorali reſpexit, nullam aliam credo eum intellexiſſe quam S. Pontificis ישפה *Iaſpidem*, quamvis eundem ordinem in iis recenſendis non abſervaverit.

DCVII. In eadem ſententia ſunt doctiſſimi Judæorum alii. Abarbanelius ait hunc lapidem vulgo dici גשפי *Gaſpi*, nomenque *Benjaminis* ei inſculptum fuiſſe, quod diu duret, ideo quia dictum eſt de Benjamino, Deuteron. xxxiii. xii. *Dilectus Iehovæ habitet ſecure cum eo.* Sed Onkeloſium & Jonathanum ſuum אפנטורין *Apanturim* & אפנטור *Apantor*, nihil aliud intelligere puto quam *Iaſpidem*. Mihi nemo facile perſuaſerit, eos intelligere per hanc gemmam, *Pantheram* potius quam Jaſpidem. Immo perſuaſus ſum eis *Apanturin* & *Apantor* eſſe *Iaſpidem* proprie ſic dictam. Sed ita dictam ob varia ſigna, puncta & colores. Nam non omnis Jaſpis ab omni parte viridis eſt: ſed ſepiſſime reperitur variis coloribus ſignisque notata inſtar Pantheræ, aut Leonis pellis; ut non mirum eſſet, ſi & ipſa *Iaſpis* ab auctoribus diceretur *Panthera*. Optima quidem Jaſpis viridis eſt, & ad Smaragdum accedit, ut docet Plinius *lib.* xxxvii. *cap.* ix. Ideo Orpheus *de lapidibus* eam dicit habere *veris colorem:*

Καὶ γλαφυρὸν κομίσας, ἐαρόχροον αἴκεν ἴασπιν.

Et politam portans veris colorem habentem Iaſpin.

Et *Pſellus*: ἐςι δέ τις ἴασπις σμαραγδίζουσα *Eſt quædam Iaſpis Smaragdum referens.* Et Epiphanius *de Iaſpide*: οὗτος ἐςι τῷ εἴδη σμαραγδίζων. *Speciem refert* Smaragdi. Et ſtatim addit: Κατὰ τὴν σμάραγδόν ἐςι χλωρίζοντα, ἀλλὰ ἀμβλύτερα καὶ ἀμαυρότερα. Καὶ ἔνδοθεν χλωρὸν ἔχει τὸ σῶμα ἐοικῆα ἰῷ χαλκοῦ, ἔχοντα φλέβας τετραςίχους. *Viret ut* Smaragdus, *ſed eſt obtuſior & hebetior, intus habet corpus viride, inſtar æruginis, habetque venas quatuor ordinum.* Iterum: ἄλλη

δέ ἐστι γλαυκοτέρα θαλάσσης, βαθυτέρα τῷ ἄνθει καὶ τῇ βαφῇ. *Eſt & alia magis glauca quam mare ſaturatior flore & tinctura.* Tandem: ἄλλη δὲ ἴασπις, οὐ πάνυ λάμπουσα χλωρὰ, ἥτις ἔχει γραμμὰς μέσας. *Eſt & alia jaſpis, non valde ſplendens viridis, quæ lineas habet in medio. Iſidorus Orig. lib.* XVI. VII. *Iaſpis de Græco* (rectius dixiſſet *de Hebræo) in Latinum viridis gemma interpretatur. Eſt autem Smaragdo ſubſimilis & craſſi coloris.*

DCVIII. Nihilominus multæ aliæ reperiuntur, quæ ex variis gemmis mixtæ videntur, & pro varia miſtura etiam varia nomina ſortiuntur. Hinc *Onychipuncta*, & *Iaſponyx* vocatur ea, quæ aliquid admixtum habet de *Onyche*, & *quæ nubem complexa, & in nives imitata*, ut ait Plinius eodem loci. Pergit idem Plinius: *Hæc ſtellata rutilis punctis eſt, & ſale megarici ſimilis: & veluti fumo infecta, quæ capneas vocatur. Ineſt et aliquando aureus pulvis, non qualis in Saphirinis.* Tandem: *Eſt etiam quæ tranſverſa linea alba media præcingitur, & grammatias vocatur: quæ pluribus polygrammos.* De ejuſmodi Jaſpidibus hæc etiam habet Epiphanius: ἄλλη δὲ ἐν τοῖς σπηλαίοις, ἐν τῷ ὄρει τῆς Ἴδης ἐν τῇ Φρυγίᾳ ὁμοιάζουσα τῇ ἀπὸ τοῦ αἵματος κόχλου, διαυγεστέρα μᾶλλον, ὥσπερ οἴνῳ ὁμοιάζουσα, ἢ ἀμέθυσον ξανθοτέρα. οὐ γάρ ἐστι μιᾶς χροιῆς, οὐ δὲ τῆς αὐτῆς δυνάμεως. *Alia reperitur in ſpeluncis montis Idæ in Phrygia, ſimilis eſt ei, quæ cochleæ ſanguine tingitur, ſed pellucidior, inſtar vini, aut amethyſti ſaturatioris; non enim omnes ſunt ejuſdem coloris ac virium.* Tandem ſic concludit: Καὶ ἄλλος ἴασπις ὁ παλαιὸς καλούμενος, ὅμοιος ἢ χιόνι, ἢ ἀφρῷ θαλάσσης. *Eſt & alius jaſpis, antiquus vocatus, ſimilis nivi aut ſpumæ marinæ.* Hac de cauſa Iſidorus, loco jam modo laudato, ponit *Iaſpidum ſeptem ſpecies*; quales ſpecies omnes recenſet Boetius *lib.* II. *cap.* CI. Narrat ibi Boetius: ſe habere jaſpidem, quæ Amethyſtum, Sardam & Ghalcedonium diſtinctis locis in ſe habet, De variis Jaſpidibus audiamus etiam Pſellum: περὶ λίθων δυνάμεων. Ἡ ἴασπις φύσει χρυσταλλοειδὴς, ὀλίγου ἐπιτεινομένη τὴν χροιὰν, καὶ ἀρίστη μὲν ἡ πορφύρουσα, δευτέρα ἡ φλεγματικωτέρα παράλευκος. ἔστι δέ τις καὶ ἀεροειδὴς ἀναστέλλει. *Iaſpis lapis natura cryſtallum pene refert, paulo vehementius colorem intendens. Optimus purpureus eſt, melior qui magis eſt vocalis, parumper albus. Eſt & aereus quidam.* Et ſtatim: ἔστι δέ τις σμαραγδίζουσα. ἡ δὲ ἐμφερὴς χιόνι, καὶ ἄλλη ἐμφερὴς ἄρνου ἐγκεφάλῳ, *Eſt & quidam qui Smaragdum refert; alius nivi ſimilis eſt; alius hirci cerebrum refert.* Non omnis itaque *Iaſpis* tota viridis eſt.

ſed

ſed variis punctis, lineis & coloribus ſæpiſſime notata.

DCIX. Talem videntur intellexiſſe Onkeloſius & Jonathanus per ſuum *Pantire, Apantirim* & *Apantor*; multis ſcilicet punctis, lineis & coloribus notatam Jaſpidem inſtar gemmæ Pantheræ, quæ etiam Jaſpidis ſpecies putatur. Rabboth Bemidbar loco jam toties a nobis repetito, huic plane ſimilem intellexiſſe per lapidem ישפה *Iaſpeh*, manifeſto patet. Vult enim ultimum lapidem, i. e. *jaſpidem* omnes colores comprehendiſſe, qui conſpiciuntur in reliquis gemmis omnibus. בנימן ישפה וצבע מפה שלו דומה לכל צבעים ליב׳ הצבעים ומצוייר עליו זאב ע״ש בנימן זאב יטרף : *Benjamin* (inſculptus erat) *jaſpidi*, *& color vexilli ejus erat ſimilis omnibus coloribus in duodecim lapidibus, & depictum habebat lupum, quia dicitur* (Geneſ. XLIX.) *Benjamin eſt lupus diſcerpens.* Cum tamen laudatisſima jaſpis quam India mittit, ſit viridis, teſte De Laetio *lib.* I. *cap.* XXII. & cum omnia in Sacris eſſe debuerint ex optimo, magis eſt credibile in veſte Aharonis ישפה *Iaſpe* ſignificare non variis coloribus depictam, ſed viridem Jaſpidem. Plinius *lib.* XXXVII. *cap.* IX. optimam dicit Scythicam eſſe, deinde Cypriam, poſtremo Ægyptiam.

DCX. Si ulli gemmæ vires raræ & mirificæ attribuuntur, & huic adſcribi ſolent. Plinius, loco modo laudato; *Totus Oriens pro amuleto traditur geſtare eam, quæ ex iis Smaragdo ſimilis eſt: & transverſa linea alba media præcingitur & grammatias vocatur: qua pluribus polygrammos. Libet obiter vanitatem magicam hic quoque coarguere, quoniam hanc concionantibus utilem eſſe prodiderunt.* Sic & *Epiphanius* tradit Jaſpidem *phantaſmata pellere*, ut fabulantur Mythologi. Aliam etiam *venenatas beſtias, & ſpectra metuere. Pſellus*: ἔϛι δέ τις καὶ ἀεροειδὴς ἀνασέλλει τὰ ῥεύματα κεφαλῆς καὶ τοὺς ἐφιάλτας ἀπωθεῖται, καὶ λοιμικοῖς ἀντιτάττεται πάθεσι καὶ ἐπιληπτικοῖς. ἐϛὶ δέ τις ἴασπις σμαραγδίζουσα. ἡ δὲ ἐμφερὴς χιόνι, καὶ ἄλλη ἐμφερὴς ἄρνου ἐγκεφάλῳ, ἧς οὔπω οὐδεὶς ἐγνώκει τὴν δύναμιν. *Eſt & aerea quædam quæ capitis fluxiones tollit, & expellit malum illud, quo cum laborat quis ſe grandi mole opprimi noctu & ab alio invadi putat. & peſtiferis morbis ac epilepticis omnino adverſatur. Eſt & Iaſpis quædam in Smaragdi modum reſplendens, alia vero nivi ſimilis, alia denique hirci cerebrum referens, cujus nemo hactenus vires novit.*

Hæc de lapidibus pretioſis in Pectorali dicta ſunto.

Ex iis quæ diximus de Pectorali, & de gemmis pretioſis, ap-

 paret

paret nomina Patriarcharum lapidibus inſculpta fuiſſe in hunc modum, quidquid etiam Judæorum & Chriſtianorum multi viri docti dicant.

Smaragdus ברקת לוי	Topazius פטדה שמעון	Sardius אדם ראובן
Adamas יהלם זבולן	Saphirus ספיר יששכר	Carbunculus נפך יהודה
Amethyſtus אחלמה גד	Achates שבו דן	Hyacinthus לשם נפתלי
Jaſpis ישפה בנימן	Sardonyx שהם יהוסף	Chryſolithus תרשיש אשר

Cap. XX.

DE חשן משפט & אורים ותמים PECTORALI JUDICII AC URIM ET THUMMIM,

חשן *Unde dictum. Arabs* חשה ſilere. חזה *videre. Prophetæ videntes,* חזה Pectus. Pectorale. *λόγιον, λογεῖον quid?* רישנמנט Raiſonement. Lorica brevis. Schildlein חשן משפט *λόγιον τῆς κρίσεως.* חשן דינא *Iarchii expoſitio. Pontifex Max. inſignis Iudex & Interpres. Varia loca S. Scripturæ & Codex Sanhedrin allegantur. Ægyptiorum & Romanorum Sacerdotes Iudices, Prophetæ, Augures & Vates. Tales & virgines Veſtales lapides pretioſos in pectore quoque geſtabant. Varii auctores.* חשן *Pectorali impoſitum erant* Urim & Thummim. אורים *quid?*

quid? Ab אור Uro & Aurora. Lux, & Lumen. Arabs. תמים Perfectiones. אורים utrum a ירה docere? δήλωσις apud Sept. An ab אמן fidit? Ἀλήθεια. Varii auctores. Imago Saphirina in collo Sacerd. Ægypt. Ἀλήθεια dicta. Lutheri & Aquilæ verſiones probantur. Utrum Urim & Thummim ſint res differentes? Quid Urim? Quid Thummim? Urim & Thummim? quid diverſum a Pectorali ſecundum quoſdam. Utrum nomen יהוה Virtute hujus nominis Moſen & Chriſtum miracula edidiſſe. Deliria Iudæorum. An ipſa vocabula Urim & Thummim? Quid Urim præſtet? quid Thummim? Urim & Thummim an duæ imagunculæ Pectorali indita? Sententia Chryſtophori Caſtri & Spenceri breviter examinatur. Teraphim quid? Utrum Iudæi ritus ſuos receperint ab Ægyptiis? Victores non raro mores & leges recipere a victis. De initio rituum Ægyptiorum nihil certi dici poſſe. Teraphim utrum Angeli? An idem quod Seraphim? ת & ש permutari. Quo ſenſu Hoſeæ cap. III. dicatur filios Iſraelis ſediſſe abſque Ephod & Teraphim? Hunc locum non favere Spencero: Ephod & Teraphim Michæ Iudic. XVII. & Ephod Gideonis Iudic. V. III. Examinantur. Ut & Teſtimonia a Spencero allata. Reſpondetur ad locum 1 Sam. XIV. XIX. Urim & Thummim eſſe lapides pretioſos. Eſſe Adamantem ſecundum Epiphanium. ejus craſſi errores. Diſpoſitio lapidum. Sententia Suidæ. Auguſtinus allegatur. Ioſephi ſententia de duabus Sardonychis. Ejus error. Urim & Thummim ſignificari per XII. gemmas ipſas in Pectorali. Ioſephus, Gemara Ieruſalemitana & Babylonica, aliique auctores multi allegantur. Riveius laudatur. Urim & Thummim eſſe lucidiſſimos & perfectiſſimos lapides. An Deus ipſe auctor τȣ Urim & Thummim? Quo ſenſu id dici debeat? Codex Samaritanus utrum culpandus. Uſus τȣ Urim & Thummim. Quo modo Revelatio facta ſit per Urim & Thummim? בלט Belat. Hinc een Bult/ Bulten &c. gibbus. Litteræ prominentes qua ratione ſint componendæ & legendæ. Sententia Maimonidæ. R. Bechai, Ramban. Abarbanelis conjectura. Utrum reſponſa data ſint per vocem? Talmud Ieruſalemitanum, & Ioſephus allegantur. Spenceri ſententia examinatur. Noſtra ſententia. Reſponſa per Urim & Thummim fuiſſe Revelationes divinas. Gemmas in Pectorali illæ-

illarum Revelationum Symbola fuiſſe. Quanam differentia inter Revelationes per Urim & Thummim, *& reliquas Revelationes & prophetas. ſententia multorum Iudaorum. Cornelius a Lapide & Rivetus laudantur, In quo loco facta fuerit interrogatio per* Urim & Thummim? *In ſolo Templo, non ubique. in Sancto tantum, non in Sancto Sanctorum. Coram Arca quo ſenſu? varii Auctores. Error Epiphanii aliorumque veterum & recentiorum, qui in S. Sanctorum interrogatum dicebant. In eodem errore ipſum Buxtorfium fuiſſe. Summum Pontificem ſolum interrogaſſe. Error illorum qui id Regibus & reliqnis Sacerdotibus attribuunt. Spenceri ſententia id ſtatuentis examinatur. Ejus argumentis reſpondetur. Explicantur varia loca S. Scripturæ. Cunæi & Spenceri ſententia iterum expenduntur. Davidem & Saulem non interrogaſſe per* Urim & Thummim. *Non pro quolibet interrogatum fuiſſe. Tantum pro Rege, pro Principe, pro Præſide Sinedrii, pro toto populo. Non interrogatum fuiſſe ob res leves. Non de duabus rebus ſimul. Si id factum, utrum reſponſum ſit, & quo modo?*

DCXI. HActenus de Pectorali, ejus materia, forma, ornamentis, & lapidibus pretioſis quibus ornatum fuit, ſatis fuſe egimus. Reſtat ut examinemus primo, cur dictum ſit חשן משפט *Choſchen Miſchpat.* Deinde quo ſenſu ei inditum fuerit URIM & THUMMIM. de quibus Moſes verſu xxx. ונתת אל חשן המשפט את האורים ואת התמים והיו על לב אהרן בבאו לפני יהוה ונשא אהרן את משפט בני ישראל על לבו לפני יהוה תמיד׃ *Et pones in Pectorali judicii Urim & Thummim, & erunt ſupra cor Aharonis, quum ingredietur coram Iehova, & portabit Aharon judicium filiorum Iſraelis ſupra cor ſuum coram Iehova jugiter.* Primo hic occurrit nomen חשן *Pectorale.* Deinde vocatur חשן משפט *Pectorale judicii.* Et tandem addit Moſes ei inditum fuiſſe האורים ואת התמים URIM & THUMMIM.

DCXII. חשן ſecundum quoſdam dicitur ab Arabico حشن quod plane idem eſt ac חשן. Sed ſignificat *veſtimentum aſperum.* Sic vocari poſſet propter aurum & gemmas, quibus aſperum redditur. Aut etiam dici potuiſſet a حسن *Haſna* id eſt *pulchrum, elegans*, ſcilicet ob elegantiam auri, purpuræ, cocci hyacinthi, & byſſi, gemmarum, totiuſque operis: elegantius enim veſtimentum

tum vix excogitari poteſt. Aliis חשן dicitur a verbo חשה *chaſcha* *ſilere*; quod Deus judicia ſua & reſponſa declaraverit per *Pectorale*, non niſi alto ſilentio. Hoc ſenſu opponeretur vocibus & ſermonibus, quos aliquando Deus audiri fecit e cœlo, aut per Angelos, aut per Moſen & Prophetas. Revera reſponſa per *Urim* & *Thummim* facta fuiſſe alto ſilentio, poſtea patebit. Dici etiam poſſet חשן vocari a verbo חזה *chaza*, id eſt *videre*, mutato tantum ז in ש quod non eſt inſolens. Ita autem diceretur ob viſionem & revelationem futurorum, quæ S. Pontifici per *Urim* & *Thummim* a Deo revelantur. Eſt enim S. Pontifex Propheta, ideoque & *videns*, prout prophetæ olim ראים *videntes* dicti ſunt. Tandem חשן dici poteſt a חזה *chazeh* quod *Pectus* ſignificat. Hinc optime a multis vertitur *Pectorale*, quod *pectus* tegat. Septuaginta interpretibus λόγιον, & Siracidi cap. XLV. X. λογεῖον dicitur plane contrario ſenſu, quam ſi a חשה *ſilere* diceretur; nam λόγιον *ſermonem* videtur ſignificare. Si autem ſic dictum eſt a ſermone, id fortaſſis de ſermone interno intelligendum eſt, non externo, qui auribus percipitur. At per λόγιον Græci videntur potius intelligere *Rationem*, ideo & *Rationale Judicii* vertitur. Eodem ſenſu ac Jarchio dicitur vulgo רישנמנט *Raiſonement*. Ita quidem, aut quod rationem & lumen mentis S. Pontificis, in judiciis excercendis, futuriſque annunciandis ſignificare deberet; aut quod Deus S. Pontificis mentem & rationem ſuis judiciis conſiliiſque perficeret & colluſtraret. Cum autem vera ſignificatio vocis חשן ſatis ſit difficilis, Chaldæus חשן retinuit. Non male Arabs *indumentum*, aut *Loricam brevem* vertit, ut ſupra animadvertimus. Nec rejicienda verſio Lutheri qui habet, Schildlein / id eſt *parvum ſcutum*.

DCXIII. Non tantum חשן *choſchen*, ſed & חשן משפט *choſchen Miſchpat* vocatur. Quod nihil aliud ſignificat, quam *Pectorale judicii*. Hinc λόγιον τῶν κρίσεων, *Rationale judiciorum*, & λόγιον τῆς κρίσεως, *Rationale judicii*. Chaldæus חשן דינא *choſchen judicii*. Jarchius aliique dictum putant, שמכפר על קלקול הדין *quod expiet violationem judicii*. Scilicet ſi Judex perverſe egerit, ſi innocentem damnaverit, aut reum abſolverit, ejus peccatum expiabit Pectorale S. Pontificis, prout fere omnia peccata aliquo veſtimento Sacerdotali expiari ſtulte credunt verpuli, de quibus nos plura ſuo loco. Nihilominus ipſe Jarchius aliam præterea dat rationem

iſtius

iſtius nominis, Summo Pontifici judicia excercenda eſſe. Nec male: erat enim, cum tota Pontificum turba, tum præcipue Pontifex Maximus inſignis judex, qui in multis rebus, de variis controverſiis judicare debebat, quod clariſſime conſtat Levit. X. XI. Deuter. XXXIII. X. & cap. XVII. VII. IX. & cap. XIX. XVII. & II. Chron. XV. III. Deut. XXXI. IX. II. Chron. XIX. VIII. X. & alibi variis locis. Hinc celebris ſententia Talmudica Maſſechet Sanbedrin cap. II. כהן גדול דן ודנין אותו *Pontifex Maximus judicat & judicatur.* Et capite IV. הכל כשרים לדון דיני ממונות ואין הכל כשרים לדון דיני נפשות אלא הכהנים לויים וישראלים המשיאין לכהונה *Quilibet judicare poteſt de re pecuniaria, ſed de vita nemo judicare poteſt niſi Sacerdos, Levita, & Iſraelita, talis cujus filiam Sacerdos ducere poteſt.* Ideo legimus in Euangelio, ubi de condemnatione Chriſti agitur, Summum Pontificem ubique tanquam præſidis & primarii judicis perſonam ſuſtinuiſſe. Videatur Matthæus cap. XXVI. & alibi. De *conſeſſu* id eſt de *Iudicio Sacerdotum* Talmudici, præcipue in *codice Sanhedrin*, ſæpiſſime faciunt mentionem. Sed peculiari aliquo modo Judex fuit P. Maximus, ubi veſtimentis ſacris, præſertim Pectorali indutus erat; tunc enim Dei judicia & reſponſa in rebus arduis depromere ſolebat ad interrogata. Huc præſertim reſpexiſſe videtur Moſes ultimis iſtis verbis: *Et portabit Aharon judicium filiorum Iſraelis ſupra cor ſuum coram Iehova.* Ubi per *judicia filiorum Iſraelis* videtur intelligere revelationes & reſponſa ad interrogata, pro Rege, pro populo, aut pro magno concilio, in rebus dubiis, de bello, de pace & de aliis, quæ legem & Religionem ſpectabant.

DCXIV. Apud alios populos Sacerdotes etiam fuiſſe Judices, immo & pretioſos lapides in pectore geſtaſſe, certum eſt. De Sacerdotibus Judicibus apud Ægyptios videatur *Ælianus Hiſtor. Var. lib.* XIV. *cap.* XXXIV. Δικασταὶ δὲ τὸ ἀρχαῖον παρ᾽ Αἰγυπτίοις ἱερεῖς ἦσαν. ἦν δὲ τούτων ἄρχων ὁ πρεσβύτατος, καὶ ἐδίκαζεν ἅπαντας. ἔδει δὲ αὐτὸν εἶναι δικαιότατον ἀνθρώπων καὶ ἀφειδέστατον. εἶχε δὲ καὶ ἄγαλμα περὶ τὸν αὐχένα ἐκ σαπφείρου λίθου, καὶ ἐκαλεῖτο ἄγαλμα ἀλήθεια. *Indices apud Ægyptios iidem quondam fuerunt, qui & Sacerdotes. In his princeps erat maximus natu, & in omnes ſtatuendi jus habebat. Eum omnium hominum eſſe juſtiſſimum & ſinceriſſimum oportebat, qui circa collum imaginem ex ſaphiro gemma geſtabat: quæ vocabatur veritas.* Idem videtur intellexiſſe Diodorus Siculus

lib. I.

lib. I. *cap.* III. ubi de judicibus Ægyptiorum diſſerit. Ἐφόρει, inquit, δ' ἀρχιδικαστὴς περὶ τὸν τράχηλον ἐκ χρυσῆς ἁλύσεως ἠρτημένον ζώδιον τῶν πολυτελῶν λίθων, ὃ προσηγόρευον ἀλήθειαν, τῶν δ' ἀμφισβητήσεων ἤρχοντο ἐπειδὰν τὸ τῆς ἀληθείας εἰκόνα ὁ ἀρχιδικαστὴς προσθεῖτο. *Geſtabat judex Summus in collo ex aurea catena pendens e lapillis pretioſis ſimulachrum, cui veritas nomen. Hoc a judicum principe aſſumptum diſceptandi lites auſpcium erat.* Sed apud Romanos olim Pontifices ſuum habuiſſe collegium, & judicia exercuiſſe, non tantum in rebus ſacris, ſed & civilibus, nimis eſt notum quam ut probatione egeat. Videatur doctiſſimus Gutherius *de Iure Pontificio lib.* I. *cap.* XXIV. *&* XXXIII. *& lib.* II. *cap.* I. II. & ſeqq. Quid? Pontifices apud eoſdem augures, ideoque vates & Prophetas fuiſſe qui futura prædicerent, & Deorum reſponſa darent, nemo eſt qui ignoret. Sed & virgines Veſtales judicia exercuiſſe conſtat. Videatur idem Gutherius, eodem opere. Sed & Veſtam ex inſignibus gemmis ornamentum in pectore geſtaſſe, docet Lipſius *de Veſta.* Rationem igitur habemus, cur *Pectorale* dicatur, חשן משפט *Choſchen Miſchpat*, id eſt, *Iudicii.*

DCXV. τῷ חשן ſive *Pectorali* impoſitum erat *Vrim & Thummim*: ונתת אל חשן משפט את האורים ואת התמים והיה על לב אהרן בבאו לפני יהוה *Et pones in Pectorali judicii Vrim & Thummim. & ſupra cor Aharonis, quando ingredietur coram Deo.* Celebris hic eſt quæſtio quid per *Vrim* & *Thummim* ſit intelligendum? & quis illius uſus fuerit?

Si nomina ſpectes, certiſſimum eſt, אורים *Vrim* ſignificare *ignes*: ut Ezechilis cap. V. II. באור תעיר *igne combures.* Unde proculdubio verbum Latinum *uro*, ab ipſo verbo Hebræo אור *ur*, quod idem ſignificat. Sed & *Lucem* non raro notat, ut Eſ. L. X. לכו באור אשכם *ambulate in luce ignis veſtri.* Et Geneſ. I. III. יהי אור ויהי אור *Fiat lux, & facta eſt lux.* Et Exodi X. XIII. *Et toti Iſraeli erat* אור *lux.* Et Judic. XVI. II. עד אור הבקר *uſque ad lucem matutinam.* Sed & lucem matutinam, aut *auroram* ſignificat. Nehem. VIII. III. מן האור עד מחצית היום *A luce ad meridiem*, id eſt, ab *aurora.* Hinc & ipſa vox *aurora*, quaſi per duplicationem אור *Or*, ac ſi diceres אור אור *Oror.* A Gemaricis אורים *Vrim* hic pro *lumine* ſumitur magis quam pro igne. Ideo Maſſechet *Ioma cap.* VII. אורים שמאירים *Vrim quia illuminant.* Non male itaque exponunt Syrus & Arabs, נהירא & الانوار *Lucem & dilucidationem.*

DCXVI. Quemadmodum אורים *Urim luces*, ſic & תומים *Thummim*, *perfectiones* denotat: ut Geneſ. vi. ix. תמים היה בדרתיו *Perfectus erat in generationibus ſuis.* Exodi xii. v. שה תמים זכר בן שנה *ovis integra maſcula, annicula.* Et Pſalmo lxxxiv. xii. הלכים בתמים *ambulantes in integritatibus*, ſive *perfectionibus.* Eodem ſenſu תמים *Thummim* ſumitur in *Pectorali.* Hinc iidem Cemarici eodem loci תמים שמשלימין *Perfectionis quia perficiunt.* Optime etiam Syrus habet שלמא *perfectum*, pro תמים *Thummim.*

DCXVII. Nihilominus ſunt quidam qui אורים derivatum volunt a ירה *docere*, quia ſcilicet docet reſponſa & voluntatem Dei ad interrogata. Eo videntur reſpexiſſe Seniores, qui δήλωσιν *doctrinam* ponunt pro *Urim.* Sic & תמים *Thummim* ab אמן *Aman fidit, verum eſt*, deducunt: quo iterum reſpexiſſe videntur *Seniores*, cum ἀλήθειαν *veritatem* expoſuerint τὸ תמים *Thummim.* Atque ſic Græcis ſæpiſſime אורים ותמים *Urim* & *Thummim*, δήλωσις καὶ ἀλήθεια *doctrina & veritas*, quos etiam ſequuti vulgatus & Hieronymus, qui habent *doctrinam & veritatem.* Et Chryſoſtomus *Orat.* iv. *contra Iudæos*, δήλωσιν καὶ ἀλήθειαν. Hoc ſenſu optime cum *Pectorali* Summi Sacerdotis Hebræorum conveniret illa torques, quam habebat circa collum Sacerdos Ægyptiorum, cujus imago aut lapides pretioſi, aut etiam Saphirina imago dicitur Ἀλήθεια *veritas*, ut ſupra notavimus ex Æliano & Diodoro Siculo. Sed אורים ותמים *Urim & Thummim*, derivari a ירה *docere* & אמן *verum eſt*, non credo fidem invenire apud φιλεβραίους, ut dubitandum non ſit, quin deriventur ab אור *luce* & תם *perfecto.* Optime igitur Lutherus: Licht undt Recht / *Lux & perfectum*, ſecutus, uti videtur, Aquilam, qui habet φωτισμοὺς καὶ τελειώσεις.

DCXVIII. Hic ante omnia quæri ſolet, utrum *Urim & Thummim*, ſint res differentes, an vero idem ſignificaverit utrumque? Multi ſane rem plane diverſam crediderunt *Urim* a *Thummim*, quod poſtea clarius patebit. In iſta opinione ſunt illi maxime, qui credunt *Urim & Thummim* fuiſſe aliquid ab ipſo pectorali & xii. lapidibus diverſum; ante omnes ii; qui neſcio quas imagunculas commenti ſunt. Sed & ipſi Judæi nobis perſuadere conantur, magnam fuiſſe differentiam inter utrumque; credunt enim *Urim* ſignificaſſe lucem & revelationem voluntatis Dei, ad quælibet interrogata, *Thummim* autem reſponſum perfectum & ſincerum, conforme voluntati atque revelationi Dei abſque fraude at-

que

que dolo, prout exponitur ab Abarbanele Paraſcha *Thezave.* In eadem ſententia quoque videtur verſari Aben Ezra Exodi. xxvii. Nihilominus tamen multi credunt *vrim* & *Thummim* unam eandemque rem fuiſſe, nec duo iſta nomina quidquam aliud ſignificaſſe quam uſus, immo & varias virtutes Pontif. Max. Et hoc probari poſſe videtur ex S. Scriptura I Samuelis xxxviii. Ubi reſponſa data legimus per אורים *urim* tantum, nulla facta mentione & תמים *Thummim.* Sic & Num. xxvii. xxi. jubetur Joſue ſtare coram Sacerdote, ut eum conſulat de judicio *urim*, coram Jehova. De *Thummim* iterum altum ſilentium: ut perinde plane ſit, ſive dicas per *urim* & *Thummim*, ſive per *urim*, abſque *Thummim*, ſive etiam per *Thummim* tantum, abſque *urim*; quia ſcilicet una eademque res cenſetur ſignificari utroque vocabulo, ratione ſubſtantiæ atque materiæ.

DCXIX. Tandem etiam quæritur quid ſit אורים ותמים *Vrim* & *Thummim*, utrum ipſum *Pectorale*? an Lapides pretioſi, de quibus ſupra ſat fuſe egimus: an vero aliud aliquid a veſtimento & ornamento diverſum? Sane quot capita tot ſententiæ; ut ſi noſtri inſtituti ratio id poſtularet, integrum opus ſuper hac quæſtione ſola ſcribere poſſemus, prout & nuper doctiſſimus vir Spencerus librum ſatis amplum de *urim* & *Thummim* edidit. Et quamvis vir doctiſſimus multa congeſſerit, quæ non ſolum magnam eruditionem redolent, ſed & totam materiam exhauſiſſe videntur; nihilominus tamen multa adhuc dicenda forent, ſi doctus aliquis Theologus, præſertim in literatura, cum profana tum ſacra, verſatus, omnes ingenii & erudionis ſuæ vires in id intendere vellet. Nos pauca tantum hic annotabimus, & quidem ea, quæ ad veram naturam iſtius rei declarandam ſcitu maxime neceſſaria nobis cenſentur.

DCXX. Multi itaque *Vrim* & *Thummim* rem plane aliam fuiſſe aſſerunt, quam ipſum Pectorale aut lapides pretioſos. Inter eos Judæorum Cabaliſtæ ſibi aliiſque perſuadere conantur, id eſſe nomen יהוה illud τετραγράμματον. Docent itaque nomen venerandum a Deo ipſo ſcriptum, aut lapidibus inſculptum Moſi traditum fuiſſe, a quo duplicationi *Pectoralis*, tanquam marſupio impoſitum ſit. Atque ſic, uti exiſtimant, virtute iſtius nominis Summum Pontif. res futuras cognoviſſe & prædixiſſe, aut Dei voluntatem & judicia expoſuiſſe. In hoc enim nomine magna myſteria repe-

riunt, illiuſque virtute, ingentia miracula edita fuiſſe per Moſen & ipſum Chriſtum, nugantur Talmudici. De Môſe vide librum *Caphtor* : & *Targum Ionathæ* ad Exod. II. XXI. De Chriſto examinentur Codices *Sanhedrin cap.* VI. *&* VII. & *Sotah.* Sane *urim* & *Thummim* fuiſſe nomen יהוה imprimis credidit Jonathan in ſua Paraphraſi Exodi cap. XXVIII. XXX. videantur etiam *Iarchius* ad Exod. XXVIII. verſu XXX. *Baal Hatturim* eodem loci. Et *Zohar* in Exodum, aliique multi.

DCXXI. Alii putarunt ipſa vocabula *Vrim* & *Thummim* ſcripta, & Pectorali indita fuiſſe. In iſta ſententia videtur fuiſſe R. Aſaria in מאור עינים *cap.* XLVI. Dicit enim in Pectorali fuiſſe duo nomina, alterum *Vrim*, alterum vero *Thummim*: ita quidem, ut, ubi primum inſpexerat, literæ, e quibus reſponſum conſtabat, luxerint. Sed quia conjunctio iſtarum literarum varie fieri poterat, cum poſtea inſpexiſſe alterum nomen *Thummim*, hoc vero literas perfeciſſe, & docuiſſe veram rationem eas diſponendi, ad legendum reſponſum Dei. Sane hanc ſententiam multo probabiliorem crederem priori, de qua jam loquuti ſumus cum nomina illa duo אורים *urim* & תמים *Thummim* tam expreſſe nominata fuerint; & *indes Pectorali Vrim & Thummim*, non autem nomen יהוה *Jehova.* Nec major vis fuiſſet in nomine *Iehova*, (quidquid verpuli nugentur,) quam in vocabulis *Vrim* & *Thummim*: neutrum etiam excedere potuiſſet vim ſymboli virtutis & præſentiæ Dei: tale autem ſymbolum poterant eſſe nomina *Vrim* & *Thummim*, non minus quam nomen *Iehova.* Quemodmodum itaque תפלין *Thephillim* erant ſchedulæ quædam quibus inſcriptæ fuerunt certæ quædam S. Scripturæ ſententiæ, incluſæ capſulis ex corio, quibus frontem & manum ornabant, ut eſſent ſignum & ſymbolum legis mandatorumque Dei, ſic & nomina illa *Vrim* & *Thummim* inſcribi potuiſſent, auro, argento, lapidi pretioſo, aut alii rei, Pectoralique indi & Pectori Pontif. Max. aligari, tanquam Symbolum præſentiæ Dei, qui ipſi omnia revelaret, ut ad interrogata reſponderet.

Nicolaus Apati, Ungarus, *in ſua tenebricoſa Diſputatione*, De Urim & Thummim. §. V. *quam ſub clariſſ. witichio habuit*, *anno* CIϽIϽCLXXXVI. *ut obſcure, ita & inepte effutivit, me hanc ſententiam meam feciſſe meque* ei ablandiri, *ſaltem* procatarctice *(hanc elegantiam, deglutiat qui poteſt)* eaque ſibi omnia diſplicere. *At is proculdu-*

culdubio ita nugando diſplicet omnibus doctis. Expreſſis verbis hanc ſententiam, cum præcedente rejicio: eam probabiliorem tantum dico, ſi ulla illarum probabilis *eſſet. Meam ſententiam expono paragr.* XXV. *(hujus Editionis* DXL.) *quam ipſe poſteà in ſua Diſputatione, paragr.* XIII. *&* XIV. *non* procatarctice *tantum, ſed magno apparatu ridicule ſuam facit, ac ſi ipſe ejus fuiſſet inventor. Ignoſcant Eruditi, quod de hujus hominis nugis, quas nemo, niſi, neſcio quo infortunio in eos incidat, lecturus erit, mentionem fecerim.*

DCXXII. Sunt etiam qui nobis perſuadere conantur *Urim* & *Thummim* fuiſſe duas imagunculas Pectorali inditas, quæ ad quæſita reſponderent. Hæc eſt ſententia Chriſtophori Caſtri, *lib.* III. *de vaticinio. cap.* III. Conatur enim probare *Urim* idem eſſe ac *Theraphim*, certas quaſdam imagunculas, ſive idola quæ ad interrogata reſpondebant voce manifeſta.

DCXXIII. Eandem ſententiam tueri conatur *Johannes Spencerus* Anglus, vir ſane doctus, in cujus gratiam integrum volumen conſcripſit, & in lucem edidit ante octennium: cujus titulus eſt: *Diſſertatio de Urim & Thummim.* vult itaque *Urim* & *Thummim* fuiſſe duas imagunculas diverſas, ita ut altera diceretur *Urim*, altera autem *Thummim*, ideoque non niſi auctore & fortaſſis veritate ab Ethnicorum *Theraphim* diverſas fuiſſe.

DCXXIV. Sed ignoſcat mihi doctiſſimus vir, ſi in ejus caſtra tranſire non poſſim. Mihi non eſt animus totum illius opus refutare, & ad omnia reſpondere quæ minus placent; nec noſtri inſtituti ratio id poſtulat. Nihilominus, ſalva doctiſſimi viri eruditione, dico illius ſententiam θεολογικώτερον minime nobis videri, nec Scripturæ Sacræ, nec analogiæ fidei Judaicæ ſatis convenientem haberi a Theologis. Eadem ſane facilitate, qua doctiſſimus vir, cum Chriſtophoro Caſtro omnia iſta dixit, ab aliis negari poſſunt. Facile ſane dici poteſt: URIM *fuiſſe inſtrumentum concavum, ad humanam ſimilitudinem formatum, antiquitus* Theraphim *vocatum*, & duplicationi Pectoralis inditum, quo Deus aut Angelus reſponſa daret, uti loquitur *cap.* IV. *Sect.* II. Sed cum non nudis opinionibus, claris vero demonſtrationibus, ſtare ſoleant doctiores; timendum eſt, non niſi pauciſſimos, ſola viri docti auctoritate moveri, ut ſententiam ejus amplecterentur. Quid veterum *Theraphim* apud Gentiles fuerint, adhuc ignoratur, quamvis imagines quasdam humana forma fuiſſe, admodum ſit veriſi-

riſimile; quod vel ex ſolo illo Theraphim uxoris Davidis conſtat, quo caput humanum mentiri conata eſt. Fruſtra doctiſſimus vir toties inculcat, Judæos multos ritus, etiam in rebus ſacris, hauſiſſe ab Ægyptiis, aliisque populis, inter quos & *Theraphim* poni putat, quæ tandem nomina *Vrim* & *Thummim* aſſumpſerint tempore Moſis. Nam hactenus ſub judice lis eſt, utrum Judæi ritus ſuos, & ſacra hauſerint ab Ægyptiis; an vero Ægyptii a Judæis. Enimvero quamvis fortaſſis Judæi nonnulla mutuati fuerint ab Ægyptiis, nihilominus valde etiam probabile eſt, Ægyptios multa aſſumpſiſſe a Judæis, ut circumciſionem, & alia quædam. Nec eſt quod quis dicat: Judæos captivos fuiſſe in Ægypto, ideoque credibile magis eſſe, Ægyptios ſua tradidiſſe Judæis, ab illis autem nihil accepiſſe. Nam & victi mores legeſque ſuas non raro transmittunt ad victores, quod conſtat vel ex ſola Hiſtoria Alexandri Magni, qui ut Perſas devicit, ſic & Perſarum mores aſſumpſit. De Romanis nihil dicam, cum conſtet eos & leges & Religionem a victis accepiſſe. Sed cum Ægyptii tot nominibus & beneficiis devincti fuerint Joſepho, immo cum ipſe totum Regnum Ægyptiorum multos annos gubernaverit, an mirum eſſet, ſi diceremus eum patrios mores propagaſſe ad Ægyptios? Quis nobis dicet utrum Ægyptiorum ſiſtra & crepitacula antiquiora ſint S. Pontificis Hebræorum tintinnabulis; an vero tintinnabula Hebræorum ſiſtris & crepitaculis Ægyptiorum? Nemo etiam facile dixerit, utrum Ægyptiorum Sacerdos lapides pretioſos, aut ſaphirum; cum imagine ἀληθεία dicta geſtaverit ante Sacerdotes Hebr. an vero Summus Sacerdos Hebræorum non geſtaverit ſuum pectorale ante Sacerdotem Ægyptiorum. Quid? nonne poterant Ægyptii multa didiciſſe a Judæis tempore Salomonis, qui Pharaonis filiam duxerat, præſertim poſt tot fœdera & clades, quæ inter Ægyptios & Judæorum Reges interceſſerunt? Sane credibile non eſt, Herodotum, Plutarchum, aliosque auctores, ſi qui antiquiores exſtiterunt, quicquam certi ſciviſſe ultra tempora Salomonis, de Rebus Ægyptiis, ut ut etiam nonnunquam eorum fere æternitatem crepare videantur.

DCXXV. Gratis tandem dicitur *Teraphim* angelos ſignificaſſe: immo Deum reſponſa dediſſe miniſterio angelorum per *Vrim* & *Thummim*. Deum aliquoties miniſterio Angelorum uſum eſſe, certiſſi-

certiſſimum eſt, ſunt enim *πνεύματα λειτȣργικά*. Hebr. I. XIV. Quoties S. Scriptura hoc affirmat, id a nobis credi debet; ſed ubicunque verbum Dei tacet, nobis nihil temere affirmandum eſt. Cum itaque Deus de angelorum reſponſis per *Urim* & *Thummim* ne γρῦ quidem habeat, nudis conjecturis nimis eſſet indulgeri, ſi quis id dicere auderet. Non ſequitur itaque *Urim* ſignificare *Theraphim*, multo minus Angelos. Hactenus probatum non eſt, *Theraphim* idem eſſe ac *Seraphim?* nam etſi negari non poſſit, literas ש & ת ſæpiſſime permutari, ut Syri & Chaldæi ponant ת pro ש nihilominus tamen non conſtat תרפים *Theraphim* idem eſſe ac שרפים *Seraphim*, cum Chaldæis non dicatur תרף *Theraph* pro שרף *Seraph*. Sane Chaldæis תרף *Theraph* non eſt *urere* ut שרף *Seraph*, ſed *corrumpi*, *vermibus exedi*, hinc תורף *Thoreph*, & תורפה *Turpha*, *turpitudo*, & *ignominia*, quaſi *Teraphim* eſſent imagines turpes, propter idololatriam cui inſerviebant, ut volunt Judæi, aut etiam ob vetuſtatem vermibus fere *Comeſa*. Si Judæis fidem habeamus, *Theraphim* non derivantur a *Seraph*, ſed potius a תורף *Thoreph* ignominia, ut habet Zohar in Geneſin. Aut etiam a רפה *Rapha*; *laxum*, *remiſſum*; quia homines ab operibus avocat, aut quia facit prophetam *laxum* id eſt *inanem*, ut habent *Tanchuma*, Rabbi *Bechai* & alii. At ſi vel maxime, diceretur *Theraph* pro *Seraph* & *Theraphim* pro *Seraphim*, inde tamen non ſequeretur *Theraphim* idem eſſe quod *Urim* & utrumque ſignificare *Angelos*, multo minus angelos reſponſa dediſſe per *Urim*.

DCXXXVI. Maximi ponderis argumentum doctiſſimi viri, quod alicui dubium parere poſſit, deſumptum eſt ex capite tertio Hoſeæ, ubi dicitur: *filios Iſraelis dies multos ſediſſe abſque Rege, & abſque Principe, & abſque ſacrificio, & abſque ara; & abſque* Ephod, *&* תרפים *Theraphim*; ubi per *Theraphim* neceſſario intelligi vult *τὰ Urim*, eo magis quod *τῷ Ephodo* jungantur. Sane multa huic argumento convellendo afferri poſſent: ſed ſufficiat dictum eſſe, per *Theraphim* intelligi cultum idololatricum, & divinationes falſorum Prophetarum, ſub Regibus idololatris, ut iſto loco indicaretur miſerrimus ſtatus populi Iſraelitici; ut populus non tantum vera religione fuerit privatus, ſed & Regibus & Principibus omnibus, ut ne *Theraphim* quidem amplius ſuperfuerint, nec ullus ſtatus politicus. Nam eo miſeriæ nunquam antea fuit redactus

popu-

populus, ut ne falſus quidem Propheta, nec Sacerdos Idoli remanſerit, qui per *Teraphim* non veller Deos colere & futura prædicere. Videtur itaque Hoſeas, ut miſerrimum ſtatum Populi Iſraelitici iſtius temporis exprimeret, dicere voluiſſe: non tantum *veram* Religionem, ſacra, ſacrificia, altaria & Ephodum veri *Sacerdotis* defuiſſe; ſed & ipſos Reges Idololatras; & cultum Idolorum, cum falſis Sacerdotibus atque Prophetis defeciſſe. Atque ſic non opus erit, ut ex *Theraphim* faciamus *Urim.* Sed poteſt per ſtatum illum, de quo loquitur Hoſeas, intelligi ſtatus populi Judaici poſt natum Chriſtum, qualis eſt hodie, ubi revera non habent nec Regem, nec Principem, nec verum cultum Leviticum, nec etiam ad idololatriam delapſi ſunt. Ita ſane explicatur Hoſeas ab *Hieronymo*, a Kimchio, & a multis Theologis magni nominis. Quod attinet ad *Ephod* & *Theraphim* Michæ Judic. XVII. quæ allegantur Sect. V. illa omnia contra legem facta, adeoque idololatrica fuiſſe, mihi eſt perſuaſiſſimum: quod cuilibet facile conſtabit, ſi iſtud Ephodum, ad legem Dei a Moſe Exod. XXVIII. præſcriptam examinaverit. Idem plane dicendum eſt, de Ephodo Gideonis Judic. VIII. Revera Ephod illud idololatricum fuiſſe, eodem capite clariſſime docetur: dedit enim anſam Iſraelitis turpiſſimam Idololatriam committendi. Teſtimonia quæ adferuntur a doctiſſimo Spencero Sect. VI. plane nihil probant. Verba Philonis ſunt dubia, & de ſymbolis virtutum Sacerdotis, intelligi debent magis, quam de imagunculis. In verba *Aben Eſræ*, aut *Chriſtophori Caſtri* jurare quis poſſet? Nec puto doctiſſimum *Spencerum* hoc a nobis petere. Verba Schauli I. Samuelis XIV. XIX. אסף ידך *Collige manum tuam*, minime intelligo, quaſi Saulus reſpexiſſet ad imagunculas *Teraphim*, quas Summus Pontifex habuerit in manu, ut aut extraheret, aut inderet duplicationi Pectoralis: nam omnino veriſimile eſt, Schaulum reſpexiſſe ad Arcam quam attingere & admovere volebat Sacerdos ad mandatum Regis. Dicant alii quod volent, doceant *Urim* & *Thummim* imagunculas quaſdam fuiſſe, *Teraphim* dictas, nullis S. Scripturæ locis, aut probatis auctoribus id demonſtrari poteſt: immo S. Scripturæ eſſe contrarium, & idololatriam peſſimam redolere, mihi perſuaſiſſimum eſt, quod evidentiſſimis rationibus ex S. Scriptura, & Judæorum Theologia deſumptis, alibi fuſe probamus.

Per

DCXXVII. Per *Vrim* & *Thummim* alii intelligunt lapides pretioſos in Pectorali, ubi iterum ſententiæ variant. Epiphanius in opuſculo de duodecim gemmis in veſte Aharonis, non quidem duodecim lapides, de quibus capite præcedenti egimus, intelligi vult per *Vrim* & *Thummim*, ſed *Adamantem* in medio iſtarum gemmarum, quaſi *adamas* ille decimus tertius fuiſſet lapis. Audiamus ipſum *Epiphanium*. Ὁ λίθος ὁ ἀδάμας ἐμφορής ἐςι κατὰ τὴν χροιὰν τῷ ἀέρι. τοῦτον δὲ ἐφόρει ὁ ἀρχιερεὺς ὅτε εἰσήρχετο εἰς τὰ ἅγια τῶν ἁγίων. τρὶς δὲ τοῦ ἐνιαυτοῦ εἰσήρχετο. τῇ ἑορτῇ τοῦ πάσχα, τῆς πεντηκοστῆς, καὶ τῆς σκηνοπηγίας. ἦν δὲ κείμενος ἐπὶ τοῦ στήθους τοῦ ἀρχιερέως ὅτε ἐνεδεδύσκετο τὸν ποδήρη, καὶ ἐπάνω τοῦ ποδήρους ἐπενδύετο τὴν ἐπωμίδα. κατέβαινε δὲ ἡ ἐπωμὶς ὀλίγον κατώτερον τοῦ στήθους. ἦν γὰρ σπιθαμῆς καὶ ἡμισείας τὸ μῆκος ἐκ δεξιῶν δὲ καὶ ἐξ εὐωνύμων ἐπάνωθεν τῶν μαζῶν, ἔνθα δύο ἀσπιδίσκοι ἦσαν συνηῤῥαμμένοι, ἀπηώρητο δύο σμάραγδοι. εἰς μέσον δὲ τούτων ἦν ἡ δήλωσις, ὃς ἦν ὁ δηλωθεὶς ἀδάμας, τὴν χροιὰν ἀερίζων. ἐπάνω δὲ τῶν ὤμων οἱ δηλωθέντες δώδεκα λίθοι. τρὶς δὲ ὡς εἴρηται τοῦ ἐνιαυτοῦ ἐδηλοῦτο τῷ λαῷ διὰ τοῦ πετάλου. καὶ εἰ ἐν ἁμαρτίᾳ εὑρέθησαν, καὶ μὴ ἐν ταῖς ἐντολαῖς, ἃς ἐδεδώκει ὁ Θεὸς, ἐτρέπετο φασὶν ἡ χροιὰ τοῦ λίθου, καὶ ἐγίνετο μέλας. καὶ ἐκ τούτου ἐγίνωσκεν ὅτι θάνατον ἐξαπέςειλε κύριος. ἡνίκα δὲ μάχαιραν αὐτοὺς ἔπεμπεν, ἐγίνετο αἱμάλινος, ὡς ἐν τῷ Ἱερεμίᾳ φησίν. Ἐξαπέςειλον τὸν λαὸν αὐτοῦ, καὶ ἐξελθέτωσαν, ὅσοι εἰς θάνατον, εἰς θάνατον: ὅσοι εἰς μάχαιραν, εἰς μάχαιραν: καὶ ὅσοι εἰς λιμὸν, εἰς λιμόν: καὶ ὅσοι εἰς αἰχμαλωσίαν, εἰς αἰχμαλωσίαν. Εἰ δὲ ἐγίνετο ὡσεὶ χιὼν λαμπρὸς, ἐγίνωσκεν ὁ λαὸς ὅτι οὐδαμοῦ ἁμαρτία: καὶ τότε ἑόρταζον: ὡς λέγει ὁ προφήτης: Ἑόρταζε Ἰούδα τὰς ἑορτάς σου, ἀποδιδοὺς τὰς εὐχάς σου. περιεῖλε κύριος τὰ ἀδικήματά σου. λελύτρωκέ σε ἐκ χειρὸς ἐχθρῶν σου. βασιλεύσει κύριος ἐν μέσῳ σοῦ. οὐκ ὄψῃ κακὰ οὐκέτι. Διὸ καὶ ἐπὶ Ζαχαρίου τοῦ πατρὸς Ἰωάννου ἐν τῇ ἐφημερίᾳ αὐτοῦ, ἐν τῷ πάσχα, λαμπρὸς ἐγίνετο ὁ λίθος. τότε γὰρ ἀρχὴν ἔλαβε τοῦ ἱερατεύειν τὸν ἐνιαυτόν. καὶ τῷ ἐπιόντι ἕτερος ἀνελάμβανε τὸν ποδήρη. ὅτε καὶ βραδύνοντος τοῦ Ζαχαρίου εἰς τὰ ἅγια τῶν ἁγίων ἐν ἀγωνίᾳ ἦν ὁ λαὸς μήποτε ἔσται ὁ λίθος αὐτοῖς ἐλεγμὸς ἁμαρτίας. Καὶ ἐξελθόντος αὐτοῦ, καὶ γνόντες ὅτι μεγάλης δόξης ὀπτασίαν ἑώρακεν, ἐχάρησαν σφόδρα. Ἰωάννης γὰρ ἦν μέλλων γεννᾶσθαι, ὁ ἄγγελος τοῦ Χριστοῦ διὸ καὶ δεδοξασμένον τὸ πέπλον ἐφάνη. *Adamas, colore ſimilis eſt aeri. Hunc geſtabat ſummus Pontifex in ſancta ſanctorum ingrediens. Ter vero in anno ingrediebatur: in Paſchate, Pentecoſte, & Tabernaculorum feſto. Ponebatur autem ſuper pectus ſummi Sacerdotis, ubi is talarem veſtem, & ſupertalarem induiſſet. Deſcendebat autem humerale paulo infra pectus. Erat enim ejus longitudo dodrantis cum dimidio.*

A dextris & a ſiniſtris ſupra mammillas, ubi duo parva ceu ſcuta conſuta erant, pendebant duo Smaragdi. In medio autem horum erat Declaratio, qui erat jam dictus Adamas, colore aerem referens. Super humeros vero duodecim dicti lapides. Ter autem, ut dictum eſt, per annum oſtendebatur populo cum lamina aurea. Quod ſi in peccato deprehendetur, ſi in præceptis quæ dederat Deus, non ambulaſſent, mutabatur, ut ferunt, color lapidis, & fiebat niger hinc agnoſcebant quod Dominus mortem miſſurus eſſet. Cum vero eos gladio perdere vellet, efficiebatur ſanguinei coloris, ut per Ieremiam (cap. xv.) *loquitur:* Emitte populum ipſius & egrediantur: quicunque ad mortem, ad mortem: quicunque ad gladium, ad gladium: quicunque ad famem, ad famen: quicunque ad captivitatem, ad captivitatem. *Si vero ut nix ſplendebat, agnoſcebatur ſe non peccaſſe, & tunc feſtum celebrabant. Quemadmodum propheta ait:* (Numer. 1.) Celebra feſta tua Juda: redde vota tua. Abſtulit Dominus tuas iniquitates. Redemit te e manibus hoſtium tuorum. Regnabit Dominus in medio tui. Non videbis ulterius mala. *Idcirco etiam tempore Zachariæ patris Iohannis, dum ad eum vices ſpectarent, in Paſchate ſplendidus fuit lapis. Tunc enim cœpit hoc anno fungi ſacerdotio. Sequente autem alius tunicam talarem ſumpſit: quum etiam tardante Zacharia in Sanctis Sanctorum, anxius erat populus, ne forte gemma eos redargueret. Ipſo autem egreſſo, agnoſcebant quod magnæ gloriæ viſionem vidiſſet, & valde exhilarati ſunt. Iohannes enim naſciturus erat nuncius Chriſti. Quapropter etiam lamina aurea glorioſa apparuit.*

DCXXVIII. Integrum hunc locum ſic exſcribere volui, ut manifeſtum fieret quam craſſe patres ſæpiſſime errare ſoleant, in rebus Judaicis, & in interpretanda S. Scriptura; ut cuilibet conſtaret quouſque ipſis fides adhibenda ſit in Religionis negotio. Errat Magnus Epiphanius, cum dicat, *S.* Pontificem *ter in anno*, in *Paſchate, Pentecoſte*, & *Tabernaculorum feſto* ingredi Sanctum Sanctorum, cum nunquam illis diebus illud ingreſſus fuerit, Ingrediebatur enim S. Sanctorum ſolo die x. Thiſri. Craſſiſſimus error eſt, quod dicat: S. Pontificem *S. Sanctorum ingredi humerali & Pectorali gemmato*, cum illud nunquam ingreſſus fuerit, niſi indutus veſtibus albis & byſſinis. Fabulam narrat, quam ne Judæus quidem Apellas unquam credet, quando dicit: S. Sacerdotem *ter per annum populo lamina aurea oſtendi:* cum quotidie quoties

quoties in Templo miniſterio functus eſſet, lamina aurea ornatus fuerit. Nullam veri habet ſpeciem, quicquid addit de *Adamante, de ejus variis coloribus, & de glorioſa apparitione laminæ aureæ.* Hinc tandem patebit, quid ſtatuendum ſit de illius deſcriptione quam addit de diſpoſitione lapidum, ſecundum ætates tribuum. *Filii Leæ,* inquit, *ſunt quatuor. Ruben, Sardius: Simeon, Topazius: Levi, Smaragdus: Iudas, Carbunculus. Filii Bilhæ, duo. Dan, Saphirus: Nephtali, Iaſpis. Filii Zilpæ, duo. Gad Ligyrius, Aſer, Achates. Filii Leæ, duo: Iſaſchar Amethyſtus; Zabulon, Chryſolithus. Filii Rachelis, duo: Ioſeph, Beryllus: Benjamin, Onychium.* Quæ ita diſponuntur a Geſnero:

Altera in altero

1 Sardius. *Ruben* L.	2 Topazius. *Symeon* L.	3 Smaragdus. *Levi.* L.
4 Carbunculus. *Iudas* L.	5 Saphirus. *Dan* B.	6 Jaſpis *Nephthali* B.
	URIM. THUM- MIM.	
7 Lyncurius. *Gad* Z.	8 Achates. *Aſer.* Z.	9 Amethyſtus *Iſaſchar.* L.
10 Chryſolithus. *Zabulon* L.	11 Beryllus. *Ioſeph.* R.	12 Onyx. *Benjamin.* R.

Sardonyx in humero.

Sed ego ſic diſponerem ad mentem Epiphanii, ut aliquo ſaltem modo convenire videatur cum Judæorum ſententia & ſcriptione.

Sardonyx in humero dextro	Smaragdus *Levi.* 3	Topazius. *Symon.* 2	Sardius. *Ruben.* 1	Sardonyx in humero ſiniſtro.
	Iaſpis. *Nephthali.* 6	Saphirus, *Dan* 5	Carbunculus *Iuda.* 4	
		ADAMAS. URIM & THUMMIM.		
	Amethyſtus *Iſaſchar.* 9	Achates, *Aſer.* 8	Lyncurius. *Gad.* 7	
	Onyx *Benjamin.* 12	Beryllus *Ioſeph.* 11	Chryſolithus *Zabulon.* 10	

DCXXIX. Sententiam *Epiphanii* de *Adamante*, Ejusque variis coloribus, ſplendore & mutatione, ad prædicenda futura per *Vrim* & *Thummim*, ſequutus etiam eſt Suidas, in voce ἐφοὺδ. Docet enim S. Pontificem in medio Pectoralis inter duos Smaragdos geſtaſſe quaſi ſtellam auream lapidem *Adamantem.* Quam lepide autem omnia exponat Suidas, vide ſub finem capitis ſexti hujus libri, ubi locum iſtum integrum appoſuimus. Fabulas iſtas non ignoraſse *Auguſtinum*, ipſe docet, in Exod. *Quæſt.* CXVII. *Fabulantur*, inquit, *quidam lapidem in pectorali fuiſſe, cujus color, ſive ad adverſa ſive ad proſpera, mutaretur, quando Sacerdos intrabat in ſancta.*

DCXXX. Joſephus idem intelligi velle videtur, non tantum de lapidibus in Pectorali, ſed præterea etiam de duobus Sardonychibus in Ephodi humeralibus. *Antiq. Iudaorum lib.* III. *cap.* IX. τῶν γὰρ λίθων οὓς ἐπὶ τῶν ὤμων φέρειν τὸν ἀρχιερέα προεῖπον, (σαρδόνυχες δὲ ἦσαν, καὶ σεμαίνειν αὐτῶν τὴν φύσιν ἡγοῦμαι περισσὸν πᾶσιν εἰς γνῶσιν ἀφιγμένον) συνέβαινε λάμπειν. ὁπότε ταῖς ἱερουργίαις ὁ Θεὸς παρείη τὸν ἕτερον τὸν ἐπὶ τῷ δεξιῷ τῶν ὤμων πεπορπεμένον, αὐγῆς ἀποπηδώσης, καὶ τοῖς πορρωτάτω φαινομένης, οὐ πρότερον ταύτης ὑπαρχούσης τῷ λίθῳ. *Ex gemmis quas Pontif.*

Pontif. Maximus in humeris geſtavit (erant autem Sardonyches, quarum natura nimis nota eſt, quam ut eam explicem) altera quæ in dextro humero erat fulgebat, quoties litatum eſſet. Tantum fulgorem emittebat, ut procul aſpicientibus etiam conſpiceretur, qualem antea non emittebat. Et paulo poſt: Ἐπαύσατο μὲν οὖν, inquit, ὅτε ἐσσὴν καὶ ὁ σαρδόνυξ τοῦ λάμπειν ἔτεσι διακοσίοις πρότερον ἢ ταύτην ἐμὲ συνθεῖναι τὴν γραφὴν, τοῦ Θεοῦ δυσχεράναντος ἐπὶ τῇ παραβάσει τῶν νόμων. *Deſiit tam Eſſen,* (lege Choſchen) *quam Sardonyx fulgorem emittere annis ducentis antequam hæc ſcriberemus, irato Deo propter transgreſſionem legum.* Ecce non tantum *Eſſen* id eſt XII. lapides in *Choſchen* ſive in *Pectorali* lucem amiſerunt; ſed & *Sardonyx in humerali Ephodi.* Sed cum S. Scriptura nuſquam mentionem faciat oraculorum editorum per Sardonychas, nec ab ullo alio auctore probato apud Judæos illud affirmetur, aſſenſum Joſepho, hac in re, præbere non poſſum: ut eum & hic deceptum putem, aut aliquid ipſi eſſe infarctum credam.

DCXXXI. Plurima tamen pars interpretum, & inter alios maxime Judæi, per *Urim* & *Thummim* nihil aliud intelligunt quam ipſos duodecim lapides pretioſos in Pectorali, cum nominibus duodecim tribuum inſculptis, prout a nobis ſupra deſcribuntur. In hac ſententia primus eſt Joſephus, loco modo a nobis citato. ὃ δ' ἐστὶ τούτου θαυμασιώτερον ἐρῶ· διὰ γὰρ τῶν δώδεκα λίθων οὓς κατὰ στέρνον ὁ ἀρχιερεὺς ἐνερραμμένους τῷ ἐσσῆνι φορεῖ, νίκην μέλλουσι πολεμεῖν προεμήνυεν ὁ θεός. τοσαύτη γὰρ ἀπήστραπτεν ἀπ' αὐτῶν αὐγὴ, μήπω τῆς στρατιᾶς κεκινημένης, ὡς τῷ πλήθει παντὶ γνώριμον εἶναι τὸ παρεῖναι τὸν θεὸν εἰς τὴν ἐπικουρίαν. ὅθεν Ἕλληνες οἱ τὰ ἡμέτερα τιμῶντες ἔθη, διὰ τὸ μηδὲν ἀντιλέγειν δύνασθαι τούτοις, τὸν ἐσσῆνα λόγιον καλοῦσιν. *Sed magis mirandum eſt quod dicturus ſum. Nam per duodecim lapides quos ſummus Sacerdos in pectore per Choſchen gerebat, iis, qui bellum geſturi eſſent, victoriam prædicere ſolebat Deus. Tantus ſcilicet ex iis effulgebat ſplendor, antequam exercitus moveretur, ut toti populo manifeſtum fuerit adeſſe Deum in auxilium. Ut etiam Græci noſtra reverentur, nec quiſquam illis contradicere poſſet; ideoque Choſchen* λόγιον *vocant.* In eadem ſententia ſunt doctores utriuſque Gemaræ, cum Jeruſalemitanæ, tum Babylonicæ, *Maſſechet Ioma cap.* VII. Sic enim habent Jeruſalemitani. *Sunt doctores qui tradunt, ſcripturam protuberaſſe. Eſt qui dicit vocem fuiſſe auditam, ut ſcriptum eſt: & audita eſt vox. Eſt qui dicit ſcriptura eminebat.* Sic

& Babylonici: *Quomodo ſiebat?* (Reſponſum per Urim & Thummim) *doctor Iohannes dicit, literæ eminebant. Reſch Lakiſch dicit cohærebant. Sed ibi non erat litera* Zade. *Reſpondet doctor Samuel filius Iſaaci, ibi ſcriptum erat* Theth, &c. Eadem vide *Capite* VII. hujus libri, ubi totum textum Talmudicum appoſuimus. Fere verbotenus repetuntur in Jalkut. Traduntur etiam in Zohar in Exod. Videtur ibi *Zohar* ſtatuere, in Pectorali fuiſſe literas JEHOVÆ occultatas, earumque virtute literas lapidibus pretioſis inſculptas protuberaſſe & lucem emiſiſſe, aut etiam obſcuratas fuiſſe, prout Deus fauſta vel infauſta prædicere volebat. In eadem ſententia fuerunt *Maimonides, Kele Hammikd. cap.* x. Abarbanel ad *cap.* XXVIII. *Exodi.* Rabbi Azarias in *Meor Enaiim cap.* I. R. Abraham Scheba in *Tzeror Hammor.* Illis adnumerandus etiam videtur Philo Judæus *lib.* II. *de Monarchia*, & alii. Sed & Chryſoſtomus idem credidit, *Orat.* IV. *contra Iudæos*: Πάλιν ἀπὸ τῶν λίθων τῶν ἐπὶ τοῦ στήθους τοῦ ἀρχιερέως, ὅπερ ἐκάλουν Δήλωσιν, ἐγίνετό τις ἔλλαμψις, καὶ τὰ μέλλοντα ἐσήμαινε. *Rurſus e lapidibus qui erant in pectore ſummi Sacerdotis, quod vocabant Declarationem, relucebat fulgor quidam futura ſignificans.* Auguſtinus *lib.* II. *Quæſt. ſuper Exod. cap.* CXVI. fatetur etiam: *intelligi poſſe Demonſtrationem & veritatem literis fuiſſe impoſitam ſuper* λόγιον. Ex recentioribus doctoribus non pauci, cum Pontificii, tum Reformati, eadem docuerunt.

DCXXXII. Sane URIM & THUMMIM, ipſas fuiſſe gemmas in Pectorali facillime & ego crederem, nam de nulla re, in tota deſcriptione ſacri veſtitus, fit mentio, quæ *Vrim* & *Thummim* dici poſſit, præter XII. lapides pretioſos in Pectorali. Quicquid enim dicatur de nomine *Tetragrammato*, de *Adamante*, & de *Theraphim*, meræ ſunt conjecturæ, fundamentum in verbo Dei non habent. Sed duodecim lapides optime dici poſſunt *Vrim* & *Thummim*. Notum eſt ex iis quæ ſupra diximus, אורים ſignificare *ignes* aut *luces*. תמים autem *Perfectiones*. Sed cui rei melius convenirent *luces* & *perfectiones* quam XII. Gemmis in pectorali; Sunt enim lapides illi *lucidiſſimi*, & quaſi ardentes *ignes*, ob ſummum ſplendorem. Sunt etiam *perfectiſſimi*, ob nitorem & pretium. Dici itaque poteſt, Deum, poſtquam juſſiſſet ut Pectorali inderentur duodecim gemmæ, hæc verba addidiſſe ונתת אל חשן המשפט את האורים ואת התמים *Et pones in Pectorale judicii lucidiſſimos, & perfe-*

feſtiſſimos ſc. lapides: ut ibi Deus declaraverit, lapides iſtos, de quibus antea jam mentio fuerat facta, debuiſſe eſſe *lucidiſſimos* & omnium *perfectiſſimos*, prout in Sacris omnia debebant eſſe מן המובחר *Ex optimo*. Non enim ſufficiebat adhibere *Sardium*, *Topazium*, *Smaragdum*, *Carbunculum*, *Saphirum*, *Adamantem*, *Hyacinthum*, *Achatem*, *Amethyſtum*, *Chryſolithum*, *Sardonychem* & *Iaſpidem*; ſed debebant adhiberi optimi, *Perfectiſſimi*, & inſtar ignium *lucentes*, quibus nullum eſſet vitium, propter quod a lapidariis peritis minus exoptarentur. Non male igitur doctiſſimus Rivetus Exod. XXVIII. docet, illa verba continere ἀνακεφαλαίωσιν *ſive repetitionem ac inculcationem eorum quæ prius mandata fuerant*; *ut quod minime prætereundum erat, bis aut ter inculcaretur*. In eadem repetitione, gemmarum *uſum indicatum*, & *ſpeciale nomen illis datum fuiſſe*. Sane non tam abſurdum eſſet, ſi quis diceret repetita eſſe iſta verba quia res minime negligi debebat: Nam eodem modo repetitur præceptum de annulis & vectibus Arcæ. Exodi XXV. verſib. XIV. & XV. At præterquam quod iſta verba videantur continere prioris mandata ἀνακεφαλαίωσιν, credibile eſt, ut modo monuimus, ea gemmarum *perfectionem* & *lucem* poſtulare. Nam quod aliquis ex doctis viris dicat: *Lapides titulis tam auguſti* האורים ואת התמים *luminibus & perfectionibus longe impares & minores videri*: *quod eorum plurimi vel nihil omnino, vel non adeo multum lucis & ſplendoris projicere ſoleant, nec de eorum tam eximia perfectione naturali vel artificiali quicquam in lege cautum extare*, id gratis dicitur. Nullus enim fuit lapis, qui non inſignem aliquam lucem habuerit. Plurimam partem lucidiſſimi & ſplendidiſſimi erant, ut inſtar ignis arderent. Mirum eſt doctiſſimum virum credere, *nulla lege de eorum perfectione quicquam cautum extare*: cum ipſa cælatura non vulgaris fuerit perfectio artificialis; an non etiam ſumma arte ejuſmodi gemmas politas credere debemus? Sed & generale illud præceptum circa res ſacras מן המובחר *de optimo*, intelligi quoque debebat, ubi de his gemmis quæſtio erat. Itaque credibile eſt tantas *perfectionis naturales* & *artificiales* habuiſſe iſtos lapides, quales ullæ gemmæ iſto tempore, in regionibus illis habuerunt: ideoque puto eos optimo jure *Vrim* & *Thummim*, *lucentes* & *perfectos* dictos fuiſſe.

DCXXXIII. Sed adeo ſumuntur promiſcue URIM & THUMMIM, & *lapides pretioſi*, ut nihil aliud inde colligere poſſimus,

ſimus,

ſimus, niſi quod *lapides* ſint ipſiſſima *Vrim* & *Thummim*. Sic Exodi cap. xxxix. ubi totus fere veſtitus Pontificum repetitur, Moſes loquitur de *impletione lapidum* tantummodo, nulla facta mentione τ̃ *Vrim* & *Thummim*; & Levit. cap. viii. loquitur de *Vrim* & *Thummim*, ſed ſilentio præterit *lapides*: quod ideo factum eſt proculdubio, quia *Vrim* & *Thummim* ſunt ipſiſſimi *lapides*, ut perinde ſit Moſi, ſive dicat *Vrim* & *Thummim*, ſive *Lapides pretioſos*. Videtur itaque Moſes Exodi cap. xxviii. verſibus xv. xvi. xvii. uſque ad xxii. in genere tantum voluiſſe deſcribere longitudinem, latitudinem, & materiam Pectoralis, cum generibus lapidum qui adhiberi deberent, & ordinem indicare, quo debeant poni, cum inſcriptis nominibus tribuum. Sed poſtea ſtatim, ampliorem & accuratiorem deſcriptionem addi de annulis, catenis aureis, & vittis hyacinthinis, quibus Pectorale Ephodo alligari deberet; ideoque iterum inculcare ונתת אל חשן משפט את האורים ואת התמים : *Et indes Pectorali Judicii* τὰ URIM & THUMMIM *illa*; *lapides* ſcilicet illos de quibus jam antea locutus ſum, eodem ordine, iiſdemque nominibus inſcriptis, prout dictum eſt. Et quamvis lapidum meminerit Moſes ab initio, nihilominus totum *Pectorale* debebat eſſe paratum, & materia debebat detexi, & pannus duplicari catenæ annuliqui adnecti vittæque adaptari antequam lapides fundis indi potuerint; immo prius debebant ipſi lapides expoliri, nomina tribuum eis inſculpi, & tandem Pectorali addi. Non mirum itaque, ultimo fieri mentionem de lapidibus illis, ſub nominibus τ̃ *Vrim* & *Thummim*, Exiſtimat præterea doctiſſimus Azarius in *Meor Enaim cap.* l. repetitionem illam: *Et indes Pectorali Vrim* & *Thummim* factam eſſe propter id quod ſequitur: והיו על לב אהרן *Et erunt ſuper cor Aharonis:* quaſi dixiſſet; Lapides illos *lucentes* & *perfectos* pones in Pectorali, ut ſint ſuper cor Aharonis. Revera cum omnia inſtrumenta & vaſa ſacra, quæ in cultu Levitico adhibebantur, ſecundum mandatum Dei, debuerint ſignificare Chriſtum, illiuſque perfectiones & gratias electis ſuis collatas, quis non videt gemmas in Pectorali id præſtitiſſe? picturæ enim erant ſummæ illius, cum doctrinæ, tum perfectionis, verique oraculi Dei mundo exhibiti, immo omnis lucis doctrinæ & perfectionis, quam electis ſuis confert. An *imagunculæ* eadem tam clare ſignificare poterant? ut ut ſit, antiquiſſimos & doctiſſimos Hebræorum docto-

doctores in illa fuiſſe, ſententia ſcil. ipſos *lapides* eſſe *Vrim* & *Thummim*, ſatis manifeſto patet, ex eo quod crediderint, reſponſa per *Vrim* non aliter data fuiſſe quam per emiſſam lucem *lapidum*, ut docent Joſephus, & Gemarici utriuſque Gemaræ: de quibus jam mentionem fecimus ſupra, & de quibus adhuc aliquid dicendum erit, ubi de modo reſpondendi per *Vrim* & *Thummim* acturi erimus, quod mox fiet, poſtquam reſponſum erit argumentis, quibus nonnulli probari putant, *Vrim* & *Thummim* plane aliquid a gemmis fuiſſe diverſum.

DCXXXIV. Hoc autem conantur probare eodem argumento, quo nos contrarium adſtrui putamus. Nam ex ipſiſſimis hiſce verbis: ונתת אל חשן *Et pones in Pectorale judicii Vrim & Thummim*; illi conantur demonſtrare *Vrim* & *Thnmim* plane aliud quid eſſe, ſc. aut nomen *Tetragrammatum*, aut *Theraphim*, id eſt certas quaſdam imagunculas: inutilem enim & vanam repetitionem putant continere verba illa de *Vrim* & *Thummim*, niſi aliquid diverſum ſignificent a *lapidibus pretioſis*. Quaſi inutilis eſſet repetitio, quoties rebus nomina imponuntur & quoties earum natura & uſus clarius explicatur, tandem ubi earundem uſus ſerio inculcatur, & neglectus prohibetur, quæ omnia verbis iſtis ultimis contineri, jam docuimus.

DCXXXV. Non eſt etiam quod viri docti, inter quos & ipſum Hottingerum miror, literato orbi perſuadere conentur, *Vrim* & *Thummim* nullum alium auctorem agnoviſſe, quam ipſum Deum; ita ut nullus artifex inter homines in iis conficiendis adhibitus fuerit: ideo ſcilicet quod Deus nec Moſi nec ulli alii mortalium mandaverit, ut ea conficerent, quemadmodum id factum eſt in reliqua ſuppellectili ſacra. At eo ipſo quod Deus omnia vaſa ſacra, & totum veſtitum Pontificum fieri voluerit manibus hominum, τὰ URIM & THUMMIM etiam homines paraſſe & Pectorali indidiſſe, ego credendum puto, donec contrarium rationibus, quæ nullum dubium poſt ſe relinquunt, probatum fuerit. Facta autem eſſe *Vrim* & *Thummim*, non ab ipſo Deo, ſed ad artificibus peritis, mecum credent, quicunque credunt ea eſſe ipſos lapides pretioſos. Si expreſſis verbis dictum eſſet, Deum feciſſe τὰ *Vrim* & *Thummim*, quemadmodum dictum eſt Exodi cap. XXXIV. Deum paraſſe *Tabulas legis*, & ſua manu præcepta exaraſſe, tunc vel minimam dubitationem peccatum dixerim.

mul & ſemel protuberaſſe & lucem effudiſſe, ſed ordine quo debebant componi & legi. Ex. gratia: in voce יעלה *aſcendet*, primo effulſit י ſecundo ע, tertio ל & tandem quarto ה ita ut Sacerdos ex hoc ordine facillime potuerit, immo neceſſario debuerit legere יעלה *aſcendet*, & non aliter. Legit igitur ex literis illis hanc reſponſionem יהודה יעלה *Jehuda aſcendet*. Sed hæc a Judæis dicuntur ſola auctoritate quorundam Talmudicorum, abſque ullo probato teſtimonio: ideo apud Chriſtianos, nullam fidem reperiunt; immo ne ipſi quidem Judæi omnes iſtam ſententiam ſuo calculo approbarunt.

DCXXXIX. Sunt igitur alii, qui docent vocem auditam eſſe, qua reſponderetur ad propoſitam interrogationem. Sic enim habent Gemarici Jeruſalemitani *Maſſechet Joma cap.* VII. אית תניי תני הכתוב בולט מאן דאמר הקול היה שומע ניחא דכתיב וישמע את הקול: *Sunt Doctores qui tradunt, ſcripturam protuberaſſe. Eſt qui dicit vocem eſſe auditam. ut ſcriptum eſt.* (Numer. VII. LXXXIX.) *Et audita eſt vox.* In eadem ſententia eſt etiam doctiſſimus *Spencerus* in ſuo opere de *Vrim & Thummim cap.* IV. Et hanc ſententiam conatur probare ex Joſepho *Antiquit. lib.* VI. *cap.* VII. ubi dicit πυνθανομένοις ἡμῖν φωνὴν ὀ δίδωσιν ὁ Θεός. *Interrogantibus nobis vocem non edidit Deus.* Deinde addit: *& nihil ſciſcitantes celare loquens.* Idem quoque probari poſſe putat ex cap. X. Zachariæ, his verbis: *Theraphim loquuta ſunt vanitatem.* Sed tribus verbis Spencero reſponderi poteſt: nec Joſephum nec Zachariam intelligere per *vocem* & *loquelam* verum ſermonem, aut vocem proprie dictam, ſed tantum reſponſa, quocunque modo ea fieri ſolerent. Et ſane ſupra jam audivimus ex ipſo Joſepho, eum lucem & ſplendorem gemmis in Pectorali, & in humeralibus Ephodi attribuiſſe: per quem Deus futura prædixerit. Quis non videt ex iis quæ jam diximus, Deum etiam reſpondiſſe per voces, ſi modo verum eſt, eum per literas ſplendentes & protuberantes reſpondiſſe: *Jehuda aſcendet* &c. an hæc non ſunt voces; Niſi dicas non eſſe vocem altam, & corpore prolatam. Quantum ad Prophetam Zachariam; eum de idolis loqui certum eſt, non de *Urim & Thummim*. Sed & hoc notari debet, doctiſſimum Spencerum a Judæis multum differre: nam cum hi docuerint, Deum ipſum voce loquutum fuiſſe, ille imagunculas, quas *Teraphim* vocat, voces edidiſſe, aut Deum aut potius Angelos per

ipſas

ipſas imagunculas, tacita etiam, & ſubmiſſa voce, Deum vel Angelum per imagunculas iſtas loquutum fuiſſe, exiſtimat: prout & Jobus dicitur accepiſſe קול דממה *vocem ſilentii*, cap. IV. XVI. Et Elias qui קול דממה דקה *voce quieta & lena* præſentiam Dei cognovit I Reg. XIX. XII. Unde & *Pectorale* חשן dici putat a חשה *ſilere*. Sed cum hæc omnia abſque ratione dicantur, & nudis conjecturis tantum nitantur, nec Talmudicorum, nec reliquorum ſententiam de ejuſmodi voce, probare poſſum. Sed & pauci reperiuntur qui ſententiam illam amplexuri erunt, cum tam graviter redoleat turpem idololatriam, puriori eccleſiæ Judaicæ deteſtandam.

DCXL. Ut tamen & noſtram ſententiam tandem exponamus; ipſas gemmas putamus in Pectorali dictas eſſe a Moſe *Urim* & *Thummim*, ſed revelationem neutiquam factam eſſe per lucem inſolitam, per atrorem & lapidum tenebras, aut vario colore, nec per fulgorem & protuberationem literarum; ſed lapides illos nihil aliud fuiſſe quam Symbolum præſentiæ Dei, ſignum lucis & perfectionis propheticæ. Ita enim Deo placuerat, Summo Pontifici nullam revelationem largiri, nec ullam reſponſionem ad interrogata dare, niſi Ephodo & Pectorali cum ſuis gemmis rite ornato: quemadmodum omnia Sacrificia & oblationes Deo ingratæ erant, niſi omnibus veſtibus Sacerdotes veſtiti eſſent. Non eſt itaque opus operoſo myſterio nominis Tetragrammati, nec miraculoſa protuberatione & luce lapidum; nec prodigioſa loquela idololatricarum imagunculárum, ſive vocibus τῶ *Theraphim*, cum interno verbo & revelatione Dei hæc omnia confici potuerint, eodem modo, quo & Patres, & Prophetæ ſuas habebant revelationes & Prophetias. Si autem quæras, quomodo igitur illa revelatio & reſponſum datum ſit Summo Pontifici? Rogabo & ego: quomodo revelatio facta ſit Patribus & Prophetis, cum non ſemper viva voce facta fuerit? Sane quo modo Prophetæ & Patres certi erant ſuarum revelationum, ut eas, pro divinis agnoſcerent, eodem etiam modo certus factus erat Summus Pontifex, Deum ſibi talia revelaſſe. Si vel maxime vox aliqua audita fuiſſet, nihilominus abſque aliqua perſuaſione intrinſeca, ſacerdos non potuiſſet certo ſcire, utrum illa vox edita eſſet artificio aliquo hominum, angelorum bonorum aut malorum, an vero a Deo eſſet prolata: ut quocunque modo ſumatur,

tur, certo certius ſit, ſemper opus habuiſſe ſummum Pontificem quadam revelatione, & intrinſeca perſuaſione a Deo immiſſa, quam hodie ignoramus, non minus quam revelationem omnem & viſionem propheticam, ſomnia & vivas voces.

Qui hæc leget mirabitur proculdubio, ſi incidat in Clariſſimi Vitringæ Diſputationem Tertiam De Ceſſatione Oraculorum Divinorum. §. x. *Ibi mihi, neſcio qua ratione, attribuit ſententiam Judæorum, aliorumque Doctorum*, qui docent, reſponſa a Pontifice percepta eſſe ex fulgore Gemmarum & combinatione fulgentium, aut protuberantiam literarum Pectoralis, vel ex Inſpiratione tacita, vel ex utraque ſimul. *Ex iis quæ a me dicta ſunt, manifeſto patet mihi* Gemmarum fulgorem & literarum protuberantiam, *minime placere: doceo enim interno verbo & Revelatione Dei, hæc omnia confici potuiſſe, nec eſſe credibile id aliter fuiſſe factum. Legat modo, qui volet, quæ dixi hoc ipſo Capite paragr.* XXVII. *hujus Editionis paragr.* DCXLIII. *At mea ſententia viro clariſſimo diſplicet. Tamen non adnumerari debuiſſem iis, qui* fulgorem Gemmarum ac literarum ponunt protuberantiam, *cum ea rejecerim. Ignoſcat ſi in ejus ſententiam deſcendere hactenus non potui, ut credam* Revelationem factam fuiſſe alta voce. *Mihi de* alta voce *nihil conſtat, quidquid Clariſſimus Vitringa aliique dicant. De* interno autem verbo & revelatione divina *perſuaſiſſimus ſum, cum Pontifex Max. etiamſi vocem audiviſſet, interna tamen Revelatione opus habuiſſet, ut certus eſſet, Deum ſibi loquutum fuiſſe, quale verbum internum omnes habuiſſe Prophetas non dubito, ut perſuaſi eſſent, nullam ſubeſſe fraudem atque artificium. Sed quilibet ſuo fruatur ingenio atque conjecturis, modo mihi nihil injuſte imputetur.*

DCXLI. Nec tamen inde ſequitur, nullam fuiſſe differentiam inter URIM & THUMMIM, reliquaſque prophetias & revelationes: cum ſane multum a ſe differrent. Deus enim Patribus & Prophetis non ſemper revelationis indulſit, nec ad omnia interrogata reſpondit: quemadmodum etiam non juſſerat, ut ſe in omnibus difficultatibus conſulerent; ſed voluntatem ſuam eis expoſuit pro mero ſuo beneplacito, quoties divinæ ſuæ ſapientiæ ita viſum fuit bono Eccleſiæ. Nec ullum illis dederat ſymbolum & ſignum viſibile ſuæ præſentiæ, & revelationes. At Summo Pontifici mandavit ut in certis quibuſdam caſibus, Deum ſuum de jure & juſtitia, rebuſque arduis, quæ bonum Eccleſiæ & Reipublicæ ſpectabant,

ctabant, adiret & conſuleret, cum hac promiſſione: ſe ſemper Spiritu ſuo fore præſentem, & ad interrogata reſponſurum, quod etiam fecit; niſi quod eorum peccata id non nunquam impedierint. Addidit præterea S. Pontifici ſignum iſtud & ſymbolum extrinſecum atque viſibile, quo ornatus eſſe debebat interrogaturus, ſcilicet *Urim* & *Thummim*. Non exilis igitur differentia fuit inter hanc revelationem, & reliquas, quæ Patribus, & Prophetis, cum ordinariis tum extraordinariis factæ ſunt. Multis fortaſſis hæc ſententia non arridebit, quod myſterio careat. Nam adeo homines aſſueti ſunt myſteriis fingendis & credendis; ut quicquid operoſo aliquo myſterio non eſt involutum, proni rejiciant, tanquam a veritate alienum.

DCXLII. Nihilominus Doctiſſimos & Antiquiſſimos Judæos in eadem fuiſſe ſententia nobiſcum, ex eorum ſcriptis ſatis liquido conſtat: cum oracula & ad propoſitas quæſtiones reſponſa *Spiritui Sancto* magis quam Pectorali, vel ipſi etiam Summo Pontifici adſcribere ſoleant. Maſſechet *Ioma cap.* VII. hæc habent Gemarici: כל כהן שאינו מדבר ברוח הקודש ושכינה שורה עליו אין שואלין בו שהרי שאל צדוק ועלתה לו אביתר ולא עלתה לו שנ׳ ויעל אביתר הכהן עד תום כל העם וגו׳: *Omnis Sacerdos, qui non loquitur per Spiritum Sanctum, & ſuper quem Deus non habitat ſua præſentia, cenſetur ineptus ad interrogationes; Nam ecce interrogavit Zadok, & reſponſum ei eſt: Abjathar etiam interrogavit, ſed ei non eſt reſponſum, prout dicitur;* (II Sam. XV. XXIV.) *Et aſcendit Abjathar, Sacerdos, donec finiret totus populus*, &c. Eadem leges in *Seder Olam, cap.* XIV. Codice *Bava Bathra cap.* VIII. idem traditur, ubi deſcribuntur diſtributiones Terræ Sanctæ XII. tribubus per ſortem & *Urim & Thummim*: nunquam enim per *Urim* & *Thummim* Summus Pontifex dicitur interrogaſſe niſi per Spiritum Sanctum, ſive attendendo ad Sp. Sanctum. לא נתחלקה אלא באורים ותומים שנ׳ על פי הגורל׳ כיצד׳ אליזור מלובש באורים ותמים ויהושע וכל ישראל עומדים לפניו וקלפי של שבטים וקלפי של התומים לפניו והיה מכוין ברוח הקדש ואומר זבולון עולה התחום עכו עולה עמו טרף בקלפי של שבטים ועלה בידו זבולון בקלפי של התומין בידו התחום עכו׳ וחוזר ומכוין ברוח הקדש ואומר נפתלי עולה תחום גינוסר עולה: *Non diviſa fuit terra niſi per* Urim & Thummim, *ut dicitur* (*Numer.* XXVI.) per ſortem, *Quomodo id fiebat? Eleazer induebat Urim & Thummim, & Ioſua cum toto Iſraele ſtabat coram eo, cum urna tribuum, & urna limitum. Tunc attendit*

(Pon-

(Pontifex Max.) *ad Spiritum Sanctum, & dixit Zabulon aſcendet, & terminus Acho aſcendet cum eo, conturbata urna tribuum extrahitur manu ejus terminus Acho. Iterum attendit ad* Spiritum Sanctum, *& dicit: Nephtali aſcendet, & terminus Ginoſar aſcendet.* Ex hoc loco manifeſtiſſime patet Summum Pontificem reſponſa magis exſpectaſse a Spiritus Sancti virtute, & revelatione, quam ab ulla alia cauſa: Idem docetur in *Tanchuma* & alibi. Ideo & Rabbi Bechaï ad Deuter. XXXIII. VIII. dicit; Sacerdotem, qui Veſtitus erat *Vrim* & *Thummim*, ſimul etiam indutum eſse Spiritu Sancto. Et Kimchius Judic. XX. היו משיבות הצורך עם סיוע רוח הקדש שהיה בכהן ששואלין בו: *Edebant reſponſum neceſſarium auxilio Spiritus Sancti, qui fuit in Sacerdote, per quem interrogabant.* Sic & Rabi Levi ben Gerſon, Abarbanel, Ramban, id eſt R. Moſes filius Nachmani & alii docent *Vrim* & *Thummim* fuiſse gradum Spiritus Sancti, inferiorem prophetia, ſuperiorem filia vocis.

DCXLIII. Tradunt & alii, Spiritum Sanctum loquutum fuiſſe per *Vrim* & *Thummim* ſtante Tabernaculo; per *Prophetas* ſub Templo primo, & per *filiam vocis*, id eſt per *vocem* cœleſtem (qualis fortaſſis fuit illa vox quæ de cœlo audita eſt: *Hic eſt filius meus dilectus*, Matth. cap. III. verſ. XVI.) ſub Templo ſecundo. Maimonides *Kele Hammikd. cap.* X. etiam Summum Pontificem reſponſa dediſſe per Spiritum Sanctum, quamvis credat lapides protuberaſſe ſimul & lucem edidiſſe. כיצד שואלין עומד הכהן ופניו לפני הארון והשואל מאחריו פניו לאחרי הכהן ואומר השואל אעלה ולא אעלה ואינו שואל בקול רם ולא מהרהר בלבו אלא בקול נמוך כמי שמתפלל בינו לבין עצמו ומיד רוח הקדש לובש את הכהן ומביט בחושן ורואה בו במראה הנבואה עלה או לא תעלה באותיות שבולטות מן החשן כנגד פניו: *Quomodo interrogant? Sacerdos ſtat facie verſus Arcam, & interrogans a tergo, facie verſus Sacerdotem. Tunc dicit interrogans,* Aſcendam? *aut* non aſcendam? *Non interrogat alta voce, nec per nudam cogitationem in corde ſuo, ſed voce ſubmiſſa, quaſi apud ſe oraret; atque ſic confeſtim* Spiritu Sancto *induitur Sacerdos, & reſpicit in Pectorale & videt in eo per viſionem propheticam*, aſcende *aut* non aſcende, *in literis quæ prominent ex Pectorali e regione faciei ejus.* Ecce magis eſt *viſio prophetica*, illa revelatio, quam nuda literarum prominentia & ſplendor. Ridiculum eſſet ſi quis diceret Spiritum S. nihil aliud ſignificare, quam artem literas lucentes componendi & legendi. Hoc ſuave quorundam Judæo-

Judæorum delirium eſt. Non male igitur Cornelius a Lapide in Exodum cap. XXVIII. *Urim non oraculum, ſed index erat oraculi & cum Scriptura dicit Deum per Vrim conſultum eſſe aut reſpondiſſe, id metonymice explicandum eſt; ut ſignificetur Deum reſpondiſſe per Sacerdotem, Rationali, in quo erat Vrim, indutum.* In eadem ſententia erat Doctiſſimus Rivetus in Exod. XXVIII. & alii, cum inter Reformatos tum inter Pontificios. Sane hanc opinionem nos ut maxime probabilem, Scripturæ Sacræ convenientiſſimam, & Deo digniſſimam, tenebimus, donec alius manifeſtis rationibus nos inde dimoveat.

DCXLIV. Interrogatio per *Vrim* & *Thummim* fiebat non ubique locorum, ſed in ſolo Templo, ubi Sacerdotes veſtimenta Sacra geſtandi jus habebant: de quo nos ſuo loco plura dicemus. Nec in omnibus locis Templi: Non enim interrogabat Summus Pontifex in Atrio coram toto populo, juxta magnum Altare holocauſtorum, nec etiam in Sancto Sanctorum, ſed in loco Sancto tantum: ita tamen ut faciem verteret verſus Arcam quæ erat in S. Sanctorum. Hoc videtur docere Moſes Exodi cap. XXVIII. verſu XXX. ונתת אל חשן המשפט את האורים ואת התמים והיו על לב אהרן בבאו לפני יהוה ונשא אהרן את משפט בני ישראל על לבו לפני יהוה תמיד: *Et appones Pectorali judicii Vrim & Thummim, & erunt ſuper cor Aharonis, quum ingredietur coram Domino Et portabit Aron judicium filiorum Iſraelis ſuper cor ſuum, coram Domino jugiter.* Verum quidem eſt, hunc locum docere:, Sacerdotem Summum geſtaſse *Vrim* & *Thummim* in ſolo templo, & non alibi; ſed in qua parte templi non ſatis clare exprimitur. Certum etiam eſt, eum Pectorale cum reliquis omnibus veſtibus aureis geſtaſse, & in Atrio & in loco Sancto, quotidie; non autem in S. Sanctorum, cum locum iſtum non fuerit ingreſsus niſi ſemel in anno, ſcilicet x. menſis Tiſri, magno die expiationis, quo die omnia veſtimenta aurea, ideoque Pectorale deponere debebat, ut ſe albis veſtibus veſtiret, ut docetur Levit. XVI. Deinde Moſes in iſto loco non dicit expreſſis verbis S. Pontificem intrare coram Deo, ut conſuleret Deum per *Vrim* & *Thummim*, ſed de munere Sacerdotali quotidiano verba illa intelligi poſsunt. Nihilominus a quibuſdam de oraculis intelliguntur. Volunt enim Judæi S. Pontificem interrogaſse coram Arca Dei, id eſt facie verſa verſus Arcam, atque id in loco Sancto. כיצד שואלין השואל פניו כלפי נשאל

 והנשאל

והנשאל פניו כלפי שכינה השואל אומר ארדוף. אחרי הגרוד הזה והנשאל אומר כה אומר ה׳ עלה והצלית׃ *Quomodo interrogant? Is qui interrogat* (Rex aut alius quis) *faciem vertit verſus eum qui interrogatur.* (Sacerdotem) *Et is qui interrogatur faciem vertit verſus præſentiam Dei.* (Arcam) *Interrogans dicit: an perſequar has turmas? & is qui interrogatur reſpondet: Sic dixit Dominus, aſcende proſperabis.* Eadem fere iiſdem verbis tradit Maimonides *Hil. Kele Hammikd. cap.* x. quem locum modo allegavimus, paragrapho præcedenti. In *Ialkut* eadem quoque leguntur.

DCXLV. Vehementer ergo deceptus eſt Epiphanius in *libello de duodecim lapidibus*, quem locum ſupra parahrapho DCXXVIII. allegavimus, ubi expreſſis verbis docet, Summum Pontificem ingreſsum fuiſse εἰς τὰ ἅγια τῶν ἁγίων *in S. Sanctorum*, cum *Adamante*, quem putat fuiſse *Urim* & *Thummim*; unde patet: eum credidiſse interrogationem factam fuiſse in ipſo adyto, ſive Sancto Sanctorum, In eodem errore verſantur multi alii viri doctrina graves, & antiquitate venerandi, quemadmodum ſuo loco docebimus, ubi de veſtium Sacrarum uſu diſserendum erit. Sed hic ſilentio præterire non poſsum, doctiſſimum Buxtorfium ipſum, in Judæorum ſapientia verſatiſſimum, eoque nomine de Republica literaria optime meritum, etiam hic dormitaſse, cum dixerit, in Sancto Sanctorum Pontificem Summum interrogaſse per *Urim* & *Thummim*. Vide ejus Hiſtoriam de *Urim* & *Thummim*, *cap.* III *Quod*, inquit, *Sacerdotis Summi tantum hoc munus fuerit, patet ex ſupra dictis locis Scripturæ, ubi ejus tantum fit mentio, tum etiam ex praxi obſervata; tum inſuper ex hac ratione, quod ſolus Sacerdos Summus Sanctum Sanctorum ingredi, & coram arca miniſtrare, & cultum Sacrum peragere potuerit.* Eadem corda aberravit capite I. ubi verſum XXX. capitis XXVIII. Exod. allegat, atque locum, in quem ingreſsus eſt Summus Pontifex, cum *Urim* & *Thummim* intelligi vult de ſancto ſanctorum. Fatemur ſane ſolum Sacerdotem Magnum *Sanctum Sanctorum* ingredi potuiſse, ſed deceptus eſt doctiſſimus vir, quod putaverit eum cum *Urim* & *Thummim*, locum iſtum ingreſsum eſse. Vir eruditus lapſus videtur, eo quod dicatur conſuluiſse coram Arca, facie eo verſa; quaſi opus fuiſset ut adyta intraret. Hoc enim ſtando in loco Sancto fieri poterat, facie verſa ad Arcam.

DCXLVI. Ex omnibus quæ jam a nobis dicta ſunt, ſatis manife-

niſeſto conſtare puto, ſolos Pontifices, & quidem Summum, oracula interrogaſse per *Vrim* & *Thummim*. Nam is ſolus ſacro veſtitu ornatus erat & præter eum nullus alius, ut ſi forte זר id eſt ex vulgo aliquis eo uti voluiſset, magnum piaculum commiſiſset, ut alibi docuimus. Sane quotquot extant exempla conſulti oraculi per *Urim* & *Thummim*, illa omnia nos docent oracula ſemper conſulta fuiſse per Summum Pontificem, ut videre eſt Num. XXVII. XXI. ubi legimus *Ioſuam ſtetiſſe coram Eleazare Sacerdote*, & I. Sam. XXX. VII. ubi ipſe David conſuluit per Abjatharem S. Pontif. Sic & alibi. Errant itaque, mea ſententia ii, qui contendunt reliquos Sacerdotes, præſertim Reges idem jus habuiſse, quod habuit Summus Pontifex.

DCXLVII. Doctiſſimus quidem Spencerus utrumque probare conatur, in ſuo opere de *Vrim & Thummim cap.* VI. *ſect.* II. Apud totam Pontificum turbam jus fuiſse oraculum nonnunquam conſulendi; quod probari putat Numer, XXXI. VI. ubi legimus Phineazum, patre nondum defuncto, ad bellum contra Midianitas prodiiſse in manu geſtantem כלו הקדש *vaſa ſancta*, quod de *Ephodo* & *Pectorali*, adeoque de *Vrim* & *Thummim* vult intelligi; eo magis hoc ſenſu accipi exiſtimat; quod Jonathan id explicet de *Urim & Thummim, ad interrogandum per ea*. Deinde quod & Micha Judic. XVII. V. *Theraphim* habuerit & conſuluerit. Tandem quod R. Levi Ben Gerſon I. Sam. XXVIII. verſ. VI. hanc dederit rationem, cur Deus Saulo per *Urim* non reſponderit: *quia non fuit ibi Sacerdos aliquis Spiritus* S. *capax, qui interrogaret per Urim: eo quod Saul internecioni dediſſet urbem Nobem, in qua fuerunt Sacerdotes praſtantiſſimi; & quicunque erepti fuerunt, eſſent cum Davide.* Sed hæc argumenta facili negotio refelli poſſunt. Quantum igitur ad primum. Verum quidem eſt, Jarchium per כלי הקדש *vaſa Sancta*, intelligere *Urim* & *coronam auream*. Nec etiam negari poteſt totam ſacram ſupellectilem, immo ipſa etiam Sacra veſtimenta, nonnunquam ita vocari; inde tamen non ſequitur in hoc loco ita accipiendum eſſe. Mitto jam fabulas ad quas eodem loci recurrit Jarchius: Bileamum Regeſque Madianitarum aufugiſſe & cecidiſſe cum Magis, quum coronam auream, cui nomen יהוה inſcriptum erat, viderent, quæ ex *Rabboth Bemidbar*, aliiſque illius furfuris commentariis hauſit. Certum eſt, iſtum locum ab omnibus Judæis ita non exponi: cum Aben

Ezra הארון *Arcam* potius intelligi voluerit per *vaſa* iſta *Sacra*: in qua ſententia cum multis Chriſtianis ipſe etiam Calvinus reperitur. Sane non hac ſola vice *Arca* in Bellum deducta eſſet, quod I. Samuel. cap. IV. & Joſuæ cap. VI. & alibi conſtat. Sed quid opus eſt illud de Arca, aut etiam de *Urim* exponi, cum ipſe textus exprimat qualia vaſa tulerit? talia ſcilicet quæ in manu geſtare ſolebant, nempe τὰ חצצרות *tubas*, quibus maxime in bello uti ſolebant, ſed præſertim in ſacris, & caſu aliquo extraordinario, ut in obſidione urbis Jericho factum eſt. Nollem tamen contradicere iis, qui Arcam quoque intelligi volunt. Tolerabilior eorum ſaltem eſt opinio, qui id ſtatuunt. De *Micha* ſupra verba fecimus, ubi ſatis conſtat, illius exemplum hic plane eſſe ἄτοπον. Sane ſi R. Levi *Ben Gerſon* vel maxime dixiſſet, omnes Sacerdotes habuiſſe jus illud Pectorale induendi & oraculum conſulendi, nulla tamen neceſſitas nos cogeret, ut hoc crederemus. At hoc non dixit. Adfert tantum rationem cur nullus ibi fuerit Sacerdos Spiritus S. capax: ſcilicet propter horrendam lanienam, qua in Sacerdotes graſſatus fuerat Saulus, in urbe Nobienſi. Quis unquam inde exterebraſſet hunc ſenſum: omnes aut ſaltem plurimos Sacerdotes minores, *Urim* veſtitos fuiſſe, & oraculum conſuluiſſe? Proculdubio doctiſſimus Judæus reſpexit ad Summum Sacerdotem; quaſi dixiſſet nullum fuiſſe Summum Pontificem apud Saulem Spiritu Sancto donatum. Sed utrum ipſe Rabbi Gerſonius veram rationem dederit, jam non anquiro. Saltem mihi non videtur. Quid quid alii dicant, Reliquos Sacerdotes, præter Summum Pontificem, unquam oracula rogaſſe per *Urim* & *Thummim*, hiſce rationibus, nec ullis aliis hactenus mihi cognitis, unquam inducar ut credam.

DCXLVIII. Idem plane de Regibus & Iſraelitarum Principibus judico. Reges jus habuiſſe Ephod & *Urim* veſtiendi, & per ea Summum Numen interrogandi, docet doctiſſimus Cunæus *de Repub. Hebr. lib.* I. *cap.* XIV. Et quidem ſuæ opinioni firmandæ adfert verba quæ exſtant I Sam. XXX. verſ. VII. וינש אביתר את האפוד אל דוד: quæ vult ita verti; *Et induit Abjathar Ephodo Davidem.* Adeoque Davidem per Urim Deum conſuluiſſe contendit. Huic argumento alia addidit Doctiſſimus Spencerus loco modo a nobis allegato. Primo *Saulem* ſcilicet Dei URIM in perſona propria conſuluiſſe. I Sam. XXVIII. VI. Deinde

inde Reges etiam Ethnicorum, etſi alias per Sacerdotes oraculum adirent, nonnunquam tamen Deos conſuluiſſe; quemadmodum Regem Babylonis conſilium a *Theraphim* de regni dubiis quæſiviſſe legimus, Ezech. xxi. xxi. Simili privilegio & Regem Iſraelis gaviſum fuiſſe, conjicit. Sed fallitur doctiſſimus Cunæus: Nam ſi vel maxime verba illa male reddita eſſent ab interpretibus, verum tamen ſenſum eos aſſequutos fuiſſe dubitandum non eſt. Sed ab ipſo doctiſſimo viro pejus eſſe reddita, non vereor dicere. Non enim ſignificant Abjatharem Ephodo induiſſe Davidem; ſed tantum Abjatharem ad Davidem attuliſſe Ephodum cum *Vrim*, ut numen conſuleret. Verba illa Davidis הגישה נא לי האפוד non ſignificant: *applica quæſo mihi Ephodum*: Sed *affer mihi Ephodum*; ſive adfer *pro me*, *mea cauſa*. Deinceps quando addit: ויגש אביתר את האפוד אל דוד id a doctiſſimo viro male vertitur: *& induit Abjathar Davidi Ephodum*: cum verti debeat: *Et attulit Abjathar Davidi* (id eſt, Davidis cauſa) *Ephodum:* ut ſcilicet oraculum ipſe pro Davide conſuleret. Quid opus itaque ut dicamus, ipſum Davidem amicuiſſe Ephodum, & oraculum conſuluiſſe? Nunquam legi verbum נגש vel in hiphil הגיש ſignificare *veſtire*, quemadmodum ſignificat *accedere*, *afferre*, & *adducere*, quo verbo etiam uſus eſt Saulus 1 Sam. xiv. xviii. ubi Arcam adduci voluit per Achiiam: הגישה ארון *adduc Arcam*.

DCXLIX. Quam autem rationem habuerit doctiſſimus Spencerus, ut crederet Saulem in propria perſona conſuluiſſe URIM, ego plane ignoro. Saltem id ex 1 Sam. cap. xxviii. verſ. vi. neutiquam probari poteſt: cum ibi loci nihil aliud dicatur: niſi quod Deus ad interrogationes Saulis *non reſponderit*, *nec per ſomnia*, *nec per Vrim*, *nec per Prophetas*. Saulem interrogaſſe Deum, ex hoc loco quidem conſtat: ſed quo modo interrogaverit, non dicitur. Sed ſumamus eum per Urim interrogaſſe, proculdubio illud profano ritu fecit; non quidem in propria perſona, ſed per aliquem Sacerdotem, qui adhuc illius partibus addictus erat (nam credibile non eſt, omnes omnino Sacerdotes ab eo defeciſſe) & cui fortaſſis in præmium impietatis & profanationis Summum Pontificatum promiſerat, prout ejuſmodi mancipia tyrannis operam ſuam facile locant, &, ut Principum gratiam captarent, eaque via ad altiora aſcenderent, Patriam, Libertatem, Religio-

nem omniaque intrepidi produnt. Tamen credibile non eſt eum conſuluiſſe per verum *Vrim*, cum illud fuerit in poteſtate Abjatharis, Veri Pontificis Maximi, qui jam ad Davidem aufugerat. I Sam. XXIII. Quod autem hunc nodum ſolvere velit doctiſſimus Spencerus, dicendo: *vel plura fuiſſe inſtrumenta ejuſdem nominis & figuræ, quibus in oraculis eliciendis Sacerdotes uterentur; vel Saulem per* Theraphim *Deum (titulo tamen* Urim) *interrogaſſe*, illud non eſt ſolvere, ſed diſcindere & deſtruere nodum; cum nuſquam legamus plura ejuſmodi inſtrumenta fuiſſe, præter ſolum Pectorale Summi Pontificis; niſi iſtam licentiam uſurpare velimus comminiſcendi, & chartis illiniendi quicquid in buccam venerit. Nec probari poteſt Saulem, (ut contendit vir doctiſſimus) ejuſmodi ſimulachra habuiſſe, *Theraphim* Davidis uxori (quæ ſcil. filia Saulis erat) non defuiſſe I Sam. XIX. XIII. cum illud ſimulachrum non fuerit parvula aliqua imaguncula, quæ Pectorali tanquam marſupio indi vult doctiſſimus vir; ſed imago quædam magna quæ hominem mentiri poſſet, ideoque lecto facilius quam Pectorali continebatur. At ſi vel maxime ejuſmodi *Theraphim* habuerit, quibus uſus eſt *Micha* & *Danitæ*, ut per ea reſponſa peteret, non tamen per *Vrim* a Deo inſtitutum interrogaſſet, & non minus quam ipſe Micha & Danitæ etiam peccaſſet. Reliqua argumenta quæ addit doctiſſimus vir: Ethnicorum Reges etiam a *Theraphim* quæſiviſſe, ut Regem Babyloniæ feciſſe docet Ezech. XXI. XXI. & nullum incommodum inde Religionem paſſam fuiſſe; immo aliquid factum eſſe, modo extraordinario, quemadmodum conſtat Davidem cum ſuis comediſſe *panes propoſitionum*, cum tamen ſoli Sacerdotes eos comedere debuerint; illa plane non perſuadent, ut credamus Regibus conceſſum fuiſſe ut interrogarent per *Vrim* & *Thummim*: ideo non minus certum eſt, illud fuiſſe officium ſolius Pontificis Maximi. Sed & ipſe doctiſſimus Spencerus tandem hanc quæſtionem in medio relinquit, nihilque certi audet determinare, ſuis met ipſis argumentis diffidens.

DCL. Non autem pro quolibet oraculum conſuli ſolebat: ſed pro Rege, pro Principe, pro Præſide Synedrii, aut pro alio aliquo dignitate & auctoritate conſpicuo viro inter Iſraelitas, & in rebus quidem arduis, ubi de bello, de pace, de Religione, de Patria, de Rege, & toto populo agitur. Exſertis verbis hoc docent Gemarici *Maſſechet Joma cap.* VII. אין שואלין אלא למלך : מנא חני

הני מילי אמר רבי אבהו דאמר קרא ולפני אלעזר הכהן יעמוד ושאל לו במשפט האורים וגו׳ הוא זה מלך וכל ישראל אתו זה משוח מלחמה וכל העדה זו סנהדרי : *Non interrogabant* (per Urim) *niſi pro Rege. Unde hoc habemus? Dixit doctor Abbu, quia Scriptura dicit* (Numer. XXVII. XXI.) Et ille coram Eleazare Sacerdote ſtabit, & interrogabit eum de judicio Urim. Ille, *ſignificat* Regem. Et totus Iſrael cum eo, *ſignificat* unctum ad bellum. Et totus cœtus, *denotat* Synedrium. vide etiam Maimonidam *Hilch Kele Hammickd. cap.* X. ubi eadem fere repetit. Non male etiam a quibuſdam obſervatum eſt, non niſi pro toto populo interrogandum fuiſſe, cum omnes tribus Pectorali inſculptæ fuerint.

DCLI. Quemadmodum non ſolebant interrogare pro aliquo homine privato, ſed pro Rege, pro Principe & pro toto cœtu tantum, ſic etiam non interrogabant oraculum ob res leves & nullius momenti, ſed propter res magni ponderis, quæ Regem, quæ Principem aliquem virum, quæ Religionem, bonumque publicum ſpectarent: quod optime etiam animadvertit Abarbanel Exodi XXVIII, & alibi צריך שתהיה השאלה עצה בדבר כולל לכל העם ולא ישאל על דבר פרטי לאיש מן האנשים : *Oportet ut interrogatio ſit conſilium, quod ſpectat negotium publicum totius populi, non de re particulari & alicujus privati.*

DCLII. Tandem non interrogabant etiam de duabus rebus ſimul, nec inverſo ordine; aut ſi id factum eſſet, reſpondebatur tantum ad unam quæſtionem, & quidem ordine. Gemara Hieroſolymitana. Codice. *Ioma capite* VII. ואין נשאלין שתי שאלות באחת אם נשאלו אית תניי תני משיבו על הראשונה ואין משיבו על השניה ואית תניי תני משיבו על השנייה ואינו משיבו על הראשונה : ואית תניי תני אינו משיבו לא על הראשונה ולא על השניה : מאן דאמר משיבו על הראשונה ולא משיבו על השנייה מן הדא ויאמר דוד ייי אלהי ישראל וגו׳ היסגירוני בעלי קעילה בידו וגו׳ הירד שאול׳ דוד לא שאל כהוגן לא צורכא אלא הירד שאול ואם ירד היסגרוני בעלי קעילה בידו׳ מאן דאמר משיבו על השנייה ואינו משיבו על הראשונה מן הדא ויאמר דוד היסגירוני בעלי קעילה אותי וגו׳ מאן דאמר אינו משיבו לא על הראשונה ולא על האחרונה וישאל דוד בייי לאמר ארדוף אחרי הגדוד הזה האשיגנו׳ דוד בקש עליה רחמים ה׳ אלהי ישראל הגד נא לעבדך׳ תדע לך שהרי שהים שאל והשיבו שלש ויאמר רדוף כי השג תשיג ונצל תציל : *Non interrogabantur duæ quæſtiones ſimul tanquam una: Sunt qui dicant, ſi id factum eſt, reſponſum fuiſſe tantum ad priorem & non ad poſteriorem; Alii dicunt*

cunt, reſponſum fuiſſe ad poſteriorem, non ad priorem; Alii, nec ad priorem nec ad poſteriorem reſponſum fuiſſe. Is qui dicit reſponſum fuiſſe ad priorem non ad poſteriorem, nititur eo quod dicitur de Davide (1 Sam. XXIII. X. XI.) Dixit David, Domine Deus Iſrael &c. An tradent me viri Kehilæ in manum ejus? An deſcendet Saul? *David non interrogavit, ut oportebat: Sed (debuiſſet dicere)* an deſcendet Saul? & ſi deſcendit, an tradent me viri Kehilæ in manum ejus? *Is qui dicit reſponſum fuiſſe ad ſecundam quæſtionem non ad primam, illud inde habet*; dixit David, An tradent me viri Kehilæ, & eos qui ſunt mecum? &c. *Qui dicit non reſponſum fuiſſe nec ad priorem nec ad poſteriorem quæſtionem, id habet ex eo quod dicitur* (1 Sam. XXX. VIII.) David interrogavit Deum Dominum Iſraelis; indica quæſo ſervo tuo. *Inde diſces quod fuerint duæ quæſtiones, ſed reſponſio triplex.* Perſequere; Nam omnino attinges, & plane liberabis. Idem docent Gemarici in Talmude Babylonico, eodem loci. *Non interrogant duas res tanquam unam: aut ſi interrogant non reſpondetur niſi ad unam, & quidem ad primam: ut dicitur,* An tradent me viri Kehilæ in manus ejus? An deſcendet Saul &c. Et dixit Deus: Omnino deſcendet. *Sed ecce dixiſti, quod non reſpondeatur niſi ad primam. (quæſtionem) (hæc difficultas ſolvitur ſi dicamus) David interrogavit præter ordinem, ſed ordine ei reſponſum eſſe. Conſtat itaque, quod ſi quis interroget non ordine, eum iterum rogare ordine; ut dicitur:* An tradent me viri Kehilæ, me & viros qui ſunt mecum in manus Saulis? *Et reſpondit Deus*: Tradent. *Si tamen neceſſitas requirat, ut interrogent duas res; reſpondetur ad duas; ut dicitur:* Et interrogavit David Deum dicens: An perſequar iſtam turmam? An eam attingam? *Et reſpondit Deus*: Perſequere; omnino attinges, & plane liberabis.

Hæc de *Urim* & *Thummim ſufficiant.* Plura ſi quis ſcire deſideret, adeat auctores, qui materiam iſtam pertractarunt, quorum plurimam partem & præcipuos allegavimus.

CAP. XXI.

DE מצנפת TIARA

מצנפת S. Pontificis. De hoc multa jam dicta ſunt cap. IV. *hujus libri. Forma* ꝫ Mitznephet. *Magna differentia inter Pileum S. Pontif. & reliquorum Sacerdotum pileos, ſecundum Ioſephum Pontifex Max. quo ſenſu habuerit pileum conſutum, & hyacinthino variatum?* מגבעות *altus.* מצנפת *latior & magis diffuſus circa tempora. Maimonides allegatur. Et male contradicitur a Rabbi Abraham filio Davidis. Aben Ezra Expoſitio. Migbaoth Iudæis Germanis* Ein Hoer hut. *Cunæi error circa mentem Abraham filii Davidis. Tabula Summi Pontificis pileum exhibens.*

DCLIII. HUc uſque egimus de Pectorali; ſequitur מצנפת *Mitznephet*, ſive *Tiara* Summi Pontificis.

De Tiara jam multa diximus Capite quarto hujus libri, ubi de מגבעות id eſt *Pileo* totius Sacerdotum turbæ. Oſtendimus ibi utrumque capitis tegumentum, cum omnium Sacerdotum *Migbaoth*, tum Summi Pontificis *Mitznephet* fuiſſe faſcias XVI. cubitos longas, ex ſubtiliſſima & albiſſima byſſo. Oſtendimus etiam ideo utrumque dici *Mitznephet*, a verbo צנף *Zanaph*, *obvolvere*, quia utrumque fit per multas plicaturas & involucra in orbem convoluta.

DCLIV. Quæſtio unica hic tantum reſtat, de forma ſcilicet ꝫ *Mitznephet* ſummi Pontificis, & quomodo a reliquorum Sacerdotum *Migbaoth* differat.

Si Joſepho credimus, magna ſane erit differentia inter utrumque. Is enim *lib.* III. *Antiq. cap.* VIII. docet: Summum Pontificem habuiſſe pileum, qualem & cæteri Sacerdotes, ſed ſuper illum extitiſſe alium pileum conſutilem ex hyacintho variatum. πῖλος δ᾽ ἦν μὲν ὁ καὶ πρότερον αὐτῷ παραπλησίως εἰργασμένος τοῖς πᾶσιν ἱερεῦσιν ὑπὲρ αὐτὸν δ᾽ συνερραμμένος ἕτερος ἐξ ὑακίνθου πεποικιλμένος. *Pileus ei erat admodum ſimilis priori illi, qualem reliqui omnes Sacerdotes habebant. Super quem alius erat conſutus, & hyacintho variatus.*

Duo hic ſunt notanda. Primo S. Pontif. habuiſſe pileum qualem reliqui Sacerdotes geſtabant. Deinde huic pileo alium conſutum & hyacintho variatum impoſitum fuiſſe. S. Pontificis pileum fuiſſe ſimilem pileo reliquorum Sacerdotum, jam plus ſatis probavimus. Sed cum alium præterea habuiſſe pileum *conſutilem*, & quidem *hyacintho variatum*, nemo quod ſciam, præter Joſephum unquam dixit. Sane reliqui Judæorum doctores non conſentiunt. Nec ego induci poſſum ut id credam, cum Moſes ne γρῦ quidem de ejuſmodi conſutili & *hyacintho variato* pileo habeat. Deinde hoc modo novem habuiſſet veſtimenta, quod contra legem factum fuiſſet, non minus ac ſi aliqua veſte caruiſſet, quod pluribus probavimus libro I. cap. II. & III. vehementer igitur erravit magnus Joſephus: aut dicendum erit, verba ejus eſſe admodum corrupta, aut non eſſe illius verba, ſed textui ab aliquo ſciolo infarcta. Fortaſſis Joſephus, aut quisquis ille ſit, qui verba illa addidit, mentionem fecit de hyacintho, quia *Lamina aurea* vitta hyacinthina capiti alligata erat, ut docet Moſes Exodi cap. XXVIII. verſu XXXVI. Cum autem *Lamina* iſta triplici vitta alligata fuerit fronti, ita quidem ut totum caput, aut, ſi mavis, totam tiaram, & circa tempora, & in occipite & in vertice cingeret, ut vult Jarchius, non adeo mirum eſſet, ſi aliquis diceret *mitram* hyacintho tectam fuiſſe. Sed de hac vitta hyacinthina nos plura capite ſequenti, ubi de ציץ *Lamina* agendum erit.

DCLV. Maxima pars Hebræorum doctorum diſcrimen inter *Migbaoth* omnium Sacerdotum, & *Mitznephet* Summi Pontificis, in hoc putant conſiſtere; quod, uti docent, *Migbaoth* capiti profundius imponeretur pauloque altior eſſet quam caput, ſuperne mucronem exiens, inſtar galeæ, aut noſtrorum pileorum nocturnorum; ſed *Mitznephet* frontem vix tegeret, inſtar dimidiatæ ſphæræ, magis od formam capitis aptatus, depreſſior & magis humilis quam *Migbaoth*, ſed latior, circa tempora etiam ampliori mole diffuſus fere inſtar alicujus rotæ. Ita ſane mihi occurrit totum iſtud diſcrimen, quoties lego verba Maimonidis *Kéle Hammikd. cap.* VIII. מצנפת, inquit, האמורה באהרון היא המגבעת האמורה בבניו. אלא שכהן גדול צונף בה כמי שלופף טל השבר ובניו צונפין בה ככובע ולפכך נקראת מגבעות: *Et tiara, de qua mentio fit, ubi de Pontifice Maximo agitur, eadem eſt, quæ reliquorum Sacerdotum: niſi quod*

quod Summus Pontifex ea involvat (caput,) *inſtar alicujus membri fracti: ſed illius filii* (i. e. Sacerdotes minores) *involvunt inſtar galeæ.* Scilicet *Tiara* S. Pontificis non in altum, nec oblonga ſuis involucris formabatur; ſed involucrum involucro imponebatur in orbem circa caput tantum, ut eo non altius ſurgeret, eodem modo quo vulnus aut membrum fractum ligari linteoque obvolvi ſolet in eo loco tantum ubi eſt vulnus, & variis quidem involucris ſibi impoſitis. At *pileus* reliquorum Sacerdotum alia forma ſuis plicaturis & involucris componebatur, ita ſcilicet ut non tantum tempora cingeret, ſed ut paulatim in altum ſurgeret, itaque involucra ſibi eodem modo non incumbebant, ſed parum a ſe diſcedebant. Rabbi Abraham filius Davidis, ibi in ſuis notis, Maimonidæ contradicere videtur: ſed revera, etſi velit, non contradicit אני אומר, inquit, אין מעשהו של זה כמעשהו של זה מצנפת ארוך הרבה וכורך אותו כריכות הרבה בכריכות הישמעלים אבל מעשה המגבעות כעין הכובעין שלנו הדין מלמעלה והן קצרים: *Ego dico alterum* (pileum) *alteri non eſſe ſimilem. Mitznephet valde longum erat, & convolutum multis involucris, inſtar involucrorum Iſmaelitarum* (id eſt inſtar pileorum Turcarum) *At opus Migbaoth erat inſtar noſtrorum pileorum, ſcilicet acuti ſuperne & breviores erant.* Hæc revera non contradicunt Maimonidæ, niſi voluerit Rabbi Abraham pileos minorum Sacerdotum non fuiſſe compoſitos ex longa aliqua faſcia, ſed inſtar noſtrorum pileorum abſque involucris & plicaturis caput cinxiſſe. *Si* autem hæc illius mens fuit, deceptus eſt vehementiſſime Rabbi Abraham. Quid quid eſt, quoad formam non differunt Maimonides & Rabbi Abraham.

DCLVI. In eadem ſententia etiam eſt Aben Ezra ad Ex. cap. XXVIII.

אין המגבעות כדמות מצנפת כי המגבעות כדמות אלה שישימו הזכרים באלה הארצות על ראש שיכסו הראש והם גבוהים והמצנפת היא בגד דק ארוך צנוף סביב הראש לבדו מעט תדמה לה המצנפת שיש בראש הנשים באלה המקומות כי בארץ ישמעל ובספרד ואפריקא ומצרים ובבל ובנאדר המצנפת היא על הראש מן הזכרים הנכבדים ולא על ראש אשה:

Migbaoth *non eſt ſimilis* τῷ Mitznephet; *ſed eſt ſimilis illis* (pileis) *quos viri capiti imponunt in hiſce regionibus, ad tegendum caput, & ſunt quidem alti.* (ſcilicet inſtar noſtrorum pileorum nocturnorum qui ſuperne ſunt leviter acuminati) Sed Mitznephet *eſt veſtis tenuis & longa*, (eſt longa tela aut faſcia) *voluta circa caput tantum, aliquomodo ſimilis iſtiuſmodi* Mitznephet, *quo fœminæ caput ſolent te-*

gere in his regionibus, ut in Germania & alibi, ubi Judæorum fœminæ multis linteis capita ſolent circumvolvere, ut fere Turcarum pileus videretur) *Nam in terra Iſmaelitarum* (Turcarum aut Arabum) *& in Hiſpania, Aphrica, Ægypto, Babyloniis & Bagdadi* Mitznephet *geſtatur in capite virorum honoratiorum, non autem imponitur capiti mulierum.* Eadem occurrunt apud Rabbi Levi Barſelonitam, præcepto XCIX. Manifeſtum igitur eſt pileum minorum Sacerdotum paulo altiorem fuiſſe; ideo & ad hunc uſque diem Judæi Germani *Migbaoth* ſolent vertere ein hohen Hut / *pileum altum*: Summi autem Pontificis tiaram fuiſſe depreſſiorem, & majori mole circa tempora multis involucris obvolutam. Non bene igitur intellexit *Abrahamum filium Davidis* ad Maimonidam *Kele Hammikd. cap.* VIII. doctiſſimus Cunæus de *Repub. Hebr. l.* II. *cap.* II. ubi dicit eum docuiſſe Pontificum (vult dicere Summi Pontificis) infulas longe altiores fuiſſe pileis reliquorum Sacerdotum. Hoc ſane non dixit Abrahamus filius Davidis, ſed tantum *Mitznephet* Summi Sacerdotis longiorem fuiſſe telam, qua caput ejus involvebatur: quamvis tamen & ipſe doctiſſimus Abrahamus erret, cum utrumque & Summi Sacerdotis Tiara, & reliquorum pontificum pileus longa & quidem XVI. ulnarum faſcia fuerit: ſed diverſa tantum forma plicata & convoluta.

Ut autem clarius conſtaret cujus nam figuræ fuerit *Mitznephet*, eam hac tabula lectori exhibere operæ pretium exiſtimavi.

EXPLICATIO TABULÆ.

A. Ipſum מצנפת ſive *Tiara* S. Pontificis capiti impoſita.

B. B. B. Vittæ & nodus in occipitio, ubi Tiara aſtringitur.

Faſcia ex qua hæc Tiara compoſita erat, depicta eſt cap. IV.


A
B
B
B

Cap. XXII.

DE ציץ LAMINA, SIVE DE CORONA AUREA,

ציץ *Octavum & ultimum veſtimentum. Variæ verſiones* πέταλον, ציצא ܥܨܠܒ݂ܐ. נזר & ציץ נזר *varia loca Script.* ἀφόρισμα. ציץ ·נזיר *flos. Sic dicta corona Sacra ab ornamento.* varia loca *Scripturæ. Materia coronæ varia.* Aurum *præcipua. Corona S. lamina tenuiſſima* πέταλον, blatteum. Ein blat. πετάλεα φύλλα. טס bracteola. *Ejuſmodi coronæ tenues apud veteres notæ. Varii auctores. S. coronæ longitudo & latitudo.* Baen, Barean. *Vulcanius notatus.* Baen *vox Belgica.* **Band.** *Varii auctores. Figura coronæ ſecundum Ioſephum.* Calyculi hyoſciani. *Corona S. inſtar floris aperti.* τρισοιχία *Ioſephi. Vilalpandus, Friſius & Arnold. Andillienſis notati. Ioſephus explicatur. Gelenii verſio. S. Corona frontem cingit. occipitio ſtringitur. Corona triplex Pontificis Romani. Triplex Iudæorum Corona. Sacerdotii, Regis, & Legis.* כתר Kether. *Inde Cidaris, Ioſephus tentatus. Cum reliquis Iudæis conciliatur. Titulus coronæ.* Sanctitas Jehovæ. *Quot lineis ſcribantur. Superſtitioſa veneratio nominis* יהוה. *Litteræ iſtæ utrum protuberantes?* Cizelé. **Gedreeven.** *Abarbanel.* פתוחי חתם *Litteræ* קדש ליהוה *an puncta habuerint? Ethnicos in coronis habuiſſe imagines. Et titulos. Apocal.* XVII. V. *Mulier in fronte gerebat nomen* μυςήριον. *In Corona Pontificis Romani* Myſterium. *Mutatur a Iulio ſecundo. Scaliger allegatus* ὄνομα, השם יהוה Nomen. *Imagines in annulis, in amuletis, aliaque ſuperſtitioſa multa apud Gentilis. Cui loco corona alligetur? Bibliorum picturæ. Philo Iudæus, Ioſephus, Talmudici.* Corona ſuper tiaram, *quo ſenſu dicatur a Moſe? Pontif. Max. an geſtaverit phylacteria inter coronam & pileos?* מצח *Chald.* בית עינוהי *Apocal.* XVII. V. *Corona* ἐπὶ τὸ μέτωπον. *Syrus* ܥܠ ܒܝܬ ܥܝܢܝܗ *Phylacteria utrum ſupra coronam an infra? Utrum nulla phylacteria?* על ſuper *quid Iarchio? corona alligabatur*

vittis hyacinthinis. Quot vittæ. Coronæ foramina in quibus fuerunt vittæ. *S. Pontif. tiara hyacinthino* πεποικιλμένη. *Quo ſenſu hoc dicatur? Iarchii expoſitio. Ejus locus emendatus. Tabula coronam repræſentans. Explicatio tabulæ. Cur Pontif. Max. coronatus?* עון הקדשים *quid? Expoſitio Gemaræ. Corona Symbolum Chriſti. Formula Talmudica* מרצה הציץ. *Ethnicorum Sacerdotes coronas geſtaſſe. Quare? Varii auctores. Corona antiquitus ornamenta militaria & Sacerdotalia. Alexander Syriæ Rex Summo Pontifici Ionathani miſit coronam auream. Allegatur Reineſius ad inſcriptiones.*

DCLVII. OCtavum & ultimum veſtimentum eſt ציץ *Zitz.* Exſtat Exodi cap. XXVIII. verſu XXXVI. & XXXIX. verſ XXX. & Levit VIII. IX.

Septuaginta habent πέταλον. Philo Judæus de vita Moſis lib. III. πέταλον χρυσοῦν. vulgatus *Laminam.* Joſephus *Antiq. lib.* V. *cap.* XV. χρυσοῦν στέφανον *auream coronam.* Chaldæus ציצא. Arabs عصابة quod ſignificat *vinculum*, faſciam, vittam, aut omne id, quo aliquid ligatur aut cingitur, a verbo عصب *circumdedit, cinxit*; unde & *cidarim* ſive coronam notat. Belgæ **Een plaette.** Lutherus ein ſtirn blat: quaſi diceret *Laminam frontalem.*

DCLVIII. Nonnunquam etiam נזר *Nezer* vocatur, ut Exodi XXIV. VI. quæ vox ſignificat coronam, uti videre eſt II. Samuelis I. X. II Reg. XI. XII. & alibi. Ideo & ציץ נזר ut Exodi XXXIX. XXX. & Levit. VIII. IX. quaſi diceres *Laminam coronæ*; quamvis Septuag. habeant ἀφόρισμα & καθηγιασμένον, ſcilicet a radice נזר *ſeperavit*: unde & נזיר Naziræus *Deo ſacratus*, ὁ καθηγιασμένος. Igitur *Zitz*, ut ut *lamina* tantum fuerit, nihilominus optimo jure *Corona* dicitur; quod frontem cingat, prout apud Græcos & Latinos omne id quod frontem cingit ſolet dici στέφανος, aut *corona.* Non male Philo *Lib.* III. *de vita Moſis* ὡσανεὶ στέφανος *quaſi corona.* Bene etiam a Joſepho *Antiq. lib.* V. *cap.* XV. στέφανος *corona* vocatur.

DCLIX. Si originem vocis reſpiciamus; ציץ videtur ſignificare florem a verbo ציץ *Zitz floruit*, qualem ſignificationem habet Ezech. VII. X. Pſalmo CIII. XV. Jobi cap. XIV. II. & alibi ſæpius. Atque

que ſic diceretur a forma & ornamento, ideo quod florem repræſentet, ut poſtea clarius patebit. Sed omne id quod alteri eſt ornamento; quod ex alia re dependet, aut quod ſua eminentia conſpicuum eſt, videtur exprimi vocabulo ציץ. Ideo & ציץ *Conſpicuum eſſe* vertitur ab interpretibus, Pſalmo cxxxii. xvi. Et Jeremiæ xlviii. ix. ציץ ſumitur pro *ala* aut *penna*; & ציצית pro *peniculamentis*, ſive fimbriis. Numer. xv. xxxix.

DCLX. Materia hujus coronæ erat aurum. Ideo ציץ זהב *lamina aurea* dicitur. Hæc quidem communiſſima eſt materia coronarum Regum & Principum, immo & Sacerdotum. Ex varia tamen materia coronæ olim fieri ſolebant. Ex gramine, ex lauro, ex floribus, ex foliis, frondibus; Ex ſpicis, hedera, ex quercu, ex olea, & ejuſmodi rebus aliis. De quibus vide *Paſchalium de Coronis lib.* iv. *cap.* xiii. & ſequentibus. De vario genere auri in rebus ſacris, egimus lib. i. cap. x. Hanc S. Pontificis coronam ex optimo pretioſiſſimoque auro fuiſſe, dubitandum non eſt. Hanc ob cauſam vocatur non tantum AURUM, ſed זהב טהור AURUM PURUM, quod etiam obſervatum eſt ab Abarbanelio.

DCLXI. Figura hujus Coronæ non ſatis clare exprimitur in S. Scriptura. Nihil aliud erat quam lamina tenuiſſima, ab una aure uſque ad alteram, quæ vittis hyacinthinis fronti alligabatur, & in occipitio adſtringebatur. Fuiſſe *Laminam* tenuem, omnes fere auctores clamant. Hinc toties *lamina* vertitur. Sane a Septuaginta & Philone πέταλον dicitur. At πέταλον nihil aliud eſt, quam folium aliquod tenue & expanſum. Vetus Gloſſarium πέταλον, *blatteum*, *lamina*. Per *blatteum* intelligit rem tenuem inſtar folii, imo ipſum fortaſſis folium, unde & apud Germanos ein blate *folium* ſignificat. *Euſtathio* πέταλα ſunt πλατέα φύλλα *lata folia. Homer.* O Δ. T. δενδρέων ἐν πετάλοισι καθεζομένη *Sedens inter folia arborum.* Sed ridiculus eſſem, ſi diutius tempus tererem in probando πέταλον apud optimos auctores ſignificare *folium.* Apud ipſos etiam Judæos *folium* tneue vocatur. *Iarchius* ad Exodi xxxviii xxxvi. ציץ כמין טס של זהב *Zitz eſt inſtar laminæ*, ſive *folii aurei.* Apud Chaldæos טס *Tas* ſignificat *bracteolam* tenuiſſimam, ex auro aut argento, qualia erant filamenta aurea, quæ ſacro veſtitui intexebantur, de quibus Exodi xxxix. ubi etiam a *Chaldæo* טסים *Taſsim* dicuntur. Vide quoque Exodi cap. xvii. iii. Nahum iii. xvii.

xvii. & alibi. Ejuſmodi Coronas tenues veteres etiam habuiſſe, ex optimis auctoribus conſtat. Plinius *lib.* xxi. *cap.* ii. tradit coronas datas fuiſſe *e lamina ærea tenui inaurata aut inargentata.* Et *cap.* iii. *Craſſus dives primus argento auroque folia imitatus, ludis ſuis coronas dedit.* Et mox: *P. Claudius Pulcher, bracteaſque etiam Philyræ dedit.*

DCLXII. Erat autem ſacra S. Pontificis lamina, ſive Corona lata duos digitos, longa ut ab una aure ad alteram deduceretur. Videatur Jarchius Exodi xxviii. xxxvi. צ״ץ *Zitz.* inquit, *eſt inſtar laminæ aureæ* היה ב׳ אצבעות מקיף על המצח מאוזן לאוזן *duos digitos lata eſt, cingens frontem ab aure ad aurem.* Jonathan habet מן צידעה לצידעה יתכמש *a temporibus ad tempora perveniet.* De ejuſmodi lamina mentio etiam fit in Gloſſis Iſidori, in voce *Baen. Baen eſt lamina aurea, ab aure ad aurem, qua familiares Regum utebantur.* Vulcanius legit *Barean*, quam putat eſſe vocem Hiſpanicam. Sed male, mea opinione. Eſt potius vox Germanica aut Belgica, quibus *baen* ſignificat viam tritam. Hinc **den Weg baenen / op de baen brenghen; een Lijn baen.** Immo fere omne id quod in longum porrectum eſt, inſtar viæ longæ **een Baen** dicitur: veluti **een Baen in een Rock** / id eſt plagula ex qua fit tunica. Niſi tamen mavelis cum doctiſſimo Scheffero de Torquibus legere **band**, quod faſciam ſignificat. Cum Gloſſa Iſidori facit Aben Ezra Exod. xxviii. xxxvi. והשרים הגדלים עושים ציץ זהב על מצנפת על מקום המצח : *Et magni Principes faciunt laminam auream ſuper tiaram in fronte.*

DCLXIII. Joſephus omnino aliam figuram ſacræ coronæ adſcribere videtur; *Antiq. lib.* iii. *cap.* viii. περιέχεται δὲ στέφανος χρύσεος, ἐπὶ τριστιχίαν κεχαλκευμένος. θάλλει δ' ἐπ' αὐτῷ, κάλυξ χρύσεος, τῇ δακχάρῳ βοτάνῃ παρ' ἡμῖν λεγομένῃ ἀπομεμιμημένος. ὑὸς δὲ κύανον Ἑλλήνων οἱ περὶ τομὰς ῥιζῶν ἐμπείρως ἔχοντες προσαγορεύουσιν. Quem locum ſic vertit Gelenius: *Hunc* (pileum) *aurea corona triplici ordine circumdabat, in qua ſpectabantur calyculi aurei, quales videmus in herba, quæ apud nos vocatur daccharus, apud Græcorum herbarios hyoſciamus.* Pergit Joſephus, & fuſius deſcribit herbam hyoſciamum, calyculorumque figuram, quæ hic non ſunt repetenda. Addam tantum ea, quæ ad pleniorem deſcriptionem hujus coronæ faciunt. Ἐκ τούτου μὲν στέφανος ἐκκεχάλκευται ὅσον ἀπὸ τοῦ ἰνίου πρὸς ἑκάτερον τῶν κροτάφων. τὸ δὲ μέτωπον, ἡ μὲν ἐφιελὶς οὐκ ἔπεισι,

λεγέσθω

λεγέσθω γὰρ οὕτως ὁ κάλυξ. τελαμὼν δὲ ἐςὶ χρύσεος, ὃς ἱεροῖς γράμμασι τοῦ Θεοῦ τὴν προσηγορίαν ἐπιτετμημένος ἐςί. *Ejuſmodi corona ab occipitio circum tempora utraque procedebat: nam frontem iſti calyculi non ambiebant: ſed ceu lorum quoddam latum aureum, quod ſacris Caracteribus Dei nomen inciſum habebat.*

DCLXIV. Ejusmodi calyculos hyoſciami in ſacra lamina ſive corona fuiſſe, facile credam. Referunt enim figuram florum, ornatumque coronarum, quæ ut antiquitus ex floribus & foliis fieri ſolebant, ſic & poſtea aureas ejuſmodi floribus foliis aureis ornatas fuiſſe, negari non poteſt. Pontificis Max. coronam certis quibuſdam floribus ex eodem auro decoratam fuiſſe, unde & *Zitz* quaſi *flos* a Moſe vocatur, mihi facile perſuadebo. Immo integra corona concipi poteſt tanquam flos apertus. Si igitur Joſepho credendum eſt, dicendum erit ornamenta coronæ ſacræ, ſive flores, quibus ornata erat, habuiſſe figuram *Calyculorum hyoſciami.*

DCLXV. Περιέρχεται δὲ, inquit Joſephus, ςέφανος χρύσεος, ἐπὶ τριςοιχίαν κεχαλκευμένος. Hic per τριςοιχίαν interpretes ſolent intelligere tres ordines calyculorum, quorum alter altior eſt, ut caput cingant inſtar triplicis coronæ, ita ut non tantum caput, ſed & ipſam tiaram cingerent inſtar triplicis coronæ, quemadmodum eam depingere ſolent Vilalpandus, & ex eo Friſius in opere Solerii *de Pileo*, & Arnoldus Andillenſis, in ſua verſione Gallica Joſephi, quam coronam infra exhibebimus figura III. Sed ſuillam potius commederent Judæi, quam ut hæc crederent. Sane oportet verba illa infarcta eſſe Joſepho, aut alium habere ſenſum, quam interpretes pictoreſque eis hactenus dederunt. Fateor quidem ςοιχίαν ſignificare *ordinem*, τριςοιχίαν *triplicem ordinem*: ut ſacra corona, ſecundum Joſephum tribus ordinibus calyculorum ornata videatur. Sed eam habuiſſe figuram quam ei auctores ſolent attribuere, ut in hac tabula eſt depicta, nego & pernego: cum nec pileum tangat vera corona Pontificalis, nec in reliquis conveniat cum hac figura. Male Gelenius vertit: *hunc* (id eſt pileum) *aurea corona circumdabat*, cum frontem tantum cingat non autem pileum; Hoc non dicit *Joſephus;* ſed tantum περιέρχεται ςέφανος, *corona cingit*, ſcilicet *frontem & tempora*, non autem *pileum.* Delendum itaque cenſeo ex verſione *Gelenii* vocabulum *hunc.*

DCLXVI. Sed & in hoc Joſephus videtur diſſentire a reliquis Judæorum Magiſtris, quod dicat: coronam iſtam procedere ἀπὸ τῆς ἰνίου πρὸς ἑκάτερον τῶν κροτάφων. *ab occipitio circa tempora utraque*, cum *Jarchius* aliique Judæorum Sapientes dicant, eam procedere tantum מאזן עד אזן *ab aure ad aurem*, Enim vero coronam ſacram cinxiſſe tantum frontem, non autem occipitium, colligi poſſe videtur ex cap. XXVIII. Exodi verſu XXXVII. ubi exſertis verbis jubetur ut lamina ſit: אל מול פני המצנפת *in anteriori parte tiaræ*, id eſt circa *frontem*, non autem circa *occipitium*. De calyculis vero aliiſque ornamentis tacent Hebræorum Sapientes: Nihil aliud illis eſt hæc corona, quam lamina ex auro puro.

DCLXVII. Ex iſta coronæ τριστοιχία fabricata videtur corona triplex Pontificum Romanorum. Sed & ipſi Judæi loquuntur de tribus coronis, quarum prima eſt כתר כהונה *Cidaris*, id eſt *Corona (cidaris* eſt ipſiſſimum כתר *Kether*, quod coronam ſignificat*) Sacerdotalis*. Secunda כתר מלכות *Corona Regia*. Et tertia כתר תורה *Corona Legis*. videatur Codex *Pirke Avoth* Rab. Nathan. Sed hæc nihil faciunt ad triplicem ordinem, ſive τριστοιχίαν Joſephi. Nihilominus quamvis ſacra ſcriptura ipſi etiam Hebræorum Magiſtri taceant de ejuſmodi τριστοιχία, ſive calyculorum ornamento triplici ordine, nollem tamen negare, eam ejuſmodi calyculis fuiſſe ornatam. Si autem hoc factum fuit, opportet calyculos illos plane alio modo fuiſſe diſpoſitos, quam quo ab auctoribus ſolent repræſentari. Poſſent forte conciliari Judæorum Sapientes reliqui cum Joſepho, ſi diceremus Coronam nihil aliud fuiſſe, quam laminam duos digitos latam & ab aure ad aurem longam, ita tamen ut circa tempora triplici ordine hyoſciami calyculorum ornata fuerit ab utraque parte, eo modo quo a nobis infra exhibebitur.

DCLXVIII. Addit tandem Moſes verſu XXXVI. ופתחת עליו פתוחי חתם קדש ליהוה *Et inſculpes ei, ſculpturis ſigilli* SANCTITAS JEHOVÆ. Quæritur inter Judæorum Sapientes: quo ordine duæ iſtæ voces ſcriptæ fuerint; utrum ſcilicet una, an vero duabus lineis? Abarbanelius ad legem *Paraſcha Tezave*. ואם היה בשטה אחת היו כתובות כן קדש ליהוה ואם היו בשני שטין היו קדש למטה וליהוה מלמעלה כי הוא עליון על כל הנמצאים *Si unica linea* (comprehenſa) *fuerunt: ſcripta erant ſic:* קדש ליהוה *At ſi duabus lineis, vox* קדש *infimam lineam faciebat; Et* ליהוה *ſuperiorum, quod nomen illud elatum ſit*

ſit ſupra reliquas res omnes. Priori modo ſic ſcriptum fuit:

קדש ליהוה

Alias hoc modo:

ליהוה קדש

Sed quæſtio non eſt magni momenti, ut qua de cauſa eam moverint Judæi non videam; niſi forte ob ſuperſtitioſam venerationem nominis יהוה, ne ſcilicet poſtponeretur voci קדש. Sed cum in S. Scriptura nomen יהוה eodem verſu & ordine alias voces ſequatur, cum deinde Moſes nihil aliud dicat: niſi quod inſculpi debeant hæ voces קדש ליהוה ego uno tractu eademque linea eas ſcriptas fuiſſe exiſtimo. Non poſſum quin in tranſitu notem, Abarbanelium dicere nomen *Jehova* elatum eſſe ſupra reliqua nomina omnia: quaſi dixiſſet cum Apoſtolo Paulo Philip. c. II. verſ. IX. ἐχαρίσατο, αὐτῷ ὄνομα τὸ ὑπὲρ πᾶν ὄνομα.

DCLXIX. Volunt iidem etiam Sapientes literas iſtas non inciſas fuiſſe, ſed potius protuberantes extitiſſe, quod hodie Galli dicerent *Cizelé*, & Belgæ **gedreeven Werck**. Eodem ſcilicet modo, quo in nummis aut in cera litteræ impreſſæ protuberantes conſpiciuntur. Abarbanelius loco modo laudato. והיה פתוחי חותם כתב מפורש והאותיות היו בולטות לא כמו השמות שבכתפות האפוד ובחשן שהיו שם האותיות שוקעות שנא׳ תפתח את שני האבנים אבל האותיות בציץ היה בולטות : Et erat ſculptum ſculptura ſigilli. *Hoc interpretantur; litteras protuberaſſe, non eodem modo quo nomina erant inſculpta Ephodi humeralibus, & Pectorali: ibi enim litteræ erant profundæ, ut dicitur* (Exod, XXVIII. XI.) Et ſculpes duos lapides. *At in corona litteræ erant protuberantes.* Unde illa hauſerit Abarbanelius iterum ignoro. Cur magis in corona quam in gemmis litteræ eſſent protuberantes? Eadem phraſis utrobique adhibetur פתוחי חתם. Cum igitur hoc de litteris profunde inciſis intelligant verpuli ubi de Gemmis, cur non & hic ubi de corona agitur? Et ſane de litteris inciſis id intellexiſſe videtur Jonathan, ubi utitur verbo גלף והגלוף inquit, עליו חקיק ומפרש קדש ליהוה *Et inſcul-*

pes ei Sanctitas Iehova. Verbum גלף *galaph*, eſt ipſiſſimum γλύφω. At γλύφειν Græcis eſt *ſculpere*, *incidere*. Nihilominus cum omnia in S. veſtitu fuerint Regia & ornatiſſima, nollem mordicus negare in corona literas fuiſſe protuberantes, cum lamina hoc modo ornatior videretur.

Abſurdum ſane pictorum aliorumque auctorum commentum eſt, quod litteris illis etiam in Bibliis addant puncta vocalia. קֹדֶשׁ לַיהֹוָה Docti critici judicent, utrum puncta a Moſe ſcripta ſint.

DCLXX. Cæterum coronis etiam titulos, aut literas voceſque integras inſcribi, aut imagines appingi, apud veteres uſitatum fuiſſe, ſatis manifeſto conſtat, De imaginibus in Coronis vide Athenæum *lib.* v. XIII. ubi narrat Diogenem rogaſſe Alexandrum ut ſibi liceret geſtare purpuream tuniculam, & coronam auream, in cujus medio impoſita eſſet virtutis imago, cujus erat Sacerdos. Apud Suetonium in *vita Domitiani* quoque legimus: Imperatorem *geſtaſſe coronam auream, cum effigie Iovis, & Iunonis Minervæque*, ut oſtenderet ſe eorum fuiſſe Sacerdotem. Addit præterea aſſediſſe *Dialem Sacerdotem* atque Collegium Flavialium pari habitu: niſi quod illorum Coronis inerat & ipſius imago, id eſt ipſius *Domitiani*, quem adulatores etiam, ſuo more, pro Deo habebant.

DCLXXI. Cum autem Deus Opt. Max. omnes imagines a ſacris arceret; ut tamen conſtaret Aharonem veri Dei Sacerdotem eſſe, juſſit ut coronæ, pro imagine, nomen ſuum יהוה & quidem integra hæc ſententia קדש ליהוה SANCTITAS JEHOVÆ inſculperetur. Ejuſmodi autem nomina & titulos aliis quoque coronis inſcriptos fuiſſe, colligi poteſt ex Flavio Vopiſco in *vita Aureliani*. *Præferebantur*, inquit, *Coronæ omnium civitatum aureæ titulis eminentibus proditæ*. Apocalypſeos cap. XVII. v. legimus mulierem non tantum purpura & cocco veſtitam fuiſſe, ſed & ἐπὶ τὸ μέτωπον ὄνομα γεγραμμένον, Μυστήριον. *in fronte habuiſſe ſcriptum nomen, Myſterium.* Reſpicit Johannes proculdubio ad coronam, quam in fronte gerit mulier illa, de qua loquitur, quæ tanquam magna Regina veſtita, etiam coronam videtur geſtaſſe. At in iſta corona ſcriptum erat nomen *Myſterium*, quod omnia, quæ de ea dicebantur, fuerint ænigmatica & myſteriis plena. Narratur quoque de Pontifice Romano, eum in fronte tiaræ, ſive coronæ ſcriptum habuiſſe nomen MYSTERIUM, poſtea

poſtea autem Julium Pontificem pro *Myſterio* nomen ſuum, litteris, ex Adamantibus compoſitis, addi juſſiſſe. Scaliger in notis ad Apocal. XVII. V. Gallice rem ſic enarrat. *Feu Monſieur de Momorency eſtant a Rome du tems qu'on parloit librement & du* St. *Pere & du St. Siege, apprit d'homme digne de foy, qu'a la verité le tiare pontifical avoyt ecrit au front en letres d'or,* Myſterium: *Et que depuis le tiare ayant eſté refait par Jules, au lieu de* Myſterium *il auroit mis ſon nom en letres de Diamans*, JULIUS PONTIFEX MAXIMUS &c. Verus autem Deus coronæ Summmi ſui Sacerdotis inſcribi voluit ſuum nomen יהוה JEHOVA, ſcilicet השם ut loquuntur Judæi. Nomen illud *καθ᾽ ἐξοχὴν*, *nomen ſupra omne nomen*, Philip. cap, II. verſ IX.

DCLXXIII. Multa hic addi poſſent de Deorum, vel Heroum „imaginibus, deque lireris & Inſcriptionibus, quas veteres habue„runt in coronis, in annulis, in laminis aliiſque amuletis; qua„les fuerunt & imagines ſub certa quadam Conſtellatione fabrica„tæ, Arabibus dictæ Taliſmani, quibus ingentes adſcribi ſole„bant virtutes, ad ſanandos ægros, pellendos graves morbos, „ad oblinendum, in quavis re difficili, auxilium, artibus magi„cis ac divinitationibus, aut etiam ad prædicenda futura. Tales „fuerunt in annulis imagines Alexandri M. qua ſignavit Harcia„norum familia; & Cæſar Aug. Talis fuit Achates quam in „digito habuit Pyrrhus, in qua IX. Muſæ & Apollo Citharam „tenens, non arte, ſed ſponte naturæ, ita diſcurrentibus ma„culis, ut Muſis quoque ſingulis ſua redderentur inſignia. Ad„de Auguſti Capricornum, unde maxima illi fiducia. Et i„mago Herculis ſupine jacentem Leonem ſtrangulantis, in an„nulo, ad arcendum Colicum. Talis forte annulus quem poſ„ſidet Rever. Smetius ex ære, cui inſcriptum ΚΙΝΩΝ ΚΙΝΩΝ. „Et apud Trallianum *lib.* X. contra Colicam, φεῦγε, φεῦγε, ἰοὺ „χολὴ, ἡ κορύδαλος ἐζήτει. Ita & Marcellus ad eundem dolorem „*cap.* XXIX. Θεὸς κελεύει, μὴ λύειν χόλον πόνους. Ita contra do„lorem dentium ter exclamare jubet varro ANESAGA. Et Mar„cellus Empiricus lippientes ſanat, lamella aurea collo annexa, „in qua voces ΟΡΥΩ ΟΡΥΩΔΗ. Et annulo partem hæmoragio „affectam tangendo, ac XXVII. pronunciando SOCNON, SOC„NON. De hiſce vide apud Trebell. Poll. in *triginta Tyran„nis.* Plinium. *libr.* XXXVII. *cap.* II. & X. Suetonium, *in*

,, *vita Auguſti.* Trallianum, varronem *De Re Ruſtica*; Plura ha-
,, bebis apud Scaligerum, Salmaſium, Seldenum, alios.

DCLXXIII. Tandem examinandus venit locus capitis, cui S. Corona alligauda erat, & modus quo capiti alligabatur. Sic habet ℣. XXXVII.
ושמת אתו על פתיל תכלת והיה על המצנפת אל מול פני המצנפת יהיה׃
והיה על מצח אהרן ונשא אהרן את עון הקדשים אשר יקדישו בני ישראל
לכל מתנות קדשיהם והיה על מצחו תמיד לרצון להם לפני יהוה
Et pones eam (laminam) *vitta hyacinthina, & erit ſuper tiaram: in anteriori parte cidaris erit. Et erit ſuper frontem Aharonis, Et portabit Aharon iniquitatem rerum ſacrarum, quas conſecraverint filii Iſraelis, omnium donorum ab iis conſecratorum. Atque ſic erit ſuper frontem ejus jugiter, ut Deo pro illis litaretur.* Igitur anteriorem partem capitis tantum cingebat lamina, non occipitium. Magiſtri dicunt מאוזן עד אוזן ut optime *ab aure ad aurem.* Et hoc velle videntur verba Moſis: אל מול פני המצנפת *in anteriori parte cidaris.* De occipitio ſilet.

DCLXXIV. Quod maxime exercuit interpretes, ſunt hæc verba והיה על המצנפת *Et erit ſuper tiaram*; quæ ita ſolent exponi, quaſi lamina tiaram tetigiſſet eique incubuiſſet, quo modo depicta eſt infra, tertia ſigura. Videantur etiam Bibliorum picturæ, fere quotquot exſtant. In eadem ſententia videtur fuiſſe ipſe Philo *lib.* III. *de vita Moſis.* μίτρα δ᾽ ἦν ὑπὸ αὐτὸ, ὡς μὴ ψαύειν κεφαλῆς τὸ πέταλον. *Mitra autem ſub lamina fuit, ne capiti inniteretur lamina.* Et Joſephus *Antiq. lib.* v. *cap* XV. τὴν δὲ κεφαλὴν, inquit, βυσσίνη μὲν ἔσκεπε τιάρα κατέστεπτο δ᾽ ὑακίνθῳ περὶ ἣν χρυσοῦς ἄλλος ἦν στέφανος ἐκτύπωμα φέρων τὰ ἱερὰ γράμματα. ταῦτα δ᾽ ἐστὶ φωνήεντα τέσσαρα, *Caput tiara byſſina tegebat; coronatur autem hyacintho. Et circa eam alia corona erat aurea, ferens ſacras litteras; id eſt nomen tetragrammaton.* Aliter tamen iſta verba exponuntur a Talmudicis. Volunt enim ſolam vittam, quæ laminam medio ſuſtinebat, ſuper tiaram fuiſſe, atque ob hanc ſolam cauſam dictam fuiſſe, *ſuper tiaram.* Laminam autem ipſam capitis frontem tetigiſſe, quod probant ex eo quod Moſes dicat והיה על מצח אהרן *& erit ſuper frontem Aharonis.* Verum eſt, alios hoc intelligere de loco anteriori tiaræ verſus frontem: ſed Talmudici hoc de ipſa carne dictum volunt, ita ut Corona carni frontis, non autem tiaræ ad frontem adhæreret. *Ionathanus* ויהי אל פרחתא דבירת אפוי דאהרן *Et erit ſuper frontem faciei Aharonis.*

Tra-

DCLXXV. Tradunt præterea Hebræorum Sapientes tiaram capiti non profunde fuiſſe impoſitam, ſed texiſſe verticem, ſive ſuperiorem partem capitis tantum, tota fronte manente nuda, ita ut ſpatii ſatis reliquum fuerit phylacteriis & laminæ alligandis. Volunt enim Summum Pontificem in fronte Phylacteria, etiam inter operandum geſtaſſe, inter laminam & pileum. Hoc modo lamina oculis fere incumbebat. Ideo Chaldæus pro מצח *fronte* habet בית עינוהי domus (id eſt locus) *oculorum* ejus. Illa enim pars frontis inferior circa oculos, ita ab Orientalibus ſolet vocari. Hinc Apocal. cap. XVII. v. pro ἐπὶ τὸ μέτωπον. Syrus habet ܘܥܠ ܒܝܬ ܥܝܢܐ *Et ſuper locum oculorum.* Verticem igitur capitis tegebat *mitra.* Superiorem frontem cingebant *phylacteria.* Et inferiorem circa oculos *lamina aurea* tegebat. Hæc Sapientes hauſerunt ex codice *Sevachim cap.* II. quem locum jam allegavimus lib. I. cap. III. Quamvis nonnulli Gemaricis contradicere auſi ſint, ut dixerint phylacteria non fuiſſe inter tiaram & laminam; ſed potius laminam fuiſſe inter pileum & phylacteria, ita ut lamina fuerit ſupra phylacteria: ideo quod nomen יהוה exaltari debuerit ſupra reliquas res omnes, In eadem ſententia fuit Jonathanus: ſic enim ad hunc locum commentatur: ויהי על מצנפתא מעילוי תפילה רישא *Et erit ſupra phylacteria capitis.* Videatur Rabbi Zacharias in notis ad Exodi XXVIII. cum triplici targum. Immo ſunt qui plane negent Pontificem Maximum geſtaſſe phylacteria; cum revera iis non opus habuerit: nam plus ſatis habebat ſignorum in ipſo ſacro veſtitu: prout nec *peniculamentis* indigebat, ob eandem rationem. Sed quocunque modo ſumatur, manifeſtum eſt, laminam Cidari non incubuiſſe, ſed frontis carni, & quidem circa oculos.

Dicet tamen aliquis, Moſem mandaſſe ut corona imponeretur Mitræ, cum exſertis verbis dicat: והיה על המצנפת *Et erit ſuper tiaram.* At quomodo τὸ על *ſuper* ſit intelligendum docet Jarchius. Dicitur nempe corona *ſuper tiaram*, quia vittæ hyacinthinæ, quibus alligabatur, a fronte, e medio laminæ, per verticem, ſuper tiaram recurrebant, ad occipitium, ubi ſtringebantur. Hac ratione lamina ſuſtentabatur a tiara, ideoque aliquo modo erat ſuper tiaram. Igitur verba illa: *Et erit ſuper tiaram*, magis deberent intelligi de פתיל *vitta hyacinthina*, quam de ipſa corona.

DCLXXVI. Alligabatur hæc corona capiti vittis hyacinthinis.

Et

ושמת אתו על פתיל תכלת והיה על המצנפת. *Et pones* (alligabis) *eam vittis hyacinthinis*, *&* *erit ſuper tiaram.* Quales illæ vittæ fuerint, non exprimitur, niſi quod fuerint ex *hyacinthino*, id eſt ex lana hyacinthini coloris. Jonathanus habet שזיר הוטא דתכלתא *retorta filamenta hyacinthina.* Sed vittas illas non tantum fuiſſe nuda filamenta, ſed latiora quædam ligamenta, quales vittæ eſſe ſolent, vix dubito, eo minus quod Joſephus dicat, Sum. Pont. hyacinthino fuiſſe coronatum, quod de minutis filamentis intelligi non poteſt. Quidam volunt unicam tantum fuiſſe vittam, quæ indi ſolebat foraminibus laminæ, circa extremitates ejus, verſus aures, atque ſic vittam ab auribus recurriſſe ad occipitium, ubi nodo ſtringeretur. At non ſufficiebat laminam hoc modo alligari capiti: nam medium ejus quoque ſuſtentari debebat, alias in naſum decidiſſet proculdubio pondere ſuo preſſa. *Iarchius* igitur vult, aliam vittam præterea fuiſſe in medio laminæ ad marginem, inditam foramini alii, illamque vittam ſuperne tiaram cinxiſſe, & a fronte per verticem ad occipitium retractam, ibique ſtrictam fuiſſe. Hac ratione non tantum lamina capiti firmiter & immota adhæſit, ſed & ipſa tiara de capite non poterat decidere ut vittæ hyacinthinæ aliquod decus dederint; quaſi caput tectum habuiſſet mitra hyacinthina, aut corona hyacinthina cinctum. Hoc, ut exiſtimo, intellexit Joſephus de *Bello Iud. lib.* VI. *cap.* VI. τὴν δὲ κεφαλὴν βυσσίνῃ μὲν ἔσκεπε τιάρα, κατέστεπτο δ' ὑακίνθῳ. *Caput quidem tegebat tiara byſſina, hyacintho coronata.* Ob eandem forte cauſam dicit *Antiq. lib.* III. *cap.* VIII. pileum Summi Pontificis eſſe ſimilem pileo reliquorum Sacerdotum, niſi quod ſit ἐξ ὑακίνθῳ πεποικιλμένος, *hyacintho variatus.* quam formam facile repræſentabat, ſi fingamus vittas paululum latas, non nuda filamenta retorta. Jarchius in iſta opinione videtur fuiſſe: tria habuiſſe foramina S. laminam, ſingulo etiam foramini inditam fuiſſe vittam hyacinthinam: quamlibet vittam in duas quaſi partes fuiſſe diviſam, atque ſic quaſi ſex vittas ſeſe prodidiſſe. Sane nollem ei mordicus contradicere. Nihilominus unica vitta iſta omnia abſolvi poterant, ut ſequens tabula docebit. Sed non pigebit integrum locum Jarchii adducere: Sic enim ille Exodi XXVIII. ad iſta verba על פתיל תכלת *ſuper vittam hyacinthinam.* ובמקום אחר אומר ויתנו עליו פתיל תכלת ועוד כתיב כאן והיה על המצנפת ולמטה הוא אומר והיה על מצח אהרן ובשחיטת קדשים שנינו שערו היה נראה בין ציץ למצנפת ששם

ששם מנית תפילין למדנו שהמצנפת למעלה בגובה הראש ואינה עמוקה ליכנס בה כל הראש עד המצח והציץ מלמטה והפתילין היו נקבין (Latet hic mendum, & legendum eſt בנקבים *in foraminibus*, ita ſane legitur in editione Hanovienſi, cum triplici Targum) ותלויין בו בב׳ ראשים ובאמצעו ששה בשלשה מקומות הללו פתיל ומעלה אחד מבחוץ ואחד מבפנים כנגדו וקושר ראשי הפתילים מאחורי העורף שלשתן ונמצא בין אורך הטס ופתלי ראשיו מקיפין את הקדקד והפתיל האמצעי שבראשו קשור עם ראשי השנים הולך על פני רוחב הראש מלמעלה ונמצא עשוי כמין כובע ועל פתיל האמצעי הוא אומר והיה על המצנפת והפתיל האמצעי מחזיקי שאינו נופל והטס תלוי כנגד מצחו ונתקיימו כל המקראות פתיל על הציץ וציץ על הפתיל ופתיל על מצנפה מלמעלה׃

Et in alio loco (Exodi XXXIX. XXXI.) *dicit*: & ponet ſuper eam vittam hyacinthinam. *Iterum ſcriptum eſt hic*; & erit ſuper tiaram. *Et mox:* Et erit ſuper frontem Aharonis. *Et in Mactatione Sanctorum* (Gemara Babyl. *cap.* II. *Codicis Sevachim*) *legimus*: capilli ejus conſpiciebantur inter tiaram & laminam, ubi erant phylacteria. *Diſcimus itaque tiaram fuiſſe ſuperne in vertice capitis, neque profunde depreſſam, ut totum caput tegeret uſque ad frontem. Laminam* autem fuiſſe inferius. *Quantum autem ad vittas, inditæ erant foraminibus, unde dependebant ex duabus extremitatibus* (laminæ) *& e medio ejus ut eſſent ſex in tribus iſtis locis. Vitta erat ſuperne, una exterius,* (propendens) *& altera interius e regione ejus*: *omnes tres vittæ ſuis extremitatibus ſtringebantur in occipitio. Reperiebatur igitur vitta inter longitudinem* (id eſt in medio) *laminæ, cujus extremitates cingebant totum cerebellum. vitta media, cujus extremitas revincta erat cum extremitatibus duarum reliquarum, recurrebat per latitudinem capitis ſuperne, atque ſic facta erat inſtar caſſidis. Ideoque de media vitta intelligi debet, id quod dicitur*: Et erit ſuper tiaram. *Media vitta eam* (tiaram) *ſuſtinet ne cadat. Et lamina pendet e regione frontis ejus. Atque ſic to us t xtus in eo conſiſtit; ut doceremur. Vittam eſſe ſupra laminam, & laminam ſupra vittam, & vittam ſupra tiaram ſuperne.*

DCLXXVII. Ut autem omnia facilius caperentur a lectore, hac tabula ſacram laminam, ſive coronam depingi curavimus.

EXPLICATIO HUJUS TABULÆ.

I. Prima figura repræſentat laminam, ſecundum opinionem Jarchii, aliorumque Judæorum, cum calyculis hyoſciami, ſecundum Joſephum.

A. A. Eſt ipſa lamina aurea.

B. B. & C. C. ſunt tres פתילי תכלת *vittæ hyacinthinæ*, e tribus foraminibus dependentes, quarum quælibet in duas partes diviſa eſt, quaſi eſſent ſex vittæ.

B. B. Duæ vittæ תלויים בב׳ ראשים *pendentes in duabus extremitatibus* laminæ, מקיפין את הקדקד *cingentes totum cerebellum*, recurrentes ad occipitium, ubi ſtringuntur.

C. C. פתיל אמצעי *vitta media*, הולך על פני רחב הראש מלמעלה *recurrens per latitudinem capitis ſuperne*, id eſt per *verticem*.

Dicitur quoque פתיל על המצנפת *vitta ſupra tiaram*, qua ſuſtentatur lamina ne caderet.

a. b. c. פתיל על הציץ *vitta ſupra laminam.*

d. e. f. ציץ על הפתיל *Lamina ſupra vittam.*

II. Secunda figura repræſentat laminam cum calyculis hyoſciami, per *τελεστιχίαν*, ſecundum Joſephum: tribus quidem foraminibus ſecundum Jarchium, ſed unica tantum vitta, tamen inſtar ſex vittarum apparente.

III. Corona cum *τελεστιχία* calyculorum, ſecundum Joſephum, prout repræſentatur a Vilalpando, Friſio, Andillenſi & aliis.

DCLXXVIII. Docet etiam Moſes rationem, propter quam Deus voluerit Sacerdotem ejusmodi coronam geſtare. Non tantum לכבוד ולתפארת *ad honorem & ad gloriam*, ut loquitur Moſes de toto veſtitu. Sed ut ait: ונשא אהרן את עון הקדשים אשר יקדישו בני ישראל לכל מתנות קדשיהם והיה על מצחו תמיד לרצון להם לפני יהוה *Ut portet Aharon iniquitatem rerum ſacrarum, quas conſecraverint filii Iſraelis, omnium donorum ab illis conſecratorum. Sic erit ſuper frontem ejus jugiter, ut Deo pro iis litaretur.* Illud עון הקדשים *iniquitatem rerum ſacrarum*, varie exponitur a Judæorum Sapientibus, Jarchio, Abarbanelio & aliis, præſertim autem Gemaricis, *Maſſechet Zevachim cap.* II. *Menachot cap.* III. *Peſachim cap.* I. & alibi; ibi enim intelligunt per *iniquitatem rerum ſacrarum*, Res ſacras,


I
II
III
A
A
B
קרש ליהוה
קרש ליהוה

cras, ut *ſanguinem*, *adipem*, & id genus alia, quæ in immunditia offerrebantur; ut quamvis fuerint immunda, tamen per laminam legitima fierent ad oblationem. Jonathanus : ויטול אהרן ית עוניית קודשיא דיקודשון בני ישראל לכל מתנת קידשיהון דמשקרין בהון *Et feret Aharon iniquitates rerum ſanctarum, quas conſecraverint filii Iſraelis, omnium donorum ſanctorum eorum, in quibus erraverint.* Docet præterea Jonathanus ibidem loci, Sum. Pontificem debere gerere coronam in fronte, *ut expiaretur pervicacia frontis.* למכפרא על חציפי אפיא : Sed hæc ſunt Rabbinica, eorum fabulis & carnalibus expoſitionibus digna. Sane ut omnes veſtes ſacræ munditiem veri Pontificis Maximi noſtri ſalvatoris J. C. repræſentabant, ita & corona ſacra ſymbolum erat illius munditiei ac ſanctitatis, immo & pretii illius ſacrificii; ut ſignificaretur per meritum Chriſti Summi noſtri Sacerdotis, ejuſque ſanctitate & ſatisfactione, auro multo puriori & pretioſiori, omnia ſacrificia Sacerdotesque Deo eſſe gratos. Sed cum lamina ſymbolum tantum fuerit Sanctitatis & meriti Chriſti, Judæi Sanctitatem nudæ laminæ attribuunt, quaſi per ipſam ſacrificia Deo accepta reddi poſſent. Hinc toties in Codicibus *de Sacrificiis & oblationibus*, aliiſque in locis, hæc verba occurrunt: מרצה הציץ *Lamina expiat*, vel *acceptum reddit.*

DCLXXIX. Ejuſmodi quid Ethnicos etiam attribuiſſe coronis, in rebus ſacris, colligi poteſt ex Athenæo *lib.* xv *cap.* v. Tradit enim preces atque ſacrificia accepta eſſe Deo; ſi coronati ſacrificent, quod probat ex Sappho poetria & Ariſtotele, qui docuit ſacrificium debere eſſe perfectum, ut Deo gratum ſit: Coronam autem eſſe ſignum perfectionis.

DCLXXX. Sane apud reliquas gentes Sacerdotes quoque coronas geſtaſſe inter operandum, omnes auctores clamant. Exempla habemus luculentiſſima apud Athenæum, Suetonium & alios, in Imperatore Domitiano, in Diogene aliiſque. Teſtes ſunt fere omnes nummi veterum, & inſcriptiones & aræ. Videantur Plinius *lib.* XVIII. *cap.* II. Virgilius *Æneid. lib.* III. Ariſtophanes *in Ranis*, Demoſthenes *contra Midam*, alii. Ex quibus conſtat. non tantum Sacerdotes & popas, & ſacrificantes, & tibicines, alioſque Sacrorum Miniſtros, ſed & ipſas victimas & aras, & ſacra utenſilia reliqua coronari, quaſi irritum fuiſſet totum ſacrificium, ſi abſque corona factum fuiſſet. Inſignis ſane

exſtat locus apud Tertullianum *de Coronis cap.* x. *Ipſæ fores, ipſæ hoſtiæ, & aræ, & ipſi miniſtri, & Sacerdotes eorum coronantur. Habes omnium collegiorum Sacerdotalium coronas apud Claudium.* Quid? Coronas antiquitus fuiſſe ornamenta ſacerdotalia & militaria tantum, alii tradunt. Plinius *lib.* XVI. *cap.* IV. *Antiquitus quidem nulla corona niſi Deo dabatur: ob id Homerus cœlo tantum eas & prælio univerſo tribuit* &c. Et mox: *Poſtea Deorum honori ſacrificantes ſumpſere, victimis ſimul coronatis.* Hanc ob cauſam Alexander Syriæ Rex Jonathani, Summo Pontifici Hebræorum miſit, non tantum ſtolam purpuream, ſed & coronam auream, ut inſigne Sacerdotii. Vide Joſephum *Antiq. lib.* XIII. *cap.* V I. *Macab. cap.* x. De *Coronis* Sacerdotum ac Sacrificantium, multa atque erudita leges apud Reineſium ad *Inſcriptionem* XLI. *pag.* 83. & ſequentibus, ubi de *Criobolo* & *Taurobolo.*

Cap. XXIII.

DE MODO VESTIENDI SACRA VESTIMENTA.

In rebus ſacris omnia fieri magna Religione. Piaculum in veſtiendo ſacro veſtitu. Pontifex Maximus Semai neſcivit quomodo veſtes induendæ fuerunt. *Proſtituitur a fratre Onia, qui Pontificatum ambiit. Turbæ inde ortæ. Cauſa Templi Oniæ in Ægypto. Bartenora allegatus. Ordo quo veſtes ſacræ indui ſolebant. Maimonides & Ioſephus allegati. Velum byſſinum inter Pontificem Maximum & populum, magno die expiationis.*

DCLXXXI. Cum omnia in rebus ſacris magna religione obſervari ſolita fuerint, tum etiam ritus veſtiendi ſacra veſtimenta. Itaque magnum fuiſſet piaculum, ſi pontifex præpoſtero ritu veſtitus fuiſſet; adeo ut Sapientes tradant, magnas turbas motas fuiſſe ob inſcitiam Pontificis Semai, quod neſciret quo ritu veſtienda eſſent ſacra veſtimenta. Ut iſta inſcitia & in veſtiendo error, originem dederit celeberrimi iſtius Templi Oniæ in Ægypto, peſſimique ſchiſmatis in Eccleſia Judaica,

Judaica, ut quidam Judæorum Hieroſolymis, alii in Ægypto ſacrificarent. Pontifex Max. Simeon Juſtus ad plures abiturus, cum animadvertiſſet ſtupiditatem filii ſui Semai, qui erat major natu, Summum Pontificatum poſtulavit pro minori natu Onia, quem doctum & ſacrorum rituum peritum prædicabat. At renuentibus patribus, quod eſſet contrarium legi Moſis, qua ſancitum eſt, ut major natu ſemper Pontificatu Summo fungeretur; Onias tamen, patre Simeone jam fatis defuncto, ut pontificatum obtineret, fratrem Semai, qui revera ſanæ mentis vix dici poterat, ludibrio ſacerdotibus totique populo exponere auſus eſt, cauſaque fuit ut publice piaculum committeret, in veſtiendis ſacris veſtibus. Primum enim eum induit tunica linea viliori, quali carnem ſuam tegere ſolent mulieres; poſtea pro balteo cinxit eum funiculo parvo atque hoc apparatu eum ad altare adduxit tanquam ſacris functurum. Cum autem ſperaret Onias fore, ut hoc modo frater Semai occideretur tanquam profanus, qui patrios mores rideret, novoſque ritus inſtituere vellet, contra legem Moſis; plane contrarium accidit. Judæi enim animadvertentes Semai ſimplicitatem, malitiamque Oniæ, hunc pro illo juſtis pœnis afficere quærebant. Quod cum reſciviſſet Onias aufugit in Ægyptum, ut autem ambitioni aliquo modo ſatisfieret, Summuſque Pontifex crearetur, petiit a rege libertatem ædificandi templum in uſum Judæorum, ubi ſacrificia fierent, ritu majorum a Moſe inſtituto, quod & obtinuit. Atque ſic celeberrimum illud Templum initium ſumpſiſſe videtur ab ignorantia Semai, quod neſciret quo ritu veſtienda eſſent veſtimenta ſacra. Hiſtoriam hanc fuſius enarrat Bartenora in commentariis ad Miſnam *Menachoth. cap.* XIII. *Hieruſ. Joma. fol.* 43. *Sepher Juchaſin.*

„ Hiſtoriam de Templo Oniæ aliter narrat Ioſephus *Antiq. li-* „*bro.* 13. *cap.* 6. ædificatum fuiſſe ſub Antiocho Epiphano. vi-„detur itaque duo habuiſſe Iudæos Templa in Ægypto. Alte-„rum Oniæ filii Simeonis Iuſti, in ditione Alexandrina, quare „& Alexandrinum Templum dictum. Alterum ab Onia filio O-„niæ ſub Antiocho Epiphane, in ditione Leontopolitana, qua-„re & Leopolitanum Templum nuncupatum. De primo Talmu-„dici, de altero Ioſephus. Nec mirum cum & alia habuerint in aliis „locis, ut in Cœle ſyria & alibi. Ioſeph. Antiq. l. 13. cap. 6.

Eodem igitur ordine, quo a nobis deſcribuntur veſtes ſacræ, etiam veſtiri ſolebant. Primum ſcilicet Sacerdos induit *brachas*; ſecundo *tunicam*; tertio *balteum*; & tandem quarto *pileum*. Summus autem Pontifex, poſt brachas, tunicam & balteum; quarto induebat *Pallium*; quinto & ſexto Ephodum & Pectorale; ſeptimo *Tiaram*; octavo *Coronam auream*. Ephodum & Pectorale nunquam ſeparabantur (ut jam a nobis annotatum eſt) ideo ſimul veſtiuntur.

DCLXXXII. Hunc ordinem ipſa natura poſtulavit. Oportet enim ut interiora prius veſtiantur, poſtea exteriora: Eundem ordinem docet Maimonides *Kele Hammikd. cap.* x. כיצד סדר לבישת בגדים· לובש המכנסים תחילה וחוגר את המכנסים למעלה לטיבורו מעל מתניו ׳ ואחר כן לובש הכתונת· ואחר כן חוגר את האבנט כנגד אצילי ידיו ומקיפו כרך על כרך עד שגומר וקושר ׳ ואחר כן צונף במצנפת כמין כובע : כהן גדול אחר שחוגר באבנט לובש המעיל· ועל המעיל האפוד והחושן וחוגר בחשב האפוד על המעיל מתחת החשן ולפיכך נקרא מעיל האפוד שחוגרו באפוד ואחר כן צונף במצנפת וקושר הציץ למעלה מן המצנפת ושערו היה נראה בין ציץ למצנפת ושם היה מניח תפילין בין ציץ למצנפת : *Quo ordine veſtiuntur veſtimenta? Primo induit brachas, quas ſtringit ſupra umbilicum circa lumbos: & poſtea induit tunicam; Poſtea ſtringit balteum circa axillas, pluribus involucris. Poſtea circumvolvit tiaram inſtar caſſidis. Summus Pontifex, balteo conſtricto, induit pallium; Pallio ſuperinduit Ephodum & Pectorale, ſtringitque Ephodum pretioſi cingulo Ephodi ſupra pallium, infra Pectorale. Ideo vocatur pallium Ephodi, quod Ephodo cingatur. Tandem involvit* (caput) *tiara, & ſtringit eam, & laminam ſupra tiaram; capilli autem ejus apparebant inter laminam & tiaram, in quo loco ponebant phylacteria, ſcilicet inter laminam, & tiaram.* Eodem ordine veſtes ſacræ deſcribuntur a Joſepho *Antiq. lib.* III. *cap.* VIII. ut non dubitem quin eas recenſuerit, non quidem eodem ordine quo eas deſcripſit Moſes, nec pro arbitrio ſuo, ſed prout a Sacerdote illa indui ſolebant.

Die expiationis, decimo ſcilicet Tiſri, inter Summum Pontificem & populum expandebatur velum album byſſinum, ut ſignificaretur, iſto die omnia (quæ dies iſte poſtulabat) fieri veſtimentis albis, ut tradit Miſna *Codice Ioma* capite tertio.

Tabula prima. Summus Pontifex cum pileo & lamina, ſecundum Ioſephum; & ſine phylacteriis.

Tab. ſecunda. Idem cum toto veſtitu ſacro, præſertim

cum


קדש ליהוה


קרש ליהוה

cum lamina aurea, ſed abſque calyculis hyoſciami. Et cum pileo, ubi plicaturæ conſpiciuntur, ut & cum phylactriis ſecundum Talmudicos.

CAP. XXIV.

DE בגדי לבן VESTIBUS ALBIS.

Pontifex Max. duo habuit genera Veſtium. Aureas *octo*, albas *quatuor. Hiſce uno ſolum die in anno uſus eſt. Togas* albas *pretioſas habuit duas: alteram mane, alteram veſpera.* Albis *veſtibus & vacca Rufa comburenda fuit. Vaccam comburi potuiſſe a Summo Pontif. & a quolibet Sacerdote. Circa vaccam rufam omnia Veſtibus albis fieri debuerunt. Quot* vaccæ *combuſtæ fuerint? A quibus?* Eliezer *filius Aharonis primam combuſſit. Is fuit* סגן vicarius *Summi Pont. Cujus vaccæ cineres, ad aquam luſtralem fuerint adhibiti?* Eliohin *&* Chanemael *qui vaccas combuſſerunt, an Summi fuerint Pontifices? Plures fuiſſe Pontifices Maximos, quam in Catalogis exſtant, eſſe credibile. Quo ſenſu* Moſes & Ezra *dicti ſint vaccam Rufam combuſſiſſe.* כלים Kelim *ſignificare* veſtes, *ut & Græcum σκεῦος. Pontificem Max. non induere veſtes ad comburendum vaccam, quibus eſt indutus* x. *die Tiſri. Quo ſenſu id dicatur? Quo argumento Rabbini probent vaccam rufam fuiſſe comburendam veſtibus albis.* גזירה שוה *Argumento* deſumpto a pari, *quia illis utendum erat* x. *die Tiſri. Ipſe Pontif. Max. vaccam comburens indutum fuiſſe quatuor Veſtibus Sacerdotis Minoris.* Balteus *Sacerdotis minoris fuit mixtus ex lino & lana, coloratus, & figuris diſtinctus. Quo ſenſu tamen ejus veſtes* albæ *dicantur? Quædam convenientia inter Sacerdotem Summum* x. *die Tiſri, & inter eum qui vaccam comburebat? Tabula pontificem Max. veſtibus albis veſtitum exhibens*

„ DCLXXXIII. DUo habuiſſe genera Veſtimentorum Pontifi-
„ cem Maximum, בגדי זהב *Veſtes aureas*, &
„ בגדי לבן, *veſtes Albas* ex iis, quæ hanctenus dicta ſunt,
„ abunde conſtat. Aureas numero fuiſſe octo, *feminalia*, *Tuni-*

Tuni-

,, *Tunicam*, *Balteum*, *Pallium*, *Ephod*, *Pectorale*, *Pileum* & ,, Zitz, ſive *Coronam*, deinde qua conſtiterit quælibet materia, ,, quibus coloribus, cuilibet clarum eſt. *Albas* vero quatuor fuiſ- ,, ſe, quot tota Sacerdotum habebat turba, *Feminalia*, *Tunicam* ,, *Balteum* & *Pileum*, eaſque conſtitiſſe ex lino albiſſimo, aliquuo- ,, ties repetiimus: ut *veſtes albæ* Pontificis Max. non diſtinctæ fue- ,, rint a veſtibus totius Sacerdotum ordinis, niſi quod hi balteum ,, habuerint ex lana & lino, variiſque coloribus mixtum, ac cer- ,, tis figuris ornatum; illius autem balteus, cum albis indutus fuit ,, veſtibus, ex albiſſima byſſo, non minus quam feminalia tunica ,, & pileus, contextus fuerit. Adde quod & illorum pileus altior, ,, hujus autem circa caput fuſior depreſſiorque fuerit, inſtar illius ,, quo tectus fuit, veſtibus aureis indutus.

,, DCLXXXIV. Quatuor hiſce veſtimentis albis Summum Pont. ,, functum fuiſſe miniſterio uno tantum die in anno, decimo ſci- ,, die Tiſri, quando ſolennis fiebat expiatio etiam demonſtravimus, ,, Tandem & duas iſto die eum habuiſse togas, alteram pretioſio- ,, rem mane, alteram minus pretioſam, veſpera, non minus pa- ,, tet.

,, DCLXXXV. Albis tamen veſtimentis etiam ornatus eſse de- ,, buit, cum combureret *vaccam rufam*, ut inde cineres ſacros ,, ad aquam luſtralem, qua a peccatis purificarentur, ex lege Dei ,, haberent paratos, quod & verbo notavi libro primo, cap. XI. ,, *Albis veſtibus* id fieri debuiſse exſertis verbis docetur Codice ,, *Parah Adumah.* ſive de *vacca Rufa*, *cap.* IV. *ſect.* I. Diſ- ,, putatur ibi, numne comburi debuerit ſuo nomine, tradunt enim ,, Sacerdotem attenta mente, eam mactare, reliqua omnia præſtare de- ,, buiſſe, ut nomine vaccæ Rufæ, & in uſum a Lege præſcriptum, ,, non vagis incertiſque cogitationibus fierent; immo & Lavan- ,, dum fuiſſe Sacerdotem, manibus pedibuſque puris cuncta fuiſſe ,, præſtanda. Diſputatur quoque ibidem, utrum a quolibet totius ,, Sacerdotum ordinis, an vero a ſolo Pontifice Maximo id fieri ,, potuerit, quibuſque veſtibus fuerit ornandus? Tandem ſub fi- ,, nem iſtius ſectionis, ita colligit Miſna: ושלא בכהן גדול פסולה ר׳ יהודה
מכשיר ובמחוסר בגדים פסולה ובכלי לבן היתה נעשית : *Quæ non comburitur* ,, *per Summum Pontificem, vetita eſt. Doctor Iehuda licitam de-* ,, *clarat. Si etiam fiat ab eo qui veſte aliqua ſacra caret, vetita* ,, *quoque eſt. Fieri etiam debebat veſtibus albis.* Hic duo animad- vertenda

,, vertenda ſunt. Primum quod *vacca rufa* comburi poſſit, non
,, ſolum per Pontificem Max. ſed & per quemlibet totius ordinis.
,, Deinde fieri omnia debere *veſtibus albis.*

,, DCLXXXVI. Quamquam hujus non eſt loci ut examinemus,
,, per quem *vacca Rufa* fuerit combuſta, tamen cum inde de-
,, ducamur ad veſtimenta quibus indui debuit Sacerdos, illa ſi-
,, lentio prætereunda non exiſtimo: Diſputant itaque Talmudici
,, utrum fieri poſſit per quemlibet totius ordinis, an per ſolum
,, Summum Pontificem? Satis acriter de hac re inter Hebræorum
,, Sapientes diſceptatur. Primam omnium combuſtam fuiſſe per
,, Eliezerum, nondum Summum Pontificem, conceditur, reliquas
,, autem omnes per ſolum Pontificem Max. Huic autem ſtrenue
,, ſeſe opponunt Rabbi Joſe, Rabbi Jehuda, & Rabbi Simeon
,, aliique. Horum ſententia eſt, primam, quidem combuſtam
,, fuiſſe per Elizerum, reliquas vero vel per Pontificem Max.
,, vel per alium ex tota Sacerdotum turba, abſque diſcrimine fie-
,, ri potuiſſe. In hac ſententia fuiſſe Talmudicos, diſcimus Co-
,, dice *Ioma cap.* IV. in Gemara: cauſam dant, quod prima,
,, non per Aharonem, ſed per ejus filium fuerit combuſta uti
,, patet ex Numer. Cap. XIX. Ita ſcilicet diſputant. ונתתם אותה אל
,, אלעזר הכהן אותה לאלעזר ולא לדורות לאלעזר איכא דאמרי לדורות בכהן גדול
,, איכא דאמרי לדורות בכהן הדיוט בשלמא למאן דאמר לדורות בכהן הדיוט שפיר
,, אלא למ״ד לדורות בכהן גדול מנה ליה: *Et tradetis eam Eliezeri Sa-*
,, *cerdoti* (Numer. cap. XIX.) *Eam Eliezeri*, (ſcilicet loco allegato
,, dictum eſt) *ſed non poſteris Eliezeris. Sunt qui dicunt, familiis*
,, *Summi Pontificis. Sunt qui dicunt, familiis minoris Sacerdotis.*
,, *Conceditur illi qui dicit familiis minoris Sacerdotis, recte; Sed*
,, *is qui dicit familiis Summi Pontificis, unde id habet?*

,, DCLXXXVII. Eadem repetuntur eodem capite. Idem docet
,, Maimonides, & ſimul dat rationem, cur id ſtatuat? *Hilchoth*
,, *Para Aduma*, ſive de *vacca Rufa*. Cap. I. Sect. XI. אף כהן
,, הדיוט כשר לשריפת הפרה שנ׳ ונתתם אותה לאלעזר הכהן ועדיין אהרן ה״ה
,, קיים ומפי השמועה למדו זו נעשית באלעזר ושאר כל הפרות בין בכהן גדול בין
,, בכהן הדיוט: *Etiam Sacerdos totius ordinis quilibet vaccam comburere*
,, *poteſt, quia dictum eſt,* (Numer. XIX.) *dabitis eam Eliezeri Sa-*
,, *cerdoti. At Aharon tunc vivebat. Diſcimus itaque ex ipſo textu,*
,, *iſtam factam fuiſſe per Eliezerem, reliquas autem vaccas, ſive per*
,, *Summum Pontificem, ſive per Sacerdotem minorem.* Cum itaque

,, prima vacca combuſta fuerit per Eliezerem, vivente Aharone ,, Summo Pontifice, non male indicat Maimonides reliquas omnes ,, etiam comburi potuiſſe per quemlibet Sacerdotem ordinarium. ,, Ad iſtum locum Maimonidis Keſeph Miſna multa adfert ut idem ,, demonſtret. Inter alia etiam locum ex *Capite* IV. *Codicis Ioma* in Gemara. Citat quoque *Siphre*, ubi De Sacrificiis præ- ,, ſertim agitur. אותה אל אלעזר זאת נעשית באלעזר ושאר כל הפרות בכהן גדול ,, דברי ר׳ מאיר רבי ורבי יהודה ורבי שמעון וראבי׳ אומרים זאת נעשית באלעזר ושאר ,, כל הפרות בין בכהן גדול בין בכהן הדיוט : *Illam* (ſcilicet vaccam pri- ,, mam trades, uti dicitur Numer. XIX.) *Eliezeri*; *Illa itaque* ,, *peracta eſt per Eliezerem, ſed reliquæ omnes vaccæ per Summum* ,, *Pontificem, ut tradit Rabbi Meyer. Sed Ribbi & Rabbi Iehuda,* ,, *& Rabbi Simeon, & Rabbi Eliezer filius Ioſe dicunt, hæc facta* ,, *fuit per Eliezerem, at reliquæ omnes, ſive per Pontificem Max.* ,, *ſive per Sacerdotem minorem.* Eadem notat Maimonides in ſuis ,, ad *Codicem Parah, capite* III. *Sect.* I. Commentariis, ad hæc ,, verba Miſnæ. שבעת ימים קודם לשריפת הפרה מפרישין כהן השורף את הפרה ,, מביתו ללשכת וגו׳ *Septem diebus, ante combuſtionem vaccæ, ſegregarunt Sacerdotem, qui vaccam combuſturus erat, a domo ſua ad* ,, *conclave.* &c. (nempe in Templo) Ex hiſce verbis Miſnæ probat ,, Maimonides vaccam rufam, ex mente Miſnæ, a quolibet Sacer- ,, dote comburi potuiſſe; cum dicatur *Separant Sacerdotem, qui* ,, *combuſturus eſt vaccam,* non *Pontificem Maximum.* מאמרין, in- ,, quit; כהן השורף את הפרה תדע שכל כהן כשר לשריפתה אמר ית׳ ונתת׳ אותה ,, אל אלעזר הכהן: *Dicunt* (nempe Miſnici) *Sacerdos vaccam combuſturus. Nota quemlibet Sacerdotem ad eam comburendam aptum* ,, *eſſe. Dixit laudatus Deus*: (Numer. XIX.) *Tradetis eam Eliezeri Sacerdoti.* Mox addit *Eliezerem fuiſſe*: סגן הכהנים בעת ההיא ,, *vicarium Sacerdotum iſto tempore.* Pergit, *in Siphra dici* (quod ,, jam oſtendimus) *Hæc* (nempe prima) *combuſta eſt per Eliezarem, reliquæ omnes,* ſine diſcrimine, *ſive per Summum Pontificem, ſive per quemlibet Sacerdotum totius ordinis.* Eadem repe- ,, tuntur Codice *Parah. Cap.* IV. *ſect.* I. Dubitari itaque neutiquam poteſt quin vacca rufa combuſta fuerit non per Summum ,, Pontificem ſolum, ſed per quemlibet Sacerdotem, per quem & ,, reliqua ſacrificia oblata fuerunt.

,, DCLXXXVIII. Colliget tamen aliquis ex Codice *Parah Aduma, cap.* III. *Sect.* V. omnes vaccas rufas combuſtas fuiſſe per Pon-

„ Pontifices Maximos, non per reliquos totius turbæ ſacerdotes.
„ Poſtquam enim Rabbi Meyer ibi dixiſſet ſi ad conficiendam aquam
„ luſtralem, non reperiebant cineres ſeptimæ vaccæ, deſumptos
„ fuiſſe ſextæ, ſi nulli fuerunt ſextæ, ſumebant quintæ, vel quartæ,
„ vel tertiæ, vel ſecundæ, vel primæ, addit ſtatim quot fuerint
„ combuſtæ poſt tempora Eſdræ, ſtante Templo ſecundo, quinque
„ ſcilicet. Mox addit Miſna ſeptem combuſtas fuiſſe poſt tempo-
„ ra Ezræ, ex ſententia ſapientum; notantur etiam nomina eorum
„ qui eas combuſſerunt, quinque nempe Sacerdotes, qui omnes
„ videntur Sacerdotes Magni: *Simeon Iuſtus*, *Iohannes*, *Eliohi-*
„ *nus*, *Chanamael Ægypius*, & *Iſmael.* Ita habet Miſna לא מצאו
„ משבע עושין משש מחמש מארבע משלש משתים ומאחת ומי עשאם הראשונה
„ עשה משה והשניה עשה עזרא וחמש מעזרא ואילך דברי ר'מ וחכמים א' שבע
„ מעזרא ואילך ומי עשאן שמעון הצדיק ויוחנן כהן גדול עשו שתים שתים
„ אליהו עיני בן הקוף וחנמאל המצרי וישמעאל בן פיאבי עשו אחת אחת:
„ *Si non reperiebant* (cineres) *ſeptimæ* vaccæ *faciebant*, (aquam
„ luſtralem) *de ſextæ*, *de quintæ*, *de quartæ*, *de tertiæ*, *de ſecundæ*,
„ *de primæ* vaccæ cineribus. *Quis autem combuſſit eas? Primam*
„ *paravit Moſes, alteram Ezra. Erant autem quinque a tempore E-*
„ *zræ ac poſt eum, ex ſententia Rabbi Meyer. At Sapientes tradunt*
„ *ſeptem fuiſſe a temporibus Ezræ. At quinam fuerint qui eas pararunt?*
„ *Simeon Juſtus & Iohannes Pontifex Max. pararunt quilibet duas. E-*
„ *liohin filius Hackiphi, Chanamael Ægyptius, & Iſmael filius Piavi,*
„ *pararunt quilibet unam.* Summos fuiſſe Pontifices *Simeonem Iu-*
„ *ſtum*, *Iohannem*, & *Iſmaelem filium Piavi*, non dubitatur, cum
„ apud Ioſephum & alibi in eorum Catalogo reperiantur. Du-
„ bitari tamen poſſet de *Eliohino filio Hackiphi*, & de *Chanemaele*
„ *Ægyptio*, cum Ioſephus aliique de eo taceant. Tamen & hos
„ Pontifices Maximos fuiſſe, colligi poteſt ex mente Rabbi Meyer.
„ Eſt enim ejus ſententia, uti demonſtravimus, vaccam rufam
„ parari non potuiſſe, niſi per Summum Pont, dicitque quinque
„ conbuſtas fuiſſe poſt tempora Ezræ: Sapientes ſtatim enume-
„ rant hos quinque, unde quis non male conjiceret hos quin-
„ que intellexiſſe Rabbi Meyer, eumque judicaſſe, eos omnes fuiſ-
„ ſe Pontifices Maximos. Enimvero etſi *Eliohinus* & *chanemael*
„ apud Ioſephum alioſque nonnullos, inter Pontifices Maximos
„ noti non fuerint, poterant tamen fuiſſe Pontifices Max. Mul-
„ to plures proculdubio fuerunt quam a Ioſepho aliiſque notan-

 tur;

„tur; cum a tempore Maccabæorum tot electi, aut potius ob-„truſi fuerint, fere ſingulis annis novus aliquis. Si credamus „*Sepher Iuchaſin fol.* xxv. lat. 1. certum eſt, *Eliohinum*, & *Cha-„nemaelem* Sacerdotes Summos fuiſſe, non minus quam reliquos „tres quibus annumerantur. Sic habet *Sepher Iuchaſin*, dicto loco. „אליועיני בן הקף ותנמאל המצרי שניהם כהנים גדולים ועשה כל אחד מהם פרה „קודם ישמעל בן פאבי נפ׳ ג׳ פרה: *Eliohini filius Kaphi & Chanamael Æ-„gyptius ambo erant Summi Pontifices, & quilibet eorum vaccam com-„buſſit, ante Iſmaelem filium Paphi. Capite* III. *Codicis vaccæ Ru-„fæ.* Hinc ſequeretur, poſt Ezram omnes vaccas rufas a Sum-„mis combuſtas fuiſſe Pontificibus.

DCLXXXIX. Silentio præterire non poſſum, quod in ea-„dem Miſna dictum ſit, Moſen & Ezram quemlibet etiam vac-„cam rufam combuſſiſſe, qui tamen Pontificibus Maximis annu-„merari non poſſunt: etſi enim Moſes fuerit Pontifex, non „minus quam Rex & Prophta, tamen Summorum Pontificum „ordini non adſcribitur; præterquam quod prima vacca combu-„ſta fuerit per Eliezerem, Aharonis Summi Socerdotis filium, „ejuſque vicarium, ut habet Maimonides. Sed & Ezra non fuit „Pontifex Maximus. Exiſtimo itaque dictum fuiſſe, vaccas „fuiſſe combuſtas per Moſen & Ezram cum id factum fuerit iis „viventibus remque procurantibus. Idem judicare quis poſſet „de quinque Pontificibus Summis ſequentibus, Simeone Juſto, „Johanne, Eliohino, chanemaele & Iſmaele: quod nempe ſub „eorem Pontificatu eorumque juſſu & cura quinque, ſive, ut „volunt חכמים Sapientes, ſeptem vaccæ reliquæ fuerint com-„buſtæ. At, quidquid alii dixerint, ex iis quæ allata ſunt, „manifeſtum eſt, primam paratam fuiſſe per Eliezerum, ac re-„liquas omnes per quemlibet Sacerdotem, ſive Summum, ſive „ordinarium comburi potuiſſe.

„ DCXC. Qualiscumque autem is fuerit, ſive Summus, ſive „minor Sacerdos, miniſterio iſto fungi debebat veſtimentis *albis*, „ut habet traditio, codice *Parah cap.* IV. *ſect.* I. quem locum ab initio „hujus capitis allegavimus. ובכלי לבן, inquit, היתה נעשית *Et veſti-„bus albis fiebat.* Maimonides, ad iſtum locum, per כלי לבן in-„telligit בגדי לבן *veſtibus albis.* Revera *veſtimenta* non minus quam „reliqua ſuppellex כלים *vaſa* nuncupantur, quod & annotavi-„mus hujus libri capite xx. Ita & Græce σκεῦος. Act. x &

xi.

,, XI Maimonides ſane *Hilch. Kele Hammikdaſch*, Codice. De *vaſis*
,, *Templi*, בגדים *veſtimenta* etiam *vaſis ſacris* annumerat: cum *de*
,, *veſtibus*, non minus quam de reliquis *vaſis* ibi agat. Idem Mai-
,, monides ad Miſnam, *Codice Parah* cap. IV. ad hæc verba, בגדי לבן
,, hæc habet. הם אותן שהיה לובש כהן גדול ביום־הכפורים לעבודת
,, היום כמו שהתבאר בפסוק ואמנם הם ארבעה כלים אשר היה לובש כהן הדיוט
,, לעבודה ולשון התוספתא מצותה בד׳ בגדי לבן של כהן הדיוט ואם עשה בבגדי
,, זהב ובבגדי לבן חול פסולה וידענו זה בגזירה שוה אמר האל י׳ת ביום
,, הכפורים אשר לשון הפסוק בא באל ד׳ בגדים והיתה זאת לכם לחוקת עולם
,, ואמר בפרה אדומה והיתה לבני ישראל ולגר הגר בתוכם לחוקת עלם ואמר מה
,, חוקה האמורה כאן בבגדי לבן אף וכו׳: *Hæc* (veſtimenta) *ſunt illa quæ*
,, *induit Pontifex Max. die ſolennis expiationis* (x. die Tiſri) *ad mini-*
,, *ſterium iſtius diei, quemadmodum exponitur in Scriptura ſacra. Illa*
,, *autem revera ſunt quatuor veſtimenta, quibus veſtitur Sacerdos minor*
,, *ad miniſterium ſuum. Et mens Thoſiphta eſt, poſcere legem, ut eſſent*
,, *quatuor veſtimenta alba Sacerdotis minoris. Si autem operatus eſſet ve-*
,, *ſtibus aureis aut veſtibus albis profanis* (quibus uti aliquis folet ex-
,, tra miniſterium) *omnia erunt irrita. Et hoc quidem diſcimus ar-*
,, *gumento deſumpto a pari, cum Deus opt. Max. dicat die ſolennis Ex-*
,, *piationis, ut loquitur, Scriptura Sacra, venit in quatuor iſtis veſti-*
,, *mentis, & hæc erit vobis lex perpetua.* (Levit. XVI com. IV. &
,, XXXI. & XXXIV.) *ita dicitur de vacca Rufa.* (Numer. XIX. com.
,, X.) *& erit filius Iſrael, & peregrino, qui peregrinatur inter vos lex*
,, *perpetua. Qualis eſt iſta Lex de qua hic agitur, circa veſtes*
,, *albas etiam* &c: (talis eſt illa quæ lata eſt circa veſtes vaccæ
,, rufæ.)

,, DCXCI. Nulla exſtat uſqum expreſſa Lex de veſtitibus Sacer-
,, dotis vaccam rufam comburentis, quales adhibendæ ſint? Id
,, tamen Hebræorum Sapientes probant argumento deſumpto a
,, pari. Ideo ſcilicet quia in utroque loco, & ubi de Expiatione
,, ſolenni, decimo die Tiſri (Levit XVI.) dicitur: *hæc erit vobis,*
,, *Lex perpetua;* idemque repetitur de vacca Rufa. (Numer.
,, XIX.) Ergo eadem Lex eſt utriuſque. Cum itaque Levit
,, XVI. Deus juſſerit ut Pontifex Max. veſtitus ſit quatuor *ve-*
,, *ſtibus albis*, iiſdem veſtiri debebat is, qui vaccam rufam com-
,, buſturus erat.

,, DCXCII. At dicet aliquis, qua ratione dicitur, quemad-
,, modum jam toties audivimus, Summum Pontificem; ſi vaccam

,, Rufam comburere ipſe vellet, veſtiendum fuiſſe *veſtibus albis*,
,, quibus uſus eſt decimo die Tiſri, quandoquidem, miniſterio iſti-
,, us diei peracto, veſtes *albæ* omnes deponebantur, ut iis in po-
,, ſterum nunquam fuerit uſus, ut etiam fuerint אסורין בהנאה ad
,, *quemlibet uſum prohibitæ*, uti ex Codice *Joma cap.* II. & ex Mai-
,, monide *Hilchoth Kele Hammikd. cap.* VIII. *ſect.* VI. inferius oſten-
,, demus, Libro II. cap. XXV. hujus Editionis cap. XXVI. Cum
,, itaque Sapientes, præſertim Maimonides ad *Parah cap.* IV. lo-
,, co modo allegato, dicant, eum veſtitum fuiſſe veſtibus albis, quas
,, induerat die ſolennis Expiationis; hoc tantum vult, eum uſum
,, fuiſſe veſtimentis *albis*, quemodmodum die Expiationis ſole-
,, bat. Et ſane veſtibus albis eum fuiſſe veſtitum, certum eſt,
,, cum eſſet indutus veſtibus Sacerdotis minoris, ut docet *Toſiphta*,
,, notante Maimonida eodem loco. Idem Maimonides clarius *Hilchoth*
,, *Parah Adumah*, *cap.* I. *Sect.* XII. ubi exſertis verbis docet, Sa-
,, cerdotem vaccam comburentem, Sive fuerit Summus Ponti-
,, fex, ſive alius totius ordinis, veſtibus Sacerdotis minoris, ad
,, hoc peragendum miniſterium uſum fuiſſe. Ipſum audiamus:
,, והשושה אותה לובש בארבעה כלים של כהן הדיוט בין שטשאה כהן הדיוט בין
,, שעשאה כהן גדול: *Et qui eam faciebat* (combuſſit) *veſtitus erat*
,, *quatuor veſtibus Sacerdotis minoris*, *ſive eam combuſſerit Sacerdos mi-*
,, *nor*, *ſive id fecerit Pontifex Maximus*. Veſtibus albis itaque ad
,, hoc miniſterium utendum fuit.

,, DCXCIII. Non exigua tamen hactenus manet difficultas:
,, capi enim non poteſt quomodo concilianda ſint, ſcilicet *veſtibus*
,, *albis*, & tamen veſtibus Sacerdotis minoris uſum fuiſſe Sacer-
,, dotem vaccam comburentem; Cum tamen veſtes Sacerdotum
,, totius ordinis *albæ* dici nequeant, quandoquidem belteus fuit,
,, non ſolum ex lino albo, ſed & ex lana variis coloribus, hya-
,, cinthino, purpureo & coccineo, certiſque figuris diſtinctus:
,, veſtes autem Pontificis Max. x. die Tiſri *albæ* dicebantur, quod
,, omnes, ipſe etiam balteus, ex byſſo albiſſima contexta fuerint,
,, nullo intermixto colore. At ſolvendam hanc difficultatem,
,, non video quid adferri poſſit, niſi dicamus, ad miniſterium circa,
,, vaccam Rufam ſpecialiter fuiſſe contextas quatuor veſtimenta,
,, adeoque ipſum etiam balteum, ex lino albo, veſtibus albis,
,, quibus utebatur Pontifex Max. x. die Tiſri, ſimilima. Id eo
,, magis eſt credibile, cum Sacerdos qui vaccam rufam combure-
bat,



„bat, alia quædam habuerit communia cum Pontifice Max. ſo-
„lenni die Expiationis. Uterque adhibebat vaſa alba, uterque
„Sanctus atque mundus eſſe debebat modo ſpeciali; idcirco uter-
„que a familia ſeparabatur, & in certum Templi conclave dedu-
„cebatur, ibique uterque remanſit ſpacio ſeptem dierum ante
„miniſterium; honore tamen, qui quemlibet decebat, cuilibet
„exhibito. Accedebant ſcilicet fratres Sacerdotes ad Pontificem
„Max. ipſique officia varia præſtabant; Sacerdoti vero minori,
„quamvis etiam (ob ſpecialem ſanctitatem) in Templo a tota tur-
„ba ſegregato, idem honor non fiebat: ad hunc enim fratres Sa-
„cerdotes non veniebant, niſi ut eum in ipſo miniſterio juva-
„rent. De quibus vide *Cod. Parah. cap.* III. *ſectione* I. & in *To-
„ſephot R. S.* Certum itaque ex dictis eſt, utrumque fuiſſe ve-
„ſtitum *veſtibus albis*, & Pontificem Maximum, in ſolenni Ex-
„piatione x. die Tiſri, & Sacerdotem qui vaccam comburebat.
„ Hæc tabula Pontificem Max. בגדי לבן *veſtbus albis* x. die Ti-
„ſri indutum lectori ob oculos ponit.

CAP. XXV.

DE PRETIO VESTIUM SACRARUM.

Veſtes ſacræ factæ erant לכבוד ולתפרת ad honorem & ad gloriam. *Exod.* XXVIII. *verſ.* II. *&* XL. *Sacerdotum minorum veſtes pretioſæ. Multo pretioſiores veſtes S. Pontificis. Veſtes albæ* XII. *minarum, Centum drachmarum. Octodecim minarum. Tota ſumma* XXX. *minarum, Quot imperialium? Iſmaelis S. P. veſtes albæ centum minarum duarum myriadum. Circa Bengalam pretioſiſſima byſſus. Linum Harlemenſe. Linum auro æquatur. Plinius & Gemarici allegati. Seldenus legit* פאבי *pro* פאפי *&c. Tunica Sacerd. non requirebat longam telam, ut toga Romana.* רבוי Myrias *quid? Lini incredibile pretium. Veſtes albæ pellucidæ. Rejectæ a Pontificibus. Varii auctores. Veſtes corpus magis* oſtentant *quam* veſtiunt. Textilis ventus, nebula linea. *Veſtes* aureæ *pretio ſuperant* albas. *Lana magno pretio empta*

empta. Veſtis talentum abſorpſit in lana apud Ariſtophanem. Veſtis ter mille ducatonum comburitur ob duplicem materiam. Aurum veſtibus ſacris intextum. Colores pretium veſtium ſacr. augebant. Coccus regius color. Varii auctores. Hyacinthinum pretioſum. Argaman ſive purpura. Ejus pretium. Purpura Baſſi & Prætoris. Purpura pretio vix cedit margaritis. Metelli Scipionis & Capitonis triclinaria xx. millibus ducatonum empta. Varii auctores. Purpura Hermionica. Trium milionum ducatonum. Textura veſtium S S. auget pretium. Et ornamenta. Taſchbetz, Choſcheb, Rokem. Duodecim gemmæ in Pectorali & duæ Sardonyches in humeralibus; omnia ſuperant pretio. Patrimonia, integros cenſus, ſaltus & Inſulas, in collo in digito, & in aure gerebant veteres. Lolliæ Paulinæ gemmæ ſexcenties ſeſtertium emptæ, id eſt quinque millionibus flor. Hollandicorum. Veſtes Pontificis Max. veræ Regiæ. ornatus Honorii apud Claudium confertur cum ornatu S. Pontificis. Sacerdotes honore & gloria Regibus pares. Sacerdotium Regium. Exod. XIX. VI. Reges, Conſules & Imperatores apud antiquos erant Sacerdotes. Moſes Rex & Sacerdos. Olim Principes dicti כהנים Sacerdotes. Varii loca S. Scripturæ. Veſtes ſacræ in Theſauro reconditæ. Maimondes & Ioſephus allegati. Arx Antonia. Sacræ Veſtes ſub ſigillo Pontificis Max. olim erant. Deinde ab Herode ſervatæ. Poſtea erant aliquando in poteſtate Romanorum, nonnunquam Iudæorum. Contentiones de ſervandis veſtibus. Cur Romani cuſtodiam S. veſtium tam anxie ambiverint? Regum Theſauri in veſtibus. Locus Matthæi V. XX. Theſaurus Regis Ahaſueri. Eſteræ VI. X. & Alexandri Severi. Toga picta, & Tunica palmata in Capitolia ſervata. Lampridius & Cod. leg. XIV. de Murilegiis allegati Veſtes Pontificum minorum quoque in Theſauro ſervatæ. Loci Eſteræ cap. II. LXIX. & Nehem. VII. Septuag. allegati. Singulum genus veſtium ſuam arcam habuit. Quælibet claſſis quatuor arcas. Omnes arcæ veſtium XCVI. Talmud & alii Rabbini allegati. Ubi remanſerint veſtes albæ magno die expiationis? Veſtes ſacræ ſumptibus publicis fiebant.

Hacte-

DCXCIV. HActenus de ipſis veſtimentis ſacris, de eorum origine, numero, materia, colore, textura, ornamentis. De qualibet veſte in ſpecie, cum totius turbæ, tum Pontificis Maximi. De veſtibus Albis & Aureis. De *Brachis*, *Tunica*, *Balteo*, *Pileo*, *Pallio*, *Ephodo*, *Pectorali*, *Tiara* & *Coronà*. De earum forma & figura. Tandem de modo eas veſtiendi. Reſtat ut aliquid etiam dicamus de earum pretio, uſu & ſignificatione.

DCXCV. Moſes cap. XXVIII. verſibus II. & LX. dicit ſacris veſtibns indui debere Sacerdotes לכבוד ולתפרת *Ad honorem & ad gloriam.* Unde primum colligo, veſtes ſacras fuiſſe pretioſiſſimas, prout veſtes pretioſæ hominibus adferre ſolent honorem & gloriam. Et ſane Sacerdotum, cum Summi, tum reliquorum veſtes pretioſæ erant, ſive materiam, ſive colores, ſive artes, eas conficiendi, ſive tandem earum ornatum ſpectes. Erant enim omnes veſtes totius etiam turbæ ex byſſo pretioſa, ſingulari artificio, non conſutæ quidem, ſed contextæ, & pulchris figuris ornatæ, præſertim tunica; balteus autem erat ex byſſo & lana purpurea, coccinea, & hyacinthina, opere Phrigionico acu pictus.

DCXCVI. Sed quantum Regum ſuperbæ veſtes ſuperant centones alicujus pauperis, tantum ſane ſuperant veſtimenta Pontif. Maximi veſtes reliquorum Sacerdotum, Primum veſtes albæ ex byſſo Peluſiaca & Indica, id eſt pretioſiſſima erant, ut ex *Codice Ioma cap.* III. oſtendimus. Ibidem loci docent Sapientes iſto die Sum. Pontificem bis veſtiri veſtibus albis lineis, aliis mane, aliis veſperi. Matutinæ ex lino Peluſiaco emebantur duodecim minis. Veſpertinæ ex lino Indico octingentis drachmis; id eſt octo minis: facit enim mina centum drachmas. Aut etiam ſecundum, alios matutinæ veſtes octodecim minis emebantur, veſpertinæ duodecim. Octodecim autem minæ faciunt noſtræ monetæ quadringentos & quinquaginta ſcutatos, ſive imperiales, & duodecim minæ trecentos imperiales. Sic tota ſumma matutinarum & veſpertinarum erat triginta minarum, id eſt ſeptingentorum & quinquaginta imperalium, facit enim mina centum ſiclos, ſive quinquaginta ſiclos ſacros. Siclus autem ſacer noſtræ monetæ facit imperialem ſemis. Conſulendi ſunt Judæi, Joſephus, Waſerus aliique qui de re Numaria Hebræorum ſcripſerunt. Sane veſtimenta linea ſeptingentorum & quinquaginta imperialium ſunt ve-

ſtimenta non vili pretio empta. Nihilominus ſi Pont. Max. aliquid de ſuo addere volebat, ut pretioſores haberet, id ei licitum fuit, ut eadem Miſna docetur.

DCXCVII. Sed multo pretioſiores habuit, ſi Talmudicis fides. Tradunt Gemarici *Codice Ioma cap.* III. Sacerdotem Iſmaelitem, filium Paphi a matre ſua accepiſſe tunicam centum minarum, id eſt duorum millium & quingentorum imperialium. Sed vilia ſunt, ſi conferantur cum iis, quæ ibidem loci leguntur. Narratur enim Eliezerem filium *Cherſomi* a matre accepiſſe tunicam duarum myriadum. Si hoc intelligatur de duabus myriadibus minarum, pretium fabuloſum & incredibile videbitur; tot enim myriades facerent quinquaginta millia imperialium. Si vero (quod magis credibile) de זוזים *zuzis* explicetur, tunc intelligendæ erunt ducentæ minæ, id eſt quinquies mille imperiales. Non credo tanti pretii linum hodie reperiri, ut ut mihi narratum ſit; in India circa Bengalam byſſi telam, ſedecim ulnas longam, emptam fuiſſe centum imperialibus. Si ad nos eſſet delata, pretium quater augeri deberet. Nec ad hoc pretium accedit linum Harlemenſe, ut ut etiam ulna octo imperialibus empta ſit, uti animadvertimus Libro I. cap. VII. Auro nonnunquam æquatum fuiſſe linum byſſinum, docet Plinius *lib.* XVIII. *cap.* I. *Quaternis*, inquit, *denariis ſcripula ejus permutata quondam, ut auri reperio.* Non male igitur Talmudici Codice *Bava Metzia cap.* II. & *Cholin cap.* VI. nihil pretioſius exiſtimant, quam linum, ut dixerint: *ſi quis magnas divitias cito dilapidare vellet, oportere ut ſeſe veſtiat lino byſſino.* Sed de ejuſmodi tunicis pretioſis quales habuiſſe dicuntur Iſmael & Eliezerus, audiamus ipſos Talmudicos. *Codice Ioma cap.* III. אמר עליו על ר׳ ישמעאל בן פאפי ששתה לו אמו כתונת של מאה מנה ולובשה ועובד בה עבודת יחיד ומסרה לציבור אמרו עליו על רבי אליזר בן חרסום שעשתה לו אמו כתונת משתי ריבוא ולא הניחוהו אחיו כהנים ללובשה מפני שנראה כערום ומי מתחזי והאמר מר חוטן כפול ששה אמר אביי כחמרא במזגא *Narratur de Doctore Iſmaele, filio Paphi* (Seldenus de *ſucceſſ. in Pont. Hebr. cap.* XI. legi vult פאבי *Phabi*, quamvis nuſquam ita legatur, quod ſciam. Locus *Codicis Parah cap.* III. corruptus mihi videtur, & legi debet ut hic פאפי, non autem באפי, aut פיאבי *Piabi* ut habent quidam libri) *quod mater ipſi fecerit tunicam centum minarum, qua indutus functus eſt miniſterio unius, & tradidit eam toti cœtui.*

Nar-

Narratur etiam de doctore Eliezere filio Cherſomi, quod mater ei fecerit tunicam duarum myriadum. At fratres ejus Sacerdotes non permiſerunt ut ea veſtiretur, quia apparebat nudus, Et quamvis dicatur conſtabat (tunica) *ex filo ſexduplo retorto: reſpondet Abai; erat inſtar vini in vitro.* Notari hic debet, mentionem fieri de ſola tunica, quæ fuerit centum minarum, aut etiam duarum myriadum. At tunica non erat inſtar togæ Romanæ, quæ telam ſatis longam requirebat, ſed ad modum corporis erat aptata, ut etiam ſex, aut plurimum ſeptem ulnis confici potuerit. Cogita quale debeat eſſe linum, cujus ſeptem ulnæ emuntur quinquies mille imperialibus. Quid? ſi de duarum myriadum minis, id eſt de vigeſies mille minis (myrias enim ſive רבוי facit decies mille) intelligatur, quo modo a Gloſſa ſumitur, tunc quælibet ulna fere centies mille imperialibus emptam fuiſſe dicendum erit. Hoc credat Judæus Apellas, non ego. Nota etiam hic, honeſtiſſimo conſilio factum eſſe, quod Sacerdotes nollent permittere, ut Eliezerus Summus Pont. veſtiretur ejuſmodi veſtibus, quibus inſtar nudi pelluxiſſet, tanquam *vento textili*, aut *linea nebula* circumdatus. De ejuſmodi veſtibus inſtar telæ araneæ, & quæ corpus magis detegunt quam operiunt, præſertim ex ſerico, vide Plinium *lib.* II. *cap.* XXIII. Senecam *de Beneficiis lib.* VII. *cap.* IX. Horatium *lib.* I. *Satyr.* II. Tibullum *Eleg.* VI. *lib.* II. Juvenalem *Satyr.* VI. Hieronymum *adverſus Helvidium*, Solinum alioſque bene multos, qui ejuſmodi veſtes corpora potius *oſtentare* quam *veſtire* dicunt, eaſque *tenuem* veſtem, *textilem ventum*, & *nebulam lineam* vocant. Petronius elegantiſſimus Poeta.

Æquum eſt induere nuptam ventum
textilem.
Palam proſtare nebula linea.

DCXCVIII. Sed quamvis *veſtes albæ* pretioſiſſimæ fuerint, *aureæ* tamen illas pretio & ornatu longe ſuperabant; ſiquidem non ſolum ex pretioſiſſima byſſo, ſed & ex lana, auro, & gemmis conſtabant. Lanam antiquitus magno pretio emptam fuiſſe, vel ex ſolo *Ariſtophane* colligi poteſt, in Veſpis.

ΒΔ. πόθεν ὦ γαθ' ἀλλὰ τȣ̃το τοῖσι Βαρβάροις
'Υφαίνετ' πολλαῖς δαπάναις. αὕτη γέτοι
'Ερίων τάλαντον καταπέπωκε ῥαδίως.

Bona verba: at iſta, ut ſcias, cum maximo
Sumptu & labore Barbari texunt: & hæc
Veſtis talentum abſorpſit in lanam facile

Talmud Jeruſalemitanum mentionem facit veſtis laneæ, duplicis materiæ triginta myriadibus emptæ. *Codice Kilaim cap.* I. בגד בשלשים רוביא דינר ויהבוה לר׳ ומצא בו כלאים ושרפו *Habuit veſtem triginta myriadum denariorum, quam tradiderunt Magiſtro, & reperta erat duplicis materiæ, ideo combuſta eſt.* Tot denarii argentei facient ter mille ducatones. Quod ad lanam, in veſtibus Pont. Max. erat Mileſia, id eſt molliſſima & pretioſiſſima. vide lib. I. cap. IX. Sed & aurum intextum habebant Ephod & Pectorale. Immo ex ſolido auro conſtabant annuli, catenæ, fibulæ, & gemmarum fundæ; ut & tintinnabula in Pallio. Et optimum etiam auri genus adhibitum fuit, uti demonſtravimus libro I. cap. VI.

DCXCIX. Pretium valde augebant colores *hyacinthinus, purpureus, coccinus* & *aureus*, Regibus maxime noti, ut oſtendimus lib. I. cap. XV. *Coccus Imperatoriis paludamentis dicatus* erat, Regum & Augurum veſtimentis deſtinatus; ut etiam Hiſpani (quamvis Hiſpanicus poſtremus & Galaticus optimus ſit) ad ſolvendum tributum, *coccum* dederint, teſtibus Plinio, Iſidoro, Lampridio, Servio, Martiale, Suetonio aliiſque. Hyacinthinum colorem (qui & ipſe genus purpuræ eſt, tingitur enim purpura ſive conchylio) rarum & pretioſum fuiſſe nemo ignorat. Ideo Plinius: *Unde conchyliis pretia & libram violaceæ purpuræ denariis centum veniſſe* ait. Libra ſcilicet lanæ iſta purpura tinctæ centum denariis, id eſt duodecim imperialibus empta eſt, ut quidam id explicant. Eodem *libro* IX. *cap.* XL. docet *libram pelagii quinquagenos nummos, & buccini centenos non excedere.* Unde de pretio *Techelet* de quo agimus judicari poteſt. Nam iſta *violacea purpura* valde ad hyacinthinum accedit, & utrumque *conchylio*, ſive חלזון *chilzon* tingitur. Sed & יקר *pretioſus* hic color dicitur ab Hebræis, ut libro I. cap. XIV. ex Codice *Menachoth cap.* IV. *Megillath Eſter*; Jonathane, *Bereſchit Rabba*, aliiſque docuimus. Vide quæ annotavimus ex Xenophonte, *lib.* I. Macchab. IV. XXIII. & aliis. Omnium tamen pretioſiſſimus color eſt ארגמן *purpura* illa *Tyria dibapha.* Si purpuræ violaceæ libra denariis centum venibat, eodem *Plinio* teſte, *dibapha Tyria in libras de-*

nariis

nariis mille non poterat emi, id eſt ducatonibus centum. Hinc lacernas millibus decem emit Baſſus, ut habet Martialis, *lib.* VIII. *Epigr.* X.

Emit lacernas millibus decem Baſſus,
Tyrias coloris optimi.

Proculdubio intelligit nummos ſeſtertios, qui faciunt noſtræ monetæ ducentos & quinquaginta ducatones. Sed hæ lacernæ non magno pretio emptæ erant, ſed vili, ut magnum lucrum fecerit Baſſus, ut ibidem innuit Martialis. Et ſane *libro* X. *Epigr.* XLI. togam Prætoris in ludis Megalenſibus centum millibus emptam dicit.

Conſtatura fuit Megalenſis purpura centum
Millibus.

Id eſt bis mille & quingentis ducatonibus. Ipſis etiam margaritis pretio vix cedebant conchylia & purpuræ. *Conchylia*, inquit Plinius *lib.* IX. *cap.* XXXV. *& purpuras omnis ora atterit, quibus eadem mater luxuria paria pene etiam margaritis fecit.* Non mirum igitur ſi periſtromata & Triclinaria Babylonica, id eſt purpura acu Babylonica picta & ornata, aliquot milioribus, ut hodie loquimur, empta ſint. Plinius *lib.* VIII. *cap.* XLVIII. *Metellus Scipio triclinaria Babylonica* (ſic emendat Budæus *de Aſſe lib.* II.) *ſeſtertium octingentis millibus veniſſe jam tunc ponit in Capitonis criminibus, quæ Neroni Principi quadringenties ſeſtertium nuper ſtetere.* Id eſt Capito habebat triclinaria, viginti millibus ducatonum empta. At Neronis empta erant decies centenis millibus, id eſt millione ducatonum. Nota etiam illa fuiſſe lanea, (nam de lana ibi agit Plinius) ſed purpura infecta, & variis coloribus auroque acu Babylonica picta. Non poſſum ſilentio prætetire pretioſiſſimam purpuram, quam memorat Plutarchus in Alexandro, quæ Suſis reperta eſt. ὅπου, inquit, φησὶν καὶ πορφύρας Ἑρμιονικῆς εὑρεθῆναι τάλαντα πενταχίλια. *Ubi etiam purpuræ Hermionicæ quinque millia talentum narrat inventa.* Ingens ſane pretium, quinque millia talentum! faciunt enim tres milliones, ut cum vulgo loquar, ducatonum. Ergo pretioſſimi colores adhibebantur in veſtitu ſacro, colores plane Regii, quod non parum faciebat לכבוד ולתפארת ad *honorem & ad gloriam* Pontificis Maximi.

DCC. Ipſa ars pretium valde augebat: cum omnia veſtimenta ſacra fuerint מעשה ארג *opus textoris*, nulla opera acus, ſed arte

ingenioſiſſima & rariſſima. Maximo ſumptu texi dicuntur a Barbaris, vel hac ſola de cauſa. Ideo in deſuetudinem abiit ars veſtes texendi, quod hoc nimio labore & ſumptu factum eſſet, ut ſuo loco oſtendimus. Nec prætereunda ſunt ornamenta & figuræ, quæ aut telæ intexebantur, aut acu Babylonica aſſuebantur, & pingebantur. Non tantum tunica erat תשבץ *lasuata*, ſive *teſſellata*, ſed Pectorale & Ephodum erant חשב i. e. elegantiſſimas figuras, omnium generum florum intextas habebant, in ipſo jugo arte ingenioſiſſima, unde & חשב *choſcheb* dicitur ab ingenio. Et ipſe balteus erat רקם *Rokem*, id eſt acu Babylonica, magno labore & ſumptu, elegantiſſimas figuras depictas habebat. De his bene multa diximus libro 1. cap, XVII. De aureis filamentis ſacro veſtitui intextis, nihil jam dicam præter ea quæ diximus.

DCCI. Tandem nihil pretioſius excogitari poteſt, quam duodecim gemmæ in Pectorali, & duæ Sardonyches in fibulis humeralium Ephodi. Duæ iſtæ Sardonyches pretioſæ erant, non tantum ſua natura, ſed & mole & magnitudine, cum ſingula ſex nomina, ſive triginta ſex literas habuerit inſculptas. Reliquæ in Pectorali omnium generum erant exquiſitiſſimæ & pretioſiſſimæ; ut *Sardius*, *Topazius*, *Smaragdus*, *Carbunculus*, *Saphirus*, *Adamas*, *Hyacinthus*, *Achates*, *Amethyſtus*, *Chryſolithus*, *Sardonyx* & *Iaſpis*, quarum pretium multum auxit moles, tantæ enim erant molis, ut ſingulæ integrum nomen ſex litteris conſtans, inſcribi potuerit. Ars & materia ſimul erant in pretio, ut Plinii verbis utar: non enim ſolum politiſſimæ & lucidiſſimæ ac perfectiſſimæ, ſed & cælatura mirabiles erant. Sane ſi olim veteres patrimonia, & integros cenſus, immo ſaltus & Inſulas, uti loquuntur auctores, in collo, in digito, in aure gerebant, plura patrimonia, & cenſus, plures ſaltus & Inſulas in Pectore gerebat Pontif. Maximus apud Judæos, ſingula ſane gemma cenſus aut patrimonium videtur. Miramur, & merito, Lolliam Paulinam, Caji Principis matronam caput ornaſſe Smaragdis & margaritis ſexcenties ſeſtertium, id eſt quinque millionibus florenorum Hollandicorum. Vide Plinium *lib.* IX. *cap.* XXXV. Sed quo pretio emtæ ſint gemmæ in veſtitu Summi Pontificis, quis dicet? Erat igitur veſtitus plane Regius, *in honorem & in gloriam* Summi Sacerdotis. Veriſſime dici poteſt de Pontifice Maximo Hebræorum, quod de Honorio olim cecinit Claudianus, de Conſ. Honorii:

Ornatuque novo gravior Deus aſperat Indus
Velamenta lapis, pretioſaque fila Smaragdis
Ducta virent. Amethyſtus ineſt, & fulgor Iberus
Temperat arcanis hyacinthi cærula flammis.
Nec rudis in tali ſuffecit gratia textu:
Auget acus meritum, picturatumque metallis
Vivit opus, multaque ornantur Iaſpide cultus,
Et variis ſpirat Nereia bacca figuris.
Quæ tantum potuit digitis mollire rigorem
Ambitioſa colus? vel cujus pectinis arte
Traxerunt ſolidæ gemmarum ſtamina telæ?

Si *Baccam Nereiam*, id eſt *margaritam* excipias, nonne omnia in Summi Pontificis veſtibus reperiuntur? *Indo* ſane *lapide* aſperantur; *Smaragdis* virent; *Amethyſtus* ineſt & *fulgor Iberus*, id eſt aurum quo *flammæ hyacinthi* & chryſolthi temperatur, Adeſt *Iaſpis*, *Adamas*, *Carbunculus* & tot aliæ gemmæ ad ornatum. Auget etiam *acus Babylonica meritum* & *picturatum* erat *opus*. Quæ igitut erat iſta *ambitioſa colus Belzeleelis*, quæ Arachne, quæ auri rigorem mollire, & pectine ſuo auream & gemmatam telam detexere novit? Pergamus cum eodem Poeta:

quis miſcuit ignes?
Sidoni rubrique maris? tribuere colorem
Phœnices.

Iidem ſane colores reperiuntur in Hebræorum Sacerdotum veſtitu.

DCCII. Non male igitur Philo Judæus libro *De Sacerdotum honoribus*: ἐξ ὧν ἁπάντων ἐστὶ δῆλον ὅτι βασιλέως εἰς σεμνότητα καὶ τιμὴν παραπλήσια τοῖς ἱερεῦσιν ὁ νόμος. *Ex his omnibus manifeſtum eſt, legem Sacerdotes honore & gloria pares facere Regibus*: ut etiam optime vel hanc ſolam ob cauſam dicatur Sacerdotium Dei & *Sacerdotium Regium*, Exodi XIX. VI. Tanto in honore fuit olim Sacerdotium, ut & ipſi Reges eo fungerentur. Apud Ægyptios Reges ſimul Sacerdotes eſſe debebant, ut docet Plato *de Regno*. Sic & ipſi Conſules & Imperatores Romani Sacerdotium magna ambitione ambierunt, eoque functi ſunt. Hinc factum eſt proculdubio quod olim ipſi Principes apud plures populos non aliter quam כהנים *Sacerdotes* vocati fuerint. Vide Geneſ. XLI. L. Exod. II. XVI. Job. XII. XIX. II Sam. VIII. XVIII. I Chron. XVIII. XVII. II Sam. XX. XVI. Nonne Moſes ipſe, primus Judæorum *Rex* & *Sacerdos* publi-

blicas fuit? Non mirum igitur Sacerdotes, de quibus agimus, regium habuiſſe veſtitum *in honorem & gloriam.*

DCCIII. Ob ingens iſtud pretium ſacra veſtimenta in Theſauro recondita erant, tanquam κειμήλιον rariſſimum & pretioſiſſimum. Maimonides *Hilch. Kele Hammik. cap.* VIII. tradit Pontificem Max. habuiſſe proprium conclave in Templo, in quo tanquam in Theſauro veſtes aureas occluderet: כה ג׳ מניח בגדי זהב בלשכה שלו בלילה או בעת שיוצא מן המקדש: *Pontifex Max. reponebat veſtes ſuas aureas in conclavi ſuo, noctu aut tempore quo exibat e Templo.* Ad iſtud conclave fortaſſis reſpexit Joſephus *Antiq. Jud. lib.* XV *cap.* XIV. *lib.* XX. *cap.* I. ſed Arcem Antoniam vocat. Narrat ibi Joſephus veſtimenta ſacra Pontificis Max. cuſtodita fuiſſe in certa quadam turri ſive arce Templi, in Septentrionali latere, ab Aſmodæis ædificata, & poſtea ab Herode in gratiam Antonii, *Antonia* vocata. Olim quidem erat ſub ſigillo ipſius Pontificis Maximi, & gazophylacio præfectorum, qui pridie ſolennis feſti adibant Arcis & Præſidis Romani Præfectum, & recognito prius ſigillo, ſtolam accipiebant; ac mox, peracto feſto, eam reportabant in eundem locum, & in conſpectu arcis Præfecti obſignatam deponebant. Et magna quidem gloria erat, veſtem illam ſervare, ac in ſua habere poteſtate: ut etiam propter ejus cuſtodiam magnæ ſubortæ fuerint contentiones inter Judæos & Romanos, ut eodem loco teſtatur Joſephus. Diceres fere, diſceptatum fuiſſe de dignitate NEOCORI. Prius enim Herodes in iſta arce veſtem ſervavit; ſed poſt ejus obitum in Romanorum poteſtate erat, uſque ad tempora Tiberii, ſub cujus imperio Vitellius Syriæ Præſes, ab Hieroſolymitanis honorifice receptus, in ſignum grati animi Judæorum precibus cuſtodiam ſacræ ſtolæ conceſſit. Agrippa autem Rege fatis jam defuncto, Caſſioque Longino Syriæ Præſide, & Cuſpio Fado Judææ Procuratore, coacti ſunt Judæi ſtolam denuo in Antoniam deponere, ut eſſet in Romanorum poteſtate, quemadmodum fuit antea. Tandem Legati miſſi ſunt ad Imperatorem Claudium, qui, intercedente Agrippa Juniore, jus ſacras veſtes cuſtodiendi iterum obtinuerunt. Credibile eſt Romanos cuſtodiam harum veſtium tam anxie ambiiſſe non tantum ut hac ratione teſtarentur, Pontificatum in ſua eſſe poteſtate, & ut Pontifex Max. ſub ſpecie Religionis nihil contra Majeſtatem Romanam moliretur; ſed maxime ut tantus theſaurus ſuis manibus non eriperetur.

Ex

DCCIV. Ex hiſce ſane manifeſto conſtat Sacras veſtes fuiſſe pretioſiſſimas, ideoque in Theſauro ſervari debuiſſe. Et hoc iterum Regium eſt. Solebant ſcilicet Reges Theſauros ſuos ponere non tantum in auro, in argento & in gemmis, ſed & in pretioſis veſtimentis. Ideo Chriſtus Matt. vi. Com. xx. loquitur de *Theſauris ubi tinea nihil corrumpit*, quod intelligendum eſt, non de auro, gemmis &c. tantum, ſed & de *veſtibus*, quæ a *tinneis* corrumpi poſſunt. Non repetam quæ jam annotavimus de purpura Hermionica, Suſis in theſauro reperta. Nihil etiam dicam de veſtiario mille telentum, quod Alexander dono dedit amico ſuo. Jam mentionem fecimus libro i. cap. viii. de בית גנזי מלכא *theſauro Regis* Ahaſſueri, ex Targum Scheni Eſteræ cap. vi. x. ubi legimus Regem in Theſauro ſuo habuiſſe veſtes purpureas & ſericas lapidibus pretioſis, margaritis, tintinnabulis aureis & malogranatis ornatas. Sic & Imperator Alexander Severus in theſauro veſtes habuit. Lampridius: *In theſauris veſtem nunquam niſi annum eſſe paſſus eſt, eamque ſtatim expendi juſſit.* De ejuſmodi theſauris veſtium Imperatorum vide *leg.* xiv. *Cod. de Murilegulis. Privatæ vel lineæ veſtis magiſtri, theſaurorum præpoſiti, vel baphiorum ac textrinorum procuratores, cæterique quibus hujuſmodi ſolicitudo committitur.* Sed & toga picta, & tunica palmata, qua utebantur Conſules & Imperatores, cuſtodiri ſolebant in Capitolio & Templo Jovis. Lampridius de Alexandro: *Prætextam & pictam togam nunquam niſi Conſul accepit, & eam quidem quam de Jovis templo ſumptam Prætores & Conſules accipiebant.* Capitolinus de Gordiano: *Palmatam tunicam & togam pictam primus Romanorum privatus ſuam propriam habuit, cum antea Imperatores eam de Capitolio acciperent, vel de Palatio.*

DCCV. Non tantum ſummi Pontificis, ſed & cæterorum Sacerdotum veſtes in theſauro ſervatas fuiſſe, colligi poteſt ex capite ii. Eſdræ verſu lxix. *Pro facultate ſua dederunt in theſaurum illius operis, auri drachmas ſemel & ſexageſies mille, & argenti pondo quinquies mille, & tunicas Sacerdotum centum.* Et Nehemiæ vii. lxx. ubi iterum legimus, in theſaurum inter alias res pretioſas collatas eſſe *tunicas Sacerdotum quingenta triginta.* Soli ſane Pontifici Maximo tunicis quingentis triginta non opus fuit, nec uſpiam legimus eum tot habuiſſe, ut hæc loca de tunicis totius Sacerdotum turbæ intelligenda ſint.

Pppp Cæ-

DCCVI. Cæterum veſtes illæ totius ſacerdotum turbæ in templo etiam cuſtodiebatur. Erat enim in Templo conclave aliquod tanquam veſtiarium, ſive theſaurus ſacrarum veſtium. Singulum autum veſtimenti genus ſuam arcam habuit: ita ut omnes *brachæ* in una arca reconditæ fuerint, iſta etiam arca inſcriptum habuerit vocabulum, מכנסים BRACHÆ. Sic & omnes *tunicæ* ſuam peculiarem habebant arcam, cui inſcriptum erat vocabulum כתונות TUNICÆ. *Baltei* in ſua arca erant, cum hoc titulo: אבנט BALTEUS. Et *Pilei* in ſua arca cum hac inſcriptione מגבעות PILEI. Hæc traduntur Miſna *Tamid*, *cap.* V. היו מפשיטים אותם את בגדיהם ולא היו מניחין עליהם אלא מכנסים בלבד והחלונות היו שם וכתוב עליהם תשמיש הכלים *Exuebant eos veſtibus, nec quidquam iis relinquebant præter brachas; Erant ibi arcæ & illis inſcriptus erat uſus vaſorum.* Per *vaſa* intelligit hic veſtes ſacras. Maimonides *Kele Hammikd. cap.* VIII. docet, non tantum quodlibet genus veſtimenti ſuam ſibi habuiſſe arcam propriam, cum ſuo Titulo; ſed quamlibet cohortem Sacerdotum quatuor arcas habuiſſe. Et cum fuerint viginti quatuor cohortes ſive claſſes Sacerdotum, colligit nonaginta ſex fuiſſe arcas veſtimentorum. *Multas*, inquit, *faciebant Sacerdotibus mutatorias.* (liceat hoc vocabulo uti) *Ideoque nonaginta ſex arcæ erant in Templo, quibus imponebantur veſtes. Quælibet cuſtodia* (claſſis, quarum erant XXIV.) *quatuor habuit arcas, & nomen cujuslibet claſſis inſcriptum erat arcis ejuſdem claſſis. Omnes autem arcæ obſeratæ erant. Quum autem intraret claſſis Sacerdotum ad miniſterium hebdomadæ ſuæ, aperiebant arcas ſuas ſingulis diebus hebdomadæ ſuæ, & auferebant veſtes ſuas. Cum abeundum eſſet* (ſcil. domum) *retulerunt veſtes ad arcas ſuas, quas tunc obſerabant. Si quæras cur factæ fuerint quatuor arcæ cuilibet claſſi? ſcias id factum eſſe, ut veſtimenta non confunderentur. Ideo omnes Brachæ erant in una arca, quæ inſcriptum habebat*, BRACHÆ. *Sic & cingula omnia in una arca, cui inſcriptum erat* CINGULUM. *Sic & Pilei omnes in una erant arca; & omnes tunicæ in una arca. Pontifex Max. reponebat veſtes aureas in ſuo conclavi noctu, aut tempore quo egrediebatur e Templo.* Hujuſmodi *veſtiarium* videtur intelligere Codex *Middoth cap.* I. *ſect.* IV. vbi mentionem facit alicujus conclavis, quod vocatur לשכת פנחס המלבוש *Domus Pinchaſii veſtiarii.* Bartenora hoc intelligit de loco ubi veſtes cuſtodiuntur, non ubi conficiuntur & texuntur. ממונה היה להלביש הכהנים בשעת עבודה

ולהפשיטם אחר עבודה ולשמור בגדי כהנים׃ *Præfectus erat ut veſtiret Sacerdotes, tempore miniſterii, & ut eos exueret poſt miniſterium, & ut cuſtodiret veſtes Sacerdotum.* Maimonides tamen & Gloſſæ hoc intelligunt, de eo qui veſtes conficit, quam ſententiam non poſſumus rejicere: nihilominus de cuſtodia veſtium etiam intelligi poteſt. Et ſane Gloſſa id de veſtiendis Sacerdotibus, de veſtium cuſtodia, & de textura ſimul exponere videtur. *Pinchas*, inquit, *veſtiarius, erat is qui Sacerdotes veſtiebat veſtimentis ſuis, & qui curam habuit ut ea reponerentur, & conficerentur.*

DCCVII. De veſtibus albis Pontificis Maximi, quibus utebatur die Expiationis, nulla hic fit mentio, in quo loco ſcilicet remanſerint, miniſterio illius diei peracto. Sed nulla arca, nullo theſauro, in quo ſervarentur, opus erat, cum illis non amplius uteretur Pontifex Max. poſt iſtius diei miniſterium. Sed de his plura capite ſequenti.

DCCVIII. Notandum etiam eſt, veſtes ſacras non niſi ſumptibus publicis factas fuiſſe, quemadmodum & vaſa reliqua, & ligna, & ſacrificia jugia, uno verbo, omne id quod totum cœtum reſpexit. Iiſdem enim Veſtibus, & iiſdem vaſis ſacra fiebant, non tantum pro uno, ſed pro toto cœtu, ideo ſumptibus totius cœtus fieri debebant. Si tamen aliquis pietate motus, vas aliquod, aut veſtem, lignum, ſuffitum, aut vinum, aut denique ſacrificium ipſum volebat dono dare, id prius tradendum fuit toti cœtui, aut Principibus populi, qui populum aliquomodo repræſentabant. Ab his poſtea Templo inferebatur, & Sacerdotibus tradebatur, tanquam res ſacra & donum totius cœtus. Videatur Gemara Jeruſal. *Cod. Schekalim. cap.* IV. Gemara Babyl. *Cod. Ioma cap.* III. Priori loco hæc leguntur de Veſtibus: האשה שעשתה כתונת לבנה צריכה שתמסר לצבור: *Si quædam fœmina confecerit tunicam filio ſuo (*ſacerdoti*) oportet ut eam tradat toti cœtui.* Eo forte reſpexit Gemara Babylonica, loco modo laudato, ubi narrat: Matrem quandam filio ſuo Iſmaeli, (Pontifici Moximo,) feciſſe tunicam centum minarum, quam tradidit toti cœtui. Miſna eodem loco, poſtquam dixiſſet, totam ſummam Veſtium albarum, matutinarum & veſpertinarum, eſſe triginta minarum, addit: אלו משל צבור id quidem ſumptibus publicis fiebat. Videatur Maimonides *Kele Hammik. cap.* VIII.

Cap. XXVI.

DE USU VESTIUM SACRARUM.

Uſus Veſtium ſacrarum. Exod. XXVIII. III. VI *Sacerdotes extra templum & extra miniſterium vulgaribus Veſtibus veſtiri. Paulus Pontificem Max. ex veſtibus non novit Act.* XXIII. *Sacerdotes extra miniſterium* כזרים ut laici. *Ioſephus allegatus. Pontifex Maximus habuit poteſtatem quotidie ſacras veſtes induendi. Non reliqui. Varia loca Talmudica. Sacerdotes aliquem uſum habuiſſe ex veſtibus ſacris extra miniſterium. Pontifex Max. in veſtibus ſacris legebat in Synagogis. Lectio Legis non erat munus Sacerdotis, nec Adminiſtratio ſacramentorum; nec prædicatio verbi divini, nec preces. Id omnibus Iudæis permiſſum. Plures Synagogæ Hieroſolymis. Synagoga in circutu* Templi. *Hoc Magdeburgenſes videntur ignoraſſe. Chriſtus* in templo ſediſſe *Luc.* II. *quo ſenſu? Nemini fas fuiſſe in Templo ſedere, quam Regi ex familia Davidis. Sacerdotes minores uſum percepiſſe ex Veſtibus ſacris extra miniſterium. Deponendus tamen erat balteus, propter materiam mixtam. Ioſephus an contrarium ſuſtineat. Varia loca Talmudis & aliorum. Noctu fuerunt veſtes deponendæ. Utrum in arcis ſerventur, an capiti ſupponantur? Veſtes Pont. Max. noctu in veſtiario ſervabantur. Varia loca Talmudica & alia allegata. Veſtes ſacræ uſum habuerunt in ſolo Templo, non alibi. Locus Ioma cap.* VII. *allegatus.* Scheringham *doctiſſimum* Seldenum *male perſtringit. Quædam loca Talmudica a Scheringhamo male explicata;* מקדש Mikdaſch *an comprehendat urbem Ieruſalemum.* מדינה Medinah *quid?* σφάλμα *in Lexico Buxtorfii. Seldenus laudatur & defenditur. Varia loca Talmudis Ieruſalem in Provincia. Habet aliquem gradum ſanctitatis.* Mikdaſch *quid Maimonidæ?* הר הבית Mons ædis *quid? A Chriſto vocatur* ἱερὸν, *Marci* XI. XVI. *Quantum ſpatium contineat. Codex Middoth & Ioſephus allegati. Quidquid extra* עזרה Atrium *vocatur* Provincia. גבולים Gebulim *&* Medinah *Provinciam ſignificant.* Mikdaſch *opponi* τοῖς Medinah *&* Gebulim

Gebulim. *Ergo & urbi Hieroſolymitanæ. In ſumma neceſſitate Sacerdotes geſtaſſe veſtes intra templum & urbem Ieruſ.* Simeon Juſtus *obviam it Alex. Magno. Ioſephus allegatur, & Codex Ioma cap.* VII. *Factum eſſe monitu Dei. Quoties vices* Sacerdotibus obeundæ fuerunt, *eaſdem veſtes repetebant, donec polluerentur aut vetuſtate tererentur. Pontifex tamen Max. veſtes albas unica die tantum veſtivit. Singulis annis novæ adhibendæ erant decimo die Tiſri. Utrum Pontifices inferiores iis poſtea uti potuerint? Locus Levit.* XVI: XXIII. *explicatur a Gemaricis. Varia loca Talmudis & aliorum. In S. ſanctorum ſolæ veſtes albæ adhibebantur. Varia loca Talmudica, Ioſephi & Philonis. Error* Auguſtini, Epiphanii, *Hieronymi, Bertrami,* Sigonii, *Buxtorfii, Magii, Daillæi & aliorum, qui docent Pontificem Max. veſtibus coloratis* S. *S, intraſſe. Veſtes ſacræ ſordibus inquinatæ non lavabantur. Tritæ & laceræ non reſarciebantur.* In Templo nulla paupertas. *Omnia fiunt* ex optimo. *Tritæ, laceræ & ſordidæ veſtes elychniis in feſto Tabernaculi & Lucernis adhibebantur. Veſtes Pontificis Max. aureæ tritæ obſcondebantur. Exod.* XXVIII. *verſ. ultimo* חקת עלם *Quomodo intelligendum. Quamdiu debeant durare ſacerdotes & veſtes ſacræ. Non ultra tempora Meſſiæ. Iudæorum vana ſolicitudo de conſervanda Genealogia Aharonis.* Urim & Thummim *quamdiu duraverint? Sententia Ioſephi, & Rabbi Azariæ. Locus Ezræ* II. LXIII. *& Nehem.* VII. LXV *allegantur. Credibile Sacerdotem ibi promiſſum fuiſſe Ieſum Chriſtum.* Urim & Thummim *non fuiſſe in Templo ſecundo. Locus Hag.* I. VIII. *Varia loca Talmudica &* Joſephus Ben Gorion *Germanice allegantur. Reſponſum Pontificis Max. Alexandro Magno datum. Ejuſdem Auctoris editio Hebræa. Noſtrum manuſcriptum nitidiſſimum Hebraicum. Doctiſſimi* Buxtorfius & Le Moine *laudantur.* בת קול filia vocis *ſub ſecundo Templo. Loca Talmudica & Matth.* I. VIII. *Ioh.* XII. XXVIII. Urim & Thummim *oracula edidiſſe tantum uſque ad tempora* Salomonis. *Prophetæ priores qui? Loca Talmudica. Cur* Urim *ceſſaverit ſub Regibus? Nomen* יהוה *pronunciatur ſub Templo ſecundo. Uſque Iericho auditum. Ante Reges ſtatus Iudaicus* θεοκρατεία. Ephodum, Pectorale, Gemmas, *ut &* Urim & Thummim, *quoad formam, in uſu fuiſſe ſub Templo ſecun-*

ſecundo: Etiam Arcam fœderis, Candelabra *&c.* Thoſephoth, Maimonides, & Joſephus Caro *allegati.* Bernhardi Angli *in ſuis ad Ioſephum Criticis, iniquiſſimæ ſtricturæ, magna* criſta *atque* fidentia *viros doctos, qui negant Urim & Thummim Templo ſecundo, ſugillantis perſtringitur.*

DCCIX. RESTAT ut tandem etiam aliquid dicamus, de uſu Veſtimentorum ſacrorum. Totum quidem hoc opus docet, eorum uſum eſſe, ut ſacra in iis fierent a Sacerdotibus; nihilominus cum Moſes expreſſis verbis de uſu ſacri veſtitus mentionem faciat, iſtam materiam hoc capite quoque pertractare ſuſcepimus. Exodi XXXVIII. verſu III. & XXXV. והיה טל אהרן לשרת *Et erunt ſuper Aharon ad miniſtrandum.* Ibi quidem mentio fit de Veſtibus Summi Pont. ſed idem dicitur etiam de Veſtibus reliquorum Sacerdotum, verſu IV. טשו בגדי, קדש לאהרן אחיך ולבניו וכהנו לי : *Et facient Veſtes ſacras Aharoni fratri tuo, & filio ejus, ut ſacerdotio mihi fungerentur.* Et verſu ultimo: והיו טל אהרן ועל בניו בבאם אל אהל מועד או בנגשתם אל המזבח לשרת בקדש ולא ישאו עון ומתו *Et erunt ſuper Aharonem & ſuper filios ejus quum intrabunt tentorium conventus, aut quum accedent ad altare, ad miniſtrandum in ſancto; Et non ferent iniquitatem ut moriantur.* Igitur ad miniſterium tantum in templo, ſoli ſacerdotes veſtibus ſacris utebantur, non alibi nec alio tempore. Domi foriſque, in Synedrio, in conſiliis, & ubique locorum extra templum, incedebant veſtibus vulgaribus, cum Summus tum reliqui pontifices, unuſquiſque pro lubitu ſuo & pro opibus, ut a reliquis hominibus diſcerni neutiquam potuerint. Inde factum eſt, ut etiam Paulus Apoſtolus Pontificem Maximum non noverit Act. cap. XXIII. quod ex veſtibus a reliquis iudicibus diſcerni non potuerit. Idem innuitur Ezech. XLII. XIV. & XLIV. XVII. XVIII. XIX. ubi expreſſe jubetur, ut Sacerdotes, finito miniſterio, cum vellent exire ad populum, veſtes ibi relinquerent & vulgaribus veſtirentur. Turpiter igitur errant paſſim viri docti, qui putant Cajapham veſtes ſacerdotales laceraſſe, in ſignum lacerati & aboliti ſacerdotii, Matth. XXVI. LXV. & Marci XIV. LXIII. ut loca iſta intelliguntur ab *Origine* & *Theophylacto.* Audivimus jam cap. præcedente, veſtes ſacras, cum ſummi tum reliquorum, in templo fuiſſe recluſas, ideo non fuiſſe in poteſtate ſacerdotum quamdiu

quamdiu non operabantur. Optime itaque Maimonides *Kele Hammicd. cap:* x. ait Sacerdotes, extra miniſterium, ſacris veſtibus non veſtitos, conſiderari debere כזרים *inſtar Laicorum.* Sic & Joſephus *de Bello Jud. cap.* xiv. dicit Sacerdotes extra miniſterium ἐσθήσεσιν ἰδιωτικαῖς, *Veſtibus plebeis* uſos fuiſſe. Verum quidem eſt eum ibi agere de *cæcis*, quos Judæi vocant בעלי מומים *vitio laborantes*, nihilominus de omnibus ſacerdotibus intelligi debet: cum exſertis verbis ſtatim addat: τὴν γὰρ ἱερὰν ὁ λειτουργῶν ἠμφιέννυτο μόνος, *ſacram veſtem induebat is ſolus qui miniſtrabat;* cum autem cæci miniſtrare non potuerint, ſacras veſtes induere iis non fuit licitum.

DCCX. Non omnes Sacerdotes, nec ubique, nec ſemper habebant jus veſtes ſacras induendi. A ſacris veſtibus, quemadmodum a toto miniſterio arcebantur, *mente capti*, *cæci*, *immundi*, *ægroti*, *lugentes*, & ii qui ad juſtam ætatem nondum pervenerant. Hi nunquam ſacris veſtibus induebantur etſi ſacerdotes eſſent. Sed & illi ipſi qui ad miniſterium admiſſi erant, non quotidie iis veſtiri poterant. Hoc fiebat illis diebus tantum, quibus cum ſua claſſe miniſtrare debebant in Templo, quod fiebat duabus tantum hebdomadibus per totum annum. Id eſt duabus vicibus, & ſingula vice per integram hebdomadam. Peracta hebdomade, veſtes ſacræ exuebantur, & arcis ſuis obſerabantur, donec altera hebdomas, ſemeſtri poſt, rediret. Solus Pontifex Max. habuit poteſtatem veſtes ſacras induendi quotidie, ſi forte ſacra facere vellet. Alias in theſauro ſuo, ſive veſtiario in Templo cuſtodiebantur. Notari etiam debet, ſi forte aliquid accidiſſet ſacerdoti, qui ſuas vices in templo jam peragere ex lege debebat, ut ſi gonorrhœa laboraſſet, aut alio modo ſeſe poluiſſet, miniſterio eum tunc abſtinere, & pro veſtibus albis, in ſignum immunditiei, atris indui debuiſſe, ut abiret. Mundi autem & legitimi Sacerdotes, iſtis diebus quibus cum claſſe ſua vices obire debebant, inter miniſtrandum omnino veſtibus ſacris induendi fuerunt; ut etiam abſque veſtibus, non reputarentur ſocerdotes. Hinc illud toties in Talmude decantatum: בזמן שבגדיהם עליהם כהונתם עליהם אין בגדיהם עליהם אין כהונתם עליהם *Quo tempore veſtiti ſunt veſtibus ſuis* (ſacris) *ſacerdotes reputantur, ubi autem veſtibus ſuis non ſunt veſtiti, ſacerdotes non reputantur.* Vide *Maſſechet Zevachim cap.* II. Maimonidem *Kele Hammikd. cap.* x. & Thoſephoth ad *cap.* VII. *Jomæ.*

Nihi-

DCCXI. Nihilominus Sacerdotes aliquem uſum habebant Veſtium ſacrarum, etiam extra miniſterium. Primum Pontifex Max. magna die expiationis ſectionem in Synagoga, ſi volebat, Veſtibus ſacris legebat; alias, illis exutis, in propria ſtola, qua uti ſolebat quotidie, illud præſtabat. *Joma cap.* VII. *Miſna* I. בוא לו כהן ג׳ לקרוא אם רצה לקרוא בבגדי בוץ קורא ואם לא קורא באצטלות לבן משלו: *Ibat Pontifex Max. ad legendum, ſi voluit legere in veſtibus byſſinis* (id eſt ſacris) *legebat. Sin minus, legebat in propria ſtola alba.* Et ne quis rerum Hebræarum imperitus putet, lectionem fuiſſe munus ſacerdotale, ſciendum eſt omnes Levitas & Iſraelitas non minus quam Sacerdotes habuiſſe jus legendi ſectiones Sabbathicas. Ideoque optime Talmudici annotant: קריאה לא עבודה היא *Lectio non eſt miniſterium.* (ſacerdotale) Quicquid extra templum fieri poterat, non recenſebatur inter miniſteria Sacerdotum, ſed lectio fieri poterat extra Templum, in omnibus Synagogis, & in urbe, & per totam terram ſanctam, immo & extra terram, ubi decem Viri ætatis quatuordecim annorum reperiebantur. Ideo Levitæ & Iſraelitæ, non minus quam ipſi Sacerdotes infantes circumcidebant, & Paſcha celebrabant, & conciones ad populum habebant, & preces ad Deum, pro ſalute publica fundebant, & lectiones Sabbathicas legebant, quod & ipſi Reges nonnunquam faciebant, ut exemplum habemus in Rege Agrippa. Uno verbo, quicquid hodie in Eccleſia Chriſtiana ſolis paſtoribus relictum eſt; ut verbum prædicare, ſacramenta adminiſtrare, & diſciplinam Eccleſiaſticam excercere, id in Eccleſia Judaica ab omnibus & ſingulis fieri poterat. Cavebant tantum ut eſſet in re iſta נקיא & in lectione רגיל *expertus*, & diſcipulus ſapientum, ex ſecta ſcilicet Pharizæorum, ut eorumque traditiones ſartæ tectæque ſervarentur, & doctorum, ſive σοφιστῶν, ut eos vocat Joſephus, auctoritas apud populum indies augeretur. Sed hæc fuſius explicamus ad Codices *Sotah*, *Taanith*, *Peſachim* & alibi.

DCCXII. Notari etiam debet Synogogam iſtam, in qua legebat Pontifex Max. fuiſſe, non in urbe, ſed in circuitu templi prope atrium, quemadmodum ad iſtum locum *Codicis Jomæ* obſervat *Jarchius*. בית הכנסת היה לעזרה בהר הבית *Synagoga erat prope atrium in monte Templi.* Ideo in ipſa Miſna toties mentio fit τῆς בית הכנסת *Synagogæ*, τοῦ חזן הכנסת & ראש הכנסת ἐπισκόπου & *Capitis Synago-*

nagogæ. Sane cum plures fuerint *Synagogæ* Hieroſolymis, quadringentæ octoginta, vel quadringintæ ſexaginta, ut tradunt Sapientes Cod. *Megilla* & Cod. *Chetuboth*, hic intelligi debet Synagoga, quæ erat in Templo. Hoc videntur ignoraſſe Magdeburgenſes *Centuriæ* I. *cap.* VI. ubi de Synagogis ſic ſermocinantur: *utrum autem in Templo aut prope locus, ſeu auditorium aut lectorium, ut nunc vocare poſſemus, fuerit, non eſt clare indicatum.* Immo tam prope fuit illud *lectorium*, ut etiam ab iis qui ſummum Pontif. audiebant legentem, hircus & juvencus, dum cremabantur videri potuerint, modo auditores faciem non verterent verſus Sacerdotem magnum, ut traditur eodem capite Jomæ. Cum autem hæc Synagoga tam prope atrium fuerit, in ipſo ſcilicet circuitu Templi, ideo qui in eo legebant, in Templo legiſſe dicebantur. Et hoc ſenſu, mea opinione, legimus apud Lucam capite II. Chriſtum ſediſſe & docuiſſe in Templo, *ἐν μέσῳ τῶν διδασκάλων in medio doctorum*, quod de iſta Synagoga in Templo omnino intelligendum puto; nam in ipſo Templo, proprie ſic dicto, nec erant *διδάσκαλοι*, aut תלמידים ut Judæi loquuntur, nec Chriſtus ibi ſedebat, niſi eodem momento a Judæis, tanquam prophanus & hæreticus vivus diſcerpi voluiſſet: cum nemini fas fuerit in Templo ſedere, niſi ſoli Regi & ex familia quidem Davidis, ut docent Magiſtri Codice *Sotah cap.* VII. Sed ut e diverticulo in viam redeamus, patet lectionem Legis, non fuiſſe partem miniſterii Sacerdotum, ideoque Pontifici Maximo liberum fuiſſe ut in Templo uteretur veſtibus ſacris, extra miniſterium, cum in illis legeret ſectionem, quam quilibet alibi, & aliis veſtibus legere poterat. Optime ad iſtam Miſnam Jomæ obſervant Gemarici: שמעת מניה בגדי כהונה ניתנו ליהנות בהם *Ex hoc diſcimus, veſtes ſacerdotales datas eſſe, ut ex iis uſum aliquem perciperent.* Idem quoque intelligendum eſt de veſtibus aureis; nam poſtquam eas ſemel induiſſet, poterat eas toto illo die retinere, quamvis toto die, ſingulis horis, ſacra non faceret; modo eas deponeret antequam Templo exiret, aut noctu, ut capite præcedenti, ex *capite* V. *Tamid*, oſtendimus.

DCCXIII. Sed & ipſi Pontifices reliqui uſum aliquem percipere poterant ex veſtibus ſacris extra miniſterium. Quamdiu in Templo erant, eis permittebatur uti veſtibus ſacris, etiam illis horis & momentis, quibus a miniſterio vacabant. Semel veſtiti

ſtiti veſtibus ſacerdotalibus, & ſacris peractis, non ſtatim deponebant eas, ſed toto die ſi vellent eas retinebant, donec dormitum irent. *Codice Tamid cap.* I. Gemarici hæc tradunt: תא שמע בגדי כהונה היוצא בהן למדינה אסור ובמקדש בין בשעת עבודה ובין שלא בשעת עבודה מותר : *Audi, vetitum eſſe abire in Provinciam veſtibus ſacerdotalibus: ſed in Templo licet* ut iis uterentur, *ſive tempore miniſterii, ſive non tempore miniſterii.* Idem docet Maimonides *Kele Hammikd. cap.* VIII. Mikotzius *Præcept. Affirmat.* CLXXIII. Hoc tamen intelligi debet de *Brachis*, *Tunica* & *Pileo* tantum, non autem de *Balteo*. Quam primum enim a miniſterio ceſſabant, balteus ſtatim deponendus fuit, adeo ut ſi quis in templo repertus fuiſſet *balteo* cinctus, illis momentis quibus non operabatur, quadraginta plagis verberandus fuiſſet, propter τὸ שעטנז *Schatnetz*, *duplicem materiam. Maſſechet Erachim cap.* I. והני כהנים הואיל ואשתרי כלאים לגביהו לא ליחייבו קמל׳ נהי דאשתרי בעידן עבודה בלא עידן עבודה לא אישתרי : *Ecce ſacerdotibus quidem permiſſum eſt geſtare veſtes duplicis materiæ; non* tamen neceſſario id ipſis faciendum fuit, quemadmodum *audivimus. Permiſſum eſt tempore miniſterii, ſed extra miniſterium non eſt permiſſum.* Ideo in veſtibus ſacris non licebat dormire, nec capiti eas ſupponi fas erat, propter *balteum*, quod fuerit ex materia mixta. Sic & Maimonides *Kele Hammikd. cap.* VIII. poſtquam dixiſſet ſacerdotibus permiſſum eſſe, aliquem uſum percipere ex veſtibus ſacris, & extra horam miniſterii, ſtatim addit: *Excepto balteo, quia illi ineſt ſchaatnez*, id eſt *duplex materia.* Joſephus tamen *Antiquit. lib.* III. *cap,* VIII. aliter ſentire videtur; ſic enim de balteo ſermocinatur. *Ad talos autem defluit, quamdiu ſacerdotes ab opere ceſſant; idque videtur ad ornatum aliquid conferre, quum autem properandum eſſet, ad miniſterium ſacrificiorum, ne ita balteus ventilans pedes, implicaret, & impedimento eſſet in opere, lævo humero eum injecit.* Videtur itaque Joſephus docere, ſacerdotes etiam balteum geſtaſſe extra horam miniſterii οὗ μηδὲν ὁ ἱερεὺς ἐνεργεῖ, *quando nihil operatur ſacerdos.* Nollem litem movere illis, qui credunt Joſephum illis verbis docuiſſe, ſacerdotibus permiſſum fuiſſe, ut balteum geſtarent, etiam iis horis quibus ſacra non faciebant. Nihilominus cum Gemarici, & fere reliqui Hebræorum Sapientes omnes, contrarium doceant, explicandus erit Joſephus. Forte conciliari poterit cum Gemaricis; ſi dicamus, Joſephum per τὸ μηδὲν ἐνεργεῖν intelligere non quod

quod Sacerdos plane ab opere ceſſet; ſed quod non faciat aliquod opus, in quo balteus poſſet eſſe impedimento Sacerdoti. Si forte mactaverit aut ſanguinem exceperit, aut ſi faciat ejusmodi opera alia, in quibus parum incurvandum fuit. Tunc balteum, ne impedimento eſſet, in lævum humerum rejecit. At in aliis operibus, ubi balteus nihil impediebat, ut ſi ſanguinem ſpargeret, ſi vota conciperet, aut thymiamata faceret, præſertim ſi in loco ſancto operabatur, ſinebat balteum ſluere propter ornatum.

DCCXIV. Hæc autem intelligi debent de die tantum, non autem de nocte. Cum enim dormitum ire vellent, ſacras veſtes fuerunt deponendæ. Quidam magiſtrorum cenſent, Sacerdotes eas complicaſſe, & capiti ſupoſuiſſe, ut iis etiam dormiendo uterentur. Alii docent in arcis recluſas fuiſſe, quoties dormitum irent. Alii juxta caput repoſitas fuiſſe noctu. Sane veſtes Pontificis Maximi noctu in veſtiario ſervatas fuiſſe, capite præcedenti docuimus. De veſtibus reliquorum Sacerdotum hæc habet Miſna, *Codice Tamid cap.* I. לא היו ישנים בבגדי קדש אלא היו פשטים ומניחין אותן תחת ראשיהם ומתכסין בכסות עצמן : *Non dormiebant in ſacris veſtibus, ſed exuebant illas, & capiti ſupponebant, & quilibet proprio ſuo tegumento tegebatur.* Gemara tamen tradit, ne hoc quidem licitum fuiſſe, propter duplicem materiám, quæ erat in Balteo. עשר
מצעות inquiunt, זו על גב זו וכלאים תחתיהן אסור לישן עליהן *Si quis decem ſtragula alterum alteri imponat, ſi tamen alicui* (etiam infimo) *ineſſet materia duplex, vetitum eſſet ſuper iis dormire.* Ideo quidam exponunt hæc Miſnæ verba תחת ראשיהן per נגד ראשיהן *juxta capita ſua*, & non *ſub capitibus ſuis.* Eodem ſenſu intelliguntur a Maimonida *Hilch. Beeth Habbechira cap.* VIII. Bartenora & Caph Nachat ad iſtam Miſnam. Et Barſelonius præcepto XCIX. Eadem Miſna *Codice Tamid cap.* I. dat etiam rationem, quare non fuerit permiſſum, ut Sacerdotes dormirent in veſtibus ſacris, aut ut eas capiti ſupponerent. Scilicet משום כלאים *propter duplicem materiam*, in balteo.

DCCXV. Ex his omnibus manifeſtiſſime patet, veſtes ſacras uſum habuiſſe in ſolo Templo, & non alibi. Veſtiarium enim erat in Templo, ubi Sacerdotes veſtiebantur & exuebantur. In eodem loco, finita hebdomada, aut etiam noctu, veſtes cuſtodiebantur. Deinde cum ſacerdotio fungerentur in ſolo templo, non in urbe Hieruſalem, multo minus alibi, in ſolo etiam

Templo veſtibus ſacris utebantur ſacerdotes. Gemara Babylonica *Codice Ioma cap.* VII. & Codice *Tamid cap.* I. *ad Miſnam primam*, quem locum ſupra allegavimus, exſertis verbis docet: *Vetitum eſſe abire in Provinciam veſtibus ſacerdotalibus: ſed* במקדש *in Templo, ſive ſit hora miniſterii, ſive non ſit hora miniſterii*. licet Doctiſſimus *Scheringamus*, in ſuis notis ad *codicem Ioma cap.* VIII. eundem locum adducit, ut plane contrarium probaret: nempe licitum fuiſſe, ut Sacerdotes veſtibus ſacris uterentur, etiam extra Templum, in *urbe* Jeruſalem; eoque nomine perſtringit eruditiſſimum Seldenum, quod *lib.* II. *cap.* VII. De ſucceſſ. in Pontif. hoc negaverit. Idem probare etiam conatur Scheringhamus ex Joſepho *Antiquitat. lib.* III. *cap.* VIII. (quem locum plus ſemel allegavimus) quod ibi dicat Joſephus: *Sacerdotem ſinere balteum ad talos defluere propter ornatum, quamdiu ab opere ceſſat.* Locum Joſephi jam modo explicavimus, unde conſtat Joſephum de urbe Hieruſalem ne quidem ſomniaſſe, cum hæc diceret; Nam de ſacerdotibus in templo agit, & non de iis qui ſunt extra templum. Quantum ad locum Gemaræ attinet, doctiſſimus Scheringhamus deceptus eſt, quod crediderit vocem מקדש *Mikdaſch* ſignificare templum cum *tota urbe Hieruſalem*. Ideo male vertit verba Gemaræ. *Probibitum eſt quemvis veſtibus ſacris indui cum abeat in Provinciam, ſed hoc in Sanctuario, & in urbe Hieruſolyma licitum eſt.* Poſtrema hæc verba *in urbe Hieruſolyma*, non reperiuntur in Gemara, nec in voce מקדש continentur, cum urbs Jeruſalemitana nunquam מקדש vocaretur.

DCCXVI. Verum quidem eſt, doctiſſimum Scheringhamum, ut ſententiam ſuam tueretur, allegaſſe *Buxtorfii* Lexicon ad vocem מדינה, ubi allegatur Maimonides, qui per τὸ מקדש intelligit ירושלים כולה: *totam urbem Ieruſalem*, & per מדינה *Medina*, שאר הערות שבכל ארץ ישראל: *Reliquas urbes quæ ſunt in tota terra Iſraelis.* Hæc quidem eſt ſententia Maimonidæ ad *Cap.* II. Codicis Roſch Haſſchanah; (non autem ad Codicem Taanith, ut habetur in Buxtorfio) ſed quo argumento hæc probet, plane ignoro: cum gloſſa utraque, & Bartenora urbem *Hieruſalemitanam* diſtinguant a *Mikdaſch*, eamque velint comprehendi ſub *Medinah*, id eſt *Provincia.* Sed eruditiſſimus Seldenus, non minus docte quam ſatis fuſe doctiſſimum Scheringhamum refutavit: *de Synedriis lib.* III. *cap.* XI. Unicum tantum addam; quod quamvis Maaſer Scheni *cap.* III. *Miſna* IV. *Ieruſchelaim* & *Medina* opponantur, inde tamen

tamen non ſequatur, urbem *Ieruſalem* contineri ſub voce *Mikdaſch*, ideoque *Ieruſalem* ſemper opponi *Provinciæ*. Nam in hoc loco *Ieruſalem* opponitur, tanquam *Provincia*, ſed ſanctior, in qua ſcilicet *Maaſer Scheni*, id eſt *Secunda decima*, & *Sancta levia* comedi poterant, cæteris Provinciis & Urbibus in quibus illa non poterant comedi. Sed mihi nondum probatum eſt, ubi *Mikdaſch* & *Medina* opponuntur, ibi urbem Jeruſalemitanam contineri ſub voce *Mikdaſch*, & opponi *Provinciæ*. Et quamvis Jeruſalem ſæpius קרושה *Sancta* dicatur, quia aliquem gradum habet, ex decem gradibus ſanctitatis, qui perhibentur fuiſſe in terra ſancta, ut notat *Cod. Kelim, cap.* I. & Maimonides *Beeth-Habbechira, cap.* VII. inde tamen non ſequitur, eam unquam *Mikdaſch* dici: ut etiam nimium conceſſerit Scheringhamo, doctiſſimus Seldenus, quum conſentiret iis, qui ſtatuunt *Mikdaſch* aliquando ſignificare *urbem totam*. Mirum ſane eſt, Maimonidam dicere urbem Hieruſalemitanam contineri ſub voce מקרש cum ille ipſe *Hilch. Beeth-Habbechira cap.* I. IV. doceat, *Mikdaſch* continere *pronaum*, *ſanctum*, *S. ſanctorum*, quod proprie היכל *templum* vocatur, ut & *murum* & *atrium* cum *ædificiis*, quæ in illo circuitu reperiebantur. Ita ſcilicet edoctus erat ex *Codice Middoth cap.* I. IV. & ex aliis locis. Sane totus mons, & quouſque a Talmudicis vocatur הר הבית *mons ædis*, nonnunquam dictus fuit *Mikdaſch*. Ita ſane *Har-Habbaith* a Chriſto, Marci cap. XI. XVI. dicitur ἱερὸν, *templum*, aut *Mikdaſch*. Nam cum *Berachoth cap.* IX. *Iebamoth cap.* I. & alibi legamus לא יכנס אדם להר הבית במקלו וגו׳ *Non intrabit quiſquam HarHabbaith* (montem domus) *cum baculo ſuo* &c. Chriſtus habet: οὐκ ἵνα τὶς διενέγκῃ σκεῦος διὰ τοῦ ἱεροῦ. Habes ergo ἱερὸν pro *Harhabbaith*. Quouſque autem ſeſe extenderit *Harhabbaith* docet *Codex Middoth, cap.* II. הר הבית ה׳ מאות אמה על הק׳ אמה *HarHabbaith* (mons ædis) *quadratus, erant autem ſingula latera quingentorum cubitorum*. Hunc ambitum Joſephus dicit: τεττάρων σταδίων κύκλον *circulum quatuor ſtadiorum*. Idem docetur *Piſke Thoſephoth ad cap.* II. *Middoth*. הר הבית היה לצפון ירושלים וההר היה גרול הרבה מה׳ק על ת׳ק אלא לא היה קרוש אלא ת׳ק על ת׳ק: *Mons ædis erat Hieruſolymis ad ſeptentrionem, erat autem mons valde magnus quingentorum cubitorum, ab omni latere: ſed non cenſebatur ſanctus ultra quingentos cubitos*. Sane ſi *Mikdaſch* ita ſumatur, id latiſſima ſignificatione fiet; nihilomi-

nus urbem Hieruſalemum non comprehendit. Sed ne quidem totus *Harhabbaith*, ſive *mons ædis*, ſub *Mikdaſch* comprehenditur, nec ſecundum Maimonidem, nec ſecundum *Gloſſam cap.* VII. *Ioma.* Quicquid enim eſt extra עזרה *atrium*, vocabatur גבולים *gebulim Provincia.* At vero *Harhabbaith* erat extra *atrium* ut ex Codice *Middoth*, Kelim, & ex Maimonida conſtat. Nec ſilentio præteriri debet: מדינה *Medina* & גבולים *gebulim* ſumi pro eodem, nempe pro *Provincia*, ideo *Mikdaſch* & *gebulim* opponi, eodem modo quo & *Mikdaſch* & *Medina.* Sed *Gebulim* comprehendere ipſam urbem Jeruſalemitanam, patet ex gloſſa ad *cap.* VII. *Ioma.* כל חוץ לעזרה קרו גבולים *Quidquid eſt extra atrium vocatur Gebulim*, id eſt *Provincia.* Ergo & ipſa urbs Hieruſalem eſt in *Provincia*, cum fuerit extra atrium. Ex his omnibus clariſſime patet, deceptum fuiſſe doctiſſimum Scheringhamum, quod crediderit ſub voce *Mikdaſch* contineri urbem Hieruſalemitanam, eamque Provinciæ opponi, & permiſſum fuiſſe ut Sacerdotes veſtibus ſacris in urbe incederent. Patet etiam veſtes ſacras nullum omnino uſum habuiſſe extra templum. Sed de hiſce plura diſputabimus in noſtro Opere de Tabernaculo, & Templo Salomonis, ſi Deus vitam & otium conceſſerit.

DCCXVII. Nihilominus in ſumma neceſſitate illud factum eſt, ut Sacerdotes veſtibus ſacris amicti etiam extra urbem abiverint. Legimus enim apud *Ioſephum Antiq. lib.* XI. *cap.* VIII. Pontificem Max. Simeonem Juſtum, aut Jaddum, cum reliquis ſacerdotibus, omnibus in ſacro veſtitu, immo totum populum, albis quoque veſtibus indutum, Alexandro Magno, Judæis vehementer irato, & minitanti ſe urbem militibus prædam daturum, quod ſibi auxilium non tulerint contra Tyrum, & quod noluerint, Darii amicitia ſpreta, novum fœdus ſecum inire, iiſdem legibus, quibus antea pepigerant cum Dario, obviam iviſſe extra portam, uſque ad locum *Sapha* dictum, ut iram ejus lenirent pacemque deprecarentur. Non allegabo integrum locum Joſephi, non dicam quam male locum iſtum verterit Gelenjus præſertim hæc verba: *ἐν τῇ ὑακινθίνῃ καὶ διαχρυσῷ στολῇ*, *in ſtola hyacinthina auro diſtincta*, quaſi *ſtola hyacinthina*, id eſt *Pallium* ipſum auro diſtinctum fuiſſet; cum tamen Joſephus diſtinguat inter *hyacinthinam*, & *auro diſtinctam*, ut per illam intelligat *pallium*, per hanc *Ephodum cum Pectorali.* Ideo dicit non quidem *hyacinthina auro diſtincta ſtola*, ſed *hyacinthina* & *auro diſtincta* &c.

Ean-

Eandem Hiſtoriam narrant etiam Gemarici *Cod. Ioma, cap.* VII. והתניא בעשר וחמשה יום הר גריזים דלא למספד יום שבקשו כותיים את בית אלהינו מאלכסנדרוס מקדון להחריבו ונתנו להם באו והודיעו את שמעון הצדיק מה עשה לבש בגדי כהונה ונתעטף בבגדי כהונה ומיקירי ישראל עמו ואבוקות של אור בידיהם וכל הלילה הללו הולכים מצד זה והללו הולכים מצד זה עד שעלה עמוד השחר כיון שעלה עמוד השחר אמר להם מי הללו אמרו לו יהודים שמרדו בך כיון שהגיע לאנטפטרס זרחה חמה ופגעו זה בזה כיון שראה לשמעון הצדיק ירד ממרכבתו והשתחוה לפניו אמרו לו מלך גדול כמותך ישתחוה ליהודי זה אמר להם דמות דיוקנו של זה מנצחת לפני בבית מלחמתי אמר להם למה באתם אמרו איפש׳ בית שמתפללים בו עליך ועל מלכותיך שלא תחרב יתעוך גוים להחריבו אמר להם מי הללו אמרו לו כותיים הללו שעומדים לפניך אמר להם הרי הם מסורים בידיכם מיד נקבום בעקביהם ותלאום בזנבי סוסיהם והיו מגררין אותן על הקוצים ועל הברקנים עד כשהגיעו להר גריזים חרשוהו וזרעוהו כרשינין כדרך שבקשו לעשות בית אלהינו ואותו היום עשאוהו יום טוב : *Traditur vigeſimo quinto die montis Gerizim, qui lætus nobis eſt dies: quærebant Samaritani ab Alexandro Macedone ut deſtrueret domum Dei noſtri. Tradidit eis illam. Venerunt quidam & indicarunt hoc Simeoni Iuſto. Quid fecit? Veſtivit ſe veſtibus ſacerdotalibus, & ex proceribus Iſraelis quoſdam ſibi aſſumpſit, qui haberent faces ardentes in manibus. Tota nocte progreſſi ſunt, hi a latere hoc, illi a latere iſto, donec ſurgeret aurora. Quum autem orta eſſet aurora rogavit illos, qualesnam eſſent? Reſpondebant ſumus Iudæi, qui contra te rebellavimus. Quum perveniſſent uſque ad Antipatrida, oriebatur ſol, & ſibi occurrerunt. Quam primum videret Simeonem Iuſtum, deſcendit de curru ſuo, & inclinavit ſe coram eo. Dicebant ei: An Rex tam potens, qualis tu es, ſeſe inclinat coram hoc Iudæo? Reſpondit ipſis; facies ejus eſt, inſtar illius, per quem victor ſum in tota mea expeditione. Tunc rogavit eos, quare veniſtis? Reſponderunt illi: Qui fieri poterit ut deſtruas iſtam domum, in qua pro te & pro imperio tuo preces fundimus? Fuerunt nationes quæ te incitarunt, ut eam deſtrueres. His auditis, rogavit qui nam ſunt illi? Reſponderunt ſunt Samaritani, qui ſtant coram te. At ille. Ecce traditi ſunt vobis. Hoc audito, confeſtim calcaneos illis perforarunt, eosque caudis equorum ſuſpenderunt; & ſic traxerunt eos per ſpinas & tribulos, uſque ad montem Gerizim, quem ararunt & viciis conſeverunt, quemadmodum & illi quæſiverant facere domui Dei noſtri. Et ab eo tempore celebrabant diem feſtum.*

Sed hæc facta ſunt לצריך גדול *in ſumma neceſſitate*, ut loquitur Mikotzius *præcepto affir.* CLXXIII. & non niſi monitu & juſſu Dei,

Dei, ſi Joſepho credimus. *Peracto autem*, inquit, loco modo laudato, *ſacrificio, quum dormiret, monuit eum Deus per ſomnium, ut conſideret, & portas quæ urbem cingebant aperiret: utque reliqui albis veſtibus, ipſe autem cum ſacerdotalibus ſtolis obviam iret.* Quid quid eſt, ex hiſce omnibus conſtat, ſecundum legem Dei ſacerdotes veſtibus ſacris uſos fuiſſe, in ſolo Templo, illis diebus, quibus cum ſua claſſe vices peragendæ fuerunt.

DCCXVIII. Ex is quæ dicta ſunt, ſatis etiam patet: Sacerdotes veſtibus ſuis uſos fuiſſe, non unico die, aut una tantum hebdomada, ſed ſæpius, & pluribus hebdomadibus. Finita enim hebdomada, veſtes exuebant, & in arcis ſuis cuſtodiendas relinquebant ad hebdomadam ſequentem, fere ſemeſtri poſt. Quas repetebant toties donec inquinarentur, aut vetuſtate conſumerentur. Pontifex Max. etiam diu uſus eſt proculdubio veſtibus ſuis aureis. Nam noctu & cum abiret domum, veſtiario imponebantur, inde iterum depromebantur: ideoque iiſdem veſtibus aureis ſæpe, & forte aliquot annis uſus eſt. Sed res ita ſeſe non habebat cum veſtibus albis, quibus utebatur magno die expiationis, decimo Tisri: nam eadem veſte non niſi ſemel uſus eſt: id eſt unico die, & unica quidem vice. Supra ex *Cod. Ioma cap.* III. jam audivimus Pontificem Max die expiationis magnæ, duas habuiſſe veſtes albas. Aliis, & quidem pretioſioribus, utebatur mane, aliis minus pretioſis veſperi. Finita autem iſta die, eis nunquam uſus eſt per totam vitam; ſed ſequenti anno aliæ & plane novæ adhibendæ fuerunt. Erant quidem nonnulli, qui crediderint veſtes albas Pontificis Max. finito miniſterio magnæ expiationis, poſtea potuiſſe geri ab aliquo Sacerdote inferiori. In qua ſententia erat doctor Doſe *Cod. Ioma cap.* III. רבי דוסי אמר לרבות בגדי כהן גדול ביום הכפורים שכשירין לכהן הדויט: *Doctor Doſe dicit ad comprehendendum veſtes Pontificis Max. diei expiationis, quæ eſſent licitæ ſacerdoti minori.* At vero ille mox impugnatur ab aliis, qui ſtatuunt veſtes illas omnino nulli uſui amplius fuiſſe, ſed alicubi in templo abſconditas remanſiſſe: quod probare conantur ex Levit. cap. XVI. XXIII. *Poſtea veniet Aharon in tentorium conventus, & exuet veſtes lineas* (veſtes albas diei magnæ expiationis) *quas induerat quum venturus eſſet in locum ſanctum: & relinquet eas ibi.* Ad poſtrema illa verba: *Et relinquet eas ibi*, ſic commentantur Gemarici dicto loco: והניחם שם מלמר שטעונים גניזה רבי דוסא

דוסא אמר ראוין הן לכהן הדיוט ומה תלמוד לומר והניחם שם שלא ישתמש בהן יום הכפורים אחר : Et relinquet eas ibi: *Hinc diſcimus eas debuiſſe abſcondi. Doctor Doſe dicit, aptæ ſunt ut geſtarentur ab aliquo Sacerdote totius ordinis. Sed Scriptura dicit:* Et relinquet eas ibi: *ut in iis non miniſtraret alio die expiationis.* Eadem reperies *Maſſechet Kerithoth cap.* I. & apud Maimonidem loco toties a nobis laudato: *Quantum ad veſtes albas; in quibus miniſterium peragit die jejunii* (expiationis) *non utitur altera vice, ſed abſconduntur in loco ubi eas exuit, uti dicitur:* Et relinquet eas ibi; *ut earum uſus plane fuerit prohibitus.* Videatur etiam Jarchius ad Levit. XVI. XXIII. Barzelonius & alii.

DCCXIX. Veſtimentis illis albis nunquam uſus eſt, niſi magno die expiationis, ubi intrare debuit ſanctum ſanctorum, piaculum enim commiſiſſet ſi veſtibus aureis illud fuiſſet ingreſſus: quod probatur ex Levit. XVI. IV. *Tunicam lineam ſanctam induet* (Pontifex Max) *bracha lineæ carnem ejus, & balteo lineo cingetur, & tiara linea caput involvetur. Hæ ſunt veſtes ſacræ.* Hoc omnes doceat Talmudici, & cum eis vetuſtiſſimi Rabbini Græci, ut Joſephus *de Bello Iud, lib.* VI. *cap.* XV. & Philo Judæus *De Monarchia lib.* II. Sed de his plus ſatis dicta ſunt a nobis libro primo, cap. II. ubi egimus de vario genere veſtium Pontificis Maximi. Vide & hujus libri capite præcedente. Ferendi igitur non ſunt illi, qui ſcriptis ſuis tradere, aut pro concione effutire audent: Pontificem Max. veſtibus aureis adyta intraſſe ut Deum per *Urim & Thummim* interrogaret, aut etiam decimo die Thisri, ad ſolennem iſtam expiationem cum duodecim gemmis, quibus inſcripta fuerunt nomina duodecim tribuum, ut hoc modo duodecim tribus coram Deo ſtarent, utque expiarentur. Plus ſemel audivi Verbi Dei præcones, præſertim feſto aſcenſionis Chriſti in cœlum, pro concione ediſſerentes: Chriſtum illo die in cœlum aſcendiſſe, tanquam in ſanctum ſanctorum, ut coram Deo pro omnibus ſuis electis oraret & intercederet, eodem modo quo Pontifex Max. die expiationis intravit in ſanctum ſanctorum cum pretioſis lapidibus in pectorali & in humeralibus, quibus inſcripta erant duodecim nomina tribuum, ut totum populum Deo ſiſteret, pro eo oraret eumque expiaret. Quamvis veriſſimum ſit, ſanctum ſanctorum fuiſſe typum cœli, & ingreſſum Summi Pontificis Max. in ſanctum ſanctorum, aſcenſionis Chriſti in cœlum; ut & ejus preces

in adyto figuram fuiſſe precum & interceſſionis Chriſti pro ſuis electis: falſo tamen fundamento omnia iſta ſuperſtructa ſunt, quod ſcilicet Pontifex Maximus cum duodecim lapidibus pretioſis ſanctum ſanctorum intraverit, ut duodecim tribus Deo ibi repræſentaret. Sed multo magis miror quod tot viri docti & antiquitate venerandi in eodem luto hæſerint, ut crediderint ſummum Pontif. veſtibus aureis ingreſſum fuiſſe ſanctum ſanctorum. Inter quos reperio ipſum Auguſtinum, Epiphanium, Hieronymum, Bertramum, Sigonium, Buxtorfium, Magium, Dallæum, alios, quos brevitati conſulens, refutare jam ſuperſedeo. Auctores iſtos, Deo volente, accuratius examinabimus & refutabimus in noſtro opere de Sacrificiis & oblationibus, Jam ſufficiat monuiſſe lectores, ne a tam magnis viris ſe decipi ſinant.

DCCXX. Ceterum cum veſtes ſacræ ſordibus nonnunquam inquinarentur, ob ſudores alioſque caſus, & cum omnes illæ, quæ factæ fuerant tempore Moſis, non ſemper potuerint durare, ad ultima uſque fata ſacerdotii, ſed uſu & tempore tererentur, merito quis quærere poterit, quid de ejuſmodi veſtibus actum, & qualis earum fuerit uſus? Quod attinet ad veſtes quæ ſordibus inquinabantur, non quidem lavabantur, ut poſtea bene lotæ, & dealbatæ a Sacerdotibus denuo geſtarentur, quemadmodum vulgus facere ſolebat. Illæ etiam quæ tritæ & laceræ erant, non reſarciebantur ad diuturniorem uſum. Minime gentium. De veſtibus quæ ſordibus inquinabantur hæc habet Codex *Zevachim* IX. תנו רבנן בגדי כהונה נתנעלו אין מתכבסין לא בנתר ולא באהל הא במים מתכבסין אמר אביי הכי קאמר הוגעו במים מכבסין אותן בנתר ואהל הוגעו לנתר ואהל אף במים אין מכבסין ויש אמרים אין מכבסין אותן כלל שיקר *Docent doctores noſtri, ſi veſtes ſacræ inquinentur, non lavant eas, nec nitro, nec ſapone, ſed lavant eas aqua. Dixit Abai; ſic eſt dicendum: ſi inquinentur ita ut aqua purgari poſſint, lavant eas nitro & ſmegmate; ſed ſi ita inquinentur, ut ad purgationem opus habeant nitro & ſmegmate, tunc ne quidem aqua lavant eas. Sunt etiam qui dicant eas omnino non lavari.* Hanc etiam iſtius rei ibidem dant rationem: שאין עניות במקום עשירות *quia nulla eſt paupertas in loco divitiarum.* In templo enim divitiæ abundabant, & omnia ibi fieri debebant מן המובחר *ex optimo.* Scilicet לכבוד ולהפרת *ad honorem & ad gloriam.* Immo regiæ erant omnia, ut ſupra oſtendimus. At non decet Reges geſta-

geſtare veſtes lotas, laceras aut reſarcitas. Alibi etiam probavimus, veſtes ſacras debere eſſe nitidas & novas. Alii uſui omnino deſtinabantur; nempe ut inde fierent elychnia lampadum in gaudio iſto incomparabili feſti tabernaculorum. De veſtibus tritis, præſertim brachis & balteis *Còd. Sukoth cap.* V. *Miſna* III מכלאי מכנסי כהנים ומהמיינידן מהן היו מפקיעין ובהן היו מדליקין : *Brachas tritas ſacerdotum, & eorum balteos diſciderunt, illiſque accendebant* (lampades.) Eadem leges Codice *Schabbath cap.* II. non tantum de *brachis & balteis*, ſed de omnibus veſtimentis ſacerdotalibus. Nam poſtquam hæc traditio ibi repetita eſſet, additur ת״ש דתני רבה בר מתנה בגדי כהונה שבלו מפקיעין אותו ומהן היו עושין פתילין למקדש מאי לאו דכלאים לא דבוץ : *Attende quod doceat Raba filius Mathema. veſtes ſacerdotales, quæ vetuſtate tritæ ſunt, lacerantur & ex eis fiunt elychnia ad ſanctuarium. Quid? Nonne ex illis quæ ſunt duplicis materiæ? minime: ſed ex byſſinis tantum.* Vide etiam Gemaram *Joma cap.* II. Eadem obſervavit *Maimonides Kele Hammikd. cap.* VIII. כל בגדי מבגדי בהונה שנעשו צואין אין מלבנין אותן ואין מכבסין אותן אלא מניחין לפתילות ולובש חדשים : *veſtimenta ſacerdotum, ſi ſordida facta fuerint, non dealbantur, nec lavantur, ſed adhibentur ad elychnia, & nova induuntur.* Mox addit: *Si brachæ Sacerdotum totius ordinis tritæ fuerint, ut & eorum baltei, utuntur iis, ut inde fierent elychnia, quibus accendunt lampades in ſanctuario, in feſtivitate, quando hauriunt* (ſcil. aquas in feſto Tabernaculorum) *Et ex tunicis tritis Sacerdotum faciunt elychnia pro lucernis æternis.* Ad quæſtionem quomodo potuerit adhiberi balteus, cum mixtæ fuerit materiæ, ex lino & lana, & quare nulla mentio facta fuerit de pileo, vide loca Talmudica jam modo allegata, & glòſſam, & *Ceſeph Miſna, ad Maimonidam cap.* VIII. *Hilch. Kele Hammikdaſch.* Scilicet id quod de uno dictum eſt, de omnibus veſtimentis intelligi debere. Deinde ex balteo trito trahebant tantum filamenta byſſina, ut elychnia inde conficerent, relictis filis laneis; aut etiam, quod videntur innuere Gemarici *Cod. Schabbath cap.* II. id de veſtibus byſſinis tantum eſt intelligendum; non autem de *balteo*, qui eſt mixtæ materiæ.

DCCXXI. Ad eundem uſum non deſtinabantur veſtes Summi Pontificis, vetuſtate conſumptæ. Nam veſtes aureæ, quibus utebatur per totum annum, ſi laceræ factæ fuerint, ad elychnia & lucernas non deſtinabantur; ſed abſcondebantur. Maimo-

monides *Kele Hammikd. cap.* VIII. ובגדי כהן גדול שבלו גונזין אותן *veſtes Pontificis Max. ſi veteraſcerent, abſcondebantur.* Veſtes ſane albas Pontificis Max. etiam abſconditas, & nulli alii uſui deſtinatas fuiſſe, jam docuimus ex locis ſupra allegatis, *Codice Joma Hieroſ. & Babyl. cap.* II.

DCCXXII. Tandem etiam Moſes exprimit quamdiu uſus ſacrarum veſtium debuerit durare. Commate ultimo capitis XXVIII. Exodi: חקת עלם לו ולזרעו אחריו *Statutum erit æternum ipſi & ſemini ejus poſt eum.* Hæc verba non ſunt ita intelligenda, quaſi in æternum futuri ſint ejuſmodi Sacerdotes, & ſacræ veſtes. Minime gentium. Nihil jam dicam de ſignificatione vocis עלם eam ſcilicet ſæpiſſime nihil aliud denotare, quam totum iſtud tempus œconomiæ ſub lege Moſaica. Ergo quamdiu lex Moſaica fuit obſervanda, uſque ad tempora Meſſiæ, tam diu durare debebant & ſacrificia & ſacerdotes & veſtes ſacræ, & tota ſupellex. Cum itaque veſtes ſacras habuerint, Sacerdotes ad ultima uſque fata legis cærimonialis, lex illa de veſtibus ſacris לעלם *in æternum* adimpleta eſt. Ita enim veſtiebatur Aharon & filii ejus, & eorum ſemen, poſt eos, quamdiu fuerunt ſacerdotes. At poſt adventum Meſſiæ, Sacerdotio abolito, per Sacerdotium Chriſti, nullum ſemen ſacerdotale amplius habuerunt Aharon & filii ejus, ergo & nullas veſtes Sacerdotales. Male igitur ex hoc loco colligunt Judæi, Sacerdotium ſtare debere uſque ad finem mundi, quare tam ſoliciti ſunt de tribu Levi, & de familia Sacerdotum conſervanda. Nihil morantur quod reliquæ tribus interierint, & quod nemo hodie tribum ſuam probare poſſit, modo quibuſdam ex illis integrum ſit, mentiri ſe eſſe e Sacerdotum aut Levitarum familia. Ideo tot reperiuntur hodie qui ſe *Cohanim Sacerdotes*, aut *Leviim Levitas* jactitant; ſcilicet quia ſpe vana iſta lactantur, fore, ut tandem Sacerdotium poſtliminio revocetur, de novo ſtabiliatur; ut illi qui tam felicibus ovis nati ſunt, ad Sacerdotium promoveantur.

DCCXXIII, Sed ipſi Judæi hæc verba ſecundum ſuam ſententiam explicare non poſſunt, nam revera, quocunque ſenſu id ſumant, veſtes ſacræ non durarunt in æternum, cum jam nec Sacerdotium, nec Sacerdotes, nec veſtes habuerint per ſedecim ſæcula. Sed ne ad tempora quidem Chriſti, aut ad Veſpaſianum, quo duce templum Jeruſalemitanum dirutum eſt,

eſt, uſus omnium veſtimentorum ſacerdotalium obtinuit. *Pectorale* ſane eundem uſum, quem habuit tempore Moſis, non habuit tempore Chriſti, ceſſavit enim jam aliquot ſæculis ante natum Chriſtum URIM & THUMMIM in pectorali, nullumque uſum habuerunt ſtante templo ſecundo. Nam per ea ſub Templo ſecundo nec interrogabat Pontifex Max. nec reſpondebat Deus. Fateor Joſephum *Antiquit. lib.* III. *cap.* IX. docere, Deum per *Urim* & *Thummim* reſpondiſſe ſub Templo ſecundo & deſiiſſe tantum ducentis annis antequam hiſtoriam ſuam ſcriberet, irato ſcilicet Deo, ob violatas leges. Reperiuntur & alii, ut Rabbi Azarias in *Meor enaim cap.* L. qui adſirmare audent, ſub templo ſecundo *Urim* & *Thummim* exſtitiſſe, eo magis quod tunc temporis vixerint Prophetæ Haggæus, Zacharias, & Malachias. Sed cum dona prophetica in Haggæo, Zacharia, Ezra & Malachia quadraginta tantum annis viguerint, ut docet liber *Coſri parte* III. §. LXV, *Urim* & *Thummim* ultra id temporis ſpatium duraſſe non eſt credibile. Sed & hoc dubium eſt. Nec probari poteſt ex Ezra cap. II. LXIII. & Nehem. cap. VII. LXV. *Edixit Regis legatus eis, ut non comederent de re ſancta ſanctorum, donec exiſteret ſacerdos cum Urim & Thummim.* Nam etſi inde quidam colligant, in ſecundo Templo debuiſſe reperiri *Urim* & *Thummim*, ſi non ſemper, ſaltem aliquot annis; nihilominus illi ridentur a doctiſſimis Gemaricis. Hi enim ſtatuunt ea plane non extitiſſe in templo ſecundo. Videatur *Codex Sota cap.* IX. & Jarchius *ad Eſdræ cap,* II. *Sane ſi unquam Sacerdos ſub Templo ſecundo exſtare debuit cum* Urim & Thummim, *id fieri debuiſſet temporibus Sancti viri Ezræ. Quid? ſi quis dicat talem fuiſſe Malachiæ vel Zachariæ temporibus? Si res ſe ita habuit, tamen nondum probatum eſt, exſtitiſſe poſt iſta tempora* Urim & Thummim. *Quid? ſi credamus ipſum Servatorem J. Chriſtum* Sacerdotem *hic prædici? Qui alium exiſtimant, doceant nos quis fuerit, & quo tempore, vel ante, vel poſt Chriſtum vixerit. Ante* J. Chriſtum, *poſt Ezram, talis Sacerdos indicari non poteſt, poſt Chriſtum talis nemo expectandus fuit.* Notum eſt Gemaricos, cum Babylonicos, tum Jeruſalemitanos docere quinque res defuiſſe ſub Templo ſecundo; inter quas etiam numerant *Urim* & *Thummim.* Sunt autem quinque iſtæ res I. *Ignis.* II. *Arca fœderis.* III. *Urim & Thummim.* IV. *Oleum*

unctionis. v. & *Spiritus Sanctus.* quod exterebrare noverunt ex Haggæi capite primo commate VIII. præſertim ex voce ואכבד׳ deficiente ה pro ואכבדה *glorificabo eam*, ſcilicet *domum ſecundam.* At cum in iſta voce *glorificabo eam* ה deficiat, & cum ה ſignificet numerum quinarium, concludunt quinque iſtas res ibi defuiſſe. Videatur *Codex Thaanith cap.* II. Gemaræ Jeruſalemitanæ. Et *Codex Ioma cap.* II. Gemaræ Babyl. *Cod. Sota cap.* IX, Rabbi Nathan *in Pirke Avoth* etiam veſtes Sacerdotum abſconditas fuiſſe docet. Quod accipiendum puto de veſtibus ſummi Pontificis, quæ dignæ erant ut abſconderentur, cum propter oracula, tum ob ingens pretium. *Urim* & *Thummim* nullum uſum habuiſſe ſub Templo ſecundo, docet etiam Joſephus Ben Gorion. Cum enim Alexander Magnus peteret a Summo Pontifice ut oraculum conſuleret utrum pugnaturus eſſet cum Dario; reſpondit ei Pont. Max. ſecundum editionem Germanicam: פון דעם טאג אן דש צו שטוירט איז ווארדן דש הויש דש דאזיגן אין דער גפנקנוס בבל דא זיין זר בורגן ווארדן פון אונש דיא אורים אונ׳ דיא טומים : Von dem tag an das zu ſteuert is worden / das hauß des doſſigen (hac elegantia uti ſolent Judæi, ubi Germanice ſcribunt) in der gefanckniß Babel da ſein zerborgen worden von uns die Urim undt die Thummim/ *Ab illo die, quo vaſtata eſt domus hujus* (Dei) *a captivitate Babylonica, occultata ſunt Urim & Thummim.* In editione Hebræa tamen non reperiuntur verba illa. Habeo manuſcriptum Hebræum nitidiſſimum & elegantiſſimum; ſed hæc verba non continet. Doctiſſimus Buxtorfius in *Hiſtoria Urim & Thummim, cap.* V. conqueritur quod illa non reperierit in editione Munſteri, ut dubitet utrum non reperiantur in Veneta. Et ſane in Veneta reperiri, nos monuit doctiſſimus Le Moyne, apud Leydenſes S. Theologiæ Profeſſor. *Codicem Venetum, in quo illa leguntur, mihi comparavi, eodem anno quo hoc opus primum fuit editum, ibique eadem legi.* Mea opinione ex *Codice Sota cap.* IX. deſumpta ſunt. In uſu itaque fuiſſe ſub Templo ſecundo, *Urim* & *Thummim* nemo mihi facile perſuaſerit. Hinc eſt quod Gemarici *Codice Sotah* tradant ſub Templo ſecundo Deum ſeſe revelaſſe per בת קול *filiam vocis*, id eſt vocem quandam formatam a voce e cœlo egrediente: משמתו חגי זכריה ומלאכי נסתלקה רוח הקדש מישראל ואע״פ כן היו משתמשין בבת קול : *A quo tempore obierunt Haggæus, Zacharias & Malachias ceſſavit Spiritus Sanctus inter Iſraelitas. Nihilominus tamen miniſtrabant per filiam vocis.* Adducuntur ibi exempla

pla quædam illius vocis e cœlo editæ. Ejuſmodi vocem nonnulli putant fuiſſe illam, quæ e cœlo audita eſt, & Chriſto teſtimonium dedit, Matthæi XVII. v. *Hic eſt filius meus dilectus &c.* Johan. XII. XXVIII. Sed hæc non ſunt hujus loci.

DCCXXIV. Quid? Probari non poteſt ſub Templo primo, uſque ad illius ruinam *Urim* & *Thummim* oracula edidiſſe. Hoc factum fuiſſe ante tempora Salomonis conſtat, ſed poſt illius regnum nullum habemus exemplum. Et ſane Miſna (*Cod. Sotah cap.* IX. docet *Urim* & *Thummim* ceſſaſſe cum Prophetis prioribus, Gemara autem ad eandem Miſnam docet Prophetas priores fuiſſe *Davidem*, *Samuelem* & *Salomonem* Abarbanel ad legem *Paraſcha Thezave* hujus rei hanc putat eſſe rationem: Quod ſub ſecundo Templo non amplius exſtiterint duodecim tribus; ideo non amplius potuiſſe conſuli, cum interrogatio fieri debuerit pro toto populo. Et quamvis hæc ratio non ſit ſatis evidens, cum etiam pro ſolo Rege, pro Principe Synedrii, aut pro aliis viris Principibus conſuli potuerit, tamen non eſt plane contemnenda. Inepta ſunt quæ addit: *non amplius fuiſſe nomen Tetragrammatum penes ſummum Pontificem*; quaſi per nomen iſtud oracula data fuiſſent, quod a nobis ſupra jam exploſum eſt. Sed & Talmudici pluribus in locis docent: illud nomen non tantum notum fuiſſe, ſed & ſciviſſe S. Pontificem modum illud pronunciandi, ut etiam uſque ad urbem Jericho auditum fuerit; *Cod. Tamid, cap.* III. & quoſdam illud uno ductu ſingulari arte ſcripſiſſe. Majoris ponderis eſt ratio quam dat Maimonides *Kele Hammikd. cap.* X. ſcilicet quod nullus fuerit, ſtante Templo ſecundo, Sacerdos Spir. Sancto præditus, & ſuper quem habitaret divina præſentia. Sed evidens eſt ratio quare ſub Regibus nulla edita fuerint oracula. Nam ante Reges Imperium Judæorum mera fuit θεοκρατεία, *Regnum Dei.* Ideo Deus ipſe mandata dedit populo ſuo in rebus graviſſimis, per *Urim* & *Thummim.* Sed Regibus creatis, & forma regiminis mutata ex θεοκρατεία in imperium humanum, ipſi Reges mandata dederunt, Deo ſilente, & ejuſmodi oraculis finem imponente. Ut ut eſt, manifeſto conſtat, *Ephodum* & *Pectorale*, verum ſuum uſum, & præcipuum quidem, non retinuiſſe uſque ad Templum ſecundum, multo minus ad ultima uſque fata ſacerdotii.

DCCXXV. Nihilominus tamen Veſtes ſacræ ipſæ & Ephod & Pectorale & Gemmæ, ideoque & ipſa *Urim* & *Thummim*, quo ad for-

ad formam & Symbolum in ſecundo Templo, uſque ad tempora Chriſti, immo & Titi Veſpaſiani remanſerunt. Nam quandoquidem Summus Pontifex octo veſtibus amictus eſſe debuit, inter operandum, non poterat carere Ephodo & Pectorali, non magis quam brachis, tunica, balteo, pileo, pallio aut ullo alio veſtimenti genere. Sic enim fuiſſet מחוסר בגדים *deficiens veſtibus* contra expreſſum Dei mandatum. Eodem modo, quo in ſecundo Templo habebant Arcam, candelabrum; & id genus alia: non quidem illa quæ a Bezelèle, ſed quæ ſtante Templo ſecundo ab aliis artificibus, ad formam priorum, conſtructa fuerant: ſic & eadem veſtimentorum genera habebant. *Toſephoth Ioma cap.* I. אורים ותומים היו שאם לא כן היה כ״ג מחוסר בגדים אלא לא היו משיבין לנשאלין: *Urim & Thummim erant* (in Templo ſecundo) *alias Pontifex Max. veſtibus caruiſſet; ſed per illa non reſpondebatur ad interrogata.* Maimonides [*Kele Hammicdaſch.*] *cap.* X. עשו בבית שני אורים ותומים כדי להשלום שמונה בגדים ואפילו שלא נשאלין בהן: *Fecerunt Urim & Thummim in Templo ſecundo: ut perficeretur numerus octonarius veſtimentorum, quamvis per ea nulla data fuerit reſponſio.* Sic & Joſephus Karo in *Ceſeph Miſna* ad hunc locum obſervat in *Codice Kidduſchim capite primo* legi: דבימי בית שני בקשו חכמים אבנים לאפוד *In domo ſecunda quæſiverunt ſapientes lapides ad Ephodum.* Manifeſtum igitur eſt omnia remanſiſſe uſque ad extrema fata ſacerdotii iiſque uſos fuiſſe Pontifices inter operandum, quamvis idem uſus in omnibus rebus, præſertim in edendis oraculis non ſemper remanſerit. Quid quid eſt, cum Sacerdotes ſacris veſtibus uſi fuerint, quamdiu duravit ſacerdotium, optimo jure dici poteſt, adimpletum fuiſſe mandatum, quo Deus cavit, ut Aharon & filii ejus veſtibus illis ſacris uterentur, & ut eis eſſet חקת עולם ולזרעו אחריו: *Statutum perpetuum, & eorum poſteris poſt eos.*

DCCXXVI. *Habent ſua fata libelli. Laudantur ab his, culpantur ab illis.* Ita ſane & huic meo contigit Operi De Veſtitu Sacerdotum Hebræorum. Nemo, quantum ſcio, ipſum Opus hactenus vituperare auſus eſt. Eruditiſſimis acceptum gratumque fuit: quod non ſolum ex doctiſſimorum Virorum Epiſtolis ad me miſſis, quibus illud ſummopere laudant, mihique gratulantur ac magno applauſu omnia probant, ſed & ex plurimis, non infimi nominis Virorum Conſcriptionibus, quæ lucem ab eo tempore vident, in quibus de me honorifice fit mentio, meumque opus commendatur, manifeſto patet.

At

„ At placeat quantum poteſt doctoribus, laudent illud rerum „ æqui æſtimatores, tamen dentes quorundam ſenſit malevolo- „ rum qui de aliorum, quos minus amant, laboribus atque vi- „ giliis, ex invidia, livore, non raro ex ignorantia, magis „ quam ex rei veritate, ſua effutire amant. Criticos habui quos- „ dam. Eos qui humane, modeſte, ut doctos Muſarum alum- „ nos decet, laudo, illiſque gratum teſtabor animum. Qui ſe- „ cus, eruditorum judicio, eorumque juſtæ indignationi qua ſe „ dignos reddiderunt, relinquo. Inhumaniorem iniquioremque „ Bernhardo Anglo, in ſuis ad Joſephum Criticis, Libro tertio, „ nullum expertus ſum. Is, dicto loco, præter alia nonnulla, „ quæ injuſte & invida mente alibi ſugillat, magna criſta atque „ ferocia in me invehitur, maxime quod adfirmare fuerim auſus „ *Oraculum per Urim & Thummim, ſub Templo ſecundo nullum fu-* „ *iſſe; immo jam ceſſaſſe: poſt tempora Salomonis ſub Templo primo.* Gran- „ de ſcilicet peccatum, quod Jepho, vel ejus operis depravatori, „ vel neſcio quibus ſciolis contradicere fuerim auſus. Cum au- „ tem hodie ſudet prælum in eodem meo opere denuo excuden- „ do, ne lector forte Bernhardi, tanti Eruditionis dictatoris „ decipiatur auctoritate, aut deceptus in ſuo errore confirmetur, „ ſed ut cuilibet clarum fiat, quanta a nobis veritate ſit aſſer- „ tum, quod de Ceſſatione Oraculi per Urim & Thummim ha- „ buimus, quanta vero criſta, fidentia & audacia ſugiller, con- „ temnar a Bernhardo, quam injuſte acri me aceto perfundat, „ exiſtimavi non fore ingratum, ſi hac ſecunda editione ejus ca- „ villationes ſugillationeſque retundam.

„ DCCXXVII. Videtur itaque Bernhardus hæc, quæ de *Ceſ-* „ *ſatione Oraculi per Urim & Thummim* habui, legiſſe; ſed magno „ præjudicio atque feſtinatione, animo contradicendi, ut, neſ- „ cio qua *criſta* atque *fidentia*, ſuo more, inſtar pugnaciſſimi „ Galli Gallinacei, criſtam erigat, eaque reprehendat ſugil- „ letque hiſce verbis: *De tempore, quando hoc Oraculum deſeruiſſe* „ *tandem ingratos Judæos planeque evanuiſſe affirmat Ioſephus, multa* „ *eum fidentia atque criſta reprehendunt ſugillantque recentis ævi Theolo-* „ *gi Schotanus Braunius, dictis Pharizæorum freti.* Hæc ille. Si „ ita loqui, non eſt criſtam, fidentiam, immo & impudentiam „ prodere, recentiſque ævi Theologos impudenter ſugillare, ju- „ dicent eruditi, ſimul & cordati, qui veram ſapientiam,

„ modeſtiam humanitatemque amant. Sed *dictis Pharizæorum fretus* „ hæc tradidi. Scio quanta fides habenda ſit Pharizæorum fa- „ bulis, & quo uſu ſint legendi. Rideo eorum ineptias omnes- „ que fabulas, non minus quam Romanorum, Græcorum, „ Ægyptiorum, Arabum omniumque reliquorum populorum; „ ſcio tamen non minus quid ſub fabulis, ſive Judæorum, „ ſive aliorum lateat. Sed miſeri Judæi, miſeri Pharizæi! „ Si Bernhardo credas, illi ſoli fabulantur, ipſis ſolis fi- „ des eſt deneganda. Soli blattis atque tineis, immo Vulcano „ tradendi ſunt, & ad orcum relegandi, ut citius pereant. Bea- „ ti mendaces Græculi, & qui eorum ſequuntur veſtigia Ro- „ mani! Beati reliqui fabulatores omnes! modo non ſint He- „ bræi. Fabulentur, nugentur, mentiantur, quantum velint: „ quoniam ita Bernhardo placuit, audiendi ſunt, legendi ſunt, „ immo admiratione ubique ſoli ſunt digniſſimi. Si a Joſe- „ phi ſententia recedere, eſt eum reprehendere, multaque „ fidentia atque criſta ſugillare, tunc ſane & ipſe Bernhar- „ dus eum turpiter ſugillat: cum toties ab eo recedat. Non ſo- „ lis Pharizæis fretus hæc tradidi, ſed fretus auctoribus dig- „ niſſimis, ftetus ipſo verbo divino. Ipſe Bernhardus nonne „ fretus ſolis Judæis, fretus Pharizæis, ipſo ſcilicet Joſepho, „ vel decepto, vel corrupto, ut in pluribus locis ſolet, fretus „ ipſis Maccabæorum Hiſtoriæ Scriptoribus, qui omnes Judæi, „ immo Pharizæorum primi fuerunt, nonne, inquam, hiſce „ Pharizæis fretus Bernhardus ſua in me effutivit. Si tua ſen- „ tentia, Bernharde, nunquam erraſſet Joſephus, aut ſi ejus „ ſcripta nuſquam fuiſſent corrupta, maiori *fidentia* majoreque „ *criſta recentis ævi Theologos meque ſugillare* potuiſſes. At, cum „ contrarium fateri cogaris, cur tanta *fidentia* tantaque *criſta*, „ cum hic, ſine ratione, tanto virorum doctorum contemptu, „ tanta in me acerbitate defendis? cum, ſi vera prudentis viri „ uti velis cautela, non facile credendum ſit ei, qui te vel ſe- „ mel decepit. Nulla eſt ratio ob quam magis credas Pharizæis, „ qui Græce ſcripſerunr, Jaſoni Cyrenaico, Maccabaicæ Hiſtoriæ „ Scriptoribus, Philoni Judæo, inſignis Fabulatoribus, ipſi Jo- „ ſepho, qui non minus quam reliqui toties deceptus eſt, qui „ omnes Judæorum ritibus rebuſque geſtis multas hiſtorias Ro- „ manas aliaſque, multos ritus, mores, varia bella atque Phi-

loſo-

„ loſophica plurima, immiſcent; Nulla eſt ratio, ob quam illis „ magis credas, quam Pharizæis Talmudicis, Rabbi Akibæ, „ R. Hunæ, R. Meir, R. Schimeon, R. Jehudæ Hakkadoſch, „ Scholæ Hillelis & Schamæi, totque aliis, qui de Legibus Moſaicis, „ atque circa eas ſepimento, adeoque de tota Religione Hebræorum „ eorumque ſacris, data opera atque deliberato conſilio agunt.

„ DCCXXVIII. Defuiſſe Urim & Thummim, non ſolum ſub „ Templo ſecundo, ſed & ſub Primo, poſt tempora Salomonis, con- „ jicere auſus ſum, ob varias rationes quas attuli. Det mihi Bern- „ hardus, aut quicunque contrarium tanta audacia adfirmat, vel „ unicum exemplum ex verbo Dei, vel ex Joſepho, vel ex ullo „ alio probatæ fidei auctore, alicujus Oraculi per Urim & Thum- „ mim, poſt Regem Salomonem. Ipſe etiam Joſephus libro I. „ contra Apionem adfirmat, ſub Artaxerxe Longimano, id eſt ul- „ tra quingentos annos antequam iſta ſcriberet, Spiritum Prophe- „ ticum deſiiſſe. Tempore Judæi Maccabæi nullus fuit Propheta, „ qui ad res dubias reſponderet. Hactenus exſpectabatur. Vide „ *Maccab. lib* I. *cap*, IV. *&* IX. & XIX. Si adfuiſſet Pon- „ tifex Max. cum Urim & Thummim, nonne habuiſſent qui ad res „ dubias reſpondiſſet? Id præcipuum ipſius fuiſſet munus. In hunc „ uſum *Urim* & *Thummim* ipſi datum fuerat. Ipſe itaque Joſephus „ hoc loco ſibi contradicit, nam ſi quingentis annis antequam hæc ſcri- „ beret, nullus fuit Propheta qui ad Reip. & Eccleſiæ dubia re- „ ſponderet; ſane nullus fuit ducentis annis antequam ſcripſerit.

„ DCCXXIX. Decantatum illud Talmudicorum dictum, quin- „ que res defeciſſe ſub Templo ſecundo, I *Urim* & *Thummim*. „ II *Ignem Sacrum*. III. *Arcam Fœderis* IV. *Oleum Unctionis*. „ & V. *Spiritum Sanctum*, Bernhardus magno niſu eludere co- „ natur. Immo res iſtas ſacras exſtitiſſe majori *fidentia* & ere- „ ctiori *criſta* probare tentat, quam ab aliis negatur. *Ignem* ὀυρανο- „ πετῆ non defuiſſe exiſtimat, quoniam traditur, defoſſum a Je- „ remia, poſtea fuiſſe repertum. At fabulæ iſti de igne in puteo „ abſcondito, in aquam craſſam mutato, & denuo in ignem con- „ verſo, de quo *Maccab, lib.* II. *cap.* I. quis, niſi fabularum „ inſigniter credulus, fidem habebit? Credat etiam eundem ig- „ nem ex lapide percuſſum, eodem *libro cap.* X. tamen non putet „ ſe contraria credere, non magis ac ſi credat Antiochum Epi- „ phanem ter mortuum fuiſſe. Primo Babyloniæ in lecto ſuo.

„ 1, *Maccab.* vi. deinde in Templo Nannææ lapide obrutum, „ 2 *Maccab. cap.* 1. Ultimo in montibus decidentem de curru. „ *cap.* ix. ſcilicet: *Treis animas ipſi dederat Feronia Mater, ter* „ *arma movenda, ter letho ſternendus erat.* Qui hæc concoxerit, „ facile quoque cum Bernhardo deglutiet eorundem fabulas reli- „ quas de *Tabernaculo* & *Arca* per Jeremiam abſconditis & re- „ pertis, cum eodem שכינה præſentiam Summi Numinis & Sp. S. „ in ſecunda æde fuiſſe adfirmabit. *Oleum* ſacrum ſub Templo „ ſecundo ſuperfuiſſe, non ſolidioribus probat argumentis. Pauca „ quædam dicit, ſed gratis, ſine probatione, ſola Magiſtri au- „ ctoritate. At eadem facilitate, qua ab eo proponuntur, a no- „ bis rejiciuntur. Habebant *oleum* fateor, ut & *ignem*, & *ar-* „ *cam*. & reliqua vaſa ſacra tamen nulla iis credebatur ineſſe ſan- „ ctitas neque vis, qualem habebant ſub Templo Primo. Sacer- „ dotes, non *oleo*, ut ſub Templo primo, ſed ſolis veſtimentis „ initiabantur, ſpacio ſeptem dierum, quamdiu durabat præſidi- „ um in Templo, Ideo מרובה בגדים *multiplicatio veſtium* diceba- „ tur Sacerdotum *inauguratio*, quod & nos in hoc opere demon- „ ſtravimus, variiſque aliis locis Talmudicis probari poſſet, ſi „ miſeri Pharizæi haberent fidem. Sed apud ipſum Joſephum „ *Antiq. lib.* x. ix. *cap.* vi. ἅπαξ ἐνδῦναι ςολισμὸν ἱερὸν eſt *creari* „ *Pontifex Maximus*, ut optime obſervat Seldenus. De *Oleo* „ *Sacro* apud Joſephum altum eſt ſilentium, & de Jonatha uncto, „ ut Sacerdotio inaugurraretur, nihil habet. At inſignia, ſi Ber- „ nhardo credimus, ſub Aſmonæis facta ſunt miracula. De Mi- „ raculis iſtis temporibus nemo dubitabit, ſi libris Maccabæorum, „ ſi Joſepho fidem habeat. Sane legat qui volet, & ſine tædio, „ ſi poteſt, *ſecundum librum Maccab. cap.* iii. & x. & xi. & „ xv. *&* *libro* iii. *cap.* v. ut & Joſephum *Antiq. libro* xiii. „ *cap.* xx. tot tantaſque reperiet fabulas, tot figmenta putida, „ ut ne ipſe quidem Iudæus Apellas eas crederet. Sed conceda- „ mus puerili credulitate omnia iſta vera fuiſſe miracula, ideone & „ iiſdem temporibus Oraculum viguit per Urim & Thummim? „ qua tamen figura hoc argumentum procedat non animadverto.

„ DCCXXX. At magnum myſterium nobis aperit Bernhardus. „ Sartum ſcilicet tectumque remanſiſſe Oraculum per *Urim &* „ *Thummim*, uſque ad tempora Ariſtobuli Nicanoris. *Nullum* „ *tempus*, inquit, (& hoc in hac cauſa præcipuum eſſe videt)

ap-

,, *aptius occurrit digniuſque, quando fulgoris ſui oraculi extingueret*
,, *iratum numen, Pontificique ſilentium imponeret: quam* κατὰ παράδο-
,, σιν ἱερατικὴν *hoc loco retulit Ioſephus.* Pergit, *Ea fuit virtus Io-*
,, *hannis Hyrcani, pietas tanta, prudentia, fortitudo & conſtantia,*
,, *ut cum meliori anima abſcedere haud potuerit divina* ἀλήθεια. *tan-*
,, *ta ſtatim nequities faſtuſque Ariſtobuli & ſuccedentium ei Ponti-*
,, *ficum tot flagitia & parricidia, nihil mirum ſi a tam cruentis &*
,, *polutis pectoribus abhorruerit S. Dei Spiritus. ſive hac occaſione*
,, *in ſedes meliores ſuperaſque omnino ſe receperit.* Multa in glori-
,, am Iohannis Hircani ſequuntur. En iterum ſolidiſſimum argu-
,, mentum. Iohannes Hyrcanus Vir fuit ſanctiſſimus, omnibus
,, virtutibus ornatus, Pontifex Max. digniſſimus; ergo *Oracu-*
,, *lum per Urim & Thummim* ab eo recedere non poterat. At
,, quid ſi ego dicam & probem (ut mox probabimus) Iohannem
,, Hyrcanum fuiſſe Summum Pontificem indignum, improbum,
,, contra legem Dei, hæreticum Sadducæum, an tamen eum dicet
,, Bernhardus dignum, ut ab eo non recederet *Oraculum per U-*
,, *rim & Thummim?* Fateor de eo tanta dici a Ioſepho *Antiq.*
,, *lib.* XIII. *cap.* XVIII. ut vix majora dici poſſint de Moſe; erat
,, enim ἄρχων, ἀρχιερεὺς, καὶ Προφήτης, *Princeps, Pont. Max.*
,, *& Propheta.* Immo *nactus erat futurorum ſcientiam.* An ideo
,, θεόπνευστος? An oracula per Urim & Thummim ideo depromp-
,, ſit? & uſque ad ipſius tempora ab ejus prædeceſſoribus id fa-
,, ctum eſt? Neutiquam. Contradicit Bernhardo ipſe Ioſephus,
,, quo ſolo Pharizæo fretus, hæc dixit. Ceſſavit enim Oracu-
,, lum per *Urim & Thummim*, ducentis annis antequam hæc ſcri-
,, beret, Ioſepho monente. Ergo Oraculum ad Iohannem Hyrca-
,, num neutiquam pervenit, ſed jam ante eum aliquot forte annis
,, ceſſavit, multo minus ad tempora impii duravit Ariſtobuli ſi
,, ipſi credamus Joſepho. Diem enim Ioh. Hyrcanus obierat
,, anno præter propter CLXX. antequam Ioſephus ſua ſcripſiſſet;
,, ergo antequam Ioh. Hyrcanus Pont. Max. creatus eſſet, aut cir-
,, ca illa tempora, cum XXXI. annis regnaverit. Nihil itaque ipſi
,, fuit commune cum *Urim & Thummim*; etiam ſi fuiſſet Vir ſan-
,, ctiſſimus, & ſine errore. Debuiſset ſane Urim & Thummim,
,, ſi uſque ad Ariſtobulum remanſit, ceſſaſſe non ducentis, ſed
,, centum & ſeptuaginta tantum annis, antequam Ioſephus ſua
,, ſcripſit. Sed ad hæc non attenderat Bernhardus.

,, DCCXXXI. Sed & aliud myſterium ipſi aperiam: Nempe
,, Iohannem Hyrcanum (qualiſcunque Vir fuerit) non fuiſse Sum-
,, mum Pontificem probum, legitimum & ſecundum legem Dei.
,, Quis igitur credet, concredita ipſi fuiſse Oracula Dei *per U-*
,, *rim & Thummim?* Legitimum & probum Pont. Max. eum non
,, fuiſse concedunt mihi omnes, qui noverunt lege divina cautum
,, fuiſse, ut S. Pontifex ſit natu Maximus, ex majore natu filio-
,, rum Aharonis. Uno verbo, debebat eſse ex genere ἀρχιερέων,
,, ut loquitur Joſephus. Non ſine cauſa ex ordine Summorum
,, Pontificum rejicitur Alcimus, cum ob manifeſtam impietatem va-
,, riaque ſcelera, contra legem Dei, tum præcipue etiam quod non
,, fuerit ex ordine ἀρχιερέων, ut habet idem Ioſephus. Pontifex
,, quidem ex Aarone oriundus, ſed non ex genere Summorum Pon-
,, tificum. *Antiq. lib.* XII. *cap.* XV. Ob eandem rationem ex
,, ordine Summorum Pontificum rejiciendus eſt Johannes Hyrca-
,, nus, cum tota familia Matthiæ, a Juda Maccabæo, uſque ad
,, ultimum Maccabæorum nepotem. Fuerunt enim Maccabæi Sa-
,, cerdotes ἐξ ἐφημερίας Ἰωάριβ, ut idem loquitur Joſephus *An-*
,, *tiq. lib.* XII. *cap.* VIII. Idem docetur 1 *Maccab. lib.* II. *cap.*
,, 1. *Ephemeria* autem *Ioaribi* ex Genere ἀρχιερέων non fuit, præ-
,, terquam quod iſta familia in Captivitate Babylonica extincta fue-
,, rit. Quatuor Familiæ tantum, præter Pont. Max. ex capti-
,, vitate Hieroſolymas redierunt, *Jedaia* nempe, *Harim*, *Paſchur*
,, & *Immeri.* Ex hiſce per ſortem iterum XXIV. Ephemeriæ,
,, ſive cohortes conſtitutæ ſunt, quales fuerunt juſſu Davidis.
,, 1 Chron. XXIV. *Jedaja* ex urna ſex ſumebat, unam ſibi, &
,, quinque reliquis. Idem factum eſt ab *Harim*, *Paſchur*, & *Im-*
,, *meri.* Obtigerunt autem *Jedajæ*, *Joarib*, *Jedaja*, *Charim*, *Seorim*,
,, *Melechias*, & *Benjamin.* De hiſce videat qui poteſt *Toſaphoth*
,, *Taanith. cap.* IV. Inſcribebantur itaque ordinibus capita pri-
,, ſtina, uti fuerunt ante Captivitatem Babylonicam. Ob ean-
,, dem rationem Zacharias dicitur ex ordine *Abiæ.* De quo
,, Lucæ cap. 1. Com. v. etiamſi familia Abiæ interierit.

,, DCCXXXII. Cum igitur Maccabæi ex genere ἀρχιερέων
,, non fuerint, certum eſt eos omnes functos fuiſſe Summo Sa-
,, cerdotio non legitime, ſed improbe contra legem Dei: quod
,, de ipſo Johanne Hyrcano adfirmari debet: ut forte non grande
,, commiſerit peccatum Eleazarus (qui & ſuos ipſe habuit nævos)

Hyr-

„Hyrcano dicens, *Si vis eſſe juſtus abdica te Pontificatu, & contentus eſto Principatu populi.* Vide Joſephum *Antiq. libr.* XIII. „*cap.* XVIII. Sufficere ſane debuiſſet Viris, qui Dei Legem, „qui Religionem, qui Sacra amant, qui ea caſte obſervare cu„piebant, qui ex Summorum Pontificum ordine non fuerunt, „ut Sacerdotio ordinario fungerentur; aut ut plurimum Princi„pis contenti eſſent dignitate, ut Remp. ſartam tectamque con„ſervarent, prohibendo ne ſanctiſſimis Dei legibus vis inferre„tur. Ante omnia cavere debebant, ne Summum Sacerdotium „ab ullo adminiſtraretur, cui Lege Dei fuit prohibitum. E„tiamſi itaque laude digniſſimi fuerint Aſmonæi, ob inſignia, „ad Reip. & Religionis tutelam, facta; graviſſime tamen pec„carunt, quod violaverint Legem Dei, in ſe ſuſcipiendo Sum„mum Sacerdotium, cum ex genere ἀρχιερέων non fuerint. „Graviſſime itaque & ipſe Johannes Hyrcanus peccavit.

„ DCCXXXIII. Adde Summum Pontificem tota ſua vita, „miniſterio iſto fungi debuiſſe, expreſſa Lege Dei. Num. XXXV „com. XXV. quod & ſuum habebat myſterium. Aſmonæi ve„ro, quod ex genere Summorum Pontificum non fuerint, jure „hæreditario, a Regibus Gentilibus, vel a populo electi fue„runt, atque (ſaltem multi ex Maccabæis poſtea, ut & jam „antea in familia Oniæ factum fuerat) Sacerdotio functi ſunt, „non per totam vitam, ſed certo temporis ſpatio. Veluti Ju„das Maccabæus, non jure hæreditatis, ſed a populo Pont. „Max. electus eſt. Joſeph. *Ant. lib.* XII. *cap.* XVII. Jonathan „ejuſque frater Simeon Sacerdotes conſtituti a Rege Alexandro. „1 *Maccab. cap.* X. *com.* XX. & XXI. a Demetrio & a populo. „*Cap.* XIV. Ejuſmodi quid factum fuerat ab aliis, qui adulatio„ne, vel certa ſumma pecuniæ dignitatem emebant. Jaſon „frater Oniæ ab Antiocho Epiphane S. Sacerdotium emebat CLX „talentis argenti, præterea LXXX. talenta addidit ex alio reditu. „2 *Maccab.* IV. Frater Simeonis eundem honorem acquiſivit, „extruſo fratre, dando CCC. talenta argenti plus quam Jaſon. „*Eodem Cap. com.* XXIV. Iſtis temporibus, non ſolum contra „legem improbe Summum obtinebant Pontificatum, Princi„pum arbitrio, favore populi, aut grandi Summa pecuniæ; ſed „& viventes, quia Principibus ita placuit, munere, contra le„gem, ſe exuebant; aut ſe alioſque eo ſpoliari permittebant, cum

,, cum toties Sacerdotium Summum, non digniori, ſed ditiori
,, traditum fuerit. Ideo Lyſias tandem decreverat. 2 *Maccab.*
,, *cap.* XI. Horum ut & Maccabæorum exemplo (ut & hoc in
,, tranſitu notem) proculdubio factum eſt, ut & poſtea uſque
,, ad tempora Chriſti, immo ad ultima Reip. fata, Summum
,, Sacerdotium ſingulis annis a Romanis conceſſum fuerit plus
,, offerenti. Malum ſane ex ipſis Judæis, immo quod mireris,
,, ex ipſis Maccabæis, Viris fortibus, ſanctis & legis, præter
,, hæc, tenaciſſimis. Sibi itaque propriæque ambitioni, magis
,, quam Romanorum avaritiæ imputent, Sacerdotium improbum
,, Legi contrarium, deturpatumque Dei cultum: corrupto enim
,, Sacerdotio, everſa fuit vera Judæorum Religio, cum cultus
,, divini externi cardo verſaretur in Sacerdotio. Permiſit divina
,, Providentia, fateor, tanta mala; nam quemadmodum ex te-
,, nebris Deus deducere ſolet lucem, ita everſo Sacerdotio, ſolo
,, ejus ſchemate relicto, populum admonere voluit Legis Mo-
,, ſaicæ inſtare ἀφανισμὸν, appropinquante Meſſia, tot ſeculis,
,, per Prophetas Patribus promiſſo, totius Reip. atque Religio-
,, nis ad portas eſſe interitum: adducta æterna juſtitia, unoque
,, die peccatis totius populi expiatis, alia Lege Deum eſſe colen-
,, dum, mutato enim Sacerdotio, mutari etiam debere Legem.
,, De quo Paulus Hebr. VII. com. XII.
,, DCCXXXIV. Vane diceretur placuiſſe Sacerdotibus & popu-
,, lo, ut Simeon eſſet Pontif. Maximus *in perpetuum, donec ſurge-*
,, *ret fidelis Propheta.* 1 *Maccab. cap.* XIV. *com.* XLI. Quis
,, enim Sacerdotibus populoque dedit iſtam poteſtatem improbe
,, contra Legem Dei agendi? Deinde cum & alium Prophetam,
,, qui ſe melius edoceret, expectaverint, fatebantur ſe erraſſe, adeo-
,, que legitimum Pontificem Summum non eſſe Simeonem, nec ejus
,, Succeſſores. Nihil quoque ageret ad delendos Maccabæorum
,, nævos, ſi quis eorum errores tueri vellet exemplo Salomonis
,, Regis, qui Summo Sacerdotio movit *Abjatharem.* 1 Reg. II.
,, Cum neminem in ejus locum ſuffecerit, qui non eſſet ex genere
,, ἀρχιερέων, præterquam quod Abjathar proditione iſto honore ſe
,, indignum reddiderit. Adde Salomonem non ſolum populi fuiſſe
,, Regem, sed & Prophetam θεόπνευστον, qui ſine interno Dei mo-
,, nitu id feciſse non eſt credendus. Quidquid eſt, nemo non fa-
,, tebitur, graviſſime in fungendo S. Sacerdotio peccaſse Aſmo-
,, næos,

„ næos, illud eos deturpaſse, atque improbe contra Legem Dei
„ eo functos fuiſse. Nihil jam dicam de eorum matrimoniis aliiſque
„ erroribus. Ex hiſce natus erat Johannes Hyrcanus, quem Ora-
„ culo digniſſimum deprædicat Bernhardus. Summus ſcilicet Pon-
„ tifex contra Legem Dei, non minus ac ejus Patres atque fra-
„ tres.

„ DCCXXXV. Sed & hoc ſilentio præterire non poſſum, eundem
„ Hyrcanum Virum Sanctum, tantopere laudatum, in partes ab-
„ iiſſe Sadducæorum, teſte ipſo *Ioſepho Antiq. lib.* XIII. *cap.*
„ XVIII. Ut forte non fallar ſi dicam hanc cauſam fuiſſe, ut po-
„ ſtea alii ipſius exemplum ſecuti Sacerdotes Sadducæi facti ſint,
„ quare, ne ſacra a Pont. Max. fierent contra Legem, in adyto,
„ decimo die Tiſri, in ſolenni iſta expiatione, coactum fuiſſe ma-
„ gnum Senatum, ut per Sacerdotum Seniores jurejurando eum
„ adſtringerent, ut omnia rite ex Lege Dei perageret: timebant
„ enim ne Sadducæorum hæreſi polutus ſacra contra legem admi-
„ niſtraret. De hiſce (ſi hæc Phariſæis fretus dicere auſim) vide
„ *Codice Ioma. cap.* I.

„ DCCXXXVI. Patet ex hiſce omnibns maniſeſtiſſime, Johan-
„ nem Hyrcanum, talem non fuiſſe Virum, ut ejus ſanctitate divi-
„ na ἀλήθεια indiſſolubili nexu ei fuerit adſtricta. Patet totam fa-
„ miliam ejus, a primo Ephemerias Ioaribi, ad ultimum Macca-
„ bæorum, Summo Sacerdotio improbe, protrita Lege divina,
„ functam fuiſſe, cum ex genere ἀρχιερέων neutiquam fuerint;
„ nullum itaque per eos editum fuiſſe Oraculum per *Urim & Thum-*
„ *mim.* Quis enim credet, Deum tradere dignatum fuiſſe arca-
„ na, per eum qui ad auguſtum iſtud munus ab eo non eſt admiſ-
„ ſus, ſed contra expreſſam Legem ſe intruſit? Adde quæ, jam
„ dicta ſunt, iſtis temporibus nullum fuiſſe Prophetam fidelem,
„ ſed hactenus a populo fuiſſe exſpectatum; Spiritum S. atque
„ Propheticum, poſt Malachiam & Zachariam, ſaltem poſt tem-
„ pora Artaxerxis Longimani, quingentis annis, ſi non pluribus,
„ antequam Joſephus ſua ſcripſerit, deſiiſſe. Tandem Johanem
„ Hyrcanum Pontif. Max. creatum fuiſſe CC. annis antequam Jo-
„ ſephus ſua ſcripſit, adeoque Oraculum ceſſaſſe, ſecundum ipſum
„ Joſephum, antequam Pontifex M. creatus eſſet. Eat itaque Bern-
„ hardus, & ſua Sapientiæ dictatoris auctoritate, quam tantopere
„ adfectat, perſuadeat credulis quibus poteſt, *Oraculum per Urim*

,, *& Thummim*, non ceſſaſſe ante ejus filium impium Ariſtobulum, ,, qui Pontificatum S. obtinuit, centum demum & ſeptuaginta annis ,, antequam Joſephus ſua ſcripſerit; ut triginta minimum annis ,, diutius duraſſe debuerit, quam ipſe tradit Joſephus. Eat itaque ,, magna fidentia, magnaque criſta ipſum Joſephum, omnes recenti ,, ævi Theologos meque reprehendat, ſugillet & obtrectet. Sed ,, diſcat prudentiam & humanitatem.

CAP. XXVII.

DE SIGNIFICATIONE SACRARUM VESTIUM SIVE DE SENSU MYSTICO.

Non ſine cauſa Deus voluit ut Veſtes ſacræ fierent. Deus expreſſis verbis non revelaſſe ſignificationem veſtium ſacrarum. Pleroſque auctores qui hanc materiam tractarunt, de ſignificatione veſtium aliquid dixiſſe. Sed leviter. Caſtellio carpitur. Senſus myſticus non debet tractari ante literalem. Veſtes ſacras ſignificaſſe eadem myſteria quæ & reliquæ cærimoniæ ſignificant. Veſtes ſacras aliquam habuiſſe ſignificationem crediderunt Iudæi, Joſephus, Philo, Talmudici, Paraphraſtæ, *alii. Quidam putant Deum hac ratione Phyſicam & Aſtronomiam docuiſſe. Quidam ipſis veſtibus & ſacrificiis attribuunt quod ſoli Chriſto attribuendum. Summa ſententia* Ioſephi & Philonis. *A Philoſophica ſignificatione non alienos quoſdam inter Patres Chriſtianorum*, Hieronymum, Auguſtinum, Origenem, Clementem Alex. *alios. Talmudicorum ſententia varias veſtes expiare varia peccata. Deum in verbo ſuo non egiſſe Philoſophum. Omnes veſtes & ſacrificia, omneſque cærimonias picturas fuiſſe Chriſti ejuſque Sacerdotii. Inſignis locus Philonis. Sacerdotes veſtiri ut diſcerent ſe omni juſtitia vacuos eſſe, & ſola Chriſti juſtitia velari poſſe. Ipſos Sacerdotes fuiſſe typos Chriſti. Chriſtum fuiſſe Sacerdotem. Varia loca Scripturæ. Sic & eorum veſtes.* Nuditas *ſignum peccati, &* Veſtes *juſtitiæ Chriſti. Ipſa Eccleſia a Chriſto veſtita dicitur. Varia loca Scripturæ. Sacerdotes indigni ut accederent ad altare pro-*

propria juſtitia. Veſtiuntur ſalute. Inſignia loca Scripturæ. Cur plures veſtes mandaverit Deus? Incidimus per peccatum in quatuor extrema mala, fontes noſtrarum calamitatum. Quatuor inſignia beneficia Chriſti, quatuor veſtibus aliquomodo repræſentari. Varia loca Scripturæ. Pont. Max. cur octo habuerit veſtes? Quo ſenſu Judæis concedi poſſit propter circumciſionem? Maxima beneficia a Chriſto nobis data octo. Varia loca Scripturæ. Totum corpus Sacerdotum veſtitum erat. Totus homo corruptus, & totus juſtitia Chriſti tegitur. Manus & pedes nudi, tamen alterius ſanctitate ſancti. Varia materia veſtium. Linum & lana *ſymbolum duarum naturarum in Chriſto. Quædam loca Scripturæ. Sacerdotes veſtitos veſte duplicis materiæ non carere myſterio. Duos populos unitos, & inimicitiam ablatam per Chriſtum, Per* lanam *ſignificari peccata noſtra, per* linum *innocentiam, ſanctitatem & juſtitiam Chriſti. Varia loca Script.* Lanam *etiam ſignificare Chriſtum eſſe noſtram victimam. Unde ovis & agnus dicitur. Varia loca Scripturæ.* Aurum *intextum veſtibus. Significat æternitatem, gloriam & naturam divinam Chriſti.* Lana, Linum, & Aurum *tria munera, Chriſti* Sacerdotale, Propheticum & Regium. *Quædam loca Scripturæ. Aurum Sacerdotium æternum, & pretium meriti Chriſti indicat. Eſt ſignum omnium donorum ſpiritualium. Varia loca Scripturæ. Eccleſia Chriſti, ejus doctrina & fides aurum. Varia loca Scripturæ. Quod de materia dictum, id de* coloribus *quoque dici debet. Color* Albus, & Aureus, *ſymbolum naturæ Chriſti divinæ. Ipſe* Chriſtus albus & aureus. *Varia loca Scripturæ. Reliqui colores naturam humanam denotant.* Hyacinthinus *color cæruleus. Chriſti naturam humanam, tamen cœleſtem ſignificat. Chriſtus Saphirus. Varia loca Scripturæ.* Coccinum *ſignum peccati. Varia loca Scripturæ & quædam Talmudica. Chriſtus cocco veſtitus, quia peccatis noſtris onuſtus.* Purpura *ſymbolum ſanguinis Chriſti. Altare ſanguine aſperſum. Chriſti veſtes ſanguine aſperſæ a Prophetis dicuntur. Varia loca Scripturæ.* Albus color *innocentiam & ſanctitatem Chriſti ejuſque juſtitiam. Sancti in cœlo albi. Varia loca Scripturæ. Fortaſſis colores varii etiam Chriſti dolores, plagas & vibices docent. Veſtes ſacræ erant* contextæ *non ſutæ. Totus Chriſtus credendus. Solus nos juſtificat abſque aſſumentis meritorum creaturarum. Omnes electi unum*

corpus cum Chriſto. Chriſti perfectio, ornatus, pretium ſacrificii. Dei ſapientia nos ſalvari. Loca S. Scripturæ. Veſtes ex filamentis retortis. Æternitas Chriſti. Firmitas Eccleſiæ. Ejus cum Chriſto unio. Teſſellæ *ſive* fundæ *in veſtibus. Varia dona Chriſti. Electi gemmæ Chriſti. Unitas Eccleſiæ. Plures manſiones apud patrem Chriſtus parat fidelibus Vet. & Novi Teſtamenti. Sponſa Chriſti tunica teſſellata veſtita. Quædam loca Scripturæ. Opus* Phrygionicum *acu pictum. In negotio ſalutis & ad ædificationem Eccleſiæ operandum eſſe fidelibus, quamvis per Chriſtum ſolum ſalventur. Quid* Coſcheb? ingenioſiſſimum. *Totam redemptionem noſtram ſola ſapientia Dei fieri.* Rokem & Choſcheb *fuiſſe flores elegantiſſimos. Flores aperti in templo. Flores ſymbolum gloriæ. Dignitas Pontif. Max. V. T. Major Chriſti. Miniſterium mortis glorioſum. Glorioſius Chriſti.* Flores *ſymbolum ſpei & rerum futurarum. Fideles ſub V. T. habuiſſe promiſſiones & ſpem, non ipſum fructum ſacerdotii. Flores ſymbolum ſacerdotii. Virga Aharonis floret. Chriſtus ipſe flos, & arbor quæ fert fructum. Varia loca Scripturæ.* Brachæ. *Renes Chriſti docentur. Caro & cupiditates noſtræ coercentur.* Tunica *Talaris. In Chriſto nulla nuditas. Per ejus juſtitiam omnes tegimur. Eccleſia Chriſti. Ejus ornatus.* Balteus. *Eccleſia Chriſti arcte adhæret. Dignitas Chriſti. Ejus ſanctitas. Et promptitudo in opere patris.* Pileus. *De hoc poſtea ubi de tiara Pont. Max.* Pallium *Juſtitia Chriſti.* Cœruleus *color. Cœleſtis Eſt laneum. Chriſti natura humana. Juſtitia legalis peritura. Repetenda.* Mala punica. *Eccleſia Præcepta Dei. Unio Eccleſiæ. Acrimonia legis. Dulcedo promiſionum. Gratus odor Nutrimentum. Spirituale.* Tintinnabula. *Sonus Euangelii. Verbum Dei. Chriſtus voluntatem patris prædicat. Clamor Chriſti. Ejus confeſſio. Apoſtoli Chriſti. preces. Ex* auro *erant tintinnabula. Verbum Dei æternum. Omnia bona Eccleſiæ æterna & pretioſa. Varia loca Scripturæ.* Ephodum. *Amor Chrſti.* Lapides recordationis. *Chriſtus novit ſuos. Pro iis intercedit, orat & ſe offert. Eos in cœlum fert. Duæ* Sardonyches *duo Teſtamenta. Duo populi per Chriſtum ſalvantur.* Pectorale judicii. *Chriſtus verus Judex. Advocatus noſter.* Duodecim gemmæ. *Tota Eccleſia V. & N. T. Omnes fideles Sacerdotes. Sigillum & peculium Dei. Eos in Pectore geſtat Chri-*

Chriſtus. Catenis aureis Ephodo adhæret. Fideles nunquam a Chriſto avelli poſſunt. Servat eos quos ipſi dedit pater. Perſeverantia Sanctorum. Duodecim Apoſtoli. Fundamenta Eccleſiæ. Urim & Thummim. *Doctrina Chriſti. Ejus vitæ integritas. Eſt Propheta ſapiens, pius & fidelis. Eccleſiam docet. Futura prædicit. Pro ſuis orat. Varia loca Scripturæ.* Tiara *Pontif. Tectum caput ſignum gloriæ. Et ſervitutis. Chriſtus Dominus gloriæ. Eſt ſervus.* Corona aurea. *Signum Regni & Sacerdotii. Chriſtus verus Rex & Sacerdos. Caput Pont. Max. auro & byſſo ornatum. Caput Eccleſiæ verus Deus. Corona eſt aurea. Chriſti Regnum & Sacerdotium æternum. divinum.* Sanctitas Jehovæ. *Chriſtus ipſa ſanctitas. Verus Jehova. Nos ſanctificat. Eccleſia Chriſti ſancta. Omnia ejus bona ſancta.* Vittis Hyacinthinis *alligatur corona. Sacerdotium Chriſti cœleſte.* Vittæ laneæ. *Sacerdotium V T. periturum.* Decimi diei Tiſri Expiatio. *Pontifex Max. totus albus, etiam balteus. Nulla lana, nulla gemma, nullus color. Sub V. T. ſacerdotes & populus peccatis polluti. Rebus & elementis mundi impliciti. Sub N. T. Eccleſia ſancta & munda. Poſt ingreſſum Chriſti in cœlum omnes res mundanæ, & gloria externa Sacerdotii deponitur. Chriſtus ſolus peccata noſtra expiat. apud patrem intercedit. Omnes fideles in N. T. ſunt Sacerdotes. Et Reges. Virtutes Chriſti a nobis immitandæ. Cum Chriſto Sanctum Sanctorum ingreſſuri ſumus.*

DCCXXXVII. CUm Veſtimenta ſacra ab ipſo ſapientiſſimo Deo inſtituta fuerint; neceſſario credendum erit, eum cauſas rationeſque habuiſſe ſui conſilii. Cur enim in vulgaribus veſtibus non ſivit Sacerdotes miniſterium peragere? Cur juſſit, ut veſtimenta ex tali materia potius quam ex alia, ex hiſce coloribus magis quam ex illis, & hac forma potius quam alia, fierent? Fateor quidem, noſtrum non eſſe, omnia occulta Dei conſilia rimari, omniumque illius actionum vias atque cauſas detegere. Credenda ſunt tantum ea quæ Deus nobis relavit, & facienda quæ mandavit. Sane quemadmodum Judæi olim ſupremum Numen in atrio templi adorabant, quamvis in adyta nunquam penetraverint, ut, quæ intus latebant oculis uſurparent, ita quo-

que laudanda & adoranda ſunt nobis Dei conſilia atque actiones, quamvis earum cauſas atque rationem ignoremus.

DCCXXXVIII. Cum autem Deus, ſecundum æternam ſuam ſapientiam, in verbo ſuo multa dederit mandata, quorum cauſas & rationes expreſſis verbis, non manifeſtavit: id ante omnia dicendum eſt, de veſtitu ſacro, cujus uſus, typi, figuræ, & ſignificationes tanta luce ſeſe non produnt, ut ab omnibus primo intuitu conſpici poſſint. Nihilominus quicunque hactenus de ſacris veſtibus mentionem fecerunt, de earum uſu atque ſignificatione aliquid etiam commentati ſunt. Sed unuſquisque ſuo ingenio uſus eſt. Quidam obiter tantum levique pede omnia percurrerunt, & tanquam ἐν παρόδῳ e longinquo ſalutarunt; ſcilicet ne ea plane ignoraſſe viderentur. Alii maxime operam in hoc collocarunt, ut, nulla habita ratione ſenſus literalis Sacræ Scripturæ, ſtatim uno quaſi ſaltu, ad ſenſum myſticum, allegoricum, & tropologicum tranſilierint, inter quos præſertim numerandus eſt Caſtellio in ſuo opere *de Veſtitu Aharonis*. Sed peſſimo, mea quidem ſententia, inſtituto. Nemo majori cachinno mihi dignus videtur, quam ejusmodi homines, qui ſolent ſic exſpaciari, aut potius vagari in exponendis myſteriis & allegoriis, nondum intellecto & explanato ſenſu literali. Quid aliud agunt hi homines quam quod primum ſibi fingant myſteria & allegorias, quas poſtea pro lubitu, etiam invito Spiritu S. ex verbo Dei magno labore probarent? Quid eſt, ſi hoc non eſt, verbis ſenſum obtrudere? S. Scripturam ἰδίᾳ ἐπιλύσει explicare? & ὑπερφρονεῖν παρ' ὃ δεῖ φρονεῖν; Quid hoc aliud eſt, quam velle myſteria depromere, nondum aperta ciſta? Nonnulli putant in hoc ſolo nobis eſſe operandum, ut ex verbo Dei verus ſenſus literalis eruatur, etiamſi de ſignificatione, de typis, de ſenſu myſtico & allegorico nihil omnino dicatur: cum ſit facile cuilibet adyta intrare, poſtquam aliorum labore oſtia patent, & viæ quæ eo ducunt explanatæ ſunt. Ideo & nos aliquamdiu dubii hæſitavimus, utrumne, finita expoſitione verborum Moſis, expoſitoque ſenſu literali, finis non debeat imponi toti Operi, ſenſu ſcilicet typico, myſtico & allegorico relicto indagini virorum doctorum atque piorum, quorum ingenia ejusmodi diſquiſitionibus magis gaudere ſolent, & quæ ad id genus ſtudiorum nata videntur.

Ni-

DCCXXXIX. Nihilominus ne hæc plane præteriiſſe diceremur, coronidis loco, quædam de ſacrarum veſtium, uſu, figuris, typis & ſignificationibus, a nobis addi operæ pretium putavimus. Noſtrum quidem non eſt inſtitutum, omnium doctorum virorum ſcrinia compilare, multo minus nugantium nænias erudito orbi præcinere. Sed ne noſtra quidem omnia, quæ more hujus ævi a nobis dici poſſent, in lucem proferemus; ſed quædam tantum, & quidem breviter & ſummatim, quantum id fieri poterit, adnotabimus, hac ſpe atque fiducia, fore ut ſagax lector & curioſus indagator plura ipſe detecturus ſit.

DCCXL. Ut igitur initium faciamus; credendum eſt ſacra veſtimenta ſignificaſſe eadem myſteria, quæ ſapientiſſimus Deus ſignificari voluit toto iſto cærimoniarum choragio, templo, velis, ſacrificiis, & reliqua ſacra ſupellectili. Cum autem omnia eo collineent, ut Chriſtum, qui verus eſt noſter Pontifex Maximus, illius ſcilicet naturam divinam & humanam, illiusque juſtitiam, ſanctitatem, munditiem, paupertatem, ignominiam, dolores, livores, tumices, vibices, ſanguinem atque mortem, divitias, vitam & gloriam, collataque nobis beneficia, quaſi in tabella depingerent, populoque προληπτικῶς ſub V. T. ob oculos ponerent, dubitandum utique non eſt, veſtimenta ſacra in eundem finem a Deo inſtituta fuiſſe.

DCCXLI. Ab eodem etiam tempore, quo Deus ſacras veſtes fieri juſſit, eaſdem ſignificationes & uſus eas habere voluit. Ut, ſi Adamus illiusque nepotes iis uſi ſunt, ante tempora Moſis, ut Hebræorum Sapientes quidam, nullo tamen fundamento, docent, quemadmodum ab initio hujus Operis audivimus, eaſdem res etiam ab illo tempore ſignificaverint. Sed cum hactenus nondum ſit probatum, veſtes Sacerdotales fuiſſe in Eccleſia Patriarcharum ante tempora Moſis, cumque nihil conſtet de earum numero, materia, colore & forma, ſilentio illa omnia præteriri tutius erit, quam ſi multum hariolando de iis quicquam velimus commentari. Igitur de veſtibus ſacris tantum, prout ex mandato Dei a Bezelele contextæ, & a nobis hactenus explicatæ ſunt, aliquid dicendum erit.

DCCXLII. Veſtimenta autem ſacra magnum habuiſſe uſum, & mirificam ſignificationem, magna nempe myſteria latuiſſe ſub hoc apparatu, unanimi conſenſu fatentur ipſi Judæorum

dæorum Sapientes Joſephus, Philo Judæus, Talmudici utriuſque Gemaræ, cum Jeruſalemitanæ, tum Babylonicæ, Paraphraſtæ, alii. Sed ad nugas, ſuo more, plerumque delabuntur, ad res naturales ſcilicet; quaſi Deus toto hoc apparatu nihil niſi Phyſicam aut Aſtronomiam Judæos docere voluiſſet. Nonnunquam ipſis veſtibus ſacris (eo uſque eorum mens rebus terreſtribus immerſa fuit) quemadmodum & ſacrificiis adſcribunt peccatorum expiationem, quam verus Sacerdos Chriſtus ſolus præſtitit: ut hoc modo nudis figuris & typis attribuant, quod non niſi antitypo attribui debet. Joſephus *Ant. lib.* III. *cap.* VIII. poſtquam multum commentatus eſſet, de veſtibus ſacris, non nulla de earum ſignificatione, ſtatim addit: Deum ſcilicet Tabernaculum diviſiſſe in tres partes, duabus partibus Sacerdotibus relictis, ſibi tertiam reſervaſſe, ut duabus prioribus partibus terram & mare ſignificaret tanquam profanum locum, qui ab omnibus hominibus promiſcue calcatur: tertium autem ſignificare cœlum, quod hominibus ſit inacceſſum, per duodecim panes in menſa diſpoſitos, ſignificaſſe annum in XII. menſes diviſum; candelabrum e ſeptuaginta partibus compoſitum eſſe, ut ſignificarentur duodecim ſigna per quæ planetæ feruntur; ſeptem lucernas ſeptem planetas indicare; vela ex quatuor coloribus fuiſſe contexta, ut elementorum natura ſignificaretur. *Byſſum* terram referre, ex qua hoc genus lini provenit. *Purpuram* mare, eo quod conchylii cruore ſit fucata: *Hyacinthum* aera: *Puniceum* colorem ignem. Ipſam *tunicam*, cum ſit linea, terram ſimiliter notare. *Hyacinthum*, referre polum, *mala punica* fulgetra; *Tintinnabulorum* ſtrepitum, tonitrua. *Ephodum* e quatuor coloribus contextum, univerſi hujus naturam, & *aurum*, quod ei contextum eſt, adjunctam rebus lucem ob oculos ponere. *Pectorale* in medio pectoris hærere, ut terram, quæ medium mundi locum obtinet, indicaret. *Balteum*, quo Pontifex cingitur, ſignum eſſe maris quod omnia cingat. *Duas Sardonychas* in humeralibus ſolem & lunam, *Duodecim gemmas*, duodecim menſes anni, aut duodecim ſigna Zodiaci; *Pileum*, cœlum, cum ſit ex hyacinthino confectus (quomodo hoc ſit intelligendum, vide hujus libri cap. XXI. ubi de pileo & corona Summi Pontificis egimus.) ideoque ſuſtinere Dei nomen. *Coronam* auream ſplendere quod Deus ſplendore maxime delectetur. Hæc Joſephus. De *tintinnabulis*, *tonitru*, & de *ma-*

logra-

logranatis fulgura deſignantibus, vide eundem Joſephum, *de Bello Iud. lib.* VI. *cap.* VI.

DCCXLIII. Multo fuſius de hiſce philoſophatur Philo Judæus, *de vita Moſis lib.* III. Totus ornatus Pontificis, uti ait, totius mundi quædam imago fuit, partes vero ſingularium partium, *Tunicam talarem*, (id eſt *Pallium*) totam hyacinthinam, ad exprimendam figuram aeris docet; aera quodammodo talarem eſſe, a lunari orbe protenſum uſque terræ terminos. Circa talos hanc tunicam habere mala punica, flores, & *tintinnabula*; flores terram ſignificare, in qua florent & germinant omnia *Mala punica* aquam repræſentare; dicta enim eſſe (ἀπὸ τοῦ ῥύζιν.) (Ita Græculi verbis ſenſum obtrudere ſolent, ex fictis ſuis Etymologiis Græcis, cum plerumqne in Hebraicis cœcutiant. Cujus rei multa habemus exempla in Hiſtoria Suſannæ, apud Originem, Tacitum & alios.) *Tintinnabula*, ait ſimiliter, elementorum concentum & congruentiam indicant: cum nec terra ſine aqua, nec aqua ſine terra generationi ſufficiat, ſed amborum coitus. Quod & ipſo loco putat demonſtrari: Nam ſicut in ima talaris tunicæ reperiuntur fimbriæ, mala punica cum ſuis floribus, & tintinnabula, ſic res ipſas per ea ſignificatas infimam mundi regionem ſortitas eſſe. *Stolam* itaque illam, cum ſuis appendicibus, *malis punicis*, *floribus* & *tintinnabulis*, figuram eſſe trium elementorum, aeris, aquæ & terræ. Præterea, quemadmodum a ſtola dependent flores malaque punica, ſic ab aere aliquomodo ſuſpenderi aquam & terram. *Ephodum* cœli eſſe figuram. Lapides in humeralibus, ſecundum quoſdam, eſſe typos ſolis lunæque ſed verius dici, per eos, deſignari duo hæmiſpheria, quod ex ipſo colore ſmaragdorum (quales lapides *Schobam* putat, ut ut falſo.) patere docet: cum Smaragdo aſpectus totius cœli ſit ſimilis (quomodo hæc intelligat fateor me ignorare, cum Smaragdus ſit viridis, & cœlum cœruleum) Ideo quamlibet Gemmam in humeris inſculpta habere ſex nomina, quia utrumque hæmiſpherium ſex ſigna complectitur. Duodecim lapides in *Pectorale*, ternas diſtributas in quatuor ordines, ipſum ſigniferum circulum indicare; cum & hic in quatuor partes e ternis ſignis conſtantes dividatur, & horas anni conficiat, ver, æſtatem, autumnum, hyemem, mutationes quatuor, quarum ſingulam tria ſigna determinant. Tempeſtatum mutationes ſignificari per varietatem colorum, cum nulla gemma alteri colore plane ſit ſimilis. *Rationale (Pectorale)* duplicari, quod duplex ſit ratio, altera in mun-

 do,

do, altera in natura hominis. In mundo incorporearum idearum rationem, & rerum viſibilium. In homine rationem eſſe intrinſecam & prolatam ſive orationem. Deum voluiſſe ut rationale illud eſſet quadrangulum, indicans rationem, tum naturæ, tum hominis, debere eſſe inconcuſſam & firmam; ideo ei attribuiſſe duas virtutes, revelationem & veritatem (δήλωσιν καὶ ἀλήθειαν) ut ſignificaretur revelationem & orationem debere concordari, ut homo nihil ſciat quod non etiam revelet, docendo veritatem quæ ipſi revelata eſt. Ideo etiam rationale pendere ab Ephodo, quod facta a dictis non ſint ſejungenda: cum per humerum, ſignificetur operatio. Coronæ aureæ inſcriptum eſſe ineffabile nomen Dei, quod Theologi τετραγράμματον vocant, quod ſignificet primos numeros, unum, duo, tria, quatuor; cum numero quaternario inſint omnia, punctum, linea, ſuperficies & ſoliditas, menſuræ omnium rerum, & muſicæ ſymphoniæ, potiſſimæ, diateſſeron, ratione ſuper tertia, diapente ſeſquialtera, diapaſon dupla, diſdiapaſon quadrupla. Ut tandem colligat, Summum Pontificem, quoties intrabat templum, ut vota pro populo conciperet, hoſtias quæ immolaret, totum mundum introduxiſſe ſub figuris quas geſtavit, aerem in ſtola, aquam in malis punicis, terram in floribus, ignem in cocco, cœlum in Ephodo; duabuſque Smaragdis; & rationem in Pectorali.

DCCXLIV. Ab ejuſmodi Philoſophica ſignificatione, non ſunt alieni ipſi Chriſtianorum doctores celeberrimi & antiquiſſimi. Imprimis Hieronymus, qui quoties de antiquitate Judaica agit, ſcrinia Joſephi & Philonis aliorumque Hebræorum egregie ſolet compilare. Summatim fere omnia, & quædam verbotenus recitat, quæ jam modo ex Joſepho & Philone adduximus, quam vocat expoſitionem Hebraicam. *Brachas* generationem ſignificare quoſdam docuiſſe dicit. Poſt brachas & *lineam tunicam*, Sacerdotem *hyacinthina tunica* veſtiri, ut diſceret a terrenis ad alta conſcendendum eſſe; illamque tunicam ſignificare rationem ſublimium non patere omnibus, ſed majoribus & perfectis. *Duos lapides in humerali* ſignificare vel Chriſtum & Eccleſiam duodecim Apoſtolorum; vel literam & Spiritum, in quibus continentur, inquit, legis univerſa myſteria. In dextra Spiritus, in læva litera. *Quatuor ordine lapidum* quatuor virtutes, Prudentiam, Fortitudinem, Juſtitiam & Temperantiam; vel quatuor animalia

lia quæ in Apocalypſi deſcribuntur plena oculis, & domini luce radiantia, quæ mundum illuminant. In fronte S. Pontificem geſtaſſe *coronam auream*, quod eruditio nulla nobis prodeſſe poſſit, niſi Dei ſcientia coronemur. Hinc exſpaciatur ad ſignum crucis, quam dicit nunc ſignificare idem, quod olim per laminam auream ſignificatum eſt. Inde erumpit in laudes virginitatis. Innuit *Tintinnabula* docuiſſe, tantam debere Pontificem Max. habere ſcientiam & eruditionem, ut & greſſus ejus & motus & univerſa vocalia ſint. Quædam deſumpſiſſe videtur magnus Hieronymus ex Origenis homiliis, præſertim ex homilia ſexta in Leviticum. Cum hiſce etiam facit Auguſtinus in Exodum *quæſt*. cxvi. & cxvii. Clemens Alexandrinus *Strom. lib*. v. Gregor. Nyſſen. *De vita Moſis*, aliique ex patribus viri doctiſſimi. Sed hæc optimo jure ridentur a Magno Calvino ad Exod. cap. xxviii.

DCCXLV. Revertamur ad Judæos, præſertim Talmudicos. Gemarici Jeruſalemitani Codice *Joma. cap*. vii. veſtimenta ſingula docent deſtinata fuiſſe ad expianda certa quædam peccata. *Tunicam* expiaſſe peccatum quod quis committit, quando geſtat veſtimenta duplicis materiæ, aut etiam homicidia & effuſionem ſanguinis. *Brachas* ſcortationes. *Pileum* ſuperbiam. *Balteum* latrocinia & fraudes. *Pectorale* perverſa judicia. *Ephodum* Idololatriam. *Pallium* & ejus *Tintinnabula* peccata linguæ. *Laminam auream* impudentiam. *Octo* prætera dicunt fuiſſe veſtes, propter circumciſionem quæ fiebat octavo die. מפני מה כ״ג משמש בשמונה כלים רבי חנניה חברון דרבנן אמר כנגד המילה שהוא לשמונה ימים של שם בריתי היתה אתו : *Quænam eſt ratio quod Pontifex Max. ſacra fecerit octonis veſtibus: Doctor Chanania Collega doctorum noſtrorum dicit: propter circumciſionem, quæ fit octavo die, quia ſcriptum eſt:* (Geneſ xvii.) fœdus meum erit ſecum. Et paulo poſt. אמר רבי סימון כשם שהקרבנות מכפרין כך הבגדים מכפרין בכהונה ומכנסים מצנפת ואבנט: כתונת היתה מכפרת לובשי כלאים אית דבעי מימר על שפכי דמים. כמה דאת אמר ויטבלו את הכתונת בדם׃ מכנסים היה מכפר על גלוי ערוות כמה דאת אמר ועשה להם מכנסי בד לכסות בשר ערוה׃ מצנפת היתה מכפרת על גסי הרוח כמת דאת אמר וישם את מצנפת על ראשו אבנט היה מכפר על הגנבים ואית דבעי מימר על העוקמנים׃ חושן היה מכפר על מטי הדין׃ כמה דאת אמר ועשית חשן משפט׃ אפוד היה מכפר על עובדי עבודה זרה כמה דאת אמר אין אפוד ותרפים מ״ל רבי סימון בשם רבי יותנן דבית גוברין שני דברים לא היתה בהן כפרה וקבעה להן התורה כפרה׃ ואלו ג׳ הן האומר לשון הרע׃ וההורג נפש בשגגה׃ האומר

האומר לשון הרע לא היתה לו כפרה וקבעה לו התורה כפרה זוגי המעיל והיה על אהרן לשר׳ ונשמע קול ויבא קול ויכפר על קול ההורג נפש לא היתה לו כפרה וקבעה לו התורה כפרה מיתת כהן גדול וישב בה עד מות כהן גדול ציץ׳ אית דבעי מימר על הגדפנים אית דבעי מימר על עזי פנים׳ מאן דאמר על הגודפנים ניחא דכתיב ותטבע האבן במצחו׳ וכתיב והיה על מצחו תמיד מאן דאמר על עזי פנים ומצח אשה זונה היה לך : *Dixit doctor Simon eodem modo quo ſacrificia expiant, ſic etiam expiant veſtes ſacræ. Tunicæ, brachæ, pileus & balteus. Tunica expiat eos qui duplici materia veſtiti ſunt. Quidam ſuſtinent dicendum eſſe homicidia. quia dicitur*: & miſerunt tunicam in ſanguinem. *Brachæ expiant fornicationem, q. d.* Et facies illis brachas lineas, ad tegendam carnis nuditatem. *Pileus expiat ſuperbiam, q. d.* Et ponent pileum ſuper caput ejus. *Balteus expiat furta. ſunt qui dicant, fraudes & dolos. Pectorale expiat perverſores judicii, q. d.* Et facies Pectorale judicii. *Ephodum expiat Idololatriam, q. d.* Non erat Ephodum nec Teraphim. *Pallium quod attinet: doctor Simon nomine doctoris Iohannis dicit: duo reperiuntur, quorum nulla eſt expiatio, niſi quod lex eis expiationem conſtituerit. Nempe ei qui male dixerit, & ei qui aliquem per errorem occiderit. Ei qui male dixerit nulla data eſt expiatio, niſi quod lex ei expiationem conſtituerit, per tintinnabula pallii (ut dicitur)* & erit ſuper Aharonem ad miniſtrandum, & audietur ſonitus ejus. *(id eſt tintinnabulorum) ſic igitur vox vocem expiat. Is qui aliquem occiderit non habet expiationem, niſi quod lex ei expiationem conſtituerit, per mortem Pontificis Max. (ut dicitur)* Et remanebit ibi uſque ad mortem Summi Pontificis. *Quod attinet ad coronam, ſunt qui putant dicendum eſſe, eam expiare impudentiam, alii dicendum putant per coronam expiari blaſphemias. Is qui dicit expiari blaſphemias; nititur eo quod dicatur (I Sam.* XVII. XLIX) Et infixit lapidem fronti ejus. *Et ſcriptum eſt (Exod.* XXVIII. XXXIX.) Et erit perpetuo in fronte ejus. *Is qui dicit impudentiam expiari, nititur eo quod dicitur (Ieremiæ* III. *verſ.* III.) Frons mulieris ſcortantis eſt tibi.

DCCXLVI. Gemara Babylonica, Codice *Sevachim cap.* IX. eadem fere iiſdem verbis repetit. Rationem præterea addit, quare veſtimenta expiare credantur, ideo ſcilicet quod lex de veſtitu ſacro, ſtatim ſubjungatur præceptis de ſacrificiis. ואמר רבי ענייני בר ששון למה נסמכה פרשת קרבנות לפרשת בגדי כהונה לומר לך מה קרבנות :

קרבנות מכפרות אף בגדי כהונה מכפרין כתנת מכפרת על שפיכות דם
שנאמר וישחטו שעיר עזים ויטבלו את הכתונות בדם מכנסים מכפרה טל גלוי
ערות שנא׳ ועשה להם מכנסי בד מצנפת מכפרת טל גסי הרוח מניין א״ר חנינא
יבא דבר שבגובה ויכפר על גובה אבנט מכפר על הרהור הלב היכא דאיתי׳ חשן מכפר
טל הדינין שנ׳ ועשית חושן משפט אפוד מכפר טל ע״ז שנא׳ אין אפוד ותרפים
מעיל מכפר על לשון הרע מניין אמר רבי חנינא יבא דבר שבקול ויכפר טל קול
הרע וציץ מכפר על עזות פנים בציץ כתב והיה טל מצח אהרן ובעזות פנים כתב
ומצח אשת זונה היה לך : *Dixit doctor Iniani filius Schaſchon, quare ſequitur ſectio oblationum ſectionem veſtium ſacerdotii? Reſpondetur, quemadmodum oblationes expiant, ſic & veſtes ſacerdotales expiant. Tunica expiat homicidia. q. d.* Et mactarunt capram & immerſerunt tunicam in ſanguinem. *Bracha expiant detectionem nuditatis, q. d.* Et facies eis brachas lineas. *Pileus expiat ſuperbiam. Unde hoc habemus? dicit doctor Chanina, accedit res quæ in alto & expiat id quod eſt altum. Balteus expiat Conſilia (perverſa) cordis, ubi reperitur. (id eſt circa cor balteus cingit tunicam) Pectorale expiat judicia, q. d.* Et facies Pectorale judicii:· *Ephod expiat Idololatriam, ut dicitur:* Nullum eſt Ephodum nec Teraphim: *Pallium expiat verba mala. unde hoc? Dicit doctor Chanina, accedit res* (tintinnabulum) *cui eſt vox, & expiat vocem malam. Corona expiat impudentiam, nam de corona ſcriptum:* Et erit in fronte Aharonis. *Sic de impudentia ſcriptum eſt:* Et frons mulieris ſcortantis eſt tibi.

DCCXLVII. Hæ ſunt præcipuæ rationes, quas commenti ſunt optimi & vetuſtiſſimi auctores, cum inter Judæos & Talmudicos, tum inter Patres, & primos Chriſtianæ Eccleſiæ doctores, propter quas Deus juſſerit fieri veſtes ſacras. Sed Deum egiſſe Philoſophum, ideoque nobis verbo ſuo Phyſicam aut Aſtronomiam tradere voluiſſe, ejuſmodi ænigmatibus involutam, a me nunquam obtinebo, ut crederem. Multo minus mihi perſuadebunt verpuli, peccata hominum expiata fuiſſe per ipſa ſacrificia, aut veſtes ſacerdotales. Concedo quidem Judæis, veſtes ſacras expiaſſe eodem modo, quo & ſacrificia: ſed cum ſacrificia ipſa non expiaverint niſi typice, quatenus ſcilicet erant picturæ veri ſacrificii & expiationis per Chriſtum factæ, ipſa etiam veſtimenta ſacra erant tantummodo umbræ picturæque illius expiationis. Igitur ad res cœleſtes ac ſpirituales nos ducunt veſtes ſacerdotales, ad Chriſtum ſcilicet ejuſque merita, non minus quam tota reliqua ſacra ſuppellex.

lex. Ut quoties ſacerdotes aſpicimus ſacro hoc apparatu, Chriſtum filium Dei ipſum, cum ſuis beneficiis & meritis cernamus mentis oculis. Quod ipſi Judæi, præſertim vetuſtiſſimi, ignorare non potuerunt, immo fateri coacti ſunt. Philo enim Judæus, loco ſupra a nobis laudato, poſtquam multa de uſu & ſignificatione ſacri veſtitus philoſophatus eſſet, tandem omnia ad *filium Dei*, verum Pontificem Maximum, optime refert, atque ſic concludit: ἀναγκαῖον γὰρ ἦν τὸν ἱερωμένον τῷ τοῦ κόσμου πατρὶ, παρακλήτῳ χρῆσθαι τελειοτάτῳ τὴν ἀρετὴν υἱῷ, πρός τε ἀμνηστείαν ἁμαρτημάτων. *Neceſſarium enim erat, eum qui ſacra faciebat patri totius mundi, adhibere filium*, (creatoris illius mundi) *Advocatum omnibus virtutibus abſolutum.* Quis autem eſt ille filius creatoris aut patris mundi, niſi Chriſtus? Pontifices igitur erant illius imagines atque typi. Et eorum veſtes & ſacrificia, ut tota ſacra ſuppellex Chriſtum illiusque virtutes, & expiationem per eum factam, omniaque ejus in nos collata beneficia ſignificabant.

DCCXLVIII. Deus igitur voluit ut ſacerdotes veſtirentur, non propter honeſtatem, & politicum decus tantum; nec ſolum ea de cauſa, ut diſtinguerentur a ſacrificulis & popis Idololatris, qui nudi ſacra faciebant, ut quidam Arabum, Brittannorum, ut Luperci, Cultores Baalis Peoris, Moabitæ aliique qui ad altaria accedebant non aliter quam ad ſcorta ſua; cum & ipſi Dii ſtercorei, Jupiter, Saturnus, Neptunus, Apollo, Mars, Mercurius, Hercules, Priapus, Venus aliique nudi proſtarent; ut diceres, ejuſmodi Sacerdotes cum Deis ſuis in Templis atque fanis, nihil niſi meretricium commercium habuiſſe, tanquam in lupanaribus; Sed ut diſcerent, ſe omni virtute & merito vacuos eſſe, ideoque indignos ut ad Deum accederent, niſi prius alterius meritis & ornatu decorati, pallio ſcilicet juſtitiæ Chriſti, veri Sacerdotis, ſanctitate, juſtitia & merito. Nam ut olim Patriarcha Iſaacus epulas a Jacobo oblatas non habuit acceptas, niſi quod fratris ſui Eſavi veſtibus indutus eſſet, ſic nullum ſacrificium, nulla oblatio Deo grata fuit, nullaque fieri potuit expiatio per Sacerdotes, niſi meritis & juſtitia Chriſti amicti acceſſerint.

DCCXLIX. Enimvero Sacerdotes fuiſſe typos & picturas Chriſti, tam certum eſt, ut de eo dubitari non poſſit. Quemadmodum enim ſoli Pontifices habebant libertatem accedendi ad Deum, uti videre eſt Exodi XIX. XXII. Num. I. LX. Lucæ I. IX. X.

ut ſa-

ut ſacrificia offerrent, thymiamata facerent, libamina curarent, preceſque ad Deum funderent, ut peccata expiarent & cum Deo reconciliarent populum, dum reliqui Iſraelitæ, aut domi latitabant, aut plurimum in atrio ſuo ſtabant, non audentes appropinquare ad atrium Sacerdotum, multo minus ad altare holocauſtorum, ad ſancta & ſacro ſancta: ita ſane Chriſtus, verus noſter Pontifex, ſolus habet libertatem ad Deum accedendi, ut ſeipſum, tanquam victimam puriſſimam, pro peccatis noſtris offerendo, & preces ad Deum fundendo, peccata expiaret, noſque cum Patre reconciliaret, Deoque gratos redderet, ut & nos haberemus libertatem accedendi per ſanguinem ejus, clamantes *Abba Pater.* Rom. VIII. XV. Epheſ. II. XIII. Cum autem hoc de omnibus ſacerdotibus, tum præcipue de Pontifice Maximo dici debet, is enim omnibus numeris perfectus erat typus & figura Chriſti. Nam quemadmodum Pontifex Maximus ſolus intrabat Sanctum Sanctorum, ſolenni die expiationis, ut Deo ſanguinem offerret, ſanguineque victimæ & precibus pro peccatis populi intercederet, ita ſane Chriſtus intravit in cœlum cœlorum, verum antitypum ſancti ſanctorum. Hebr. IX. XXIV. ut offerret Deo Patri proprium ſanguinem; clamantem potiora, quam clamavit ſanguis Abelis: Hebr. XII. XXIV. utque pro nobis preces funderet, apud Deum intercederet. Hebr. VII. & XXVII. IX. XII. unde & ipſe Chriſtus dicitur Ἀρχιερεὺς *Summus Pontifex* Hebr. III. I. & VIII. I. VII. XXVI. quare etiam ad Sacerdotium dicitur vocatus non minus ac ipſe Aharonus. Hebr. V. IV. Veſtimentis etiam ſacris indutus, ut ut cingulo aureo cinctus, ob æternum ſacerdotium, quo modo cincti dicuntur hodie ejus miniſtri in cœlo. Apocal. I. XIII. & XV. VI.

DCCL. Quemadmodum autem ipſi Sacerdotes erant picturæ & typi Chriſti, ſic & eorum ornatus & veſtimenta ſacra. Veſtimenta quidem in verbo Dei ſignificare gratiam & juſtitiam Chriſti, patet vel ex veſtibus, quibus amicti erant primi parentes poſt lapſum. A Deo enim veſtiti ſunt pellibus animalium, non tam ut nuditas carnis, quam ut mentis labes, peccatique fœditas tegeretur juſtitia promiſſi ſeminis mulieris, Jeſu Chriſti. Sane veſtes ornatum animi potius quam corporis decus, adeoque juſtitiam Chriſti ſignificare, nemo negabit, qui audivit Apoſtolum Paulum II Cor. V. III. IV. & Johannem

Theolo-

Theologum Apoc. xvi. xv. In illis locis per *nuditatem* Spiritum ſanctum intelligere labem & fœditatem mentis, immo peccatum, nemo ſanæ mentis inficias ibit. At quemadmodum *nuditas* peccatum & injuſtitiam noſtram ſignificat, ſic & veſtes ſunt ſymbola ſanctitatis & juſtitiæ Chriſti. Ideo Chriſtus ipſe monet electos ſuos, ut emant a ſe *veſtimenta alba*, id eſt ut amiciantur innocentia & juſtitia ſua, ne fiat manifeſtum dedecus nuditatis. Apoc. iii. xviii. & apud Prophetam Ezechiel. cap. xvi. x. xiii. Deus dicit: ſe ſponſam ſuam, nempe Eccleſiam, aut electos in Eccleſia, veſtiviſſe opere Phrygionico, byſſo aliiſque ornamentis: quo ornatu proculdubio intelligit gratiam ſuam, & juſtitiam, qua peccata noſtra, tanquam pretioſa aliqua veſte, teguntur, ne unquam in ejus conſpectum veniant. Idem intelligit Pſaltes Pſalmo xlv. xiv. xv. ubi ornatus & gloria filiæ Regis ſive Eccleſiæ laudatur, ideo quod ſit intus ornata, ipſis ſcilicet dotibus mentis, fide & juſtitia Chriſti magis quam aliquo apparatu extrinſeco.

DCCLI. Nec aliud quid intelligit Chriſtus per veſtimenta nuptialia, quibus ſponſo noſtro grati ſumus Matth. xxi. xi. ob eundem finem Deus ſub Veteri Teſtamento juſſit mutationem & lotionem veſtimentorum, antequam ad ſe accederent, quo etiam reſpexit Johannes Apoc. vii. xiv. dicens ſanctos *ſtolas ſuas lavare & dealbare in ſanguine agni*. Unde Patriarcha Jacobus non accedebat ad Deum, nec ad ipſius altare, niſi depoſitis prius veſtimentis, quod etiam fecit tota ejus familia. Gen. xxxv. i. ii. qua de cauſa mulier captiva Iſraelitæ nuptura juſſa fuit veſtes deponere & alias ſumere. Deut. xxi. xiii. Quo facto Deus ſignificare voluit, ſponſam ſuam e ſervitute, & captivitate peccati in libertatem vendicatam, ſi veram communionem ſecum habere ſerio vellet, omnes centones veteres & aſſumenta peccati deponere, juſtitia ſanctitateque Chriſti Redemptoris velari debere. Si Joſephus, ut accederet ad Regem Ægypti, ſi filius prodigus, antequam patrem adiret ut cum eo reconciliaretur, veſtes novas & ſplendidas ſumpſerunt, veteribus depoſitis, Geneſ. xli. xiv, & Lucæ xxv. xxii. quanto magis Electi in Eccleſia debent novis veſtibus Chriſti indui, veteramentis & centonibus peccati exutis? Præſertim autem illi, qui ad Deum accedebant, ut alios Deo reconciliarent, quod requirebat officium Sacerdotum.

DCCLII. Cum igitur veſtimenta in omnibus electis ſint ſymbola ſanctitatis & juſtitiæ Chriſti, tunc maxime in ſacerdotibus, qui tanquam internuncii apud Deum pro populo intercederent. Hoc apparatu enim quo Deus lege ſua eos voluit ornari, ſignificabatur, indignos eos eſſe ut accederent propria juſtitia & meritis; ſed omnino eos alterius & merito & juſtitia velandos fuiſſe, quoties ad altaria ſua appropinquare vellent. Et hoc quidem Deus promiſerat Pſal. cxxxii. xvi. hiſce verbis: *Sacerdotes ejus veſtiam juſtitia & ſalute.* Sed nihil clarius ad hanc veritatem probandam allegari poteſt, quam id quod legitur apud Zachariam cap. iii. iv. v. Deus enim poſtquam juſſiſſet, ut Pontifex Max. Jehoſchua, depoſitis veſtimentis ſordidis, nova indueret, ſtatim addit: *Ecce tranſtuli a te iniquitatem tuam ut induam te mutatis veſtibus.* Ut igitur depoſita veſtimenta ſordida erant ſignum, quod tranſlata ab eo eſſet iniquitas, ſic novæ veſtes ſymbolum erant ſanctitatis, & juſtitiæ Chriſti, qua tectus Deo gratus erat, ac libertatem accepit accedendi ad Deum.

DCCLIII. Primum quidem occurrunt plures veſtes. Minores enim Sacerdotes habebant quatuor, Summus Pontifex octo: ut ſic diſceremus pluribus nos ſcatere vitiis, pluribuſque fœdatos eſſe peccatis; peccata noſtra, non una ſed pluribus opus habuiſſe veſtibus ut tegerentur, ne in conſpectum venirent Dei. virtutes etiam & dona Chriſti eſſe multiplicia, multaque & varia eum in nos contuliſſe beneficia ſpiritualia atque cœleſtia, *gratiam & veritatem a Chriſto eſſe, & ex ejus abundantia nos omnes accepiſſe & gratiam pro gratia. Epheſ.* i. *Joh.* i. xvi. Et quamvis Deus in ſacra Scriptura nobis non patefecerit omnes receſſus ſui conſilii, nullamque rationem expoſuerit expreſſis verbis, cur quatuor veſtibus minores, octo autem Pontificem Max. veſtiri voluerit, non pluribus nec paucioribus? nihilominus cum nihil fecerit, niſi ſapientiſſimo conſilio, ipſius rei rationes eum apud ſe habuiſſe, dubitari non poteſt. Sane per peccatum incidimus in quatuor mala extrema, omnium noſtrarum calamitatum fontes. i. in *cæcitatem* & ignorantiam mentis in rebus ſpiritualibus, ut in negotio ſalutis jam ſimus inſtar miſerrimi iſtius hominis, de quo mentio fit in Euangelio, qui a nativitate cœcus erat, Joh. ix. i. ii. In *Reatum*, ſive *injuſtitiam*, unde facti ſumus digni, ut in æternum a facie Dei repelleremur. iii. In integram cor-

ruptionem totius noſtræ naturæ & malam *cupiditatem*, quare ad omnia bona opera inepti ſumus. Et tandem quarto in *mortem æternam*. Deus autem ſua benignitate omnibus iſtis quatuor malis medetur per Chriſtum, in quo nobis contulit quatuor inſignia beneficia, quæ ſunt tanquam compendium omnium bonorum; quæ ad noſtram ſalutem requiruntur; *Sapientiam*, *Iuſtitiam*, *Sanctificationem & Redemptionem. Chriſtus enim nobis factus eſt Sapientia, Iuſtitia, Sanctificatio & Redemptio.* 1 Corint. 1. xxx. *Sapientia* quatenus medetur naturali noſtræ inſcitiæ & mentis *cæcitati*. *Iuſtitia*, quod nobis meruerit remiſſionem peccatorum, deinde quod tanquam noſter Advocatus cauſam noſtram apud Patrem ſupremum Judicem, qui ſolus poteſt ſalvare aut deſtruere, Jacobi IV. XII. egerit, & abſolutionem nobis impetraverit. *Sanctificatio*, quod nobis dederit Spiritum Sanctum, qui naturam noſtram corruptam regeneraret, veramque ſanctitatem nobis imprimeret. *Redemptio*, quod tanquam noſter גואל & vindex e manibus hoſtium nos eripuerit, a morte æterna liberaverit, & ad cæleſtia ſit introducturus gaudia. Quid? ſi dicamus quatuor hæc inſignia beneficia fuiſſe depicta per quatuor iſtas veſtes Sacerdotum; *Sapientiam* per *pileum*, qui caput tamquam ſedem mentis & omnis rationis atque ſapientiæ tegit. *Iuſtitiam* per *tunicam*, qua tanquam *tunica juſtitiæ* Chriſti totus homo velatur. *Sanctificationem* per *brachas*, quæ carnem peccati, omneſque pravas concupiſcentias cohibet; *Redemptionem* per *cingulum*, quo (ut olim Iſraelitæ fugientes captivitatem & tyrannidem Pharaonis, Exodi XII.) cincti expeditius & alacrius ex ſervitute peccati, atque periculo mortis aufugeremus, & ad Deum, cœleſtemque fœlicitatem properaremus.

DCCLIV. At cum Pontifex Maximus clariorem nobis exhibeat typum Chriſti veri noſtri ἀρχιερέως, pluribus etiam veſtibus indutus erat quam reliqui. Ut oſtenderetur in Chriſto nihil nobis deeſſe, quod peccata tegeret, beneficiaque ſpiritualia atque cœleſtia nobis impetraret. Si verum eſt, quod tradunt Judæi, octo veſtes ſignificare circumſionem, propter octavum diem quo fieri debet: dicendum erit, ideo illud factum fuiſſe, quod iſto die Chriſtus primum effuderit ſanguinem ſuum, ideoque ejus paſſionem & ſacerdotale munus, pro expiatione peccatorum noſtrorum, octavo die quodammodo initium ſumpſiſſe. Quid? ſi dicere-

ceremus octo veſtes etiam ſignificaſſe præcipua beneficia, quæ Deus nobis contulit in Chriſto ſponſore & capite, præter quatuor iſta, de quibus jam modo mentionem fecimus, quatuor alia, quæ ſimul ſumpta cum reliquis faciunt octo? *Electionem*, *vocationem*, *adoptionem*, & *fidem*. *Electionem* & *Adoptionem* per *Ephodum* & *Pectorale*, quatenus nomina noſtra in libro vitæ ſcripta erant ab æterno, noſque ſibi a Patre datos in humeris, & in pectore ſuo geſtaverit, tanquam tot lapides pretioſos ante jacta mundi fundamenta, *ſecundum beneplacitum voluntatis ſuæ*. Epheſ. I. V. Noſtram *Vocationem* per *Pallium*, de quo pendebant mala punica & tintinnabula, vera ſymbola verbi Dei, quo tanquam intenſiſſimo ſono altaque voce ad Chriſtum ejusque Eccleſiam vocamur. *Fidem* autem per *auream coronam*; eſt enim fides inſtar auri ſepties probati; immo eſt aurum illud, quod a Chriſto accipimus, ut diteſcamus Apoc. III. XVIII. & qua fide, ſi in ea perſeveramus, poſt decertatum bonum certamen, tandem tanquam corona vitæ & juſtitiæ coronabimur. Apocal. II. X. II Tim. IV. VIII. & Apocal. IV. IV.

DCCLV. Hinc, ut & clarius ex iis, quæ toto hoc opere demonſtravimus, patet, totum corpus Pontificis tectum fuiſſe veſtibus ſacris, a capite ad talos uſque: Quia totus homo peccato pollutus erat a capite ad calcem; nulla vis animæ, nullum membrum aut pars corporis erat, quæ non corrupta fuerit, adeoque tegumento non opus habuerit Eſaiæ cap. I. VI. Manus quidem & pedes nudi erant, at ipſæ manus & pedes res ſanctas ſemper tangere debebant, ut pavimentum ſanctuarii, ſacrificia & vaſa ſacra, quibus continuo quaſi tecti erant: ideo & ipſæ manus & pedes alterius ſanctitate opus habebant.

DCCLVI. Ex varia etiam materia veſtes ſacræ, ex *lino* ſcilicet & *lana* omnium totius ordinis veſtes conſtabant. Primo quidem dici poteſt fuiſſe imagines duarum in Chriſto naturarum, divinæ & humanæ. Per lanam quidem Deum voluiſſe naturam Chriſti humanam ſignificari. Lana enim de animali terreſtri & mortali detondetur. Sed & ipſa lana facile corrumpitur: non male igitur adhibita fuit, ut indicaretur Chriſti natura humana, mortalitati ob peccata obnoxia. Præterea quemadmodum *linum*, in veſte mixtæ materiæ, lana obtegitur, ut vix oculis percipi poſſit; ſic & Chriſti natura divina, carne natura-

que humana obvoluta & quaſi tecta fuit, præſertim in abjecto iſto ſtatu, ut qualis eſſet vix ab hominibus agnoſceretur, immo a ſuis, ad quos venit, non cognoſceretur. Joh. I. XI. Non enim erat in eo forma neque decor, nec ulla ſpecies quæ faceret ut deſideraretur: & quamvis fuerit in forma Dei; nihilominus formam ſervi accepit; immo venerat ἐν ὁμοιώματι σαρκὸς ἁμαρτίας. Eſ. LIII. Phil. II. Rom. VIII. III. Tandem quemadmodum lana, a ſolis mulieribus erat neta forte etiam texta, (prout mulieres nonnunquam veſtes ſacerdotales texuerunt, ut ſuo loco demonſtravimus) ſic & Chriſtus a ſola muliere vi Spiritus Sancti conceptus & natus eſt, quare modo peculiari *ſemen mulieris* dicitur. Gen. IV. Luc. I. XXXIII.

Linum autem, ſive *byſſus*, cum creſcat ex planta ſimpliciſſima, ita ut ex quolibet grano ſeminis unicus tantum creſcat culmus, ut ipſi Judæi docent, & cum ſit puriſſima, nec corruptioni, facile obnoxia, optime dici poteſt, eam eſſe ſymbolum, naturæ divinæ Chriſti, quæ eſt ſimpliciſſima, & incorruptibilis, nullum etiam habet ſocium nec fratrem; eſt enim filius Dei unigenitus, qui eſt in ſinu patris. Joh. I. XVIII.

DCCLVII. Nec myſterio caret, quod Sacerdotes veſtiti fuerint veſte שעטנז duplicis materiæ, *lana* & *lino*, cum hoc tam expreſſa lege vetitum fuerit reliquis Iſraelitis. Hoc modo Deus proculdubio indicavit, Chriſtum expiare peccata duorum populorum, Judæorum & Gentilium, eſſe Deum non Judæorum ſolum, ſed & gentilium. Rom. III. XXVIII. expiare Chriſtum peccata totius mundi I Joh. II. Com. II. adeoque in Chriſto omnes uniri, ut unicus tantum populus factus ſit. Sane quemadmodum Deus lege ſua vetuit ne Iſraelitæ geſtarent veſtes ejuſmodi mixtas; ut intelligerent, ſe nullum habere commercium cum reliquis gentibus, ſic optimo jure dici poteſt, Deum voluiſſe ut Sacerdotes lanam & linum gererent, ſive veſtimenta ex iis mixta; ut intelligerent, per verum noſtrum Sacerdotem Chriſtum, inimicitiam ablatam eſſe, duos populos Judæos & gentiles unum factum eſſe populum, quemadmodum unus tantum eſt Deus, unus baptiſmus, una fides, & unus Internuncius inter Deum & homines, Epheſ. II. I Tim. II. V.

DCCLVIII. Tandem *lino* & *lana* ſignificabatur Chriſti mundities, ſanctitas & juſtitia, ſimul & ejus, aut potius noſtra peccata,

cata quibus noſtra cauſa onuſtus erat. Nihil aptius excogitari poteſt, ad ſignificandum peccatum quam lana. Ut enim lana provenit ab animali immunditiei, ſcabiei & ejuſmodi morbis valde obnoxio, quare ipſa lana facile corrumpitur, & a tineis roditur, immo & lepræ eſt capax. Levit. XIII. XLVII. eodem ſane modo peccata perpetrantur ab hominibus corruptis, &, neſcio qua ſcabie, lepraque infectis, unde fit, ut indies magis magiſque corrumpantur. At ſi lana ſignum erat peccati noſtri quo Chriſtus onuſtus eſt: *byſſus*, ſive linum ſignificabat, ejus innocentiam, ſanctitatem & juſtitiam. Eſt enim byſſus puriſſima, ſubtiliſſimaque, quibus tanquam vivis coloribus depingitur Chriſti candor, innocentia & juſtitia. Hinc *byſſina* vocantur *juſtificationes ſanctorum*. Apoc. XV. VIII. Ideo & Chriſtus tanquam juſtus judex, dicitur lino veſtitus. Ezech. IX. II. III. XI. & X. II. VI. VII. & Dan. X. V. & XII. VI. ut & Angeli Deum ad judicium comitantes, tanquam tot miniſtri ſancti & juſti Apoc. XIX. XIV. & XV. VI. VIII. quemadmodum Eccleſia & uxor agni. Ezech. XV. I. XIX. & Apoc. XIX. *byſſo* veſtiti ſunt.

DCCLIX. Fortaſſis lana etiam ſignificabat Chriſtum eſſe veram noſtram victimam, tanquam ovem aut agnum, de quo lana detondetur. Oves enim & agni plurimum offerebantur. Ideo & ipſe Chriſtus dicitur *Agnus inculpatus*, & *Agnus mactatus ante jacta mundi fundamenta. Agnus Dei qui portat peccata mundi.* Apoc. V. & VI. & VII. I Pet. I. XIX. Joh. I. XXIX. Immo exſertis verbis vocatur *agnus ductus ad mactationem*. Eſ. LIII. Jerem. XI. XVIII. ubi Prophetæ reſpiciunt ad ejus ſacrificium pro peccatis noſtris. Huc referri poteſt, quod in ſacrificio vaccæ rufæ & in aſperſione ſacrificiorum, lana etiam adhibita ſit. Num. XIX. VI. Nam quod in quibuſdam locis de purpura dictum eſt, id Paulus de lana explicat Hebr. IX. XIX. Apocal. XIII. VIII.

DCCLX. Præterea *aurum* veſtibus ſacris quoque intextum erat, ut ex *auro* non minus quam ex lana & lino conſtitiſſe videantur. Iterum duas in Chriſto naturas repræſentari, dici poteſt. *Lino* ſcilicet & *lana* tanquam rebus minus pretioſis humana natura (quamvis tamen linum etiam dici poſſit naturam divinam Chriſti repræſentaſſe, uti ſupra oſtendimus) depingitur. Ut enim corpus & anima juncta unum tantum conſtituunt hominem, ſic &

lana tanquam res craſſior & corruptibilior, inſtar corporis, cum lino, tanquam re ſubtiliori, ſimpliciori, & minus corruptibili (prout anima exprimi ſolet per res quæ minime ſunt craſſæ, maxime autem ſubtiles & ſimplices, unde etiam רוח πνεῦμα & *Spiritus* a ſubtilitate venti, vocatur) quaſi cum anima juncta ſignificant corpus & animam Chriſti, verum hominem. *Aurum* autem ejus naturam divinam. Eſt enim aurum omnium metallorum pretioſiſſimum, deſideratiſſimum, ſplendidiſſimum & puriſſimum, immo nulli corruptioni obnoxium, adeoque incorruptibile, ut æternitatem pulchre depingat. Non male igitur diceretur, *aurum* in ſacris adhibitum fuiſſe, ut Chriſti natura divina, quæ eſt puriſſima, gloria & majeſtate ſplendidiſſima, æterna & incorruptibilis, omnibus creaturis quæ Chriſtum cognoſcunt deſiderata & amata, ſenſibus noſtris exponeretur. Hinc & ipſe Chriſtus *aureus* dicitur. Cant. v. xi. xiv.

DCCLXI. Addi præterea poteſt, *Lanam*, *Linum*, & *Aurum* Symbola quoque fuiſſe præcipuorum munerum Chriſti; *Sacerdotalis*, *Prophetici* & *Regii*: Sacerdotale quidem depingi per lanam, ab ovibus, quæ in ſacrificiis maxime adhibentur deſumptam, unde ipſe etiam *agnus mactatus* dicitur, ut jam modo oſtendimus. *Propheticum* per linum ob candorem, ſimplicitatem & ſubtilitatem. Candor enim & vitæ ſimplicitas, ut & alta atque ſubtilis ſapientia in rebus divinis Prophetas decet, cum in prædicandis futuris, (omnia enim debent eſſe candidiſſima & ſincera, quemadmodum a Deo revelata ſunt) tum ob integritatem ſanctitatemqne vitæ. *Regium* per aurum. Reges namque auro abundare ſolent, quaſi pro eis ſolis a natura formatum eſſet. Ideo & veterum nonnulli non male dixerunt Chriſto a Magis oblatum fuiſſe, *Aurum* tanquam Regi, quemadmodum *thus* tanquam Deo, & *myrrham* tanquam homini mortali.

DCCLXII. Ceterum cum aurum ſit metallum incorruptibile, adhibitum fuiſſe videtur, ut indicaretur, ſacrificium Chriſti eſſe æternum. Sacerdotes enim ſub V. T. quotquot extiterunt, mortales erant, & certo tantum tempore miniſterio functi ſunt, Sacerdotium vel morte deſerebant, vel ob ſcelus aut ob vitium corporis eo movebatur, atque alter in locum alterius ſuccedebat; immo totum Sacerdotium *præſtituto tempore* Hebr. ix. ix. ἀφανισμὸν finem habere debuit, quod etiam poſt Chriſtum natum factum eſt.

Sed

Sed Chriſti Sacerdotium in æternum durat. Nullum habet finem nec ſucceſſorem. Eſt enim Sacerdos *æternus ſecundum ordinem Melchizedeci* Pſ. cx. Hebr. v. vi. & vii. i. ii. xxiii. xxiv. xv. non etat ἀρχιερεὺς κατὰ νόμον ἐντολῆς σαρκικῆς *ſecundum legem mandati carnalis*, ἀλλὰ κατὰ δύναμιν ζωῆς ἀκαταλύτου *ſed ſecundum potentiam vitæ indiſſolubilis*: qui Sacerdotium in æternum non deſerit. Ideo dicitur ſe obtuliſſe per *Spiritum æternum*, Hebr. ix. xii. xiv. & omnia beneficia quæ ſuo Sacerdotio nobis acquiſivit æterna dicuntur, ut & *redemptio æterna* Hebr. ix. xii. xv. & x. xii. ii. Pet. i. ii. *Adduxit juſtitiam æternam.* Dan. ix. com. xxiv quia in æternum ſufficit: ut non opus habeamus ſingulis diebus nova προσφορᾶς περὶ ἁμαλτίας, *oblatione pro peccatis*, ut ſub T. V. ubi quotidie novum ſacrificium requirebatur. Per Chriſtum enim *peccatum totius terræ deletum eſt*, Zach. 3: 9. αἰωνίαν ἀπολύτρωσιν. *Hebr.* ix. i. x. ἄφεσιν *in plena emphaſi.*

DCCLXIII. Pretium quoque paſſionis & meriti Chriſti per aurum, ut & per lapides pretioſos exhibetur. Eſt enim metallum omnium pretioſiſſimum; adeo etiam ut omnes fere divitiæ aurum dicantur. Hinc Chriſtus electos ſuos monet, ut *emant aurum*, ut diteſcant. *Eme* inquit, *a me aurum, ut diteſcas.* Apoc. iii. xviii. Ejuſmodi pretium non habebant ſacrificia & oblationes veteris T. Non poterat conſcientiam purificare ſanguis taurorum, hircorum, nec aſperſio cineris juvencæ. Sacrificio nec munere nec holocauſto nec oblatione pro peccato Deo litatum eſt: erant enim iſta omnia res debiles & nihili coram Deo; Sed Chriſtus corpus ſibi formavit, ut auris ſibi perfoderetur, & ut in forma hominis perfectam obedientiam tanquam juſtus ſervus patri præſtaret, & proprio ſuo ſanguine nobis acquireret veram redemptionem. Pſ. xl. vii. Hebr. x. v. Eſ. liii. Hebr. ix. xiii. xiv, xi, Phil. ii. Enimvero ut ipſa ſactificia peccata expiare non poterant, ſed imago tantum erant veræ expiationis per Chriſtum præſtandæ; ita aurum & gemmæ nos a peccato & a morte non poterant redimere, ſed Symbolum nudum erant valoris atque pretii ſacrificii & meriti Chriſti. Eo videtur reſpexiſſe Petrus i. Ep. cap. i. xviii. ubi docet nos eſſe *redemptos, non per aurum & argentum* nec aliis rebus pretioſis, ut ipſis gemmis quales erant in veſtitu Aharonis, ſed *per pretioſum ſanguinem Chriſti.* Et Paulus i. Cor. vi. xx. *Pretio redempti eſtis*; ut noſtra re-

demptio

demptio fieri non potuerit niſi λύτρῳ τῆς ψυχῆς αὐτοῦ. Matth. xx. xxviii.

DCCLXIV. Tandem, cum aurum omnium metallorum ſit pretioſiſſimum, non male diceretur ſymbolum fuiſſe omnium Chriſti gratiarum & donorum. Et gratias quidem atque dona ejus ſplendidiſſima & pretioſiſſima, omneſque divitias in eo fuiſſe cumulatiſſimas. Nam *in Chriſto reconditi ſunt omnes theſauri ſcientiæ, ſapientiæ & intelligentiæ.* Col. iii. iii. *Cum dives eſſet, pauper factus eſt noſtra cauſa, ut ipſius paupertate diteſceremus.* ii. Cor. viii. ix. Sane Spiritum Sanctum ejuſque gratias ſignificari per aurum, patet Zach. iv. xii. Ideo *divitiæ gloriæ & hæreditatis ſanctorum*, vocantur, ejuſque gratiæ *excellentiſſimæ opes & divitiæ.* Eph. i. viii. xviii. & ii. vii. Hinc & Eccleſia Chriſti auro depingitur, quod donis atque gratia Chriſti inſtar auri ſplendeat, pretioſaque ſit in facie Dei. Quamobrem & ipſa ſponſa Chriſti, ſive Eccleſia *auro veſtita* dicitur Pſalm. xlv. & Ezech. xvi. xiii. Immo *aurea* vocatur, quod conſtet ex *auro puro.* Apoc. xxi. xviii. Et *doctrina* Chriſti, & *Euangelium*, & *præcepta Dei*, & electorum *fides* cum auro ſepties probato puriſſimoque comparantur. i Petr. i. vii. & iv. xii. & Apoc. iii. xviii. Hæc autem intelligi debent non tantum de auro veſtibus intexto, ſed & de eo quod fuit annexum, ut de aureis fundis in humeralibus Ephodi, & pectorali, de aureis annulis, catenulis, tintinnabulis, in Pallio, & in corona aurea, de quibus infra plura dicentur.

DCCLXV. Quod de materia veſtium diximus, illud de earum coloribus etiam intelligi debet. Variis coloribus ſplendebant, *albo, aureo, hyacinthino, coccineo & purpureo.* Primum dici poteſt, veſtes ſacras pluribus coloribus fuiſſe aſperſas, eo quod multis nævis & maculis mens noſtra fœdata fuerit, deinde quod Chriſtus nos purgaverit multis paſſionibus, plagis & doloribus, quæ omnia in Chriſto abundabant, non minus quam in electis ejus, atque ſic ut pleniſſimam haberemus purgationem, & ut conſolationibus multis abundaremus. ii Cor. i. v. Tandem Chriſtum nobis acquiſiviſſe multas gratias ſua paſſione.

DCCLXVI. Duo reperiuntur genera colorum, Alii enim nativi ſunt, ut *Albus* & *Aureus.* Reliqui hominum arte inducti ſunt: ut *hyacinthinus, coccineus* & *purpureus.* Iterum videntur

tur fuiſſe emblemata duarum naturarum Chriſti, ſummi noſtri Pontificis. Divina enim ejus natura latuiſſe videtur ſub colore albo & aureo. Ut enim hi colores ſunt nativi, ſimpliciſſimi, pulcherrimi, gratiſſimi atque ſplendidiſſimi, qui aliunde nihil accipiunt, quo eorum ſplendor & gratia augeretur, nullo etiam fuco aut hominum opera effiſti ſunt; ſed ſua natura aliquam majeſtatem præ ſe ferunt: ita divina Chriſti natura ſimpliciſſima & glorioſiſſima eſt: omnem gloriam, majeſtatem ac fœlicitatem in ſe poſſidet. Eſt enim אל שדי *Deus fortis & ſufficiens.* Geneſ. xvii.

Album quidem colorem majeſtatem aliquam repræſentare, inde patet; quod Regum fuerit ornatus. Sane Mardochæus honorandus regio ornatu, albis veſtibus indutus eſt. Eſteræ viii. xv. Ipſe Deus propter majeſtatis ſuæ ſplendorem & gloriam, dicitur luce veſtitus tanquam veſtimento. Pſalm. civ. ii. Albis veſtibus ſæpiſſime apparuit in nubibus & in ſolio ſuo. Dan. vii. ix. Apoc. iii. xviii. & xix. xiv. Chriſtus ipſe album ſe exhibuit in celebri iſta transformatione Matth. xvii. ii. Luc. ix. xxix. ut gloriam ſuam atque majeſtatem divinam manifeſtaret.

Hoc autem multo magis dici poteſt de colore aureo. Eſt enim iſte color fulgidiſſimus ac gratiſſimus, ut omnium oculos & corda in ſui deſiderium trahat. Nullo fuco iſte color infici, nullo ærugine corrodi aut turpari poteſt; ſemper ſplendet & rutilat, nec in æternum languet aut deletur. Quid quæſo pulchrius adhiberi poteſt ad depingendam Chriſti æternitatem divinitatemque? Sane Chriſtus tanta gloria & majeſtate fulget, ut ne ſanctiſſimi quidem inter homines, ut Moſes, nec ipſi Angeli ejus ſplendorem & gloriam recte aſpicere queant. Exod. xxxiii. xxiii. Eſa. vi. ii. Nulli etiam mutationi obnoxius eſt, ut ejus gloria & majeſtas in æternum ſit xiii. viii. *Apud eum nulla datur varietas, & ne quidem ſpecies mutationis.* Jacob. i. xvii. Præterea neuter horum colorum alteri ſuam originem debet, ut diceres eos a ſe ipſis eſſe, quemadmodum Chriſtus a nemine eſt productus, nemineque originem debet, ſed a ſeipſo ab æterno fuit, eſt, & futurus eſt. Apoc. i. iv. *Alpha & Omega initium & Finis. com.* viii.

DCCLXVII. *Hyacinthinum*, *coccineum*, & *purpureum* colores naturam Chriſti humanam ſignificaſſe, optimo jure dici poteſt. Sunt enim colores terreſtres, ut non niſi ex alia aliqua materia

terreſtri, ex arboris fructu & animalium cruore fieri poſſint, arte atque opera infectoris. Sic & natura Chriſti humana non fuit æterna & a ſe ipſa, ſed in plenitudine temporum opere Spiritus Sancti concepta in utero viriginis, ex ſanguine purificato matris nata eſt.

DCCLXVIII. Nihilominus ipſis coloribus terreſtribus aliquid cœleſtis ineſt. Talis eſt color *hyacinthinus*. Is enim cœlum optime refert, cum ſit cœruleus. Eſt etiam color hyacinthinus tenaciſſimus, ſplendens pulchertimo flore quem nunquam amittit. Non male itaque cœli ſymbolum creditur. Ideo Deus dicitur ſedere in ſolio ſaphirino. Exod. xxix. x. Ezech. i. xxiv. Quemadmodum igitur hyacinthinus color, quamvis ſit ex materia aliqua terreſtri, nihilominus cœlum refert, atque cœleſte quid habet, ut totus cœleſtis videatur; ſic & natura humana Chriſti, ut ex materia, ſanguine ſcilicet virginis, corpus ejus formatum ſit, nihilominus nulla ope viri, ſecundum leges naturæ, conceptus eſt, ſed virtute Spiritus Sancti ex caſtiſſima virgine; ut ejus conceptio & nativitas plane cœleſtis ſit. Unde etiam homo cœleſtis atque de cœlo miſſus dicitur. Joh. iii. xiv. & vi. xxiii. i Cor. xv. xlvii. xlviii. xlix. Fortaſſis hanc ob cauſam ipſe Chriſtus cum *ſaphiro* comparatur Cant. v. xiv. ut ejus cœleſtis natura indicaretur.

DCCLXIX. Cæterum, colores *coccineum*, & *purpureum* ſignificare naturam humanam Chriſti, illudque quod homini accedit, mihi nullum eſt dubium. Primo quidem color coccineus peccata noſtra, quibus onuſtus erat, demonſtravit. *Coccinum* ſymbolum peccati eſſe, ex verbo Dei conſtat Eſa. i. xviii. *Si peccata veſtra ſint inſtar coccini, ſi ſint rubra ut vermiculum.* Ideo aſperſiones ſanguinis pro peccato fiebant *lana coccinea*, teſte Apoſtolo ad Hebr. ix. xix. Ita in rogum vaccæ rufæ, quæ comburebatur, Sacerdos projecit *coccinum*. Num. xix. vi. ad ſignificandum peccata populi ſimul cum vacca comburi. (forte ob eandem cauſam vacca quæ comburebatur, ut ex ejus cinere fierent luſtrationes, debebat eſſe rufa) In ſanatione lepræ, quæ eſt vera peccati imago, coccino quoque uſus eſt ſacerdos. Lev. xiv. iv. Decimo die Tiſri, in ſolenni expiatione, *lingua coccinea* etiam adhibebatur, ad declaranda peccata populi, ut Hebræorum Sapientes tradunt, Codice *Ioma cap.* vi. Tandem & altare cinctum erat *filo*

coc-

coccineo, ut a quibuſdam explicatur חוט של סיקרא ad diſtinguendos ſanguines aſperſionum, ut docetur codice *Sevachim*, *Middoth*, & alibi. Nec ſilentio prætereundum eſt, quod Rachab extenderit *pannum coccineum*, ad Iſraelitarum adventum. Scilicet ut hac cærimonia publicam quaſi profeſſionem ſuorum peccatorum redderet, & fidei in Chriſtum. Joſ. II. XVIII. XXI. Videatur etiam Origines in iſtum locum Homil. III. Ex quibus omnibus meridiana luce clarius eſt, coccinum eſſe ſymbolum peccati. Pontificum igitur veſtes coccineo colore infectæ erant, ut indicaretur, Chriſtum verum noſtrum Summum Pontificem peccatis noſtris fuiſſe onuſtum. Tulit enim in *corpore ſuo peccata noſtra ſuper lignum*. Et *maledictio factus eſt pro nobis*. I Petr. II. XXIV. Gal. III. XIII.

DCCLXX. Quemadmodnm coccinum imago erat noſtrorum peccatorum, quibus Chriſtus, tanquam veſte tectus & onuſtus erat; ita & *purpura* clariſſime depinxit ejus ſanguinem, quo peccata expiantur. Eſt enim purpura rubra, non rubore igneo, ut coccinum, ſed ſanguineo, unde & *ſanguis purpureus* dicitur, ut ſuo loco demonſtravimus, & ex cruore animalis tingitur. Si itaque peccata noſtra ſint rubra ut coccinum, ſanguis Chriſti etiam ruber eſt inſtar purpuræ. Nihilominus, O divina ſapientia! Deus novit horrendum ruborem peccatorum noſtrorum abſtergere alio rubore puriſſimo, ſcilicet ſanguine Filii ſui. Quamvis igitur peccata noſtra rubra ſint ut coccinum, ut nix, tamen dealbantur. Eſa. I. XVIII. Sanguis enim Chriſti nos purificat ab omni peccato; nam in ſanguine ejus ſancti ſtolas ſuas dealbant. I. Joh. I. VII. Apoc. I. VI. & VII. XIV. Idem myſterium Deus indicare voluit per altare ſanguine aſperſum. Levit. XIV. IV. Sed videatur tota Epiſtola ad Hebræos, ubi Apoſtolus fere totus eſt in eo, ut probaret, peccata noſtra expiata eſſe ſanguine Chriſti, idque ſignificari per ſangninem victimarum. Sed & ipſa ſponſa Chriſti, id eſt Eccleſia dicitur *purpura ornata*. Cant. VII. V. ſcilicet quia ſanguine Chriſti electi tincti ſunt, & quia veſtimenta ſua in ſanguine Chriſti lavant. Non male igitur purpura in ſacro veſtitu creditur ſignificaſſe ſanguinem Chriſti, quo etiam reſpexiſſe videtur Eſaias cap. LXIII. II. III. ubi docet Chriſti veſtes ſanguine fuiſſe conſperſas.

DCCLXXI. Non tamen quilibet ſanguis aptus erat, ad eluendas maculas noſtras atque peccata. Sed requirebatur ſanguis puriſſimus, ut & hominis juſtiſſimi atque ſanctiſſimi. Talis nemo in terra unquam vixit poſt lapſum Adami, præter Chriſtum. Quemadmodum autem peccata noſtra per coccinum, & ſanguis Chriſti per purpuram, ita & ejus juſtitia atque ſanctitas per colorem album depingebatur. Albus enim color eſt ſincerus, omnium ſimpliciſſimus ac mundiſſimus, nullum fucum agnoſcit, nihilque ſibi habet adjunctum aliunde. Pulcherrime itaque depingit candorem, juſtitiam & ſanctitatem. Ideo Angeli, Martyres, & omnes ſancti in cœlis, ubi nihil reperitur quod ſit pollutum, albis veſtimentis induti dicuntur. Apocal. III. IV. V. & IV. IV. & VI. XI. & VII. IX. XIII. & Matth. XXVIII. III. Marc. XVI. Joh. XX. XII. Act. I. X. Sane colorem album fuiſſe ſignum munditiei, ſanctitatis ideoque juſtitiæ & integritatis, ipſi Judæi faſſi ſunt. Nam is qui ſecundum legem pollutus erat ex ſacerdotibus, debebat e veſtigio deponere veſtes albas, tanquam *indignus*, ut nigris amictus abiret ex templo: quo reſpexiſſe videtur Johannes Apoc. III. IV. V. ubi dicit: *qui non polluunt veſtimenta ſua in albis veſtibus ambulant, quia ſunt digni.* Albus igitur color in veſtibus Pontificum ſignificabat Chriſti innocentiam, juſtitiam & ſanctitatem; hinc & albæ veſtes dicuntur, *juſtificationes ſanctorum.* Quamvis igitur veſtes ſacræ coccino purpureoque colore conſperſæ fuerint, nihilominus eis etiam inerat color albus, immo quædam veſtes totæ albæ erant. Ideo quamvis Chriſtus peccatis noſtris onuſtus fuerit, & ſanguine pro peccatis conſperſus, nihilominus erat ſanctiſſimus ac juſtiſſimus. Ideo Eccleſia gloriatur, ſponſum ſuum non tantum eſſe *rubrum*, ſed & *album*. Cant. V. X.

DCCLXXII. Dici etiam poſſet, per colorem cœruleum & aureum voluiſſe Deum depingere Chriſti dolores, plagas, vibices livoreſque, qui cœrulei & flavi eſſe ſolent. Nam per ipſius plagas & vibices ſanamur. Eſ. LIII. Unde ipſe Chriſtus per ſaphirum repræſentatur. Cant. V. XIV. Vide etiam quæ de ſaphiro gemma diximus cap. XII. hujus libri.

DCCLXXIII. A materia & coloribus veſtium jam pergendum nobis erit ad earum *texturam*. Erant enim contextæ, non acu conſutæ. Quodlibet veſtimentum erat quaſi integra quædam

dam tela, non autem ex pluribus fruſtis, centonibus, laciniis & aſſumentis conſutum. Hæc non carebant myſterio. Significabatur ſcilicet I. Chriſti integritas atque perfectio, immo ejus meriti pretium, & ſufficientia (liceat nobis hoc vocabulo uti) ad ſalutem: ideoque a ſolo Chriſto nos perfecte tegi, ejus ſola juſtitia nos juſtificari, non autem noſtros centones, lacinias, & aſſumenta, id eſt paſſiones meritaque creaturarum aſſuenda eſſe. Sic enim ſciſſura fieret major. Matth. IX. XVI. id eſt magis nudaremur, iramque Dei in nos concitaremus, Totum etiam Chriſtum credendum eſſe datum, ut in eo tanquam Deo & homine, atque in ejus perfecto ſacrificio ſalutem quæreremus. *Non enim debet frangi ullum os Jeſu Chrſti.* Joh, XIX. XXXVI. Ita & ejus meritum dividi non debet, ut partem tantum in ipſo, partemque aliquam in nobis quæreremus. II. Quemadmodum veſtes textæ ex unico quaſi filamento conſtant, ſic & Eccleſia, quamvis ex pluribus hominibus componatur, tamen conſiderari debet, quaſi unus tantum eſſet homo: Chriſtus enim pro omnibus ſimul & ſemel ſatis fecit, uno ſcilicet die expiavit peccata totius terræ. Zachar. III. IX. Ut enim eſt unus Deus, unus baptiſmus, una Eccleſia, ſic & unus internuncius inter Deum & homines. I Tim. II. V. III. Ornatus, & perfectio Chriſti ejuſque Eccleſiæ per iſtam texturam aliquomodo depingebatur. Nam ut veſtes textæ multo ſunt ornatiores & commodiores quam ſutæ, cum nullas habeant rugas & ſuturarum juncturas atque oras aut fibulas, quæ aliquam deformitatem adferunt carnemque facile lædunt, ſed undique ſunt molles & unitæ, ut nihil relinquant quod corpori ſit moleſtum: Ita & Chriſtus nihil habet deforme, nihil quod moleſtiam creet, immo quod non ſit pulchrum, quod non ſummum gaudium & jucunditatem adferat corpori ſuo myſtico, nempe Eccleſiæ. Præterea cum ipſa Eccleſia per veſtes Chriſti etiam repræſentetur, dicendum eſt, hac ratione depingi Eccleſiæ ornatum & pulchritudinem. Eam eſſe Eccleſiam ſanctam & glorioſam, quæ non habet nec *rugas nec maculas.* Epheſ. V. XXXII. Sed IV. pretium noſtræ redemptionis indicatur hac ratione; textæ enim veſtes multo pretoſiores ſunt quam ſutæ, ut ſuo loco oſtendimus, unde factum eſt ut ars illa in deſuetudinem abierit. V. Ultimo veſtes textæ erant opus ſingularis induſtriæ, non vulgaris alicujus artis. Ita ſane opus redemptionis noſtræ,

non erat opus humanum, ſed e conſilio ſapientiſſimi Dei prodiit, captum hominum & Angelorum multum ſuperat, adeo ut etiam hominibus ſtultitia viſa fuerit: nam per ſapientiam ſuam Deus nos ſalvavit, & noſtra redemptio facta eſt conſilio Dei, quod homines non poterant deſtruere. Uno verbo, Redemptio noſtra continet myſteria, quæ oculus non vidit, auris non audivit, & quæ non aſcenderunt in corda hominum. 1 Cor. I. XXI. XXIV. & II. VII. XIII. XIV. 1 Petr. I. XII. Act. V. XXXVIII.

DCCLXXIV. Ad texturam etiam referri debent veſtium ſacrarum ornamenta. I. Conſtabant ex filamentis retortis. Dicuntur enim משזר id eſt *retorta*, ſcilicet quodlibet filum conſtabat ex ſex filis in unum retortis; aliquando octo, duodecim, immo nonnunquam viginti, ſi Judæis credimus. Vide quid de his dixerimus lib. I cap. XVII. Significatur autem hoc modo I. Sacerdotium Chriſti æternum firmitaſque Eccleſiæ, quam nemo deſtruere poteſt, ne ipſæ quidem portæ inferni. Matth. XVI. II. unio quoque arctiſſima membrorum Eccleſiæ inter ſe & cum capite ſuo. Nam ut plura filamenta in unum retorta erant, ita multi electi intimis nexibus arctiſſime cohærent, unicam Eccleſiam cum Chriſto quaſi unicam veſtem, aut unicum filamentum conſtituunt.

DCCLXXV. Secundo, conſtabant, præſertim ſacra tunica, innumeris משבצות id eſt *fundis*, aut *teſſellis*, quæ pulcherrimo ordine intextæ fuerunt. Quo ornamento ſignificabatur I. electorum unio cum Chriſto, nam etſi multæ fuerint & innumeræ fundæ, nihilominus tamen unicum tantum conſtituebant veſtimentum. II. Erant figuræ iſtæ inſtar fundarum, quibus gemmæ inſitæ eſſe ſolent; aut inſtar ædicularum apum, aut etiam referebant malorum punicorum varia acinorum receptacula: ſcilicet quia fideles Chriſto inſiti ſunt, inſtar pretioſarum gemmarum quos amat tanquam pretioſum *κειμήλιον* סגולה *peculium* ſuum. Immo omnes credentes in Chriſto & per Chriſtum habere manſiones ſuas, quotquot unquam exſtiterunt aut exſtituri ſunt in Veteri & in Novo Teſtamento. Nam apud Patrem ejus ſunt multæ manſiones. Joh. XIV. II. Et III. ordinem atque decorum omnemque diſciplinam eſſe ſervandam in ſpirituali aliqua Republica. I. Cor. XIV. XL. pulchre etiam *fratres* debere *habita-*

re

re una. Pſalm. cxxxiii. i. Tandem iv. innumeris iſtis fundis ſive teſſellis depingebatur Eccleſiæ ornatus. Scilicet fideles multis & innumeris gratiis per Chriſtum ornati, ut Deo eſſent grati, ab eoque amarentur tanquam ſponſa a ſponſo ſuo, prout revera Eccleſia introducitur tanquam ſponſa Chriſti, & *tunica teſſellata ornata*. Pſ. xlv. x. xix.

DCCLXXVI. Tertio, veſtes ſacræ, præſertim autem balteus dicitur רקם, id eſt *opere Phrygionico* acu pictus, & elegantiſſimis figuris ornatus erat. Hoc autem genus ornamenti non erat textum, ſed adſutum opera acus. i. Ut conſtaret, quamvis Chriſtus omnem ornatum a ſemetipſo habeat, quamvis ſolus totum opus noſtræ redemptionis abſolverit, nec opus habeat auxilio atque opera hominum in admirando iſto opere, nihilominus fideles non debere eſſe ſegnes, & otioſos, ſed conferre debere ad ornatum & ædificationem Eccleſiæ, quicquid habent virium & induſtriæ, eoſque debere operari omni pietate & diligentia, ut *ſalutem ſuam conficiant in timore atque tremore*. Phil. ii. xii. ii. Notari etiam debet non integra aſſumenta veſtibus ſacris fuiſſe aſſuta, cum ex integris telis conſtarent, ut jam plus ſemel diximus. Sed quædam ornamenta tantum, & in ſolo quidem balteo: quo tanquam in tabella depingi voluit ſapientiſſimus Deus, noſtra peccata ſola juſtitia Chriſti quidem tegi, nihilominus Chriſtum etiam uti hominum opera, in iis quæ decus & ornamentum extrinſecum concernunt, prædicationem verbi, adminiſtrationem ſacramentorum, diſciplinam Eccleſiaſticam, ut participes fierent homines redemptionis per ſolum Chriſtum partæ. Deinde ſolus balteus acu pictus erat, non autem reliquæ veſtes. Nam Ephodum & Pectorale erant ornata per texturam. Ut moneremur, quod, ſi Chriſtus hominum opera etiam utatur, in negotio noſtræ ſalutis, illud parum, immo nihil eſſe, ſi conferatur cum iis quæ ipſe Chriſtus pro nobis præſtitit: Chriſtum intra ſe multo excellentiorem poſſidere gloriam, & omnino alia efficere in electorum cordibus, per Spiritum ſuum qui intus agit.

DCCLXXVII. Quarto, opere חשב id eſt *ingenioſiſſimo* opere, quantum ab humana induſtria & ingenio excogitari poteſt, aut potius quantum hominum ingenium ab ipſo Deo edoctum capere potuit. Inde diſcimus Chriſtum poſſidere ſummum ornatum perfectio-

fectioneſque plane divinas, quibus nulla humana arte atque induſtria, quicquam amplius accedere poteſt; Deinde quemadmodum ornatus ille, non tantum exterius aſſutus, ſed textus. ſimulque pars erat ipſius compagis texturæ, ſic & Chriſti ornamenta, & perfectiones non aliunde accepiſſe, ſed in ipſius eſſe natura; cum etiam tota contexta ſint tanta induſtria, diſcimus nos redemptos eſſe ſumma Dei ſapientia. Præterea cum iſtiuſmodi veſtes pretioſiſſimæ fuerint, ſequitur & noſtram redemptionem magno pretio factam, & Deo judici noſtro pretioſam eſſe.

DCCLXXVIII. Ornamenta illa quæ *Rokem* & *Choſcheb* dicuntur, pulcherrimi ac gratiſſimi omnium generum flores erant. Flores etiam habebant mala punica quæ de pallio dependebant; ut corona inſtar floris aperti fuerit, ut ſuo loco oſtendimus. At non tantum in Veſtitu ſacro, ſed & alibi flores adhibebantur, ad depingenda myſteria ſalutis. Nam in ipſo templo tabulæ cedrinæ ornatæ erant floribus apertis, & flores erant aurei. I. Reg. v. XVIII. XXXII. XXXV. & VII. XLIX. Flores erant ſymbolum Sacerdotii. Ideo virga Aharonis ſola floruit ex omnibus virgis duodecim tribuum, in ſignum Sacerdotii, prout Deus promiſerat Sacerdotium iſti familiæ, cujus virga floreret. Numer. XVII. VIII. Hebr. IX. IV. Per iſtos autem flores ſignificabatur verum Sacerdotium Chriſti, Ἀρχιερέως noſtri. Is enim *flos* dicitur, qui floret & creſcit. Zachar. VI. VII. III. VIII. Ibi quidem *germen* vocatur; ſed perinde erit, ſive *germen*, ſive *florem* dicas. Et de Meſſia venturo præſertim intelligitur. Eſ. LVIII, VIII. & XI. I.

DCCLXXIX. Cæterum, flores in ſacra Scriptura ſignificari magnam gloriam atque felicitatem, prout revera flores herbarum arborumque gratiam & aliquam dignitatem adferunt agris. Videatur Jobus cap. VIII. XIX. Pſalm. LXXII. VI. & XCII. VIII. & alibi. Sunt etiam flores ſymbola mortalitatis, mutationis, & gloriæ perituræ. Flos enim agri frigore, ardore ſolis, aut minimo etiam vento facile flacceſcit peritque Pſalm. CIII. XV. XVI. Eſa. XL. VI. VII. I. Petr. I. XXIV. Igitur flores in rebus ſacris adhibebantur ad depingendam veram naturam Sacerdotii Veteris Teſtamenti, illiuſque gloriam. Omnes cærimoniæ Veteris Teſtamenti magnam quidem gloriam præ ſe ferebant. Nam miniſterium mortis erat glorioſum. II. Cor. III. VII. Magna enim erat gloria habere

Tem-

Templum, & Sacerdotes & ſacrificia & oracula Dei. Quid? gloria Dei habitabat inter ipſos, inter Cherubinos. Sed illa gloria revera erat peritura, præſtitutum ſuum habebat tempus, quo debebat finiri. Adeoque ſi flores gloriam aliquam Sacerdotii ſignificabant, illa erat proculdubio gloria Sacerdotii Chriſti. Nam Chriſti Sacerdotium & miniſterium multo glorioſius eſt, Sacerdotio atque miniſterio Veteris Teſtamenti. Hoc enim erat *Miniſterium mortis* & *condemnationis*, & tanquam *inutile tollendum*. Illud autem eſt *Miniſterium ſpiritus* & *juſtitiæ*, quod *manet*. II. Cor. III. VII. VIII. IX. X. XI. Deinde *flores* ſunt ſymbola ſpei alicujus boni futuri, nondum præſentis. Ubi enim ſunt flores, ibi fructus nondum ſunt præſentes, ſed ex floribus protruduntur & creſcunt, donec pervenerint ad maturitatem. Ita ſane dicendum eſt, Judæos ſub Vet. T. fuiſſe adhuc ſub ſpe *προηλπικότας*, habuiſſe quidem *ἐπαγγελίαν promiſſionem* rerum futurarum, ſed non ipſa bona, ut intelligerent non niſi in Chriſto eſſe veros fructus ſacerdotii, qui fidelibus ſub Novo Teſtamento abunde exhibentur. Epheſ. I. XII. Gal. III. XVI. XVIII. Epheſ. I. III. Ut veteres ſemper fame atque ſiti aliqua laboraverint, nullum verum nutrimentum, aut ſincerum ſolamen habentes. Præſertim etiam intelligebant, ſalutem gentium nondum adeſſe, ſed florere & tandem aliquando ad maturitatem pervenire per Meſſiam venturum. Quod clariſſime prædictum fuit ab ipſo Eſaia cap. XXVIII. VI. *Effloreſcit & germinabit Iſrael, deinde implebunt ſuperficiem terræ habitabilis proventu.* Hæc pulcherrime dicta ſunt de Sacerdotio Veteris Teſtamenti, ita ut ſimul reſpexerit Propheta ad bona Novi Teſtamenti, per Chriſtum largienda. Tunc enim Sacerdotium, & bona ſpititualia in terra Iſraelis, præſertim Hieruſolymis in templo, ſtante Sacerdotio Aharonis, germinabant & florebant, ſed nondum pervenerant ad maturitatem ſuam, cum Chriſtus nondum eſſet præſens. At, peracto Sacerdotio Chriſti, cadunt inanes flores, verus fructus adeſt, & tota ſuperficies terræ, omnes ſcilicet gentes populique impleti ſunt proventu. Unde Chriſtus ſub N. Teſtamento dicitur *arbor vitæ* Civitatis ſanctæ, qui fert fructum & folia ad ſanationem gentium. Apoc. XXII. II. Ezech. XL. VII. XII. Et quamvis Ezechiel atque Johannes reſpicere videantur ad fideles N. Teſtamenti, id tamen de Chriſto potiſſimum intelligendum

dum eſt; cum nullos ferant fructus, nullamque habeant ſanationem niſi per Chriſtum, qui eſt vera arbor vitæ, de qua comedunt electi. Apoc. II. VII. Nam in Chriſto ſolo eſt vita hominis & vita æterna. Joh. I. IV. & XVII. III.

DCCLXXX. Hactenus de numero, materia, coloribus, textura, & ornamentis veſtium ſacrarum. Jam ad ſingula veſtimentorum genera ſeorſum, aliquid dicendum erit. Primo quidem occurrunt *Brachæ* ſive *feminalia*. I. Brachæ corpori proxime arcteque adhærebant, nam certis quibuſdam vittis corpori adſtringebantur. Illa etiam tegebant quæ minus cenſentur honeſta. Ita ſane *electi decenter & apte domino adhærent abſque ulla diſtractione.* I Cor. VII. XXXV. omniaque membra Eccleſiæ, etiam illa quæ viliſſima habentur ab hominibus profanis, id eſt omnes electi infimæ ſortis, non minus quam potentiſſimi terrarum Principes, Auditores, & Paſtores, Doctores, Prophetæ, & Apoſtoli a Chriſto curantur, ejuſque juſtitia teguntur, ſalvantur & honorantur. I Cor. XII. XXII. XIII & ſeqq. II. Brachæ datæ ſunt ut nuditatem carnis tegerent. Sed nuditas carnis nihil aliud ſignificat quam nuditatem & fœditatem mentis, & quicquid obſcœni peccatum introduxit, quo minus in conſpectum Dei venire nobis liceat. Sacræ igitur brachæ ſymbolum erant integritatis & ſanctitatis Chriſti, qui noctu etiam a renibus ſuis edoctus eſt: unde & *ſanctus Dei* vocatur. Pſal. XVI. VII. X. Per ſpiritum Chriſti caro noſtra etiam mortificatur, ut, omnibus cupiditatibus humanis abdicatis, tanquam ejus membra *caſte* ambularemus, non in commeſſationibus, & ebrietatibus, ac laſciviis, non lite & invidia, ſed ut indueremur Domino Jeſu Chriſto, & carnis curam non haberemus ad explendas cupiditates. Rom. XIII. XIII. XIV.

DCCLXXXI. Sequitur *Tunica lacuata*, ſive *teſſellata*. Hæc tunica erat talaris. Veſtes longæ & talares, honoratioribus propriæ erant. Ideo Rex Amonitarum cum magna ignominia afficere vellet legatos Davidis, eorum veſtes uſque ad nates præcidi juſſit. II Sam. X. IV. I Chron. XIX. IV. Totum igitur corpus ſacerdotis, ab humeris ad talos uſque tectum erat, ut ſignificaretur honor & gloria Chriſti, qui eſt verus Dominus gloriæ Pſal. XXIV. I Cor, II. VIII. in eo nullum peccatum aut fœditatem locum habere; Sacerdotes, totamque Eccleſiam juſtitia

Chri-

Chriſti tectam eſſe, noſtra peccata omnia velari, ne veniant in conſpectum Dei; fideles per Chriſtum ſummo honore gloriaque affici & ex ignominia eripi, quo videtur reſpexiſſe Pſaltes cxxxii. ix. xvi. ubi *Sacerdotes* dicuntur *veſtiri juſtitia & ſalute*. Eſt igitur juſtitia Chriſti nobis tanquam velamentum laudis & ſalutis, ut & nos ejus ſalutis fieremus participes, nulliſque accuſationibus obnoxii eſſemus, ut ne furorem quidem Orci amplius timeremus. Eſa. liv. xvii. Rom. viii. xxxii. xxxiii. Porro hæc tunica erat teſſellata, id eſt innumeris fundis ornata, quo depingebatur infinitus numerus electorum, & pulcherrimus ordo in Eccleſia. Sed de hiſce jam plura diximus paragrapho dccxxiii. ubi de hoc ornamento fuſius egimus.

DCCLXXXII. Tertium veſtimentum erat *balteus*. Cingi ſolebant veſtes balteis, *propter ſobrietatem*. i Petr. i. xiii. ut ſcilicet ſtomachus arctaretur, adeoque ut gula & immoderatus ciborum appetitus cohiberetur. Deinde ſignum erat dignitatis & juſtitiæ, veritatis, roboris atque militiæ. Epheſ. vi. xiv. Eſa. xxii. xxi. Sacerdotes igitur cingebantur, non tantum ut monerentur ſe debere eſſe ſobrios, veraces, in fide & opere Dei fortes conſtantes militeſque ſtrenuos: ſed ut ſibi in memoriam revocarent, ſe facere opus Chriſti veri ſui antitypi, qui eſt ipſa *ſobrietas*, *veritas*, *juſtitia*, *Dominus excercituum*, ſtrenuus *bellator*, noſter *goel* & vindex. Omnes autem iſtæ virtutes continentur in ipſius juſtitia. Ideo *juſtitia* dicitur *cingulum lumborum ejus*. Per cincturam tunica corpori arctius adhærebat. Cum autem tunica teſſellata, cum ſuis teſſellis, ſive fundis, ſit pulcherrima imago Eccleſiæ, ut ſupra oſtendimus, balteus ſignum erat, Eccleſiam Chriſto arctiſſime cohærere, nec ulla vi ab eo poſſe divelli. Deinde cingi ſolebant etiam ii, qui in opere aliquo occupati erant, ne veſtes laxæ fluerent, & in opere impedimento eſſent. Hæc erat præcipua cauſa quam agnovit Joſephus, ut ſuo loco oſtendimus, propter quam Sacerdotes cingendi fuerunt. Ita ſane Chriſtus in opere noſtræ redemptionis a nulla creatura impediri potuit, etſi Herodes, Pontius Pilatus, cum nationibus & populo Iſraelis, immo ipſe Satanas cum ſatellitibus ſuis, id impedire omnibus viribus conati fuerint. Pſal. ii. ii. Act. iv. xxvi. Chriſtus igitur cinctus erat, ut eſſet expeditus & *promptus ad juſtitiam*. Eſa. xvi. v. Tandem inerat bal-

teo lana & colores, quæ ſymbola erant peccatorum, elementorum mundi rerumque terrenarum. Sane renes noſtri cupiunt res terrenas; Sacerdotes omneſque fideles Vet. Teſtamenti onuſti erant peccato, totum eorum ſacerdotium erat exercitium corporale, rebuſque corporeis & infirmis elementis mundi impliciti fuerunt omnes. I Tim. IV. VIII. Col. II. XX. Per Chriſtum autem renes noſtri edocentur, concupiſcentiæ cohibentur, peccata expiantur, & omnia elementa mundi tolluntur.

Quartum & ultimum veſtimentum Sacerdotum minorum erat *Pileus*. Sed de pileo agemus infra, ubi ad Tiaram Pontificis Max. pervenerimus.

DCCLXXXIII. Præter *brachas*, *tunicam*, & *balteum*, Pontifex Maximus amictus erat *Pallio*, *Ephodo*, *Pectorali*, *Tiara* & *corona* aurea. Plures habebat veſtes quam reliqui Pontifices, cum fuerit typus Chriſti, modo aliquo peculiari. Nam cum reliqui Sacerdotes typi fuerint non tantum Chriſti, ſed & omnium electorum in Eccleſia Dei, præſertim ſub N. Teſtamento, unde *Sacerdotes & Reges*, imo *Sacerdotium Regium* vocantur. Apoc. I. VI. I. Petr. II. IX. quare etiam dicuntur offerre ſacrificia ſpiritualia, & munera pura I. Petr. II. V. Mal. I. XI. Pontifex Max. repræſentabat ſolum Chriſtum, omnium Sacerdotum caput & principem, unde etiam Chriſtus ἀρχιερεὺς immo ἀρχιερεὺς μέγας: Hebr. IV. XIV. & πρωτότοκος ἐν πολλοῖς ἀδελφοῖς. Rom. VIII. XXIX. & alibi, dicitur. At ſummus Pontifex debebat divitiis ſuperare reliquos Sacerdotes, fratres ſuos omnes; ita ut, ſi quis Pontifex Max. tenui fortuna natus eſſet, a reliquis Sacerdotibus fuerit ditandus, omnes enim debebant, ut docent Hebræorum Sapientes, ei cumulatim adferre dona ut diteſceret, & opibus reliquos omnes ſuperaret. Ita ſane Chriſtus *dona accepit in hominibus*; & *oleo lætitiarum unctus eſt ſupra conſortes ſuos*. Pſalm. LXVIII. & XLV. VIII. Ille ſane dives fuit II. Cor. VIII. IX.

DCCLXXXIV. *Pallium* primo dicitur מעיל *Meil a* מעל *occulta prævaricatione*, quod ii qui in alios peccant ſub ſpecie amicitiæ lædant, ac nequitias ſuas ſoleant velare, ficto quodam amore & amicitia, tanquam pallio. Sane omnes in Deum prævaricati ſumus, rei ſumus facti peſſimæ hypocriſeos. Chriſtus autem hypocriſin prævaricationemque noſtram tegit ſua juſtitia tanquam pallio, ideo expreſſis verbis dicimur tegi *pallio juſtitiæ ejus*. Eſa.

LXI.

LXI. X. Deinde laneum erat *pallium*, ut Chriſti humana natura exprimeretur; nam Chriſtus nos non juſtificaſſet niſi homo factus eſſet, homo mori debuit, & ſemen mulieris caput ſerpentis contriturum erat, nobiſque veram juſtitiam acquiſiturum. Genes. II. *Unus nobis eſt mediator Ieſus Chriſtus homo* I. Tim. II. v. Sed tinctum erat colore cœruleo, qui color cœli ſymbolum eſt. *Aurea tintinnabula* præterea habebat appenſa. *Aurum* autem ejus naturam divinam, fulgorem cœleſtem & æternitatem demonſtrabat. Juſtitia igitur Chriſti, qua peccata noſtra teguntur, eſt plane cœleſtis & divina. Nulla creaturam juſtitia peccata prævaricationeſque noſtræ poteranr expiari; opus habemus, ut juſtitiæ Dei ſatisfieret, juſtitiæ plane divina atque cœleſti. Non ſufficiebat ut Chriſtus eſſet *ſemen mulieris*, ſive homo ſanctiſſimus, ſed debebat eſſe homo plane cœleſtis, θεάνθρωπος, *Deus & homo ſimul manifeſtatus in carne, caro factus* & עמנואל *Immanuel Deus nobiſcum.* I Tim. III. XVI. Joh. I. XIV. Eſa. VII. XIV. Tertio, pallium erat undique clauſum, nullamque habebat aperturam niſi circa collum & circa axillas, ut caput & brachia exſererentur. Nec ad talos uſque dependebat, ſed inferior pars tunicæ byſſinæ conſpiciebatur. Quamvis itaque veſtes Pontificis Maximi plurimam partem laneæ & coloratæ fuerint, nihilominus, byſſus alba & aurum undique ſplendebant. Ita ſane quamvis Sermo caro factus fuerit; & quamvis formam non ſolum hominis, ſed *ſervi* aſſumpſerit. Phil. II. ut Chriſtus a Judæis pro homine tantum haberetur, tamen illius natura divina origo cœleſtis atqne æternitas juſtitia & ſanctitas undique ſatis apparebant veris electis, qui oculos mentis aperire poterant. Totum corpus etiam tectum habebat veſtibus albis, nam & tiara, & interiores veſtes ex byſſo alba erant. Nihil niſi albiſſima byſſus cernebatur in capite, in brachiis & circa pedes, quandoquidem in Chriſto κατοικεῖ τὸ πλήρωμα τῆς θειότητος σωματικῶς. Col. II. VIII. Nullas habuit manicas, ſed brachia ſolis manicis tunicæ byſſinæ veſtita erant, ut ejus divinitas eluceret præſertim in opere ſalutis noſtræ. Nihil terreni aderat in iſto opere, nulla creatura eum adjuvabat, ſed Chriſtus ſolus torcular calcavit. Eſa. LXIII. III. ſolus brachio ſuo nos liberavit, tanquam Deus noſter fortis Eſa. LI. V. & LII. X. Habebat aperturam ad exſerendum caput limbo pulcherrimo intus attexto munitam ne laceraretur. Ita ſane juſtitia Chriſti firmiſſima eſt, atque illibata

manet; nec a nobis lacerari debet propriis meritis & juſtitia creaturarum.

DCCLXXXV. Pulcherrimis præterea fimbriis ornatum erat. Nam infimis oris habebat appenſa *mala punica & tintinnabula aurea.* Mala punica facta erant ex filis laneis hyacinthinis, purpureis, coccineis, & aureis, immo, ut quidam volunt, etiam ex byſſinis. *Malum punicum* eſt fructus, qui habet corticem rubicundum, durum, acrem & adſtringentem. Intus eſt plenus acinorum qui valde ſunt rubri, quaſi in ſanguine natarent. Eſt grati odoris, habetque ſuccum nonnunquam dulcem, aliquando vinoſum, ad eſum & refrigerium aptum. Ideo valde appetitur in Regionibus calidioribus. Num. xx. v. Deut. viii. viii. Cant iv. xiii. Joel. i. xii, Hag. ii. xix. Præbet etiam potum ut patet Cant. viii. ii. Hæc omnia i. pulcherrime Chriſtum depingebant, & illius Eccleſiam. Cortex durus ſignificat Chriſti conſtantiam & robur. Acrimonia ejus mortem & paſſiones, ut & caſtigationes. Reprehendit enim & caſtigat omnes quos amat. Apoc. iii. xix. Hebr. xii. x. Succus ruber ejus carnem & ſanguinem, verum cibum & potum ſpiritualem. *Niſi enim quis ejus carnem comederit & ejus ſanguinem biberit non habebit vitam æternam* Joh. vi. liii. Dulcedo, gratias ejus & conſolationes, quibus ſuaviſſime afficit animam noſtram Gratus odor, meritum ſacrificii ejus; eſt enim *ſacrificium grati odoris.* Chriſtus igitur eſt nobis nutrimentum ſalutare, & odor gratisſimus, quo ſuſtentamur in vita ſpirituali refocillamur in infirmitatibus noſtris, ut vires reſumeremus, utque in fide & pietate corroboraremur, & quo Deo grati eſſemus, tanquam ſacrificium ſuavis odoris. ii. Erant etiam mala punica ſymbola ſacerdotii Aharonis & legis cærimonialis. Cortex enim ſua auſteritate & acrimonia ſignificabat cærimonias & jugum legis, quod nullo ſolamine ſincero per illud fideles recrearentur; quod ſint *Statuta non bona* Ezech. xx. xxv. xxvi. Immo *infirma & inutilia.* Hebr. vii. xvi. xviii. *Lex carnalis & miniſterium mortis.* i. Cor. iii. vii. *Umbra futurorum bonorum.* Hebr. x. i. Nihilominus ſub iſto duro cortice cærimoniarum & legis, intus latebat ſuavis & ſaluberrimus ſuccus, id eſt gratia Chriſti, ad quam inde deducebantur, tanquam per *pædagogas* etiam rigidos. Gall. iii. Nec omittendum, quod alibi obſervavimus, mala punica non fuiſſe aperta, ſed ſuos adhuc habuiſſe flores. Quia ſub ſacerdotio

cerdotio Aharonis fructus mortis & paſſionis Chriſti nondum pervenerat ad maturitatem, ſed adhuc florebat, ut fideles eſſent ſub ſpe exſpectantes proventum præſtituto tempore. III. Eccleſiam quoque ſignificaſſe mala punica, patet Cant. IV. XIII. Cortex Eccleſiæ cuſtodiam exhibet, cum Chriſtus eam ſuo amore atque providentia, tanquam muro altiſſimo, muniat contra vim hoſtium, eam tutetur & conſervet, ut ne portæ quidem inferni contra eam valeant. Apoc. XXI. XII. XVIII. Matth. XVI. XVIII. Acrimonia indicat Eccleſiæ martyria & perſecutiones, ut & reprehenſiones & caſtigationes. Succus dulcis conſolationes & promiſſiones Euangelii. Odor gratus, bona opera, amorem erga Deum & charitatem erga proximos, ut Deo eſſemus grati. Acini iſti innumeri natantes in ſucco rubro inſtar ſanguinis, ſunt omnes electi qui in Chriſtum credunt, & qui ſtolas ſuas in ſanguine Chriſti lavarunt. Apoc. VII. XIV. Ut eodem cortice omnes acini continentur, ſic & fratres in Eccleſia habitant una. Pſalm. CXXXIII. I. Et quemadmodum acini habent varia loculamenta, ſic in Eccleſia fidelium variæ ſunt ſtationes & vocationes, omnes tamen in Chriſto unum componunt corpus, & unum habent ſpiritum. Epheſ. IV. IV. Nec male fortaſſis Paraphraſtæ per acinos malorum punicorum intelligunt præcepta Dei. Ut enim granata ſunt plena acinorum, ita & Eccleſia Dei repleta eſt prophetiarum, promiſſionum, præceptorumque, ut in iis ambularemus.

CCLXXXVI. Malis punicis juncta erant *Tintinnabula* aurea, Tintinnabula ſignificabant ſonum Euangelii. Debebant enim præcepta Dei, & myſteria noſtræ Redemptionis prædicari alta voce per totum terrarum orbem. Rom. X. XVIII. Pſalm. XIX. Ut ſi peccatum intravit in mundum per auditum, etiam per auditum verbi Dei peccatum fugaretur. Pontif. Max. voce & ſono judicia Dei annunciavit, & futura tanquam Propheta prædixit. Chriſtus etiam voluntatem Patris prædicavit inter fratres, & futura annunciavit, tanquam verus noſter Propheta & Sacerdos. Deut. XVIII. XV. XVIII. Pſalm. XXII. Joh. XVII. VI. Et quemadmodum Pont. Max. ſemper vocalis erat, non tantum per tintinnabula, ut, quoties intrabat templum, a reliquis ſacerdotibus audiretur, ſed etiam, quando ingrediebatur Sancta Sanctorum, die ſolennis expiationis, decimo Tiſri, cum veſtibus albis, preces ad Deum fundebat, altiſſima voce, ut etiam nomen *Iehova*, (quod tunc

tunc aperte in adyto pronunciabatur.) uſque ad urbem Jericho, audiebatur, ſi Talmudicis credendum eſt. Ita ſane Chriſtus ſeſe obtulit μετὰ κραυγῆς καὶ δακρύων *magno clamore & lachrymis*, Hebr. v. vii. Et egregium edidit iſtam confeſſionem in judicio. i. Tim. vi. xiii. Prout promiſerat ſe teſtimonium daturam præſtitutis temporibus de redemptionis pretio. i. Tim. ii. vi. quod revera fecit, & viua voce. Luc. xxiv. xix. Marc. i. xxxviii. xxxix. & per Apoſtolos ſuos. Rom. x. xviii. Matth. x. & xxviii. x. Preces etiam ejus tanquam pius ſonus cœlum penetrant, & jam in ſancto ſanctorum pro nobis orat i. Joh. ii. i. Rom. viii. xxxiii.

DCCLXXXVII. Ex *auro* facta erant tintinnabula, quia ſonus Euangelii debebat eſſe intenſior & altior. Sed per aurum ſignificabatur etiam æternitas verbi Dei; nam verbum Dei manet in æternum. Et omnia quæ annunciantur per Chriſtum & per Apoſtolos ſunt æterna, *Sacerdotium Chriſti*, *Euangelium*, *Redemptio*, *Hæreditas*, & *Regnum Dei*, omnia illa, inquam, æterna ſunt, de quibus plura ſupra diximus. Sed & ipſa doctrina & fides, quæ prædicatur, eſt aurea. i. Cor. iii. xii. Pſal. xix. xi. Prov. iii. xix. Et præcepta Dei ſunt *aurum præſtantiſſimum*. Pſalm. cxiv. & xix. xi.

Si fuerunt duodecim tintinnabula, ut quidam tradunt, numerus ille ſignificabat, non tantum duodecim tribus, ſed & xii. Apoſtolos, quibus Chriſtus uti voluit, ut ſonus Euangelii audiretur. Si autem ſeptuaginta duo, ut docent alii; tunc notavit lxxii. diſcipulos, qui etiam miſſi erant ut ſonus Euangelii ad omnes populos perveniret. Luc. x. i. xvii. Sed cum de numero nihil certi conſtet, de ejus ſignificatione malo tacere quam multa conjecturare. Hoc certum eſt, tot fuiſſe tintinnabula quot fuerunt mala punica; ut oſtenderetur, ſonum Euangelii debere pervenire ad omnes populos & Eccleſias; Nullam debere eſſe Eccleſiam quæ non habeat ſuos paſtores, qui verbum Dei & redemptionem per Chriſtum partam annunciarent. Et quemadmodum multa erant mala punica, multaque tintinnabula; ſic & variæ reperiuntur Eccleſiæ, varii Paſtores & Doctores qui homines erudiant. Sed ut omnia dependebant de pallio Pontificis Max. ita ſane & Eccleſiæ omnes & Apoſtoli & Paſtores unice dependent a Chriſto illiuſque juſtitia. Omnia enim ſuſtinet verbo ſuo potenti, Hebr. i. iii.

Tan-

Tandem cum mala punica ſignificent Eccleſiam Chriſti, immo Chriſtum ipſum, Ejus carnem & ſanguinem, quatenus nobis eſt eſus & potus ſpiritualis per veram fidem, tintinnabula malis punicis juncta erant, ut diſceremus, neminem adduci, & fidem in nobis non generari poſſe, niſi per ſonum Euangelii, (*fides enim ex auditu eſt.* Rom. x. xvɪv.) nullum nutrimentum ſpirituale nos percipere, niſi per eundem ſonum Euangelii. Juncta etiam fuit in ſummo Pontifice doctrina legis cum bonis operibus, & vita ſancta tanquam fructu veræ doctrinæ. Non docuit aliud, & aliud fecit; ſed eadem præcepta quæ expoſuit, etiam obſervavit (ſaltem debuit.) Sic & Chriſtus verus erat Sacerdos & Doctor. Non tantum in divina ſapientia fuit edoctus, non tantum alios præcepta Dei docuit, ſed ipſe omnia fecit. Venit enim ut faceret voluntatem Dei, & ut præcepta legis adimpleret. Pſalm. xl. vii. Math. v. xviii.

DCCLXXXVIII. *Ephodum* & *Pectorale* Pallio ſuperinduebantur. Hæc erant veſtimenta ex lino, lana & auro contexta, variisque coloribus floribuſque ornata. Igitur illa quæ ſupra diximus de materia, colore & ornatu ſacri veſtitus, præcipue intelligi debent de Ephodo & Pectorali. Nihilominus de his duobus veſtimentis quædam in ſpecie dicenda ſunt. Ephodum conſtabat ex duabus plagulis, quarum altera erat anterior, altera poſterior; quæ ſymbola videntur duorum populorum, Judæorum & Ethnicorum, nec non duorum Teſtamentorum Veteris & Novi. Junctæ tamen erant duæ iſtæ plagulæ, ut unicum tantum componerent veſtimentum. Sic & duo iſti populi, illique qui ſub Veteri, & ſub Novo Teſtamento vixerunt, unam tantum Eccleſiam conſtituunt in Chriſto. In humeris duas habebat fibulas aureas, inſtar parvorum ſcutorum, quibus duæ iſtæ plagulæ cohærebant. Ita ſane Eccleſia Chriſti per ipſius verbum & meritum, auro præſtantius, coaleſcit, ut duo fierent unum corpus, una Eccleſia, cujus caput eſt Chriſtus. Ipſe etiam Chriſtus verus eſt clypeus & ſcutum electorum ſuorum, qui Eccleſiam ſuam tutatur contra vim hoſtium. Geneſ. xvii. Pſalm. lxxxiv. xii. Fibulæ aureæ habebant fundas quibus inſiti erant pretioſi duo lapides Sardonyches. Iſtis autem Sardonychis inſculpta erant duodecim nomina tribuum Iſraelis. Hæc iterum ſignificabant Eccleſiam Chriſti. Per duodecim tribus Spiritus Sanctus ſolet intelligere non tantum

Eccleſiam Judaicam, ſed & ipſam Chriſtianam; ita ut totam Eccleſiam ſuam curet, propriiſque humeris ferat, & gubernet. Dominium enim humeris ejus impoſitum eſt. Eſa. IX. V. Præterea nomina ſculpta erant, non in uno lapide tantum, ſed in duobus, quod Eccleſia Chriſti conflata ſit ex duobus populis, Judæis & Gentilibus, deinde quod Deus Eccleſiæ ſuæ fecerit duo Teſtamenta, Verus & Novum. Sardonyches illæ vocantur *lapides recordationis filiorum Iſraelis coram Deo.* Scilicet Pontiſex Max. meminiſſe debuit totius Eccleſiæ, quoties ſacra faciebat, ut non minorem curam haberet Eccleſiæ quam ſuimetipſius. Non tantum pro ſe, ſed pro tota Eccleſia debebat ſacrificia offerre, thymiamata atque libamina facere, & vota ad Deum concipere. Atque hac ratione iterum clariſſimus erat typus Chriſti veri noſtri Pontificis. Chriſtus enim electorum ſuorum meminit, *novit eos qui ſunt ſui.* Joh. X. XIV. II. Tim. II. XIX. pro eis ſeſe obtulit, orat & intercedit. Tandem quum in peccatis omnes ſimus mortui, ut nec vires habeamus, nec digni ſimus ut ad Deum accederemus, Chriſtus humeris ſuis non portat in ſanctuarium. Humiles etiam nos & proſtratos, per ſenſum peccati, exaltat, & ipſi cœlo infert, facitque ut *ſederemus in locis ſuper cœleſtibus.* Epheſ. II. VI. Uno verbo novit noſtram miſeriam, & in omnibus infirmitatibus nobis ſuccurrit. Eſt enim *Sacerdos qui novit ſuccurrere noſtris infirmitatibus.* Eccleſiam ſuam amat & ſuſtentat. Hebr. IV. XV. Epheſ. V. XXV. Erant præterea lapides iſti *Sardonyches*, qui ex albo & rubro conſtabant, qui colores, ut jam monuimus, non male Chriſti naturam divinam & humanam repræſentant; ut conſtaret Chriſto ipſi nomina fidelium inſcripta eſſe, eum eſſe fundamentum Eccleſiæ, eamque ſuſtentari per ſolum Chriſtum, qui eſt Deus & homo, verus θεάνθρωπος. Suſtinet enim Eccleſiam ſuam quatenus eſt noſter Sponſor & Internuncius, at eſt Sponſor & Internuncius noſter tanquam Deus & homo.

DCCLXXXIX. Nec ſilentio prætereundum eſt, quod eidem lapidi *Schoham*, ſive Sardonychi etiam inſcriptum fuerit nomen *Joſephi* in Pectorali, ut gemma Joſephi bis adhibita fuerit. Scilicet quia Joſephus obtinuerat jus primogenituræ, & duplam portionem habuit inter filios Jacobi. I Chron. V. I. II. Joſ. XIV. IV. XVI. & XVII. Ezech. XLVII. XIII. Tota igitur Eccleſia gemmæ Joſephi inſculpta erat, quia Joſephus tanquam primo-

mogenitus totam familiam Jacobi, id eſt totam Eccleſiam repræſentat. Ideoque egregius eſt typus Chriſti, qui verus eſt primogenitus multorum fratrum, dux & caput Eccleſiæ. Sane totam Eccleſiam aliquando exprimi per ſolum Joſephum, patet ex Pſalm. LXXX. II. Obad. com. XVIII. & alibi. Ephodum habebat pretioſum ſuum cingulum, quod erat inſtar duorum lororum ab utroque latere anterioris plagulæ exeuntium. Quibus loris duæ plagulæ Ephodi corpori arcte & pulchre alligabantur. Hæc autem amorem Chriſti erga Eccelſiam ſignificabant. Eccleſiam enim ſuam & Veteris & Novi Teſtamenti ſibi arctiſſime jungit, ut unum tantum cum eo conſtituant corpus, Non ultro in Eccleſia fideles Chriſto adhærent; at Chriſtus ipſe eos ſibi jungit. Actor. II. XLVII. Ideo & Eccleſia orat Chriſtum, ut ab eo trahatur. Cant. I. VI. Nemo etiam ad filium accedere poteſt niſi a patre trahatur. Joh. IV. XLIV. Cingulum iſtud non erat aſſutum, nec ex alia materia aliunde deſumptum, ſed ejuſdem materiæ & texturæ erat, procedebat enim ex ipſo Ephodo. Ita Eccleſia Chriſto adhæret, cum eoque unita eſt, non alterius cura ac induſtria, non vi & meritis hominum, ſed Chriſtus ipſe ſolo ſuo amore & quaſi brachiis eam amplectitur, ut cum electis ſuis unum tantum ſit corpus.

DCCXC. Omnium veſtimentorum pretioſiſſimum eſt Pectorale. Non enim tantum ex lino & lana hyacinthina, coccinea & purpurea, atque ex auro factum erat, ſed præterea habebat duodecim gemmas ingentis pretii, immo plus auri habebat quam reliquæ veſtes omnes, ut in toto Pectorali nihil niſi aurum & gemmæ cernerentur. I. Notandum eſt, in Pectorali fuiſſe duodecim lapides pretioſos, cuilibet lapidi inſculptum fuiſſe nomen alicujus tribus, ut nomina XII. tribuum reperirentur in XII. iſtis lapidibus. Per duodecim lapides cum ſuis nominibus proculdubio intelligitur I. ipſe Chriſtus, qui omnium generum virtutibus ſplendet, tanquam Deus & Sponſor noſter. Quid quæſo aptius excogitari poteſt ad depingendam ipſius naturam divinam & humanam, æternitatem, potentiam, ſapientiam, ſanguinem, livores, vibices, plagas, valorem & pretium illius paſſionis atque meriti? Iidem ſane colores, qui in ipſa materia veſtium reperiuntur, in hiſce lapidibus quoque conſpiciuntur, Color *Albus* in *Adamante*, *Hyacinthinus* ſive *cœruleus* in *Saphiro* & *Amethyſto*?

ſto? *Coccinus* in *Sardis*, forte etiam in *Hyacintho*; *Purpureus* in *Carbunculo*; *Aureus* in *Chryſolitho*. Sed & eadem ornamenta aliquomodo repræſentant lapides. *Teſſellatum* opus *Achates* infinitis ſignis, punctis & lineolis pulcherrime picta. *Flores* operum *Rokem* & *Choſcheb*, gemmæ virides, *Topazius*, *Smaragdus* & *Iaſpis*, prout flores ex herba viridi protruduntur. Taceo quod & ipſæ gemmæ virides plurimum pulcherrimis figuris a nutura pingi ſoleant. Ut in ſolis gemmis quaſi compendium habeamus omnium iſtarum ſignificationum atque imaginem, de quibus hactenus loquuti ſumus. Natura Chriſti humana & divina exhibentur, non tantum per Sardonychem, ut ſupra oſtendimus, ſed & per reliquas gemmas. Adeſt *Adamas* albiſſimus, inſtar fulgidiſſimi alicujus ſyderis radiantis; & *Chryſolithus* inſtar puriſſimi auri rutilantis. Hi Chriſti naturam divinam quodamodo referunt, non minus quam byſſus alba & aurum, de quibus ſupra diximus. *Saphirus* cœruleus ejus originem cœleſtem indicat. *Sardius* & *Hyacinthus* rubicundæ, peccata, quibus noſtra cauſa onuſtus eſt. *Carbunculus* ruberrimus, ejus ſanguinem, quem pro nobis effudit. Aut etiam color ruber, flavus, viridis, & cœruleus ejus vibices livores plagas. Tandem hæc omnia ſimul ſumpta, cum reperiantur in lapidibus adeo pretioſis, mortis & paſſionis Chriſti pretium valoremque nobis in memoriam revocant in negotio redemptionis. Non enim niſi ingenti pretio redempti ſumus. Hebr. IX. XXIII. Rom. VIII. III. IV. I Joh. II. II. I Petr. I. XVIII. XIX. I Cor. VI. XX. Pſalm. CXVI. XV. Duodecim lapides etiam Eccleſiæ Chriſti fundamenta dicuntur. Apoc. XXI. XIX XX.. At Chriſtus ipſe eſt fundamentum Eccleſiæ, ut docet Apoſtolus I Cor, III. II. Epheſ. II. XX. *Petra* illa pretioſa & *angularis lapis* quem reprobarunt ædificata eſt. Matth. XVI. Pſalm. CXVIII. XXII. Matth. XXII. XLII. Deinde cum Chriſtus electis ſuis ſit arctiſſime junctus, ut cum iis unum tantum conſtituat corpus; dici poteſt per lapides iſtos non tantum Chriſtum ſolum, ſed ipſos etiam electos ſignificari. Electi enim ſunt *lapides vivi*. I Petr. II. V. Eccleſiam ſignificari per duodecim lapides pretioſos, patet ex Apoc. XXI. XIX. XX. Ubi fundamenta novæ civitatis, id eſt Eccleſiæ dicuntur duodecim lapides, quamvis non eodem ordine recitentur, nec forte omnes iidem ſint lapides. Videatur Eſaias cap. LIV. XI. Et
ſane

ſane lapidibus illis inſculpta fuerunt nomina duodecim tribuum, quemadmodum & Pontifex Max. eos in pectore geſtavit. Eodem plane modo nomina noſtra in cœlo ſcripta ſunt. Hebr. xii. xxiii. Chriſtus etiam nos in pectore ſuo geſtat tanquam κειμήλιον pretioſiſſimum. Deinde cum nomina iſta inſculpta habuerint lapides, ſequitur eos fuiſſe inſtar tot ſigillorum. Electi revera ſunt ſigilla in corde Chriſti. Cant. viii. vi. Nec ſilentio prætereundum eſt, nomina lapidibus pretioſis inſcripta fuiſſe, ut conſtaret, nos Deo gratos & pretioſos eſſe, non propria dignitate & operibus, ſed dignitate Chriſti pretioque ſanguinis ejus. Cum autem nomina lapidibus inſcripta ſint, non pro lubitu Pontificis Max. ſed ex mandato Dei, indicatur Chriſtum electos ſuos amare, pro eis ſe ſacrificare & intercedere, non ex aliquo amore humano, aut prout nobis placet; ſed prout electi ei a Patre dati ſunt. Joh. xvii. Ultimo & hoc animadvertendum, nomina tribuum multis & variis lapidibus inſculpta fuiſſe; non omnes ejuſdem coloris, virtutis & pretii; ut doceremur, quamvis electi ex variis populis, gentibus ac nationibus ſint collecti, immo quamvis non omnes ſint ejuſdem ætatis, ſexus & conditionis, omnes tamen per Chriſtum unum fieri corpus Deoque gratos eſſe, ne alius præ alio glorietur, & ſupra reliquos fratres ſe extollat. *Nulla enim caro gloriari debet, ſed ſi quis gloriatur, in Chriſto glorietur.* 1 Cor. i. xxix. xxx.

DCCXI. Secundo, *Pectorale* dicitur *Pectorale Judicii.* Quia Pontifex Max. judicium exercuit, & judicia Dei expoſuit. Chriſtus, ſummus noſter Pontifex, eſt revera Judex vivorum & mortuorum. Act, xvii. xxxi ii Cor. v. x. *Pater dedit filio poteſtatem exercendi judicium quia eſt filius hominis.* Joh. v. xxxii. Ezech. xxi. xvii, Deinde Chriſtus tanquam Sponſor & Advocatus noſter habet poteſtatem atque jus ſibi vendicandi omnes quos ſuo ſanguine redemit, tanquam peculium ſibi proprium, ut ab omni accuſatione legis & conſcientiæ liberarentur, hæreditatemque intrepidi adirent; utque ſua juſtitia nos juſtificaret, ne unquam condemnaremur, Rom. v. i. & viii. i. xxxiii. &c. Tandem in Pectorali fuerunt *Urim* & *Thummim*, quæ fuerunt iterum Symbola lucis, cognitionis, integritatis & perfectionis. Pontifex Maximus mentem habere debuit illuminatam & lucidiſſimam in rebus maxime abſtruſis & occultis. In illius ore

erat lex, ut labia ejus cuſtodiverint ſcientiam. Malach. II. VI. VII. Integer etiam debuit eſſe vita ſceleriſque purus. Nihil ipſius ſcientiæ pietatique deeſſe debuit. Is enim qui internuncius eſſe vult, ut alios cum Deo reconciliaret, nullam in intellectu debet habere cæcititatem & ignorantiam, nullum in voluntate peccatum, ſed perfectam cognitionem, ut renes & corda noſtra ſcrutari poſſit, ut omnia peccata, etiam ea quæ nobis metipſis ſunt occulta (quis enim cognoſcet peccata ſua? Pſalm. XIX. XIII.) cognoſceret, atque pro iis intercederet. Vita & ſanctitate integer eſſe debuit, ut ejus ſacrificium Deo acceptum eſſet, utque pro nobis poſſet mereri. Ejuſmodi Pontifex ſub Veteri Teſtamento non reperiebatur. Erant enim homines infirmitatibus multis obnoxii, ut pro propriis peccatis ſacrificare cogerentur. Hebr. V. II. & VII. XXVIII. Chriſtus igitur depingebatur per *Urim* & *Thummim*. Is enim verus eſt noſter *Propheta* & *Vates* ſapiens, pius atque fidelis. Deut. XVIII. *Conſiliarius Dei* qui omnia didicit in ſinu patris. Eſa. IX. Joh. I. *Lux mundi*, *Lux*, *veritas* & *vita*. Joh. I. IV. V. IX. & VIII. XII. & IX. IV. *Splendor* gloriæ patris. Hebr. I. III. Immo eſt ipſe *Sol juſtitiæ*. Malach. IV. II. ut *in eo reconditi ſint omnes Theſauri ſcientiæ, ſapientiæ & intelligentiæ*. Col. II. III. Optime itaque *Urim* id eſt *luces* dicitur. Sed non minus ipſi competit nomen *Thummim*, *Perfectiones*. Eſt enim ipſa ſanctitas & perfectio, Hebr. VII. XXVIII. Col. II. IX. X. quidquid etiam electi habent cognitionis & perfectionis, hoc ab eo unice habent. Is enim nobis omnia revelat, factuſque nobis eſt *ſapientia*, *juſtitia & ſanctificatio*. Matth. XI. XXVII. I Cor. I. XXX. Non mirum igitur, quod in ſecundo Templo nulla amplius fuerint *Urim* & *Thummim*, cum Chriſtus ipſe debuerit eſſe præſens.

Sed & hoc animadverti debet: Pectorale adhæſiſſe Ephodo ſuperne in humeris, annulis quibuſdam & catenis aureis, inferne autem circa cingulum pretioſum Ephodi alligatum fuit vittis laneis hyacinthino colore tinctis. Aureas autem iſtas catenas naturam Divinam Chriſti, vittas hyacinthinas ex lana; ejus naturam humanam ſignificaſſe, ſupra jam oſtendimus. Eccleſia igitur adhæret Chriſto, tanquam Deo & homini, ab eoque ſuſtentatur. Non propriis viribus, non propriis meritis adhæremus cordi ejus; ſed Chriſtus ipſe ſuo amore nos amplectitur, ſibique nos arctiſſime jungit.

jungit. Nos ad ſe trahit funibus amoris, cateniſque aureis nos ſibi alligat. Eſt etiam metallum æternum, quod non facile disrumpitur. Nunquam Pectorale ab Ephodo ſeparandum erat; cum electi Chriſto in æternum adhæreant, nulla vi, nulla arte, nulliſque machinis Satanæ, aut hoſtium Eccleſiæ ab eo poſſumus avelli. Quos diligit eos diligit uſque ad finem. Suos nunquam amittit. Nemo eos eripiet ex ipſius manibus. Ab ejus dilectione & amore ſeparari nequeunt. Sancti in fide & amore Dei in æternum perſeverant. Joh. XVII. Rom. VIII.

DCCXCII. Tandem capiti imponebatur *Tiara*, ſive *Pileus*. *Tiara* erat ſignum gloriæ & honoris, immo gloriæ Regum atque Magnatum. Quamobrem ii qui tiaras gerebant, ſimul etiam ſolebant coronas habere, ut nonnunquam jungantur in verbo Dei. Videantur loca, Job. XXIX. XIV. Eſa. III. XXIII. & LXII. III. Ezech. XXI. XXXI. Pontifex Max. igitur tiara ornatus erat, quia revera honorandus erat, ſummo honore poſt Regem. Immo quia Deus per Snmmum Pontificem imperium in populum ſuum excercuit, certis quibuſdam temporibus, ut ejus *Sacerdotium* etiam *Regium* dicatur. Exod. XIX. VI. Et ſane Pileum ſacerdotibus datum fuiſſe in ſignum honoris, Deus ipſe docet. Exod. XXVIII. XL. *Et facies ipſis pileos in honorem & in gloriam*. Signum itaque erat *Tiara* honoris gloriæque Chriſti, qui verus eſt *Rex* Eccleſiæ, & *Dominus gloriæ* quem omnes honorare debent quemadmodum honorant patrem, ut *ad nomen ejus omne genu ſe flectat, & ut omnis lingua profiteatur Ieſum Chriſtum eſſe dominum, ad gloriam Dei patris*. Pſalm II. VI. Actor. V. XXXVI. Epheſ. I. XX. I. Corint. III. VIII. Joh. V. XXXIII. Phil. II. X. XI. Joh. XVII. III. Nihilominus pileus erat etiam ſignum ſervitutis & ſubmiſſi animi. Moſes quum eſſet coram Deo, ne ejus faciem, quæ ſumma majeſtate & gloria ſplendebat, videret, ipſe caput velavit faciemque texit. Exod. III. VI. Idem quoque legimus de Elia: quum enim animadvertiſſet Deum eſſe præſentem abſcondit faciem obducta veſte. I. Reg. XIX. XII. Seraphim faciem tegebant alis ſuis. Eſa. VI. II. Ideo mulier caput debet habere tectum, cum ſit ſub dominio mariti. I. Cor. XI. X. Sic & Ezech. XVI. legimus ſponſam inter alias veſtes habuiſſe velamentum capitis. Et leproſi caput tegere ex lege debebant. Lev. XIII. XLV. Judæi igitur ſub lege tegendi erant, ut intelligerent ſe eſſe

ſub

ſub ſervitute, & habere ſpiritum ſervitutis. Rom. VIII. Cum ſub Novo Teſtamento nobis liceat Deum adorare detecto capite; quia jam ſumus liberati a ſervitute legis, quia habemus ſpiritum adoptionis & filiationis. Rom. VIII. Gal. IV. IV. Pileus igitur Pontificum ſignificabat, omnes Pontifices Vet. Teſtamenti fuiſſe ſervos legis cærimoniarum, ideo indignos, ut ad Deum accederent detectis capitibus; ipſum etiam Chriſtum, quamvis ſit Deus æternus, tamen ſervum fieri debere, ut nos a ſervitute liberaret. Revera *cum eſſet in forma Dei non reputavit rapinam eſſe æqualem Deo, nihilominus tamen ſemetipſum humiliavit, & aſſumpſit formam ſervi, & obediens erat uſque ad mortem, immo mortem crucis.* Phil. II. VII. Galat. IV. Hinc & *ſervus* dicitur Eſa. XLII. & XLIX. LIII. ut faceret voluntatem patris; corpus ſibi adaptavit, & aurem ſibi perforari ſivit. Pſalm. XL. VII. Hebr. IX. V. ut voluntaria ſua ſervitute nos in libertatem vendicaret. ideo ſub Novo Teſtamento hodie nullo pileo opus habemus. I. Cor. XI. IV. ſed libere ad Deum, tanquam patrem accedere nobis licet, ut retecta facie gloriam ejus aſpiceremus, quaſi in ſpeculo intuentes. II. Cor. III. XVIII. Sed & ideo caput velaſſe videntur Pontifices Vet. Teſtamenti, quod omnia myſteria redemptionis non ſatis clare perviderint, Deus enim in obſcuritate tunc temporis habitabat. I. Reg. VIII. XII. ne & nos ſaperemus ſupra modum, ſed ad ſobrietatem. Rom. XII. III. I. Cor. IV. VI. Sæpius etiam in gyrum ducebatur faſcia, multiſque involucris & plicaturis caput involvit Pontifex, ut ſurdus eſſet in rebus terrenis, ut, divinis unice intentus, omnia rite perageret, nullis cogitationibus de rebus humanis diſtractus. Hoc autem maxime præſtitit Chriſtus, cum in opere patris ſui totus occupatus fuerit, nullis diſtractus rebus humanis, ut etiam zelus pro domo Dei eum conſumpſerit. Joh. II. XVII.

DCCXCIII. Ultimum ornameutum Pontificis Maximi erat *Lamina*, ſive *Corona aurea.* Qemadmodum *Tiara* ſic & ipſa *Corona* ſignum erat honoris atque gloriæ, immo Regni & poteſtatis. Ideo nonnunquam tiara & corona junguntur, ut videre eſt Ezech XXI. XXXI. Coronam igitur habuit Pontifex Max. quod fuerit omnium Sacerdotum Rex atque Princeps, immo quod auctoritate aliqua Regia quandoque polleret. Chriſtus autem verus eſt, non tantum Propheta & Sacerdos, ſed & Rex atque Princeps, ut

jam

jam modo oſtendimus, ideo ejus typus, qualis erat Pontif. Max. coronandus erat. Triplici ordine, ſive κτ̄ τελιςοιχίαν, ut loquitur Joſephus, calyculis hyoſciami ornata erat corona, ut fere dixiſſes triplicem fuiſſe coronam. Quod factum eſt proculdubio, ut exprimerentur tria munera Chriſti, *Propheticum*, *Sacerdotale*, & *Regium*. Triplicem ſane coronam memorant Judæi, *Legis*, *Sacerdotis* & *Regis*. Hiſce tribus coronis Chriſtus ornatus erat. *Coronam Legis* geſſit tanquam Propheta noſter fidelis & ſanctiſſimus: cum legem Dei non tantum explicaverit, ſed eam etiam adimpleverit. *Sacerdotis*, quod verum ſacrificium Deo obtulerit pro remiſſione peccatorum noſtrorum. Et *Regis*, quod ſit noſter *Rex* atque Princeps, qui Eccleſiam regit & contra hoſtes defendit. Quæ omnia ſatis fuſe hactenus demonſtrata ſunt. Coronæ Pontificis Max, inſcripta erant hæc verba: *Sanctitas Iehovæ.* Sane Pontifex Max. Veteris Teſtamenti *Sanctus* eſſe debebat, ideoque a Moſe unctus Deoque ſacratus eſt. Sacerdotium Dei *Sanctum* erat *Sacerdotium*, ut etiam omnia quæ Sacerdos tangeret ſancta eſſent: ideo *Sacerdotium* dicitur a *ſacro*, quemadmodum Græci, ut ipſi ſacri auctores in Novo Teſtamento dicunt ἱεράτευμα a *ſancto*. At ſanctitas Pontificum Vet. Teſtamenti nunquam erat perfecta: ſemper enim polluti erant peccato, ideo toties debebant ſeſe lavare, & ſacrificia offerre pro peccatis ſuis, non minus quam pro peccatis populi. Ne igitur quis crederet ipſum Pontificem M. poſſidere veram ſanctitatem & propter ipſius ſanctitatem ſacrificia atque oblationes Deo gratas eſſe, Deus juſſit ut adderetur vocabulum *Iehovæ* ſcilicet: *Sanctitas Iehovæ.* Chriſti itaque Sanctitas intelligitur, non alia. Is enim verus eſt *Jehova* Oſ. I. VII. & Eſa. XL. III. confer cum Marc. I. III. Eſt etiam *Sanctus*, *Sanctus Domino*, *Sanctus Dei*, immo ipſa *Sanctitas*. Luc. I. XYXV. Act. II. XXVII. Mal. II. VI. Marc. I. XXIV. Hæc autem verba *Sanctitas Jehovæ* coronæ inſcripta erant, ut Pontif. Max. *auferret iniquitatem rerum ſacrarum*, *quas conſecraverunt filii Iſraelis*, *omnium donorum*, *conſecratorum ab illis.* Sane nihil Deo gratum eſſe poteſt abſque ſanctitate Chriſti. Ille ſeſe pro nobis ſanctificavit, & nobis factus eſt ſanctificatio, ut & nos ſanctificaret. Joh. XVII. XIV. 1 Cor. I. XXX. Ideo Eccleſia ſancta eſt, cunctaque ejus bona, quæ a Deo in nos conferuntur, ſancta ſnnt. Omnia noſtra opera, & dona & ſacrificia ſpiritualia,

quæ offerimus Deo, ſancta atque grata ſunt, ſi procedant ex vera fide, prout ſacrificium Abelis Deo gratum fuit per fidem. Hebr. xi. iv. vi. Sed nec fides ipſa; nec ulla dona aut opera quæ a fide procedunt Deo grata ſunt abſque ſanctitate & juſtitia Chriſti; cum etiam præſtantiſſima opera noſtra polluta ſint. At vero ſanctitate Chriſti omnia purgantur Deoque accepta ſunt. Hebr. iv. xv. xvi. & xiii. xv. xxi. Per Chriſtum ſumus *ſanctum ſacerdotium, ut offerremus ſacrificia ſpiritualia, quæ Deo ſint grata per Ieſum Chriſtum.* i. Petr. ii. v.

DCCXCIV. Vittis etiam corona alligabatur fronti Pontificis Max. Primo non pileum nec ullam aliam partem tetigit lamina, ſed ipſam carnem Pontificis. Ita ſane purgamur non alterius ſanctitate, quam ipſius Chriſti, quæ ipſi naturalis & propria eſt. Totus enim ſanctus eſt. Deinde fronti alligatur, ubi majeſtas, modeſtia, virtuſque ſe maxime prodit, & ubi eſt ſedes ſapientiæ & cognitionis: quia Chriſto data eſt omnis poteſtas in cœlis & in terra, & quia omnibus virtutibus atque pietate conſummatus, & ſuprema ſapientia patris eſt. Ea vittis quidem alligata erat: ut Pontifex intelligeret, ſe Pontificatum omniaque dona non a ſe, ſed a Deo habere, nec poſſe retinere gloriam iſtam niſi a Deo & ejus Spiritu. Cum autem per coronam auream non male fides etiam depingatur, eſt enim fides aurum probatum, ut ſuo loco probavimus, hoc ligamento didicit Pontifex Max. totaque Eccleſia ſimul cum eo, ſe fidem nec habere, nec conſervare niſi per Deum. *Eſt* enim *fides donum Dei* Epheſ. ii. viii. Vittæ illæ quibus alligabatur corona, ex lana erant hyacinthini, ſive cœrulei coloris. Color quidem oſtendit Sacerdotium totamque ejus gloriam cœlitus datam eſſe Pontifici Maximo: omnia præcepta de ſacerdotio & ſacrificiis non ab hominibus fuiſſe excogitata pro lubitu, ſed ipſum Deum habere auctorem, atque cœleſtia latere ſub iſtis rebus terrenis viſibilibuſque ſymbolis. Materia iſtarum vittarum, cum eſſet ex lana, quæ facile corrumpitur, ſimul oſtendit, gloriam ſacerdotii perituram eſſe; ſacrificia & omnes cærimonias Aharonis deſituras præſtituto ſuo tempore, ad Chriſti veri noſtri Ἀρχιερέως adventum. Ipſius enim ſacerdotium ſolum eſt æternum, cum & ipſe in æternum ſit vivens; in eoque ſolo æternum Sacerdotium quærendum eſſe.

Eſt

Eſt enim *Sacerdos æternus ſecundum ordinem Melchizedeci.* Pſalm, cx. Hebr. vii.

DCCXCV. Hæc ita ſummatim de ſignificatione veſtium ſacrarum, quibus utebantur Pontifices ſingulis diebus totius anni, dicta ſunto. Reſtat ut paucula addamus de veſtibus albis, quibus uſus eſt Pontifex Max. decimo die Tiſri, in ſolenni Expiatione; unde etiam יום הכפורים *dies expiationis* dictus eſt. Illo enim die, ut ſuo loco oſtendimus, nullas habebat veſtes laneas nec coloratas, nullumque illis aurum nec gemmæ inerant. Sed veſtes illius diei omnes, ut ne quidem balteus exciperetur, erant ex byſſo ſubtiliſſima & albiſſima. Sane cum totum Sacerdotium fuerit imago Chriſti illiuſque Sacerdotii, tum maxime miniſterium illius diei. Omnes Sacerdotes miniſtri atque typi fuerunt Chriſti, eorumque ſacrificia cuncta, quæ fiebant reliquis diebus totius anni, omnino erant legalia, ut ſub lege tantum fierent. At Pontifex Max. decimo die Tiſri, illiuſque miniſterium quod iſto die peragebat, tam manifeſto Chriſtum illiuſque Sacerdotium ob oculos ponebat populo, ut diceres omnia iſta non ſub lege, non per Sacerdotem typicum, ſed ſub Novo Teſtamento, & per Chriſtum ipſum facta fuiſſe. Nam quemadmodum expiatio ſolebat fieri finito anno, primo ſcilicet die anni ſequentis: ita per Chriſtum vera expiatio facta eſt finito tempore Veteris Teſtamenti. Poſt Chriſtum enim τὰ ἀρχαῖα παρῆλθεν καὶ γέγενε καινὰ τὰ πάντα. ii. Cor. v. xvii. Tunc enim incepit novus annus, *annus acceptus & gratiæ.* Eſa. lxi. ii. Illa die Pontifex Max. ſolus & quidem ſemel cum ſanguine intrabat in ſancta ſanctorum, ſuffitus fecit & preces ad Deum fundebat, ut peccata populi expiarentur. Ita ſane Chriſtus ſolus, & ſemel tantum poſt peractum ſacrificium veræ expiationis, ſanguine ſuo intravit in cœlum, tanquam ſancta ſanctorum, ut pro nobis precibus ſuis tanquam ſuffitu gratiſſimo (Apoc. viii. iii. iv.) intercederet apud patrem. Toto iſto die, quamdiu Pontifex Max. in ſancto ſanctorum miniſtrabat ſanguinem ſpargendo, ſuffitum faciendo & preces fundendo, ſacrificia cuncta toto iſto tempore in atrio ceſſabant, quaſi nullus amplius ſupereſſet Sacerdos aut ſacrificium. Tunc expiatio facta eſt, non pro uno homine, nec pro uno peccato tantum, prout reliquis diebus offerri ſolebat ſæpiſſime pro uno, & pro certo aliquo genere peccati tantum; ſed pro omnibus Iſraelitis

omnibuſque peccatis, ut omnes credentes plenam haberent expiationem. Eodem modo, dum Chriſtus jam in cœlo pro nobis orat & intercedit, propriumque ſuum ſanguinem Deo patri offert, peracta expiatione omnium peccatorum noſtrorum, cujuscunque generis ſint, pro omnibus etiam electis, cujuſcunque ſint nationis aut populi, quocunque tempore & in quacunque terra vixerint, atque in poſterum victuri ſint, nullum datur amplius ſacrificium, nulla expiatio, ut omnino nullus amplius ſuperſit Sacerdos. Quæ omnia & id genus alia multa notatu digniſſima; fuſiſſime tractantur ab Apoſtolo, cum alibi, tum præcipue in Epiſtola ad Hebræos cap. VII. VIII. IX. & X. Non mirum igitur, diem iſtum dictum fuiſſe *Ioma*, quaſi diceres *Diem* κατ' ἐξοχὴν, & *Ioma Rabba*, *diem magnum*. Eſt revera dies magnus & admirabilis, dies nativitatis, mortis, reſurrectionis, & aſcenſionis Chriſti in cœlum. Hic eſt ille dies quem videre deſiderarunt Patres Veteris Teſtamenti, quem etiam per fidem cum Abrahamo viderunt. Joh. VIII. LVI.

DCCXCVI, Cum igitur Sacerdotes reliquis diebus totius anni ſacrificia fecerint, tanquam ſub lege cærimoniali, ubi nulla perfecta fiebat expiatio, ita ut populus & ipſi etiam Sacerdotes adhuc eſſent ſub reatu, peccatiſque contaminati, (non enim poterant ſacrificia & Sacerdotes tunc temporis purificare quoad conſcientiam. Hebr. IX. IX.) Deus voluit ut ſacerdotes ſacra facerent veſtibus ex lana & lino mixtis, variiſque coloribus infectis, cum vera fuerint ſymbola elementorum mundi & peccati, uti ſupra oſtendimus. At vero cum decimo die Tiſri Pontifex maximus modo aliquo peculiari Chriſtum repræſentaverit, ejuſque Sacerdotium, per quod facta eſt vera & perfecta expiatio, ut nullus amplius reatus in electis Nov. Teſtamenti remanſerit, nullumque ſuperſit peccatum, quod per Chriſtum non ſit perfectiſſime expiatum, adeo ut Deus peccata & debita noſtra nunc non tantum connivendo tranſierit, propter ſponſionem Chriſti: ſed etiam, vero λύτρῳ jam facto, ea tranſtulerit, & e libro debiti eraſerit; ut contra nos nulla omnino reſtaret accuſatio legis & conſcientiæ, nulluſque timor mortis, & iræ Dei ob violatos ritus: ideo, inquam Deus voluit ut Pontifex Maximus illo die ſacra faceret veſtibus byſſinis & albiſſimis: ut populus per iſtos ritus intelligeret, præſente Chriſto, & poſt illius ſacrificium atque expiationem, in Eccleſia Chriſtia-

ſtiana nulla amplius reſtare peccata nec debita; ſed ſolutionem eſſe præſtitam, Eccleſiam Novi Teſtamenti eſſe Eccleſiam ſanctam & perfecte juſtificatam per ſanguinem Chriſti: *Chriſtus* enim *amavit Eccleſiam ſuam & ſemetipſum dedit pro illa, ut eam purgaret, & redderet Eccleſiam Sanctam & inculpatam*, ut loquitur Paulus Apoſtolus Epheſ. v. xxv. xxvi. xxvii. Vide etiam Hebr. ix. xiv. xxvi. Secundo, Albis quoque veſtibus amictus eſſe debuit Pontifex Maximus, propter perfectam juſtitiam & ſanctitatem Chriſti. Ille per quem fieri debet vera expiatio, & qui in cœlum intrare debet, ut pro nobis intercederet, oportet ut ſit juſtiſſimus ac ſanctiſſimus, in quo nulla omnino reperitur macula peccati; nihil enim in cœlum intrare poteſt quod ſit pollutum. Apoc. xxi. xxvii. Talis autem eſt ſummus noſter Pontifex Jeſus Chriſtus. Ut igitur illius perfecta juſtitia atque ſanctitas vivis ſuis coloribus depingeretur per Pontificem Max. Veteris Teſtamenti, quum ingreſſurus eſſet in ſanctum ſanctorum, veſtiri debuit albis veſtibus & byſſinis, in quibus nulla eſſet lana, nullus fucus colorum, quæ ſunt ſymbola peccati & mentis maculæ. Ideo tam ſolicite cavebant Judæi ſub Veteri Teſtamento, ne Pontifici Max. aliquid eviniret quo ineptus redderetur ad miniſterium illius diei; ut eum etiam ſeptem diebus a conſortio hominum ſepararent occluderentque, ne pollueretur, ut ſanctior ad miniſterium iſtius diei accederet, ut docent Magiſtri, Codice *Ioma cap.* I. Hæc autem pulcherrima imago erat juſtitiæ, innocentiæ & ſanctitatis Chriſti. Is enim perfectiſſime ſanctus & juſtus eſt, abſque maculis & peccatis, a conſortio peccatorum longiſſime remotus. Eo proculdubio reſpexit Apoſtolus ad Hebræos cap. vii. xxvi. ubi dicit; Oportuiſſe ut haberemus ſummum Sacerdatem, ὅσιον, ἄκακον, ἀμίαντον κεχωρισμένον ἀπὸ τῶν ἁμαρτωλῶν καὶ ὑψηλότερον τῶν οὐρανῶν, γενόμενον. III. Cum lana, gemmæ, aurum, colores & reliqua ornamenta fuerint ſigna pompæ mundanæ, & gloriæ ſacerdotii, ſequitur Pontificem Maximum ejuſmodi veſtimenta deponere & albas induere debuiſſe, ut populus diſceret, poſt Sacerdotium & expiationem per Chriſtum factam, omnem pompam Sacerdotii Veteris Teſtamenti habere finem, Deumque coli in Spiritu & veritate, abſque apparatu extrinſeco. IV. Depoſuit etiam veſtes laneas

& coloratas, aurum atque gemmas, quando intrabat in ſancta ſanctorum, ne quis crederet expiationem factam eſſe dignitate, merito & valore tanti ornatus, auri aut gemmarum. Non enim redempti ſumus auro, aut argento aliiſque rebus pretioſis, ſed ſola ſanctitate, juſtitia & ſanguine Chriſti. I. Petr. I. XVIII. Sed & gemmis inſcripta erant nomina tribuum, aut duodecim Patriarcharum. Ne igitur in animo ſuo alerent vanam atque profanam opinionem aliquam, Deo ſcilicet litatum, & peccata expiata eſſe ipſa virtute, merito tribuum, juſtitia populi, aut etiam duodecim iſtorum Patriarcharum, quorum nomina XII, gemmis inſculpta etant, Deus voluit ut Pontifex Maximus tunc temporis veſtes illas aureas, gemmatas, laneas & coloratas pictaſque deponeret, albaſque ſumeret: ut ſolus intraret peccataque expiaret nullo Patriarcha, nulla tribu præſente, quia Chriſtus ſolus intravit in cœlum, ſolus pro nobis orat, intercedit & peccata noſtra expiat; ne ulla caro ob juſtitiam propriam glorietur, ſed ſi quis vult gloriari, glorietur in Chriſto. V. Adde diem iſtam fuiſſe diem contritionis atque jejunii extraordinarii. Indignum igitur fuiſſet, ſi Pontifex Max. ad Deum accedere auſus fuiſſet, ut peccata deprecaretur, iram Dei leniret, ut eum ſibi populoque propitium redderet, in ejuſmodi pompa & ornatu mundano. Omnis enim pompa & gloria elatum animum ſuperbiamque notat. Cor autem contriſtatum humiles geſtus & viles habitus decent. Hoc autem in Chriſto maxime adimpletum eſt. Is enim, ut noſtra peccata expiaret vera expiatione, *ſemetipſum exinanivit, forma ſervi accepta, ſimilis hominibus factus eſt, ſeque ſubmiſit, & factus eſt obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis.* Phil. II. VII. VIII. Ita ut humilitas ſummi Pontificis die expiationis, nihil aliud fuerit quam imago humilitatis Jeſu Chriſti. Sed quemadmodum Pontifex Max. dum ita humiliatus erat, nihilominus, peracta expiatione, ipſiſſimis veſtibus albis intravit in Sanctum Sanctorum; ſic & Chriſtus, poſtquam ſacrificium ſe obtulit Deo, in iſto ſtatu humili, tandem aſcendit in cœlum, verum antitypum Sancti Sanctorum, & ſupremam gloriam adeptus eſt. Quod iterum innuit ipſe Apoſtolus eodem loci, verſibus IX. X. XI. ubi ſtatim addit: *Quapropter etiam Deus ipſum in ſummam extulit ſublimitatem, ac donavit ei nomen quod eſt ſupra omne nomen: Ut ad nomen Ieſu omne genu ſe fle-*

flectat, cœleſtium ac terreſtrium & ſubterraneorum, omniſque lingua profiteretur Ieſum Chriſtum eſſe Dominum, ad gloriam Dei patris.

DCCXCVII. Ex his omnibus, quæ hactenus dicta ſunt de ſignificatione veſtium ſacrarum, patet nos eſſe participes ſanctitatis, juſtitiæ, & perfectionis Chriſti, illius mortis, ſacrificii, & interceſſionis, omniumque beneficiorum, quæ ſuo ſanguine apud patrem nobis meruit. At ſimul etiam colligimus, nos ipſos etiam per Sacerdotium Chriſti factos eſſe Sacerdotes, immo Reges & Sacerdotes. Chriſtus enim *primus genitus eſt inter multos fratres.* Commate XXVIII. & XXIX. prout Pontifex Max. V. Teſtam. reliquos ſacerdotes *fratres ſuos* nominare ſolebat. Ideo & nos ſub Novo Teſtamento, abdicatis humanis cupiditatibus, & negotiis atque impedimentis omnibus hujus ſæculi ſepoſitis, Deo ſumus ſancti, ac Sacerdotio ſedulo fungi debemus. Cum autem Sacerdotium exerceamus ſub Novo Teſtamento, poſt peractum ſacerdotium Chriſti, illiuſque introitum in Sancta Sanctorum: ceſſat in hac terra Sacerdotium Chriſti; ceſſant omnes oblationes, omnia ſacrificia deſumpta a rebus corporeis, cum res iſtæ hodie nullius omnino ſint uſus; ideo & nullæ veſtes ſacerdotales in Eccleſia Chriſtiana amplius locum habent, ut non niſi magna ſuperſtitione hodie a nonnullis introducantur. Nihil enim prorſus poſſunt ſignificare, cum nullas umbras patiatur Eccleſia Chriſtiana, poſtquam Sol juſtitiæ ortus eſt. Mal. IV. II. Nullo ſigno, nullo typo atque imagine opus eſt præſente antitypo Jeſu Chriſto. Deinde quemadmodum Pontifices extra templum veſtibus vulgaribus incedebant, in iis Deum colebant, eodem modo quo & reliqui Iſraelitæ: ita ſane & nos, quamvis ſimus Sacerdotes ſpirituales, cum tamen verſemur extra templum illud, quod manibus hominum factum eſt, omnis externa pompa atque habitus nobis deponendus eſt, ut in omnibus locis, omnibuſque veſtibus Deum caſte adoraremus & coleremus, puris manibus atque pura mente, in Spiritu & veritate. Sacerdotes ſumus ſpirituales, ideo ſacrificia quæ Deus a nobis poſtulat ſunt ſpiritualia. I. Petr. II. v. Sunt preces Sanctorum, quæ tanquam ſuffitus grati, cum ſuffitu Chriſti & per illius manus ad Deum aſcendunt. Apoc. VIII. II. III. Sunt laudes: ſunt gratiarum actiones; ſunt juvenci labiorum noſtrorum; ſunt opera pietatis erga Deum; & charitatis erga proximum; ſunt corda con-

contrita & animi abjecti atque reſipiſcentes. Pſalm. L. XII. Hebr. XIII. XV. Oſ. XIV. II. Phil. IV. XVIII. Pſalm. LI. XIX. Immo noſmetipſos, corpora & mentes Deo conſecrare atque offerre jubemur, tanquam hoſtias vivas, ſanctas, & placentes Deo, qui cultus noſter rationalis eſt. Rom. XII. I. II. Hæc ſunt vera ſacrificia quæ Deus a nobis poſtulat, Hoc ſenſu veri ſumus ſacerdotes ſub Novo Teſtamento. Tandem cum Chriſtus jam miniſtret in ſancto ſanctorum, & cum omnia reliqua ſacrificia hodie ceſſare debeant, ſequitur nos etiam cum eo, ut miniſterium noſtrum perageremus, non niſi albis & puris veſtiri debere. Non aureis, non coloratis atque gemmatis. Omnem lanam, omne aurum, omnes gemmas omnemque ornatum, uno verbo omne deſiderium divitiarum, gloriæ & pompæ hujus ſæculi, omnes cupiditates animi, omnem faſtum & ſuperbiam, cum omni colore peccati nequitiarumque exuere debemus ut in omni ſubmiſſione cordiſque contritione, in omni ſanctitate & juſtitia, tanquam veſtibus byſſinis & albiſſimis incedamus. Ut *veſtibus laudis & juſtitiæ*, & *tunica juſtitiæ Chriſti* veſtiamur. Immo ut *Chriſtum ipſum induamus*, Gal. III. XXVII. Ut tandem in hoc apparatu pio atque ſancto; Chriſti pietatem & virtutes imitantes, ſummaque diligentia Sacerdotio noſtro ſpirituali functi, tandem peracto Sacerdotio in hac terra, tamquam in atrio, cum Chriſto ſummo Sacerdote, fratre, capite & ductore noſtro, habeamus libertatem ad Deum patrem accedendi, in cœlum, tanquam in ſancta ſanctorum intrandi, quo nobis per Chriſtum jam patet introitus, Hebr. IX. VIII. Atque ſic ut cum Chriſto Deum perfecta ſanctitate in æternum colamus, laudeſque ejus tanquam Reges & Sacerdotes in cœleſti Templo æternum canamus.

F I N I S.

INDEX

INDEX RERUM

& Verborum

SECUNDI LIBRI.

Paragraphi notantur.

A.

A Balet pro *abanet* inde balteus. 354.

Abraham, *Iſaac* & *Iacob* in Pectorali. 637

Achates dicitur à Moſe *Schebo*. 558. Ab aliis *Leſchem*. 545. An ſit *Beryllus*. 558. *Achates* eſt ſubviridis. 558. Rabbini dicunt *Abatim*. 559. Ejus deſcriptio. 560. Mirificæ ejus picturæ. *ibid.* *Achates* Pyrrhi Regis. *ibid.* Varia genera. *ibid.* *Aohates* dicta ab Hebr. *Akud*, *punctatum*, inde *Achud* & *Achat*. 561. Optima *Achates*. 563. Ejus locus natalis. *ibid.* Moles. *ibid.* & 564. Pretium, & virtutes. 564. 565. *Achates*, an dici poſſit *oculus vituli*. 568

Achlama Amethyſtus. 569. Nephtali deſtinatur. 571. Unde dicatur. 568

Achmar gemma. 473. 478

Acinus in uva iuſtar plectri in tintinnabulo. 425. 425

Adam cur veſtitus a Deo. 754.

Adamas Ejus pulvere celantur & poliuntur gemmæ. 467. An ſit lapis *Odem*? 475. Nulli cedit pretio. *ibid.* Ejus etymon. *ibid.* Dicitur *indomitus* fabuloſe. 475. *Adamantes* falſi ex ſaphiris. 519. *Adamas* eſt ſextus lapis in Pectorali 533. 534 &c. Ejus non memint Johannes in Apocal. *ibid.* *Adamas* an Hebr. dicatur *Anach*? & *Anactites*? 535. 536. vox *Adamas* latet in voce *Iahalom*. 537. Dicitur *Almas*. *ibid.* Eſt omnium lapidum duriſſimus. 538. &c. An hircino ſanguine rumpatur. 538. Perforat margaritas. 539. Eſt lapis albiſſimus. 540. Ejus locus natalis. 541. & 542. Quanto tempore naſcatur, & ex qua materia. 541. Eſt gemmarum omnium pretioſiſſima. 542. Solis, & quidem paucis Regibus olim cognita. *ibid.* Ejus moles. *ibid.* *Adamas* Magni Mogolis. *ibid.* *Adamas* Philippi Reg. Hiſpaniæ. *ib.* Ejus virtutes. *ibid.* & 543. An ſit venenum. *ibid.* *Adamas* an ſit *Vrim* & *Thummim*? 628. 645. An per eum futura prædicantur. *ibid.* 628. 629. Ex *Adamantibus* litte-

litteræ in corona Julii ſecundi Pont. Max. Romani. 671
Ægyptii Cingari palliati. 410
Ægyptiorum ritus an ad Judæos propagati? 125. Eorum *ſiſtra* & *crepitacula* utrum ante *tintinnabula* Pont. Max. Hebr. *ibid.* *Ægyptii* multa videntur didiciſſe a Judæis, per Joſephum. *ibid.* Tempore Salomonis. *ibid.* *Ægyptiorum ſacerdotes* caput & oculos tegunt. 402. Eorum ornamenta in Pectore. 463. Sunt *Judices.* 615. Habent imaginem in collo. Vide imago, & ſaphirus.
Æneas primus tecto capite ſacrificat. 401
Æquabiles catenæ. 461
Agni utplurimum offerebantur. 759
Agraffes. 344
Agrippa Rex legit ſectionem. 711
Aharonis virga floruit. 778
Ahaſſueri Regis Theſaurus. 704
Akik gemma. 473. 486
Ala quomodo dicta Hebr. 659. *Ala* pallii. 410. 416
Alam & *Almas* pro *Jahalom.* 537 Inde *Admas* & *Adamas. ibid.*
Alba Luna. 519. *Albeſcere. ibid.*
Albus color in Tiaris. 385. In gemmis ſoli Adamanti convenit. 540. *Alba veſtes* martyrum. 771. & ſacerdotum. *ibid.* *Albus color* Deo attribuitur. *ibid.* Significat Chriſti *juſtitiam* & *ſanctitatem. ibid.* & ejus *naturam divinam.* 766. Eſt *color Regius. ibid.*
Alexandri Magni Diadema. 383. 385. *Alex. Magnus* iraſcitur Judæis. 717. Placatur. *ibid.* Petit a Pont. Max. Judæorum ut oraculum conſuleret. 723
Alexandri Severi Theſaurus. 704
Aller pro *aner* & *anare.* 354.
Amethyſtus dicitur *Saphyrus.* 528. Eſt *Hyacinthus* dictus. 653. 570. Olim *Hyacinthus* dictus. 553. 558. Dicitur *Achlama.* 568. Ejus deſcriptio. 570. 571. &c. Vini colorem refert. 570. Cur ita dicatur. *ibid.* Ejus varia genera. *ibid.* Omnes violacei. *ibid.* Nephtali deſtinatur. *ibid.* Ejus locus natalis. 570. 572. Ejus *pretium*, & *virtutes.* 570. 572. 573
Amicivit, amictus. 435
Amiculum dicitur Ephod. 435. 439
Ampſchildlein. Pectorale. 454
Amuſſis. 480
Anach & *Anactites* an ſit *Adamas.* 535. unde dicatur. *ibid.* An ſit *Onyx. ibid.* Eſſe *plumbum* aut ſtannum. 636. filum cui plumbum appenſum eſt. 536
Anaxyris quid? 382
Ancilia 463. Eorum forma. *ibid.* Cœlo dimiſſum primum. 463
Angeli cincti 374. 375. Vide Balteus & cinctus. An dent re-

reſponſa per Urim & Thummim? 625 &c. Eorum miniſterio Deus utitur. 626. An vocem edant reſpondendo per Urim & Thummim? 639
Angulus quid? 410. 411
Animalium imagines nullæ in veſt. ſacr. 444
Annuli aurei in veſt. ſacris. 449. 450
Annuli in Ephodo quot? 449. In pectorali. 459. 460
Anthrax a Carchedonio non debet diſtingui? 508
Antimonium eſt *ſtibium*. 509
Antonia arx in Templo. 703
Apanturim, & *Marganit Apanturim*, & *Apantur* gemma: 473. An ſit *Panthera* 548. Sic vertitur *Jaſpis*. 605. 607 609
Apex pileus 402. Unde dicatur? 402. *Apex* Epiſcopalis dignitas. 402
Apis. In ejus fronte alba macula. 385
Apoſtoli duodecim. An tot tintinnabula. 427. Significantur per tintinnabula. 787
Aqua marina, *beryllus*. 576
Aqua limpida. 499
Aquila nido ſuo imponit Achatem. 565. Attulit vermem *Samir*. 467. *Aquilæ* ſi ſcalperetur in amethyſto virtus. 573
Araneæ tela veſtis tenuiſſima. 697
Arca in bellum deducitur. 647. Ejus annuli & veſtes. 632
Arcæ variæ in templo ad cuſtodiendas veſtes ſacras. 706. Earum tituli. *ibid.*
Arkin gemma. 473. 486. Pro *Tarkin*, unde *Turkois*. 558
Arma Turni & Palladis. 361
Ars veſtes ſacras pretioſas reddit. 700. Ejus ſignificatio. *ibid.*
Artifex imaginum. 480
Artificioſiſſimum opus Ephod. 442 455
Aruſpex herniam prodit. 335
Arx Antonia. 703. Erat ſub ſigillo Pont. Max. Hebr. poſtea ſub ſigillo præſidii Rom. 703
Aſcetarum pallia. 409
Aſini tintinnabula gerunt. 424
Aſmodæus Rex Dæmonum 467
Aſpides in humeralibus quid? 444
Aſtronomia an Deus docere voluerit per veſtes ſacras. 742
Atrium ſolum dicitur templum & *Mikdaſch*. 716. Extra atrium dicitur *Provincia*. *ibid.*
Auguſtus Cæſar habuit tibilia & feminalia. 334
Aurea bulla quid? 360
Aurora ab Hebr. *Or*. *lumen*. 616
Aurum virens pro Smaragdo. 502 585
Aureum eſt corpus Chriſti. 585
Auri lapis eſt Chryſolithus. 591

Aurum & gemma *Tharſis* jungun-tur. 586
Aurum purum corona Pont. Max. 660
Aurum quid ſignificet. 742. 754 760. Chriſto offertur ut Regi 761. Chriſti naturam divinam ſignificat, & æternitatem. 760. 762. 791. Et ejus meriti pretium. 763. Eſt ſymbolum Chriſti donorum & gratiarum. 764

B.

B. ponunt Latini Hebræorum ב. 499
Baal-Peoris ſacra. 332
Babylonii nudo capite ſacrificant. 401
Bacca dicitur pro *Macca*. 499
Bacchus ab Arabibus in lapide colitur. 501. Ejus ſacra. 401
Baculos habent peregrinantes. 396
Baculus Mamillii Limetani. *ibid.*
Baculus ab Hebr. *Maklo*. 499
Bactrianæ chryſolithi. 589
Baen eſt lamina aurea. 662. An ſit vox Hiſpanica? *ibid.* Germanis ſignificat *viam tritam.* **Baenen / de weg baenen. Een baen ſtoffe** &c. *ibid.* Pro **Baen** dicitur *barean. ibid.* An dicendum **Bant.** *ibid.*
Bagdad pro *Magdad*, 499
Balteus. 353. 354. &c. Veſtimentum vetuſtiſſimum. *ib.* Latinis dictus ab *Abnet*. 354
Balteorum varia materia. *ibid.* Ex pellibus & corio 355. *Balteus* Joh. Baptiſtæ. *ibid.* *Balteus* Argenteus & Auratus. *ibid.* *Æneus* & *Lineus*. *ibid.*
Baltei ſacerdotum ex lana & lino. 356. Mixtæ ideo materiæ. *ibid.* Extra miniſterium a Sacerdotibus deponi debet. *ibid.* *Balteus* Pont. Max. decimo die Tiſri ex lino. *ibid.* dicitur *lorum* & *faſcia*. 356.
Baltei longitudo. 357. 362, Dicitur *Mitra*. *ibid.* 387. Longus XXXII. ulnas. 357. Latus IV. digitos. 358. Intus cavus. 359. Ejuſmodi *balteis* veteres utebantur pro crumena. *ibid.* In *balteo* ſtipendium. *ibid.* *Balteus* eſt inſtar ſerpentis exuviarum. *ibid.*
Balteorum ornamenta. 360, *Baltei* aurati, conſtellati. *ibid.* Gemmati. *ibid.* *Baltei* Batavorum. *ibid.* *Baltei* Sacerdotum opus Phrygionicum. 361. An habeant ſquamas inſtar ſerpentis? *ibid.* Habent fibulas. 262. Longi dicuntur *mitra* & *faſcia*. 362. *Baltei* in uſum militum. 370. Inde dependet gladius. *ibid.* *Balteo* cingi eſt *armari*. *Balteis* cognoſcuntur legionarii. 370. Sunt ſigna excercitus. *ibid.* Germanis dicitur **Feltzeichen** / Gallis *Eſchar-*

Eſcharpe ibid. Balteis cinguntur fœminæ. 371. Inde ad viros. 372. *Balteo* veteres opus habebant. *ibid. Baltei* ſacerdot. Hebr. ex mandato Dei. 373. Eis tunica cingitur. 374. *Balteus* & tunica junguntur. *ibid.* Dicitur *Zodiacus*. 375. *Balteus* ſacerdotalis in tabula depictus. 377. Explicatur. *ibid. Balteus* opus *Rokem* ideo pretioſus. 700 Eum deponere debebant ſacerdotes quam primum ab opere ceſſabant propter *Schaatnez*. 713. Fluebat propter ornatum. 713. Lævo humero injiciebatur. 713. Quid ſignificet? 742. 745. 753. 776. 782. Cur ſolus acu pictus. *ibid.* & 776

Banat & **Bant**. Ab Hebr. & Arab. 354. 389

Bandum, *Banderolle*, vexillum **Een Draeg-bant.** 389

Bandt pro **baen.** 662

Barak, *ſplendere*. 498

Barean male pro **Baen**. Vide **baen**.

Bardigin gemma. 473. 507

Bardocucullus. 386

Bareketh, *Barkan* & *Beraktha*. *Smaragdus*. 495. &c. An ſit Hyacinthus? 498. &c. Summus ei attribuitur ſplendor. Vide Smaragdus. Ex *Bareket*, & *Berakta* ſit *Baregei* & *Beragda*. Inde *Maragda*, *Maragdos* & *Smaragdos*. 499. Pro *Barak* Perſæ dicunt *Bereg*. *ibid.* Gemma *Bareketh* quid Rabboth 501. 502. Ejus color viridis. *ibid.* vide Smaragdus.

Barkan Veaphran gemma. 473. 407

Baſiliſcus quid? 385

Batavorum Baltei 360

Bathnan pro *Mathnan*. 499

Baudrier balteus. 353. 370

Baum Wol / Xylinum. 337

Baxea genus calceamenti. 318 Hinc Belgarum **Boxen** / & Germ. **Buxen**! *ibid.*

Bdellium. 593

Bedolcha gemma. 473. & *Bedolah* an *Schoham*. 593. Diſtinguitur a Margarita. 593. 594. 596

Belat eminere. Hinc **gebult** / **bulten** / **een bult**. 636

Bellen a *bulla* tintinnabula. 425

Belur Arab. Beryllus. 517. an *Schoham*. 593

Beltze haube. 382

Bengala habet byſſum pretioſam 697

Benjaminis vexillum. 609

Berech & *borcho genu*. 321

Berakitha & *Barkan* gemma. 473 vide *Bareket*.

Berilioth chala, gemma. 473. An Schoham. 593. Eſt *Beryllus*. *ibid.*

Berulin gemma. 473. 558. Beryl-

ryllus. *ibid.*

Beryllus gemma. 472. 517. 558 An ſit *Schebo ibid.* an *Achates*, aut *Tarſis.* 516. *Berylli* color. *ibid. Beryllus* Thalaſſius. *ibid.* Dicitur Schoham. 593. &c. Ad Jaſpidem accedit. 595. Naſcitur circa Euphratem. 597

Beurſe-ſnijder. Sector zonarius. 359

Binden / Draeg bant. 389

Birla gemma. 473. 545

Bladt / ein ſtirn Blat. 657. Lamina P. Max. *ibid.*

Blatteo ſericum. 408

Blatteum lamina ein Blatt / *folium* 661

Bleau / Peers en Bleau / Doncker bleau. 525. 529.

Bleauwe druyven. 570

Bleyſchnur. 536

Bohemi Cingari palliati. 410

Bonet de nuict. 386

Borduren / geborduert. 361

Borſtlap des Gerichts / Pectorale. 454

Boxen Belgice Brachæ. 318

Braca, & *bracca* male pro *bracha.* *ibid.*

Brachæ ſacræ deſcribuntur. 312. &c. Dicuntur *feminalia.* 311. 316. Erant ἐξάμιλα. 312 Albæ *brachæ.* 313. Coccinæ Alex. Severi. *ibid.* ποικίλοι & *plumatæ ibid.* Albæ Imperator. *ibid.* In tela textæ non ſutæ. 314. Brachæ nonnunquam tibilia. 318. Germanis ein Brüch. *ibid.* & Buxen Belgice **Boxen.** Earum forma. 319. &c. In quo loco cingantur. 319. *Brachati.* 321. *Brachæ* breves. *ibid. Bracha* non eſt vox Gallica ſed Hebræa. 321. 326. *Brachæ* veterum. *ibid. Brachatum* totum corpus. 326. *Brachæ* ex pellibus. *ibid. Brachata* ſtatua. *ibid.* Quomodo dictæ. *ibid.* Brachæ dimidiatæ. 327. *Brachæ*, non apertæ ad verenda nec ad anum. 328. &c. Cingebantur ad lumbos *ibid.* Sunt inſtar marſupii. *ibid.* Dicuntur ſacci. 328. Habent ligamenta. *ibid.* Texuntur abſque opera acus. *ibid. Brachæ* mulierum apud Judæos. 329 *Brachæ* Phariſæorum. *ibid.* Dicuntur in numero duali. 330. *Brachæ* in tabula depictæ. 331. *Bracharum* ſacrarum uſus. 332. &c. *Brachas* an Hebræi habuerint. 333 Ab eis receptæ *ibid.* An in uſu in Regionibus calidioribus. 334. *Brachæ* veſtimentum Barbarum. *ibid.* Eas non habuit Jul. Cæſar. *ibid.* Nec mulieres tempore Saturnini 334. Et Sacerdotes Ethnicorum. 335. *Brachæ* albæ. 385. Quid *Brachæ* ſignificent. 744 745. 753. 780

Bracteola. 661.

Bragas Italice *Brachæ*. 318
Brayes Gallice *brachæ*. 311: 318
Brittannia quaſi *Baratanach*, Ager ſtanni. 536
Brodé. 361
Broeck Belgice Brachæ. 316
Bruch *Brachæ*. 321
Bulla **Bellen**. 425
Bullatum an inde dictum balteum? 354
Burla gemma pro *Beryllus*. 473 An *Schoham*. 593
Buxen German. brachæ. 318. dictæ a *baxea*. *ibid.*
Buza apud Aquilam quid? 319
Byſſus & *Byſſina*. 340. 383. Pretioſiſſima circa Bengalam. 697 Quid ſignificet. 742. Juſtificationes ſanctorum. 758
Byſſus. vide Linum.

C.

Cabaliſtæ. 470
Cachale & Cochalim gemma. 473. 506. 509. 545. 555. An *Carbunculus*. 555
Cadcarna gemma. 473. Pro *Carchadna Carchedonius*. 507
Cajaphas non laceravit veſtes Sacerdotales. 709
Calamus, *decempeda*, debet eſſe recta. 394
Calaſiris veſtis Sacerdotalis. 352
Calchedonius pro Carchedonius. 508
Calcei quomodo dicti Hebræis. 333
Colçons & *colçones* brachæ. 317
Caligula unde dictus. 317. Cinctus. 373
Calottes quaſi galottes, dicuntur a *Galea*. 378. 397
Calyptra provincia integra ornatui Reginæ deſtinata. 371
Calzi. 317. *Calze Marinareſche*. 326
Cama quid? *Camus*, & *Camarum*. 339
Camaſena. *ibid.*
Camis, in Camis dormire. 339
Camiſia & *Chemiſe*. 339. Sic dicitur ab Arabico. *ibid.* *Camiſia* magna. 341. 414. 416. *Camiſole*. 350
Campana tintinnabulum. 426
Campeſtria. 315
Candidum & *rubrum* eadem voce exprimuntur. 475
Candor ſummus in corpore humano. 525
Candys. 382
Canis in nummo C. Mamilii quid ſignificet. 396
Canna limitibus metandis. 394 &c. Non reperitur in nummo Mamilii. 396
Capita animalium ad ornatum pileorum. 386
Capital quid? unde dictum. 404
Capite nudo fiebant ſacra antiquitus. 401. *Capite* velato qui ſacrificaverint? 401. 402. Cur hoc factum. 403
Capitis tegumenta varia. 379. &c.

Ca-

Capitium pallii cujus formæ. 419 Habuit limbum. 420
Capnias gemma Jaſpidis genus. 608
Captivitas, *captivum cepit.* 557
Captiva nuptura Iſraelitæ cur debeat veſtes deponere? 751
Caracalla. 386. Eſt ſimilis Ephodo. 436
Caracalla Antoninus. 436
Carbunculus. 476. Carbunculus veterum eſt *rubinus.* 476. 495 Dicitur a *carbone.* 507. Eſt verus rubinus. *ibid.* & 512. Dicitur *Carchedonius* ab urbe *Carthagine.* 508. Utrum creſcat circa Carthaginem? *ibid.* Creſcit in India. *ibid.* *Carbunculi* albi. Maſculi & fœminæ. *ibid.* Varii Carbunculi. 510 *Carbunculi* unde dicti. 510. Eſt pretioſus. *ibid.* Ejus color. *ibid.* Cui tribui deſtinatus. 511. Ejus fabuloſus ſplendor. 513. Saphirus an *Carbunculus.* 520. An *Jahalom*? 533
Carchedonius. 507. Eſt Carbunculus. dicitur ab urbe Carthargine. 508. & Dicitur *anthrax.* 508. Non naſcitur circa Carthaginem, ſed in India *ibid.* Ejus color ruber. 509. A quibuſdam exponitur Saphirus. 520. Et Jahalom. 533 539
Cardecuchin. 473. & Carcunin. Eſt *Carchedonius.* 507
Cardinales Eminentiæ dicuntur unde? 402. Eorum Pilei. 381
Carthago unde ſic dicta. 508. Dicitur *Karthachada*, nova civitas. *ibid.* *Neapolis*, *Novomagum.* *ibid.*
Caſtanea & nuces Palatinæ dicuntur Colonienſes. 508
Caſſis ovata. 397
Catella pro *Catena.* 354
Catenæ aureæ in S. veſtitu. 448 In Pectorali. 460. quot. 461 Earum forma inſtar funium. *ibid.* *Catenæ aureæ* quid ſignificent? 791
Cauſia pileus. 381. *Cauſiæ* conchyliatæ. 384. 386
Ceinture de la Reine. Vectigal apud Gallos. 371
Centones, *centucla.* 382. 383. 386
Ceraunius. 495
Ceruſſa fucus. 524. Magnam habet cognationem cum ſtibio. 509
Cethegi cinctura. 373
Chabal funis Hebr. Hinc Belg. **een kabel.** 499
Chaſcha ſilere. 613
Chanamael, an Pont. Max. 688.
Chavila. vide Havila.
Chaza videre. 613
Chazeh pectus. *ibid.*
Chemiſe. *Chemiſe* qui tienne ſerree. 336. *Chemiſette.* 350
Chetunet & *Chetunah*, tunica. 414

414. *Chetuneth Taſchbetz. ibid.*
Chilzon conchylium, purpura. 699
Chitis Arabiæ Inſula. 490. habet ſignificationem occultandi. *ibid.* Inde nata fabula de Topazio inſula quæſita. *ib.*
Chlamys. 436
Cchoſchen Miſchpat pectorale. 612 614
Chriſtus tunicatus. Vide tunica. Ejus *ſanguis* per ſaphirum repræſentatur. 521. Ejus *paſſiones. ibid.* Ejus *pulchritudo* per ebur & ſaphirum. 525. De Chriſto multa intelligi, quæ de adamante dicuntur. 538. Ejus *natura humana* depingitur per *Tharſis.* 579. Per *linum & lanam.* 760. Per *pallium.* 784. Ejus *natura divina* repræſentatur per *aurum.* 760 per *colorem album.* 766. Ejus natura divina & perfectiones 784. 791. *Chriſtus* dicitur aureus. 585. Ejus cingulum aureum *ibid.* Ejus virtus & ſplendor auro comparatur. 586. *Chriſtus* nulla rerum externarum commendatione opus habet. *ib.* Tamen per res corporeas repræſentatur. *ibid.* a Sacerdotibus judicatur. 614. Miracula edidit per nomen *Iehova.* 621. Depingitur per gemmas in Pectorali. 633. Ejus munditiem ſignificant veſtes ſacerdot. 678. In templo quo ſenſu ſederit? 712. Ejus preces in cœlo ut Pont. Max. in S. Sanctorum, 749. *Chriſtus* repræſentatur per veſtes ſacras. 740. 741. &c. 747. Ejus merito ſacrificia Deo grata ſunt. 748. Ejus typi Sacerdotes. 749. Solus habet jus accedendi ad Deum ut Pontif. Max. 749. Ejus ſanguinis clamor. *ibid.* Eſt veſtimentis ſacris indutus. *ibid.* Ejus virtutes, dona & beneficia multa & varia. 753. Ejus inſignia beneficia quatuor depinguntur per quatuor veſtes. 753. Ejus *circumciſio* initium effuſionis ſanguinis. 754 Ejus *duæ naturæ* repræſentantur per *linum & lanam.* 756. Per *duos ſardonyches.* 788. *Chriſtus* ex muliere naſcitur. 756. Dicitur *ſemen mulieris. ibid.* Eſt lino veſtitus. 758. Vocatur agnus. 759. *Chriſti* munera tria, *Sacerdotale*, *Regium.* & *Propheticum.* Quomodo depingantur. 761. & 793. Et offertur aurum, thus & myrrha. 761. Ejus ſacrificium æternum. 762. Pretium ejus mortis & paſſionis per aurum ſignificatur. 763. Et ejus dona & gratiæ. 764. *Chriſtus* nos purgat multis paſſionibus. 765 Albis veſtibus apparet. 766. Magna gloria fulget. *ibid.* Eſt æternus. 768. Eſt homo cœle-

leſtis. *ibid.* Ejus natura humana habet aliquid cœleſte. *ibid.* Ejus conceptio & nativitas cœleſtis. 768. Cum ſaphiro comparatur. *ibid.* Peccatis noſtris onuſtus eſt. 769 Ejus ſanguis per purpuram ſignificatur. 770. Eſt ſanctiſſimus. 771. Ejus dolores, plagæ & vibices ſaphirus ſignificat. 772. Ejus integritas & meritum. 773. Sola ejus juſtitia juſtificamur. *ibid.* Totus credendus eſt. *ibid.* Ejus os non frangendum. *ibid.* Pro omnibus electis ſatisfecit. 773 In eo nihil deforme, nec quod moleſtiam creet. *ibid.* Ejus ſacerdotium æternum. 774. 794. Repræſentatur per flores. 778. Ipſe dicitur flos & germen *ibid.* Sacerdotii ejus gloria. 779. Fructus. *ibid.* Et bona. *ibid.* Ejus ſacrificii meritum. 785. Seſe obtulit magno clamore. 786. Egregiam confeſſionem edidit. *ibid.* Teſtimonium dat præſtitutis temporibus. *ibid.* *Chriſti* gratia electi ornatur. 775. *Chriſtus* opus ſalutis ſolus abſolvit. 776. Quouſque utatur opera creaturarum in negotio redemptionis. *ibid.* Poſſidet ſummum ornatum & perfectiones. 777. Eſt arbor vitæ. 779. In eo eſt vita. *ibid.* Ejus ſanctitas & integritas. 780. Eſt ſanctus Dei. *ibid.* Per ejus ſpiritum caro noſtra mortificatur. *ibid.* Ejus honor & gloria. 781. Eſt ſacerdotum Dominus & Antitypus. 182. Bellator & videx. *ibid.* In redemptionis opere non poteſt impediri. *ibid.* Cinctus eſt ut eſſet expeditus in opere. *ibid.* Per eum renes noſtri edocentur. *ib.* Eſt Pont. Max. 783. Eſt ditiſſimus. *ibid.* Noſtram prævaricationem tegit. 784. Ipſe eſt homo ſanctus & cœleſtis. *ibid.* Ejus juſtitia eſt cœleſtis. *ibid.* A nobis non debet lacerari propriis meritis. *ibid.* Ejus conſtantia. 785. Mors. *ibid.* Caro & ſanguis. *ibid.* Conſolationes. *ibid.* Voluntatem patris prædicat & futura annunciat. 786. In cœlo pro nobis orat. *ibid.* Ejus bona omnia ſunt aurea & æterna. 787. Ejus Apoſtoli & Diſcipuli. *ibid.* A *Chriſto* dependent omnes Eccleſiæ. *ibid.* Eſt verus doctor & ſacerdos 787. Caput Eccleſiæ. 788. Clypeus & ſcutum electorum. *ibid.* Novit ſuos. 788. Eorum meminit. *ibid.* Humeris ſuis nos portat in ſanctuarium *ib.* Nobis ſucurrit. *ib.* Eccleſiam amat & ſuſtentat. 788. Ejus typus Joſephus. 789. *Chriſti* amor erga Eccleſ. *ibid.* Electos ſibi arcte jungit. *ibid* Sig-

Significantur per duodecim gemmas. 790. Eſt fundamentum Eccleſiæ. *ibid.* Eccleſiam in pectore geſtat. *ibid.* Eam amat. *ibid.* *Chriſtus* eſt judex. 791. Suos ſibi vendicat. *ibid* Eſt ſponſor & Advocatus noſter. *ibid.* Repræſentatur per Urim & Thummim. 791. Eſt præſens in ſecundo Templo. *ibid.* Eſt Propheta pius, fidelis & perfectus. *ibid.* Nos ſibi jungit. *ibid.* Eſt Rex Eccleſiæ. 792. Dominus gloriæ *ibid.* Rex & Princeps. 793 Eſt ſervus. 792 In operibus patris occupatus eſt. *ibid.* Eſt *Iehova*. 793. Perfecte ſanctus *ibid.* Ejus ſanctitate omnia purgantur. 793. Per *Chriſtum* omnia nova facta ſunt. 795 Solus peccata expiat *ibid.* In cœlum intravit *ibid.* In eo eſt perfecta expiatio. 796. *Chriſti* dies 795. Eum videre deſiderabant veteres *ibid.* *Chriſtus* peccata perfecte expiat & auffert 796. Eſt perfecte juſtus & ſanctus 796. Solus expiat peccata & pro nobis in cœlum intrat *ibid.* Ejus humilitas *ibid.* Intrat in Sancta Sanctorum *ibid.* Eſt primogenitus inter multos fratres 797. Hodie ejus ſacerdotium in terra ceſſat *ibid*: Per *Chriſtum* nobis aditus ad cœlum patet. 797

Chryſelectri gemmæ. 582

Chryſoberyllus Smaragdus dicitur 503

Chryſolithus gemma 487, 506. 554. Ejus color 487. Sumitur pro Topazio 493. Eſt *Tarſchiſch* 581. &c. Ejus meminit Johannes in Apocalypſi 584. Qualis gemma veterum *Chryſolithus*. 586. Hodie Topazius vocatur 581. *Chryſolithi* nomen plurimis gemmis attribuitur 582. Veri *Chryſolithi ibid*: Talis eſt *Tarſis* 583. Eſt inſtar auri 584 585. *Chryſolithus* ex *Tarſchiſch* Indica, non Hiſpanica 588. In India naſcuntur optimi *ibid.* Talem intellexit Moſes per *Tarſchiſch*. *ib.* *Chryſolithi* moles 590. Locus natalis *ibid*: Sunt pretioſæ *ibid*: *Chryſolithus* Tavernerio eſt Topazius *ibid*: Ejus virtutes 591. Auri & Solis lapis dicitur. *ibid*

Ciconia carbunculum attulit Heracleæ. 513

Cicuma pro κίκαβη. 499

Cidaris. 378. 382. 383. 657. Sic dicitur ab Hebræo *Kether* 667

Cinctus & *præcinctus* armatus. 370

Cinctus muliebriter imbellis. 371

Cinctus Gabinus. 373. 403

Cinctus & *cinctuti*. 373. *Cincti* candido linteamine. *ibid.*

Cinctura locus. 375

Cingari Ægyptii. 410
Cingere pro armare 370. *Cingendi* modus varius. 375
Cingulum. 353. Hinc Gallis *une Zangle.* 355. *Cinguli* aureis bullis ornati 362. *Cingulum* Reginæ 371. *Cingula* pretioſa noſtrarum mulierum. *ibid.* *Cingulum* Eliæ 372. Johannis Baptiſtæ *ibid*: Angelorum *ibid* *Cingula* geſtant Judæi *ibid*: Et peregrinantes *ibid*: *Cingulum* capitis 404. *Cingulum* Ephodi 439. 441. *Cingula* duo habet Pontifex Maximus *ibid*: *Cingulum* aureum 585. *Cingulum* quid ſignificet. vide Balteus.
Cinxit 657. vide Balteus.
Cippus. ab Hebr. *Cepha.* 392
Circumcidendi jus habent omnes Judæi 711. *Circumciſio* Chriſti octavo die 754. Quid ſignificet. *ibid.*
Circumdedit. 657
Citreum 422. Ejus cortices. *ibid.*
Cizelé Gallice quid. 669
Claudius Cæſar Smaragdis & Sardonychibus ornatus. 602
Clauſum idem ac *commiſſum.* 314
Clipeola aurea in Ephodo humeralibus. 444
Cliviorum oppidum. 362
Cloche, *cloake* Anglice, & *cloaca* 339. *clochettes.* 424. 426
Coacta lana, *coactile*, *coactilarius* 379
Coccinum a luce dictum. 475. Eſt color pretioſus 699. Ejus ſignificatio in veſtibus ſacris 767. Eſt ſymbolum peccati. 769
Cœli color cœruleus, & ruber 511. 523. Inſtar hyacinthi. 553
Cœruleus color & niger conveniunt. 529
Cogitatio inter ſacrificandum polluit. 403
Colicum. 673. Ejus remedium. *ib.*
Collega pro *conlega.* 354
Collis. Ei comparatur pileus. 392
Colobia. 412
Colores ornamentorum attribuuntur ipſis rebus ornatis. 585. Colores in veſtibus ſacris pretioſi 699. Quid ſignificent 765. 766
Compactum ex lana. 382
Concionandi jus habent omnes Iſraelitæ. 711
Concretum ex lana. 382
Conlega, vide *Collega.*
Conſtrictorium. 315. 327
Conſules in reſerandis portis Jani cincti. 373
Cor. Inter cor & pudenda diſcrimen eſſe faciendum. 372
Corallia. 520. 521
Corium, inde pilei. 382
Corneolus Sardius quaſi carneolus a carne. 482
Corona Regis Amonitarum. 596 602

Coro-

Corona Pontificis Maximi Hebr. Vide Lamina.

Corona dicitur omne id quod frontem cingit 658. *Coronarum* varia materia 660. *Coronæ* tenuia folia 661. *Coronæ* ornamenta 664. *Corona triplex.* Ejus origo 667. *Corona Regis, Legis* & *Sacerdotii ibid*: *Corona* habent titulos & imagines 670 *Corona* Diogenis *ibid*: *Corona* Domitiani *ibid*: *Corona* ſignum perfectionis. 679. Sacrificia & preces reddit perfectas, & gratas. *ibid.*

Corona Julii Secundi Pontif. Max. Romani. 671. Ejus inſcriptio. *ibid.*

Coronæ ornamenta Sacerdot. & milit. 680. *Corona* antiquitus ſoli Deo dabatur. *ibid*: *Coronam* auream Jonathani mittit Alexander Syriæ Rex. *ibid.* *Corona* ſacra quid ſignificet. 742. 744. 754. 793. *Corona* triplex quare. 793. Titulus ejus. *ibid.* Fronti Pont. Max. alligatur virtus. 794. Vittæ ejus laneæ & cœruleæ quare. *ibid.*

Corpus hominis pulcherrimi deſcribitur. 523. 524. Ebori comparatur. Vide Ebur. Dicitur obtectum Saphiris. 525. *Corporis* partes quæ nudæ apud veteres. 584

Corybantium. 389

Coton. 337

Cotte unde. 338

Cottes d'armes. ſimiles Ephodo. 436

Coupeur de bourſe. 359

Cranii commiſſuræ dicuntur *ſuturæ.* 399

Chriſta galli pileus. 390

Crucis ſignum quid ſignificet. 744

Crumjama, & *Crumjama rabba.* 473. utrum ſit gemma *Tarſis* 576. Dicitur *Krumtaſſim. ibid.*

Cruralia 317. 333. vide *brachæ.*

Cryſtallum: 593

Cucullus. 386. Conſulum Novomagenſium. 425

Curbaſia, & *Curbaſia* recta. 390 *Kurbaſia.* *ibid.* 402

Cuſch. Arabia. 492

Cyanus gemma. Ejus color. 526 545. 553

Cybeles. 404

Cyclades quid? 315

Cyrus rectam habet tiarum. 390

D.

Dacorum Sacerdotes tecto capite ſacrificant. 402

Dan primus Idololatra. 545. Ejus vexillum. 553. Vide Vexillum.

David an fuerit Levita. 451. Utrum induerit Urim & Thummim? 648. Ejus Legati ignominia afficiuntur. 781

Decempedam an habuerit Ulyſſes 394

Decimæ ſecundæ comeduntur Hieroſo-

roſolymis. 716
Dei irati facies inſtar ignis & Sardii. 478
Demium apud Plinium Sardium ſignificat. 481. Non eſſe legendum *Diſenium*. *ibid.* Non ſignificat pinguedinem, ſed *ruborem*. Eſt gemma *Odem* 481. Nomen retinet. 518.
Denarii centum quot imperiales 699. *Denarii* mille. *ibid.*
Devanteau Gallice ſuccinctorium 315.
Diaconorum in Eccleſ. Roman. veſtes. 412. 416
Diadema Darii. 382. 384. 385 Purpureum. *ibid.* Alexandri M. 383. Saporis Perſarum Regis. 386. *Diadema* faſcia dicitur. 387. Eſt inſigne Regis. 390
Diakinthim, gemma. 473. 496
Dialis ſacerdos. Vide Sacerdos.
Diamanti Adamas. 539
Dii nudi. 748
Diogenes virtutis ſacerdos. 670. Ejus corona. *ibid.*
Diſcinctus inermis. 370
Diſenium pro *Demium*. 481
Doctrina Urim. 618
Dodaim in vexillo Rubenis. 478
Doeg occidit ſacerdotes. 451
Dogma a δοκέω. 499
Domitiani corona. 670. Erat Sacerdos Jovis & Minervæ. *ibid.* Ejus imago in coronis. 670.
Domo, an inde Adamas dictus. 537.
Draco cœruleus. 526
Draegbant/ balteus. 370
Drymilus mons. Ibi reperiuntur Sardonyches. 596
Dulbant tiara. pro eo dicitur **Tulbant.** 389
Duſchaim urbs an a ſardonyche dicta? 598

E.

Ebur antiquum. Et rubrum. 520.
Ebur ſignificat virtutes Chriſti. 521. Dicitur de corpore elegantiſſimo. 524. *Eburnea* colla. *ibid.* *Ebur* atramento albefacere. *ibid.* Chriſti pulchritudinem ſignificat. 525. Et ejus naturam humanam. *ibid*
Eccleſia Chriſti veſtita auro. 764 Purpura ornata. 770. Eſt quaſi unicus homo. 773. Depingitur per texturam. *ibid.* Per veſtes Chriſti. *ibid.* Eſt ſancta. *ibid.* Ejus firmitas quomodo ſignificetur. 774. Ejus unio. *ibid.* Ejus decus & ordo quomodo repræſentetur. 775. Eſt ornata tunica teſſellata. *ibid.* Ad ejus ornatum omnes electi debent laborare 776. Ejus membra a Chriſto honorantur omnia. 780. Eſt juſtitia Chriſti tecta. 781. Chriſto arctiſſime adhæret. 782. Depingitur per mala punica

nica. 785. Ejus caſtigationes. 785. Et conſolationes. *ibid.* Ejus martyria & perſecutiones *ibid.* In ea variæ ſtationes & vocationes. *ibid.* Eſt repleta prophetiarum, promiſſionum & præceptorum. *ibid.* Eccleſia quælibet debet habere ſuum paſtorem. 787. *Eccleſiæ* multæ ut multa mala punica. *ibid.* Omnes a Chriſto dependent. *ibid.* *Eccleſia* una ex Judæis & Ethnicis. 788. Ejus imago duæ Sardonyches. *ibid.* Suſtinetur a Chriſto. 788. Tota repræſentatur per Joſephum. 789. Chriſto arcte juncta eſt *ibid.* Ejus fundamentum Chriſtus. 790. Significatur per duodecim gemmas *ibid* A Chriſto avelli non poteſt. 791. Eſt ſancta. 793. Ejus bona. *ibid.* Perfecte juſtificata. 796. *Eccleſia* nullas patitur umbras. 797. Nullos habet Sacerdotes, nec ſacrificia nec ſacras veſtes in hac terra. *ibid.*

Een Egla gemma. 473. An oculus Beli. 568

Electorum unio. 774. *Electi* dicuntur Sacerdotes. 783. Significantur per mala punica. 785 Sunt ſigilla in corde Chriſti. 790. Eorum ſacrificium Chriſtus. *ibid.* Omnes a Chriſto amantur. *ibid.* Sunt participes ſacrificii & beneficiorum Chriſti. 938. Sunt Sacerdotes & Reges. *ibid.* Eorum Sacerdotium ſpirituale 797. Veſtiuntur veſtibus albis. 797. Chriſti pietatem & virtutes debent imitari. *ibid.* Cum Chriſto intrant in Sancta Sanctorum. *ibid.*

Electrum. 582

Elephas cum tintinnabulo. 426.

Elias faciem velat coram Deo. 792

Eliohin, an Pont. Max. 668. & ſeqq.

Eminentia dicitur a pileo. 402.

Ephod bad. 408. *Ephod bad.* Davidis. 436

Ephod Sacerdotis Hebr. 433. &c. Dicitur amiculum. 435. Eſt *ſuperhumerale.* 433. Ejus materia & colores. 434. *Ephodi* etymon. 435. Quomodo dicatur. 436. An habuerit manicas. *ibid.* Ejus forma. *ibid.* An fuerit talare. 437. Dependebat ad nates. 438. Ejus tres partes. 439. Ejus humeralia *ibid.* Ejus cingulum. 438. 441 Habet duas plagulas. 439. Ejus humerale. 439. 446. Habet fibulas gemmatas. *ibid.* Humeralia ejus non ſunt aſſuta, ſed attexta. 440. *Ephodum* ad latera eſt apertum. 443. Brevis ejus deſcriptio *ibid.* Fibulas habet gemmatas. 444. *Ephodum* in tabula expreſſum. 450. *Ephodum* Annæ.

næ. 450. 451. *Ephodum* lineum. *ibid.* Quomodo differat a ſacerdotali. *ibid.* An ſit tunica. *ibid.* *Ephodum* Micæ. 452. *Ephodum* fuſilis auri. *ibid.* *Ephodi* mirifica deſcriptio apud Suidam. 453. *Ephodi* ſignificatio. 742. 735. 754. 788. Erat ſymbolum duorum populorum. 788. Et duorum Teſtamentorum. *ibid.* *Ephodi* lora quid ſignificent. 789

Epiſcopalis dignitas dicitur Apex. 402

Epomis dicitur Ephod. 435

Equi ſplendidi. 499

Eſcarboncle carbunculus. 507

Eſcarpe balteus, 370. 375

Eſpor gemma, ſaphirus. 558

Euangelii ſonus. 787

Eumeces lapis ſomnia inducit. 567

Eumenius Rhetor. 362. 363. & ſeq.

Euphrates fert Sardonyches. 596 Ei adhæret mons Drimylus. 596

Expiationum dies decimus Tiſri. Illo die Pont. Max. non intrat in Sanctum Sanctorum, cum veſtibus aureis & gemmatis 644. Sed lineis. *ibid.* Tunc expandebatur velum byſſinum. 682. Ejus ſignificatio. 795. Fiebat primo die anni. *ibid.* Illo die ceſſant ſacrificia, quamdiu Pont. Max eſt in adyto. *ibid.* Illo die fiebat expiatio pro omnibus Iſraelitis & pro omnibus peccatis. *ibid.* Dies iſte dicitur *dies magna.* 795. Erat imago diei Chriſti. *ibid.* Dies humiliationis & jejunii. 796

F.

F*Aliæ* a Græco φάλα. 410

Faſciæ quibus ſolebant velari pedes. 318. Sic dicuntur baltei. 356. 357. *Faſciæ crurales.* 376. 385. *Faſciæ* albæ & cretatæ. 385. *Faſcia* diadema. 387 *Faſcia* pectoralis. *ibid.* Longa *faſcia* erat pileus ſacerdotum, & Pont. Max. 656. *Faſcia* Hebr. 657

Feltzeychen / balteus. 370

Feminalia ſumebant Romani tempore hyberno. 316. 334. Eorum forma. 329. Circa ilia ſtringuntur. 343. Eorum ſignificatio. 745

Feminalia. Vide brachæ.

Ferula male attribuuntur Eumenio Rhetori. 364

Feutre unde dictum, 379

Fibulæ in balteis. 362. *Fibulæ* aureæ & gemmatæ. *ibid.* *Fibula* dicitur retinaculum. *ibid.* Habent varias figuras. *ibid.* *Fibulæ* in pallio. 410. In Ephodo aureæ gemmatæ. 440. 444 An habuerint formam aſpidum? 444. Vera earum forma. *ibid.* 446. *Fibulæ* gemmatæ

tæ in humeris apud veteres. 444. *Fibulæ* in Ephodo utrum originem dederint reliquis fibulis; *ibid.*

Fides aurum dicitur. 764. Et aurea. 787. Generatur in nobis per ſonumEuangelii. 787. Depingitur per coronam Pont. Max. 794. Eſt donum Dei. *ibid.*

Filtz/ & Belgice **Vilt** unde dicatur. 379

Filia vocis ſub Templo ſecundo. 643. 723. Ejus vocis exempla *ibid.*

Fila in veſt. ſacerdot. quid ſignificent. 774

Filum cui appenſum plumbum. Gallice un niveau. 536. *Filum* Coccinum. 769

Fimbriæ in pallio. 431. *Fimbriæ* dicuntur catenæ aureæ pectoralis. 461

Flamen Dialis album habet galerum. 402. *Flamines* quaſi *Filamines*. *ibid.*

Flavialium collegium. 670

Flechten & πλέκειν *plectere* ab Hebræo deducitur. 461

Flos hyacinthus. Vide hyacinthus.

Flores in pallio. 430

Flores quid ſignificent. 430. 778 779. 743. Sunt ſymbola ſacerdotii. 778. Et ſacerdotii Chriſti. *ibid.* Et ſacerdotis veteris Teſtam. 779. Magnæ gloriæ & felicitatis. *ibid.* Mortalitatis. *ibid.* Boni alicujus futuri. *ibid.* *Flores* cadunt peracto ſacerdotio Chriſti. *ibid.*

Flores in malis punicis quare. 785

Floruit Hebr. *zitz*. 659. *Floruit* virga Aharonis. Vide virga.

Folium dicitur corona Pont Max. 661

Foramen capitis in pallio. 419

Frigus a Græco. 499

Frons quomodo dicta. 674. *Frons* Pont. Max. ornata lamina. *ibid.* *Frons* eſt ſedes ſapientiæ. 794

Fucus ſtibium. 509. ad inungendos oculos. *ibid.*

Fulgor. Inde dicitur *Smaragdus*. 500

Fulguravit, fulminavit quomodo Hebræis dicatur? 498

Fuligo maris. Gemma Tarſis. 576 577

Fullones & *Coactilarii* eodem modo laborant. 379. Hinc Gallice *Fouler*, & Belgice **Vollen**/ unde dicatur. *ibid.*

Fundæ aureæ ad inſerendas gemmas. 444. 465. In veſtibus fundæ quid ſignificent? 775. 781

Funes Hebræis quomodo dicantur. 461

Funginum genus. Pileati. 381

Fur quomodo dicatur. 359

G.

G. H. K. permutantur. 499
Gad. Ejus Vexillum. 562
Galactites lapis utrum ſit Adamas? 535
Galea militum. 382. *Galeæ* altiores apud veteres. 392. Inſtar *Galeæ* pileus ſacerdotum minorum. *ibid.*
Galerus quid? 384. 386. *Galericulus.* 390. *Galerus* ſacerdot. 402. Albus *Galerus.* *ibid.*
Galottes. Vide *Calottes.*
Gamel Hebr. Camelus. 499
Gaſpi dicitnr Jaſpis, 607
Gebulim apud Hebr. eſt Provincia. Quicquid eſt extra atrium Templi. 716. Eſt idem ac *Medina.* *ibid.*
Gedreven werck. 669
Geharim. 539
Gemmæ & *Gemmatæ* fibulæ in Ephodo. 444. Eis inſculpta ſunt nomina duodecim tribuum. 445. Utrum Moſes *gemmas* ſculpſerit. *ibid.* In qualibet *gemma* Ephodi quot nomina? quot litteræ, & quo ordine? 446. 447. &c.
Gemmæ in Pectorali. 464. &c. Aureis fundis inſeruntur. 465 Nomina duodecimtribuum iis inſculpuntur. 466. Qua ſculptura? 466. Verme Samir ſculptæ. 467. Quo ordine. 468. &c. Omnes litteræ iis inſculptæ fuerunt. 470. Cuilibet *gemmæ* Pectoralis ſex litteræ. 470. Quo ordine? *ibid.*
Gemmæ non omnes eodem ordine recenſentur ab auctoribus 472. &c. *Gemmas* interpretandi nulla certa ratio. 474. *Gemmæ* quarum nomina ab Hebræis ad nos pervenerunt. 475. 506
Gemmæ Pectoralis comparantur cum vexillis duodecim tribuum. 478. Dicuntur fuiſſe ejuſdem coloris. *ibid.* [*Gemmarum* virtutes plerumque ſabuloſæ. 484. *Gemmis* quo ordine nomina inſcripta. 611. *Gemmarum* ordo in Pectorali ſecundum Epiphanium. 628. *Gemmæ* utrum futura prædicant per lucem. 629. In Pectorali *Gemmæ* lucidiſſimæ. 632. Et perfectiſſimæ. *ibid.* Sunt imagines Chriſti. 633. Sunt ſymbola præſentiæ Dei 640. Unde *Urim* & *Thummim* dictæ. *ibid.* Pretioſiſſimæ. 701
Gemmæ in ſacro veſtitu quid ſignificent? 742. 744. 790. Continent compendium omnium ſignificationum ſacri veſtitus. 790
Gemma in veſte Honorii. 701
Genua & Gallice *Genou.* 320
Germanarum mulierum tiaræ. 386
Geſonthept Belg. Balteus. 375
Gewalckt / **Gebolt.** 379
Gibar Gemma. 473. Utrum ſit *Jahalom*, an Jaſpis. 539

Gla-

Glaber, glat. 547
Glas / Germ. non dicitur a *Leſchem*; ſed a *galuſch* Hebr. glaber. 547. &c.
Gleſſum an a *Leſchem.* 547
Gloma & *Glomerare* ab Hebr, 416 Et *gloma*, *globus*, a *Golem.* 499
Gloria veteris Teſtam. 779. Erat peritura. *ibid. Gloria* ſacerdotis Chriſti. *ibid.*
Gordel / balteus. 353
Græcanica pallia. 416
Græcorum inſcitia in ling. Orientalibus. 479 Inde eorum etymologiæ. ridiculæ. *ibid.*
Granata qualis gemma. 476. Utrum ſit Sardius? 478. 510. Eſt lapis ruber 510. Recenſetur inter *Rubinos* & *Carbunculos.* *ibid.*
Grando per amethyſtum avertitur. 573
Grex liniger Sacerdotes. 352
Ein Gürtel / balteus. 353

H.

H. G. K. permutantur. 499
Halam, Hebr. *confringere.* Inde *Halmas*, *Almas* & *Adamas.* 537. 539
Halmut malleus. 539
Hamithiſin Gemma, Amethyſtus 569
Har Habbauth, Templum. Quouſque extendatur. 716
Haſna Arab. *Elegans.* Hinc Pectorale 613
Hauben pilei. 378. belsze hauben. 382
Havila terra. Inde affertur Sardonyx. 596. Altera terra *Havila.* 597
Haut de chauſſes. 318
Helvetiorum pilei. 381
Hemed. Een Hemdt-rock. 339 dicitur ab Arabico. *ibid.*
Herculis ſacra tecto capite fiebant 402
Hermionica purpura. Vide purpura.
Hieruſalem. Diſtinguitur a Mikdaſch. 716. Comprehenditur ſub *Medina*, id eſt Provincia. 716. Eſt tamen Provincia ſanctior. *ibid.* Ibi comedi poſſunt ſancta levia & *Maaſer Scheni.* *ibid.* Dicitur ſancta. *ibid.*
Himiſin Gemma. 473
Hirci Jacobi punctati. 561
Hoc age, Formula. 403
Honorii veſtes ſuperbæ. 701
Honoris ſacra. 401
Hoqueton Gallis unde dictum. 338
Humerale Ephodi. 439. 440
Hunnorum veſtes. 436
Hut, pileus 378. Ein hoger hut. Pileus Sacerdot. minorum. 399. 656. Ein hut dicitur Germanis pileus ab hüten / ut *tutulum* a tutando. 403
Hyacinthus gemma. Dicitur *Saphirus.* 528. Et *Leſchem.* 552 &c. A Johanne memoratur in

Apocalypſi. *ibid.* Accedit ad ſuccinum. *ibid.* Utrum ſit cœruleus? 553. Ejus color 553 554. An Chryſolithus. 554
Hyacinthi varii. 554. 555. Dicitur *Leſchem.* 555. Ejus locus natalis. *ibid.* Virtutes. 556. Accedit ad Amethyſtum 570 Quid ſignificet. 742. 767.
Hyakinthin hyacinthus 496
Hyali color vitrum repræſentat 488
Hyrcanus (Johannes) Pont. Max. an vir ſanctus? 730. & ſeqq. Illius temporibus fuiſſe Oraculum per Urim & Thummim, negatur. 730. & ſeqq. Non fuit vir adeo ſanctus ut vult Bernhardus. *ib.* Fuit Saducæus *ib.*

I.

Iacinthe la belle. 554. 555
Jacobus amictus eſt veſtibus fratris Eſavi. 748. Veſtes deponit antequam accedat ad altare Dei. 751
Jahalom. 475. Eſt *Adamas.* 533 534. &c. Pro *Iahalom* ſcribitur *Almas.* Inde *Adamas.* 537
Iambon de Mayence. Vide perna.
Iarketha & *Iarkan* Topazius. 489
Iaſpis quotus lapis. 472. Dicitur *Saphirus.* 517. *Iaſpis* nomen ſuum retinet 518. 533. 606. Repræſentat corpus humanum 584. Beryllo ſimilis eſt. 595. Ejus deſcriptio 605. &c. Varie vertitur *ibid.* Ejus meminit Johannes in ſua Apocal. 606. Dicitur *Gaſpi.* 607. Benjamino deſtinatur 607. Panthera dicitur. *ibid.* Varia habet puncta & colores. *ibid.* Optima eſt viridis & ad Smaragdum accedit. *ibid.* Ex variis gemmis mixta videtur 708. *Iaſponyx*, &c. *Iaſpidum* ſeptem ſpecies. *ib.* Laudatiſſima eſt Indica & viridis. 609. Optima Scythica. *ibid.* Qualem intellexerit Moſes. *ibid.* Ejus virtutes. 611
Idolum Micæ. 452
Iehoſchua Pont. Max. cum veſtibus deponit iniquitates. 752
Iehova nomen. Utrum ſit *Vrim* & *Thummim.* 621. An Pectorali tanquam marſupio ſit inditum. *ibid.* Per hoc nomen Moſen & Chriſtum miracula edidiſſe. 621. Iſtius nominis ſuperſtitioſa adoratio. 668. Exaltatur ſupra omne nomen 668. 671. 674. Eſt nomen Tetragrammaton. An exſtiterit ſub Templo ſecundo. 724. In adyto pronunciabatur. 786. Uſque ad Jerichuntem audiebatur. *ibid.* Scribitur in corona 668. 793
Imago ex Saphiro. 532. Eam geſtabat Ægyptiorum Sacer-

dos

dos & Judex 615. An illa *imago* antiquior Pectorali Pont Max. 625
Imagines in Urim & Thummim 618 619
Imagines in coronis. 670
Implere Hebræis quid? de gemmis dicitur. 465
Implexum opus, ſunt catenæ aureæ pectoralis. 461
Indumentum judicii dicitur pectorale. 454 613
Induſium quaſi intuſium. Interior tunica. 414
Inermes milites diſcincti. Quomodo dicti ſint a Græcis. 357
Infula. 402
Inham Belg. ſinus. 344
Iniquitas rerum ſacrarum quid? 678
Inſcendere brachas. 327. 330
Inſulam geſtare in aure, in collo &c? 701
Intentio inter ſacrificandum. 403
Involvere pallio. 416
Johannis Baptiſtæ balteus. Vide balteus.
Ioſephus patrios mores ad Ægyptios propagavit. 625. Deponit veſtimenta antequam accedat ad Pharaonem 751. Ejus vexillum. 600. *Ioſephus* totam Eccleſiam ſignificat. 789 Eſt Typus Chriſti *ibid.*
Ioſua bos. 600
Iris ſimilis Smaragdo? 502
Iſmorad gemma. 417. 506. 517
Iſmaragdin, & *Iſmurad.* 473
Iſchaſcharis vexillum. Vide vexillum.
Iſpor gemma. 473. Vide *Eſpor.*
Iſraelis ſtatus miſerrimus. 627
Iudæ vexillum. Vide vexillum.
Iudæi ſuperſtitioſi. Patrios mores in religionem vertunt, ut ſanctius obſervarentur 372. Dum ſeſe balteo cingunt de blaterant deprecatiunculam *ibid*. *Iudæi* dicti a monte *Ida* fabuloſe 479. Omnes geſtant Onychum 603. An ritus ſuos acceperit ab Ægyptiis & aliis 625. Omnes habent jus circumcidendi & concionandi. 711. Soliciti ſunt de conſervanda genealogia Sacerdotum & Levitarum 722. Sub V. Teſtam exſpectabant fructus ſacerdotii Chriſti 779 Sub V. Teſt. erant ſub ſervitute 792. Ideo debebant eſſe tecti, *ibid*
Iudices qui Sacerdotes. 615
Iudicia fil. Iſraelis. 614
Iulius Cæſar nullas habuit brachas 334 Eſt male cinctus. 374 Ejus ſtatuæ imponitur corona 385. Ejus imago in Achate cum imagine uxoris. 563
Iulius Secundus Pontif. Roman. nomen ejus in corona. 671

K.

K. H. & G. permutantur. 499

Kabel Belg. pro fune. 461. 499
Kalotte. 378
Kankirinum gemma. 473 & *Kanchire* corrupte pro Lyncurius. 546
Kanbire gemma. 473
Kappe. 378
Karus pro *Kerum*. 576
Kerum jama, & *Kerum jama rabba*. Vide *Crum jama*.
Klicker / pro eo Belgæ *Kniker* 354
Klappen pro **Knappen**. *ibid.*
Klocke tintinnnabulum, Sic dicitur ab Hebræo *Chaluk*. 339 426
Krum taſſin gemma. 473
Kyrbaſia pileus. 382. 390

L.

L. & N. permutantur. 354. Ponitur pro R. 422
Labonaſſar pro *Nabonaſſar*. 354
Labonides pro *Nabonides*. *ibid*
Lacerna dicîtur Pallium Pont. M. 409
Lacerna millibus decem empta. 699
Lamina aurea dicitur *zitz* & *zitz Nezer*. Quoties populo in anno oſtendatur? 628. Capiti alligatur vitta hyacinthina 654. 658 &c. Dicitur *Lamina frontalis*. 657. Et corona jure dicitur. 658. Ejus materia aurum. 660. Ejus figura 658 661. Lata erat duos digitos. 662. Longa ab aure ad aurem *ibid*. Calyculis hyoſciamiornata 63. 664, Eſt inſtar floris aperti *ibid*: Frontem tantum cingit 666. Habet titulum inſcriptum 668. Quo ordine inſcriptio facta ſit *ibid*: Quibus literis? 669. An litteræ habuerint puncta? *ibid*: Cui parti capitis alligata. 672. Eſt ſupra tiaram, quo ſenſu 673. &c. Tiaræ alligatur vittis hyacinthinis 675. Quot vittæ & quot foramina in *lamina ibid*: Depingitur in tabula 677. Cur Pont. Max. *laminam* geſtaverit. 678. Ejus uſus *ibid*: *Lamina expiabit*, Formula Rabinica 678. Qualia peccata expiet 745. Ejus ſignificationes. 793. &c
Lampades in templo· Earum elychnia unde? 720
Lana vitis 337. *Lana* coacta. 379 *Lana* pretioſa 828. Mileſia. 698. *Lanea* triclinaria pretioſiſſima. 699. *Lana* in aſperſione vaccæ rufæ. 759. *Lana* in veſtibus ſacris quid ſignificet? 756. 757. 758. 759. *Lana* a mulieribus neta ſignific: Chriſtum ex ſola muliere naſci. 756
Lapides pretioſi. Vide gemmæ.
Lapis ab Arabibus pro Baccho cultus. 501
Lapis attrahens dicitur Magnes 602
Latium unde dictum. 339
Laurolavinium. 402
Lectio ſectionis ſabbathicæ non eſt

eſt miniſterium ſacerd. 711. Omnes Iſraelitæ legere poſſunt in Synagoga. *ibid*
Lectorium in templo. 712
Legionum ſigna baltei. 370
Leoni ſimilis gemma. 548
Leonis pelli ſimilis Achates. 560 565
Lepra peccati imago. 769
Leproſi debent eſſe tecti 792
Leſchem gemma. 544. &c. Et *Leſem* pro *ſemel*. Inde *ſimile* & *ſimilacrum*. 545. Ei inſcriptum eſt nomen Danis *ibid*: Hyacinthus. 555
Leſchem urbs. 545
Levana, & *Libne* Hebr. quid? 519
Leuchates, præſtantiſſimi *Achates*. 562
Leucophtalmus gemma 568
Leucochryſus. 582
Leucoſaphiri. 519
Lex Moſis in ſaphiro ſcripta. 531 Tabulis inſcribitur ab ipſo Deo. 635
Libella. 536
Licht undt recht Urim & Thummim. 618
Licia quot retorta in tunica. 346
Lictores 396
Ligaculum femoralium. 389
Liguria. Ibi reperitur *Succinum* & lapis *Lyncurius*. 550
Limbus in pallio. 420
Limon pro *Rimon*. 422
Linea. 536
Linea nebula veſtis tenuiſſima. 697
Lingua in tintinnabulo. 426
Lingua coccinea. 769
Linguæ quot poſt confuſionem Babylonicam? 427
Liniger. Vide Grex liniger.
Linum 337. Et byſſus *ibid*. Antiquiſſimis veſtibus præbent materiam. 337. 340. 383. *Linum* quid ſignificet 756. 757 758. Quomodo creſcat. *ibid*. Significat juſtitiam Chriſti. 758
Linum Harlemenſe pretioſum. 697
Linteolum Sindon in pileis Sacerdotum quid? 399
Litteræ quales in gemmis. 445
Litteræ totius Alphabeti repeſiuntur in gemmis. 470. 637 Eminebant in reſponſis per *Urim* & *Thummim*. 631
Livor. 576
Locuſta verſi color. 501
Lollia Paulina caput ornavit Smaragdis & margaritis ſexcentis ſeſtertium, id eſt quinque millionibus flor. 701
Lorica brevis judicii dicitur Pectorale. 454. 613
Lorica os 420. *Lorica* veterum ex lino & corio. *ibid*.
Lorum faſcia, pileus. 387
Luna alba. 519
Lux Urim. 616
Lympha pro *Nympha*. 354
Lynces habent maculas. 548. Quales colores. *ibid*: Ex *Lyncis*

cis urina naſcuntur gemmæ. 549. 550 &c.
Lyncurius qualis gemma 547 548 &c. Utrum ſit *Succinum*? *ibid.* An gemma maculis notata inſtar *Lyncis ib:* An ex urina *Lyncis* naſcatur? 549. 550. &c. Dicitur a *Liguria* loco natali. 550. Eſt gemma ſculpturæ apta 551. Eſt *hyacinthus.* 552

M.

M. pro B. 499
Macca pro *Bacca.* *ibid:*
Macedonum Regum pilei. 386
Maclo Hebr. *Baculus.*. 499
Madidus pro μύδαλ@. 537
Magdat pro *Bagdad.* 499
Magnes pugnat cum adamante 543. Dicitur *lapis attrahens?* 602. An lapis *Schoham?* 602
Magorum vanitas. 573
Maha Arab. dicitur *Saphirus.* 517
Malleus, Hebr. Halmut. 539
Malum punicum ſive *malo-granatum* in pallio 421.422.430. Ejus apertura 422. Ejus cortex in tinctura habet uſum. *ibid.* Eorum magnitudo in pallio. *ibid.* Eorum materia. 423. Colores. *ibid.* Habent flores. 430
Malorum punicorum grana. 476
Mala punica quid ſignificent. 742. &c. 785. Tot quot tintinnabula. quare? 787
Mamilius Limetanus. Ejus nummus explicatur. 394. Tbuala exhibetur. *ibid.* *Mamilii* varii. 395
Mammæ. Circa mammas ſtringitur balteus. 375
Manachaz corrupte pro *Michneſe* 327
Mantillo. 333
Ein hille mantel. Ein Shabbatz mantel. 412
Manus & pedes ſacerd. nudi. Alterius ſanctitate ſancti ſunt. 755
Maragdus pro Smaragdus. Vide Smaragdus.
Margalito gemma. 473
Margalita, *Marganita* & *Margalioth*, pro *Margarita.* *ibid.*
Margarita Cleopatræ. 514 *Margaritæ* quomodo in S. S. dicantur? 521. Perforantur Adamante 519. Diſtinguuntur a *Schoham.* 593. 597. Unde veniant. 597. Iunguntur Sardonychis. 602. *Margarita* vertitur *Iaſpis* 605. *Margaritæ* ſunt ſcalpturæ ineptæ. 605. *Margaritis* vix cedit purpura 699
Marmor album. 506. Et viride 506 509
Mathnan. Vide *Bathnan.*
Matiſta gemma. 553
Medina Provincia. Diſtinguitur a *Mikdaſch* 716 Comprehendit urbem Hieroſolyma. *ibid.* Eſt idem quod *Gebulim.*
Mee 478
Megalenſes ludi. 699

Me-

Mehil pallium. 412. 414. Eſt magis tunica quam pallium. 413 414. Dicitur *poderes* 417. Breve.
Menaſſis vexillum. 600
Mens multis maculis fœdata. 765
Menſura in ſacris non ſemper ſignificat duplum. 456
Mercurius Deus terminalis. 394
Meribag gemma. 473. Schoham 593. Corrupte pro *Berylas*, id eſt *Beryllus*. ibid
Meretriculæ artes. 316
Mica habuit Ephod. 452. Et *Theraphim*. 627
Migbaoth pileus. 389. Quomodo differat a *Mitznephet* ſummi Pont. 392
Mikdaſch ſignificat Templum tantum, non urbem Ieruſalemum. 715. *Mikdaſch* quid comprehendat. 716
Mileſia lana. 698
Milgrom pro *Malogranatum*. 422
Milites hodie tunicati & cincti. 375
Militum pilei. 382. Galea. *ibid.*
Mina. triginta minæ quot imperiales? 696. Centum minæ quot? 697
Miniſterium Sacerdotum in ſolo templo fiebat. 711
Miniſterium mortis glorioſum. 779. Eſt periturum. *ibid.*
Mitra quid? Dicitur balteus 357 387. Eſt veſtimentum capitis *ibid.* 378. *Mitrarum* color 384 Variegata mitra. 384. *Mitra* mulieribus maxime convenit. *ibid.* Habet redimicula. 398
Mitra Pont. Max. deſcribitur 654. &c.
Mitznephet differt a Migbaoth. 392. Eſt pileus Pont. Max. & reliquorum. 391. 393. Tiara Pont. Max. 654. &c.
Mogolis Magni Topazius. 493. Ejus Adamas. 542
Molochites gemma. 482
Moſcovitarum pilei. 382
Moſes an gemmas ſculpſerit. 445. Primus fuit Judæorum Rex & Sacerdos. 702. Faciem coram Deo velat. 702
Mulier eſt ſub marito. Ideo caput velat. 792
Mundus totus repræſentatur per veſtes ſacras. 743
Mutilus. 350
Mutſen. 378
Myrrha Chriſto offertur ut homini mortali. 761
Myrias quid; 697
Myſteria fingere amant homines. 641
Myſterium ſcriptum in corona. 671

N.

N. L permutantur. 354
Nabonides & *Nabonaſſar*. Vide *Labonides* & *Labonaſſar*.
Natef & *Natibos*, *nativus* gemma. 554

 Na-

Naziræorum albor nivi comparatur. 520. Eorum rubor. 521
Neuwſtatt. 508
Nephtali vexillum. 571
Nezer, lamina Pont. Max. 658
Niculus Onyx 595
Niger color convenit cum cœruleo. 529
Nigris veſtibus induuntur Sacerdotes polluti. 771
Niveau Gallice. 536
Nix albor Naziræi. 520
Nobiles hodie tunicati & cincti. 375
Nola tintinnabulum majus. 514. 425
Nomen divinum myſticum. 470
Nomina duodecim tribuum in gemmis. 445. Vide gemmæ
Nophech gemma. 497. 507. Eſt *carbunculus* 507. *Carchedonius* dicitur. *ibid.* Non eſt *Smaragdus*. 509. Nec *Saphirus*. 511. Sed verus *Carbunculus*. 533
Nova Civitas, *Novomagum* idem ac Charthago. 508
Nudi ſacrificant qui? 332
Nuditas ſignificat labem mentis 750. 780
Numerus ſeptuaginta duo myſticus. 470
Nummi ſeſtertii. 699
Nummus Familiæ Limitanæ. 394
Nux. Et ejus cortex. 422. *Nuces* Colonienſes. Vide Caſtaneæ.
Nympha. Inde *Lympha*. 354

O.

Obeliſcus Jovis ex Smaragdo 504
Obvolvere, obtegere. 417
Oculi ex Smaragdo terrent thynnos. 498
Oculus Arabice. 501. *Oculos* ſtibio inungere. 509. *Oculus vituli* gemma. 533. 568. An ſit *oculus Beli* &c. An *Onyx*. *ibid.*
Occultare quomodo dicatur Arabice. 490
Odem Sardius. 475. &c. Utrum Rubinus? an Adamas? *ibid.* *Odem* & *Adum* non ſemper rubrum ſignificat, ſed & ſplendorem. 475. Summe candidum. 475
Oeneopus gemma. 510
Olei color. 488
Olor purpureus. 475
Omnia turbat, & *omina turbat*. 403
Onderbroecken feminalia. 311
Onias Pont. Max. Ejus artes ut Pontificatum obtineret. 681. Ejus templum. *ibid*
Onychus gemma. 472. Et *Onyx* 594. pro *Schoham* ſumitur. 595. Germanis **ein Onychel.** 595. 603
Onyx an Hebr. *Anach*? 535. 568 *Onyx* dicitur ab ungue. 599. Qualis gemma. *ibid.* Sigillis ap-

aptiſſima. 603. Eum geſtant Judæi. *ibid.*
Onychi puncta Jaſponyx. 608
Opalus. ejus ſplendor mobilis. 544. An ſit Tarſis. 577. Eſt gemma pretioſa. *ibid.* Sclapturæ inepta. *ibid.*
Ophiodes Inſula Topazion. 592 Dicta a ſerpentibus. *ibid,*
Oræ veſtium. 416
Ovalis & *Ovata* Caſſis. 397
Oves plurimum offerebantur. 759

P.

PAlla Gallica. 438
Palliolum. *ibid.*
Pallium Pont. Max. 406. &c. Dicitur *tunica*, & *talaris. ibid.* Et *Lacerna.* Et *penula. ibid. Pallium a Palla.* 408. *Pallium byſſinum ibid.* Dicitur Ephodum *ibid. Pallium* ex ſerico *ibid.* Ex lino. *ibid. Pallium* totum hyacinthinum. 408. &c. Non fuit ex ſerico. *ibid.* Sed ex lana. *ibid.* Ejus color. *ibid. Pallia nigra, Fuſca, Phœnicea, Coccinea, Auro ſparſa, hyacinthina* 409. Variis figuris ornata. *ibid.* Opere reticulato. *ibid. Pallio* male attribuuntur prætextæ & aliæ figuræ. *ibid. Pallia* Græcanica. 410. Et Philoſophorum. *ibid.* Mos geſtandi pallium. *ibid. Pallii* fibulæ *ibid.*
Pallium quadratum. 410 Veterum inſtar ſtragulæ. *ibid. Pallia* habent quatuor angulos. Iudæorum quadrata. 411. Habent peniculamenta. *ibid.* Hodie habent Iudæi breviora. *Pallium* ex duabus plagulis. 412 Accedit ad formam tunicæ. 412. 413. *Pallium* Samuelis. 412. *Pallium* Pont. Max. Ejus forma. *ibid.* Eſt tunica exterior. 414 *Pallium teres* 414. Rotundum. *ibid.* Anglis *Cloake* ab Hebr. *Chaluk. ibid.* Quomodo differat a tunica & a toga. 415. *Pallium* clauſum. 416. *Pallium* Saulis. *ibid.* Nullas habet ſuturas. *ibid.* Erat tunica ἄῤῥαφος. *ibid. Pallia* aperta. *ibid. Pallium* juſtitiæ. 417. *Pallium* Pontif. Max. quouſque dimiſſum; *ibid.* Nullas habet manicas. 418. Apertum ad caput. 344. 419. 420 Habet fimbrias in oris. 421. Malogranatis & tintinnabulis ornatum. *ibid. Pallii* ingens ambitus ſecundum Iudæos. 428. An in *Pallio* flores. 430 Vide flores. *Pallia* fimbriata apud veteres. 431. *Pallii* brevis deſcriptio. 432. Ejus tabula. *ibid.*
Pallium. 436. Dimidiatum 438 Eſt ſtola hyacinthina 717. Non eſt auro diſtictum. *ibid.* Ejus ſignificatio. 743. 744. 745. 754. 784. 785. *Pallium*

cur *Mehil* dictum? 784. Cur cœruleum *ibid.* Cur aurea habuerit tintinnabula *ibid*

Panes propoſitionis comedit David. 649

Panni coacti pilei. 379. *Pãnni* ex lana coacti abſque neto 379 387

Panthera animal habens maculas 548. Ejus colores. 548

Panthera gemma *ibid.* Et *Pantherius.* *ibid.* Inter Iaſpidum genera ponuntur. *ibid.* & 605 606

Pantiri gemma. 473

Paragaudiæ. 414

Paranithes gemma. 570

Pardalium gemma. 548

Parthorum Diadema. 389

Pag-loot. 536

Paſcha celebrandi jus habent omnes Iudæi. 711

Paſchalis agnus comedebatur a cinctis. 372

Paſtorum Eccleſiæ Chriſtianæ munus excercere poterant omnes Iudæi ſub Vet. Teſtamento. 711

Patres non nunquam turpiter errant in explicanda S. Scriptura 628. In Ritibus Iudæorum parum verſati. *ibid.*

Patrimonia integra gerere in aure, in collo, in digito. 701

Paulus non agnovit ex veſtibus Pont. Maximum. 709

Peccata expiantur veſtibus. 614 Dealbantur ſanguine Chriſti 770. *Peccatum* quot mala nobis attraxerit? 753. Ejus imago lana. 759. & *Coccinum* 769 *Peccata* manebant ſub V. T. 796. Sub Nov. Teſt. per Chriſtum plane ablata ſunt. *ibid*

Pectorale. 454. Dicitur Hebr. *Choſchen*, & *choſchen Miſchpat.* Chald. *Choſchen dina. ibid.* Ejus materia. 455. Ejus forma & longitudo. 456. Eſt quadratum. *ibid.* Duplicatum 457 Intus cavum inſtar marſupii. *ibid.* Indita ei fuiſſe Urim & Thummmim *ibid.* Omnium veſtium ornatiſſimum & pretioſiſſimum 458. Quatuor habet annulos aureos. 459. Duas catenas aureas. 460. &c. Quomodo Ephodo appenſum 462. Habet vittas hyacinthinas. *ibid.* Ab Ephodo nunquam ſeparandum. *ibid.* In tabula depictum. 462. *Pectoralia* Sacerdotum Saliorum. 463 *Pectorale* Pont. Max. Hebr. gemmis ornatum. 464. &c. Vide Gemmæ. *Pectorale* judicii. 612. Dicitur veſtimentum aſperum 613. Unde *Choſchen* dicatur *ibid.* Eſt pretioſum. 700. 701. Reſponſa per *pectorale.* 613. In *pectorali* Urim & Thummim. 616. 791. &c. *Pectorale* Pontif. Maximi utrum ante *pectorale* & imaginem Pontificis Ægyptiorum? 525

Utrum *pectorali* indutus Pont. Max. intraverit in Sancta Sanctorum 628. In *pectorali* quid ſcriptum præter nomina XII. tribuum? 937. Dicitur Choſchen unde 639. Cum *pectorali* Pont. Max. non intrat adyta 644. *Pectorale* verum uſum amiſerat tempore Chriſti 723. Quid ſignificet. 742 743. 745. 754. 790. *Pectorale* judicii cur dicatur? 791 Ab Ephodo quare non ſeparandum. 791

Pedes Sacerdotum nudi ſancta calcant. 755

Pellicula uvæ. 425

Peniculamentis an opus habuerit Pont. Max. 659. 674

Peninim Hebr. quid? 526. Gemmæ rubræ an margaritæ? 521

Penula dicitur Pallium Pont. Max. 406

Peregrinantes habent baculos. 396

Perileucus Achates 562

Periſcelis. 316

Periſtromata pretioſiſſima. 699

Perna pro *perla*. 354. *Perna* Wephalica dicitur Jambon de Mayence. quare? 508

Peroſag corrupte pro *Prazos*, *Prazius* gemma. 473. An ſit Tarſis. 576

Perſæ habuerunt brachas. 329. Fuerunt caſti. *ib.*

Perſarum tunicæ & thoraces. 361

Perſarum Reges utuntur Curbaſia. 390. Soli geſtabant tiaram rectam. *ibid.*

Perſona, tres perſonæ, tres gemmæ. 579

Peruque Galerus. 384

Pervicacia frontis expiatur per laminam. 678

Phabi pro *Paphi*. 697

Philoſophorum pallia. 410

Phrygionicum opus balteus. 361

Phrygia tiara. 398

Phrygiæ Deæ Sacerdotes. 404

Phylacteria frontis Pontif. Max. 393. An Sacerdotes ea geſtaverint inter operandum. 674

Phyſica an doceatur per veſtes ſacras. 742. 747

Pila marmorea in foro Cathanenſi exhibet Ulyſſen. 394

Pileus Sacerdotum. 378. *Pileorum* materia. 379. Unde dicatur. *ibid.* 381. *Pilei* German. gewalckt. Belg. gevolt. 379. Ex lana coacta. 380. *Pilei* thoraces coacti. *ibid.* Umbellati *pilei* 381. Cardinalium. *ibid.* *Cauſia* dicitur. *ibid.* *Pilei* ſine umbellis *ib.* *pilei* Helvetiorum *ibid.* Nocturni. *ibid.* Suti 382. Militum *ibid.* Ex ovium pelle villoſæ. 382. *Pilei* Moſcovitarum & Polonorum. *ibid.* *Pilei* ex corio. *ibid.* Linei 383. *Pileorum* color. 384. 385 Eorum forma. 386. *Pilei* exprimunt animalium capita. *ib.* *Pileus* fieri poteſt ex qualibet tela. 387. *Pilei* Sacerdot. longi ſedecim ulnas. 388. Sæpius

us circa caput in orbem replicatur. 389. *Pilei* Turcarum. *ibid.* *Pilei* acuminati 390. Turriti. 390. *Pileus* Curbaſia *ibid.* Deſcriptio pilei ex Hieronymo 393. Sacerdotum non habet faſtigium. *ibid.* *Pileus* Ulyſſis. 394. &c. Pont. Max. apud Romanos. 397. *Pilei* redimicula. 398. In occipitio ſtringitur. 393. 398. 399. *Pileos* an duos habuerint Sacerd. 399. *pileus* Sacerdotalis in tabula depictus. 399. Forma *pilei* Sacerdotum. 387. 390. 391. 399. *Pileus* Pontif. Max. 400. *Pileorum* uſus. 401. *Pileo* tecti qui ſacra fecerint? 402 &c. *Pileus* Flaminis. *ibid.* Pro *pileo* veſtes quidam utuntur. 403. *Pilei* Sacerdot. altiores inſtar galeæ 655. Fiunt ex longa faſcia 656. *Pileus* quid ſignificet. 742. 745. 753. Eſt ſignum gloriæ 792. Et ſervitutis *ibid.* Nullo *Pileo* opus habemus ſub Novo Teſtam. quia ſumus liberi. 792

Pinchaſus veſtiarius. 706

Pirle Tarſchiſch, *beryllus.* 576

Pitdah Topazius, & *pitdath Cuſch* Topazius Arabicus. 485. 492 Ejus color. 644. Ex *Pitdah* fit *Topdah*, & *Topza*, *Topaza*, *Topazius.* 491

Piſchon fluvius. 596

Plaete. Een Plaete / corona Pont. Max. 657

Plexile opus. 461

P*lica* Gallice *plis:* Utrum in tunica. 344

P*lumarium opus* balteus. 361

P*lumbum* quomodo Hebr. & Arabice. 536

P*oculum* varium. 427

P*olonorum* pilei. 382

P*olycrates Samius* Tyrannus. Ejus Sardonyx, & incredibilis fortuna 602. utrum fuerit Smaragdus. *ibid.*

P*olymitum* balteus. 361

P*ompejus* habuit faſcias albas & cretatas. 385

P*ondato* Rabbinis quid. 359

P*ontifex* Maximus inſignis judex. 614. *Judicat* & *judicatur.* *ibid.* Utrum ter in anno ingreſſus ſit Sancta Sanctorum. 628. An cum Pectorali. *ibid.* Abſque Pectorali nullam habuit revelationem per Urim & Thummim. 640. Non intrat Sancta Sanctorum cum veſtibus aureis, 645. Sed albis. *ibid.* Solus interrogat per Urim & Thummim. 646. An habuerit Phylacteria & Peniculamenta. 674. Coronatur aurea corona. Vide Lamina. Hyacintho coronatur. 675. P*ontifex Max.* cum toto veſtitu abſque Phylacteriis. P*ontifex Max.* cum Phylacteriis. Uterque exhibetur Tabula. 682. P*ontif. Max.* patrimonia, integros cenſus, ſaltus & inſu-

ſulas geſtavit in Pectore. 701 Ejus veſtes comparatæ cum veſtibus Honorii. *ibid.* Sunt vere Regiæ. *ibid.* Habuit proprium conclave in Templo ad ſervandas veſtes aureas. 703. Ejus veſtes ſervare magna gloria 703. Inde magna diſſidia *ibid.* Quot habuerit tunicas. 705. Extra templum non poteſt agnoſci ex veſtibus. 709. Sectionem, ſi vult, legit. 711 In qua Synagoga legerit. 712. Ejus veſtes tritæ abſconduntur. 721. Filius Dei dicitur. 747 Eſt typus Chriſti. 749. &c. Cur plures veſtes habuerit quam reliqui Sacerdotes. 754. 783. Ejus veſtes quid ſignificent. 750. &c. 754. &c. Divitiis debet abundare. 783. A reliquis Sacerdotibus ditatur. *ibid.* Judicia Dei annunciat & futura prædicit, 786. In eo juncta erat doctrina legis cum bonis operibus 787. Inter ſacrificandum debuit meminiſſe totius populi. 788. Et pro toto populo debuit offerre: *ibid.* Judicia Dei exercet. 791. Ejus virtutes. *ibid.* Nullus ſub N. T. perfectus. 791. Summo honore venerandus erat poſt Regem 792. Ejus Sacerdotium cur Regium dicatur. *ibid.* Debuit eſſe attentus in opere. 792. Omnium Sacerdotum eſt Rex & Princeps 793. Debuit eſſe Sanctus. *ibid.* Quidquid tetigit Sanctum erat. *ibid.* Pontific. habet a Deo non a ſe 794. Sine Deo & ejus Spiritu Pontificatum non poteſt retinere. 794. Solus facit expiationem in adyto 795. Cur albas veſtes habuerit magno die expiationis? 796. Separabatur ab hominum conſortio ante diem expiationis 796. Cur iſto die deponere debuerit veſtes aureas, præſertim pectorale & gemmas *ibid.* Ejus humilitas die expiationis. *ibid.* Veſtibus albis intrat in Sancta Sanctorum *ibid.*

P*ontificatus* Judæorum in poteſtate Romanorum 703

P*lus* offerenti divendebatur 731 & ſeqq. Ejus mali auctores. Alcimus. Ipſi etiam Maccabæi *ibid.*

P*ontifices* Judæorum omnes ſunt typi Chriſti 747. Cur Deus eos veſtiri voluerit? 748. &c. Soli jus habent accedendi ad Deum 749. Velantur Chriſti merito & juſtitia 752. &c. Vide *Sacerdotes.*

P*ontificis* Romani corona triplex. Ejus origo. 667. In ejus corona ſcriptum Myſterium 671

P*apæ* inferiora tegunt. Vide ſacrificuli. Cincti ſunt 373

P*ort d' epée* balteus Gallice 355

 Pra-

Pralukin gemma 473. Corrupte pro *parulin* aut *berulin* beryllus 693. An *Schoham* *ibid.*
Praſinus & praſineus color. 502
Praſus lapis viridis, pro eo corrupte *perozag.* 576
Præcepta Dei depicta per mala punica 785. Sunt aurum præſtantiſſimum 787
Præcincti viri ſtrenui 370
Præmium pro *brabeion* 499
Prætexta qui utantur pro pileo 403
Prætor ludorum Megal. 699
Principes vocantur Sacerdotes 702
Prodigus novas veſtes ſumit antequam accedat patrem 751
Propheta qualis eſſe debeat 761
Prophetæ dicuntur videntes 613
Prophetæ ſub Templo primo 643
Prophetæ priores qui? 724
Prophetiæ & Urim & Thummim quomodo differant? 641. Dona *Prophetica* quamdiu duraverint ſub Templo ſecundo? 723
Pulmo unde dicatur. 354
Puncta vocalia utrum in uſu tempore Moſis. 699
Puniceus color quid ſignificet 742
Purpura violacea amethyſtina dicta 570. Ejus pretium 699. Conchylio tingitur *ibid.* *Purpura* Tyria pretioſiſſima 699 *Purpura* Hermonica, trium millionum ducatorum. *ibid.*
Purpura nigra in Saphiro. 529
Purpura ſanguine tingitur. 770
Purpura quid ſignificet. 742. 767. Eſt ſymbolum ſanguinis Chriſti. 770
Purpuraſcere. 526
Purpureus album ſignificat 475
Purpureus olor *ibid.*
Pyrrhi Regis admirabilis Achates 560
Pyropus gemma 521

Q.

Quadratum pallium 410, 416

R.

R & L. permutantur 333, 500
Rachab extendit pannum coccineum 769
Radix, *radices* 461. Catenæ aureæ in Pectorali *ibid.*
Raiſonnement 613
Rapha Hebr. *laxum*, *remiſſum* 626 An inde *Teraphim*? *ibid.*
Rationale varium 427. *Rationale* judicii 454, 749. *Rationale* eſt Pectorale *ibid.*
Redemptionis noſtræ pretium depingitur per texturam veſtium 773. *Redemptio* noſtra non eſt opus humanum *ibid.* Magna myſteria continet. *ib.* Magno fit pretio 777, 790
Reem Hebr. Capra. Inde **een Gam/ een Lam** Belgice. Et German. **ein Rehe** 600

Reges alba habent diademata 385
Regium diadema 385
Reges non habuerunt jus conſulendi per Urim & Thummim 646. 648. *Reges* Gentilium oracula conſulunt 648. Sacerdotio funguntur 702. Sub *Regibus* nullum editum oraculum per Urim & Thummim 724
Reticulatum opus. 409
Revelatio quomodo facta Patribus, Prophetis & Pontif. Max. per Urim & Thummim 640
Rica quid? unde dicatur 404. *Ricula.* ib.
Rigidus pro ῥιγηλός. 537
Rimmon 422. Non ſignificat Meſpilum, nec citreum. 422
Ritzim Granat apfel. 422
Roccæ cyclades. 315
Roep-drager 396
Rock Een rock met oogshens 336
Ein engen rock 341. Ein leyb-rock. Ephod. 433
Romani legem & religionem nonnunquam a victis accipiunt 625
Rond. *Tout au rond.* 416
Rötelſteyn. 480
Rubinus gemma 475. 476. Olim pretioſiſſima gemma 476. Eſt veterum carbunculus 476. 512 &c. An ſit Sardius 478 507. Vide carbunculus. Ejus deſcriptio. 512. Ejus ignis fabuloſus. 513. Hodierni R*ubini* veri carbunculi veterum. *ibid.* & 533
Rubini pondus 514. Ejus virtutes. 515. Vide Carchedonius.
Ein Rubin. 512
Rubeni filii Jacobi vexillum. 478
Rubere. 478. 511
Rubor & *rubedo.* 481
Rubra dicuntur ignea. 478
Rumina. 480
Rundt umb. 416
Rutilare ſplendere, fulgere 475 Dicitur de ſtellis. *ibid.*

S.

S. In fine vocum aſſumitur a Græcis 537. Mutatur in T. 547
Sabbathi veſpera decem res creatæ. 467
Sabhalom gemma 473. Unde dicta. 539
Sacci & *Biſacci* brachæ. 328
Sacerdos vittata. 402. 404
Sacerdos cum Urim & Thummim ſub Templo ſecundo eſt Chriſtus. 723
Sacerdotes ſunt Judices. 614. Vates & Augures 615. *Sacerdotibus* utilis Saphirus 532. *Sacerdotum* quot claſſes 706. *Sacerdotes* bis in anno miniſtrant 710. Juſtitia Chriſti velantur 781. *Sacerdotes* cæci & vitio la-

laborantes 709. Nunquam induunt veſtes 710. *Sacerdotes* extra miniſterium ſunt inſtar Laicorum 709. *Sacerdos* Spiritu Sancto donatus ſub Templo ſecundo nullus 724. *Sacerdos* minor in Tabula depictus 399. *Sacerdotes* Veteris Teſtamenti ſunt mortales. 762. Onuſti erant peccato 782 Erant ſervi 792. Eorum Sacerdotium erat exercitium corporale 782 Fuerunt Typi omnium fidelium 783. Non ſatis clare videbant myſteria redemptionis 792 Semper erant polluti peccatis 793. Omnes ſunt typi Chriſti 795. *Sacerdotes* hodie nulli nec ſacrificia. *ibid.*

Sacerdotium Dei eſt *Sacerdotium Regium* 702. *Sacerdotium* Vet. Teſt. debebat ſtare uſque ad Adventum Chriſti 722. *Sacerdotium* unde dictum 793. Ejus præcepta ſunt a Deo, non ab hominibus 794. Ejus gloria peritura *ibid.* Habet finem per Chriſtum 796

Sacerdotium ambiunt Reges Ægyptiornm, Conſules & Imperatores Romani. 702

Sacerdotes Ægyptii imaginem ex Saphiro geſtant. 532

Sacerdotes Phrygiæ Deæ. 404

Sacerdotes Ethnicorum habent coronas. 679 680

Sacon color. *Sacodion* gemma. 570

Sacra fieri debent caſte & pie 332 &c. Olim fiebant nudo corpore *ibid.* *Sacra* Iſidis 373. *Sacra* Bacchi, Saturni & Honoris 401. In *ſacris* non ſemper debet intelligi duplum. 456.

Sacramenta adminiſtrandi jus habebant omnes Iſraelitæ. 711

Sacrificia Veteris Teſtam. res debiles 763. Ceſſant quamdiu Pont. Max. eſt in adyto 795 Nulla Deo ſunt grata ſine veſtibus ſacris 640 Nec ſine corona 679. Expiant typice 747 Eorum pretium. 763

Sacrificuli & popæ inferiora tegunt 335. Tunicati. 352

Saga militaris. 438

Sal colonienſe, unde ſic dictum 508

Salii cincti æreis balteis. 373. 463. Eorum Ancilia. *ibid.* Pectorale. *ibid.* Galeæ & pugiones. *ibid.*

Salm / geroockte Salm. 478

Saltus in aure, in digito, in collo. 701

Salomonis Sapientia. 467

Samir vermis gemmas ſculpſit. 467. Ejus miniſterium in ædificando templo Salomonis. *ibid.* Ejus mentio in S. Scriptura 467. quid ſignificet *ibid* Eſt *Smiris* lapis ad poliendas gemmas. *ibid.*

Samperunin, & *Saphirunin*, & *Sampurina* Gemma. 373. 517 518.

San-

Sancta Sanctorum quoties] Pont. Max. ingreſſus in anno 628. Utrum cum Ephodo & Pectorali? 628. 644. 645. 719. An ibi interrogaverit per Urim & Thummim *ibid.* *Sanctum Sanctorum* ſymbolum fuit cœli. 719 796
Sanctitas Jehovæ in corona Pont. Max. 669. 671. 793
Sancta levia comedi poſſunt Hieruſalem. 716
Sanctitatis decem gradus in terra ſancta. 716
Sanctorum perſeverantia. 791
Sandalchin Sardonyches. 597
Sandalphin, idem. 597
Sandalphunin, idem. 597
Sanguis purpureus. 770
S*aphirus*. 518. &c. Dicitur Jaſpis. 517. Arabice dicitur *Maha* & *Belur Beryllus. ibid.* Aliis *Iſmorad. ibid.* Ejus nomen manſit apud omnes populos. *ibid.* 518.
Saphirus qualis gemma 519. &c. An albi coloris. *ibid.* *Saphiri* pavimentum. *ibid.* *Leucoſaphiri. ibid.* *Saphirus* cœruleus. Ejus color abſtrahi poteſt. *ibid.* *Saphirus* gemma duriſſima 519 Limam reſpuit. *ibid.* Smiridis pulvere formatur. *ibid.* Quidam ei colorem rubrum attribuunt. 520. Carbunculus dicitur. *ibid.* Rubinus vertitur 521. Non eſt ruber *ibid.* Virtutes Chriſti ſignificat *ibid.* *Saphirus* quid? 523. Ejus color cœleſtis *ibid.* Eſt inſtar venæ repletæ ſanguine *ibid.* Dicitur de corpore elegantiſſimo. 524. Paſſiones & vibices Chriſti ſignificat 525. *Saphirus* veterum cœruleus 526 Purpuraſcit. *ibid.* *Cyano* ſimilis eſt. *ibid.* *Saphirus* pulvere aureo aſperſus 527. Hodierni *Saphiri* pellucidi 528. Dicitur Amethyſtus & Hyacinthus. *ibid.* Qualem S*aphirum* intellexerit Moſes; 529. Cui tribui deſtinatur *ibid.* Dicitur niger *ibid.* Et purpura nigra *ibid.* Ejus locus natalis 530. Ejus moles 531. In *Saphiro* ſcripta lex Moſis *ibid.* Ejus pretium *ibid.* Ejus virtutes 532. Sacerdotibus utilis 532. 615. Ex *Saphiro* imago Sacerdotum Ægyptiorum *ibid.* A quibuſdam ſic vertitur *Iahalom* 533. Et S*chebo* 558. Et *Amethyſtus* vocatur 570. Ei comparatur Chriſtus. 768. 772
Saphir Rabbinis eſt *pellucidum.* 528
Sarabala. 321
Sarabara. 333
Sardanegin 473. Eſt Sardonyx. 477 597
Sardanin. 477
Sarda, *Sardius*, *Sardus*, & *Sardonius* 477. 599. Qualis gemma 478. 599. Dicitur mas & fœmina *ibid.* Sanguineus & ru-

ber *ibid.* Granata & rubinus. 478. *Sardio* piſci ſale condito ſimilis *ibid.* Eſt gemma rubra. 478.479. Reperitur circa *Sardiniam ibid.* *Sardius* ab Hebr. *Sered* 480. *Demum* dicitur ab *Odem* 481. *Sardorum* varia genera 481. 482. Inter *Sardorum* genera ponitur *Sardonyx* *ibid* Ejus virtutes 483. 484 Sigillis eſt aptiſſimus 603

Sardonyx 444.477.482. Vide *Schoham*. *Sardonyx* dicitur *jahalom* 533. Et *Schoham* 579.594. Verus Sardonyx & *Schoham* 795. &c. Eſt mixtus ex Sardio & Onyche 595.599. Venit ex terra Havila 596. Naſcitur circa Euphratem in monte Drimyllo. *ibid.* &c. Eo ornatur Regium diadema *ibid.* Ac Judæis dicuntur *Sandalchin*, *Sandalephim*, & *Sandalphunim* 597 *Sardonyches* unde? *ibid.* Indicæ & Arabicæ *Sardonyches ibid.* *Sardonyx* mons. 598 *Sardonychorum* colores 600. Cæcæ *ibid.* Arabicæ radicem habent nigram *ibid.* Qualem intellexerit Moſes 600. 601. 602 *Sardonyches* variæ *ibid.* Indicæ præſtantiſſimæ *ib.* *Sardonychem* nominat Johann. in Apocalypſ. *ibid.* Pretium 602. *Sardonychem* qui habuerint. *ibid.* Primus Romanorum ea uſus Africanus *ibid.* Gemmis pretioſis jungitur *ibid.* Dicitur gemma princeps *ibid.* Sigillis apta 603. Ejus virtutes *ibid.* *Sardonyches* duæ in Ephodi humeralibus an futura prædixerint? 630 Duæ illæ ſunt pretioſæ & magnæ molis 701. Quid ſignificent. 742. 744. 788. *Sardonychi* inſcriptum erat nomen Joſephi 789. Quare? *ibid*

Saturni ſacra. 401

Saulis pallium 416. Saul an interrogaverit ipſe per Urim & Thummim? 649

Schabzin & *Schabziza* gemma 473 516. Pro *Topazin*, *Topazus*. *ibid.*

Schachor Hebr. ſignificat nigrum & cœruleum. 529

Schachum & Arab. *Sachum* nigrum, nigreſcere 599. Inde *Schoham* ſive *Sardonyx* a radice nigra. *ibid.*

Schebo gemma 557. Utrum *Beryllus*, an *Turqois*, an *Achates* 558. An Chryſophraſe *ibid.* Varios habet colores. 562

Schellen. 424. **Schelleſkens** *ibid*

Schibte Iſrael, *Schibte Ieſchuran*, & *Schibte Iah* in Pectorali. 637

Schildlein Pectorale. 613

Schlafhaube. Pileus nocturnus 381 386

Schoham gemma. 477. Eſt Sardonyx 533. 579. 594. 595. 743. Dicitur *Nicla* & *Cryſtallus*. 595. 599. Inde *Duſohaim* urbs 498. Dicitur ab Arab.

Sa-

Sachum nigrum 499. Habet ruborem Sardæ & alborem unguis. *Schoham* quaſi gemma nigra. 600. Vide *Sardonyx.*
Schoots-vel. 321
Schorte ſuccinctorium 315
Sculpere Hebr. quomodo dicatur. 699
Seyden rock. 408
Semaktha gemma. & *Semakan* 473 478
Semuktha. idem. *ibid.*
Semai Pontificis Max. inſcitia. 681
Semaragdin gemma. 473. 568. Vide *Smaragdus.*
Senatores magni Synedrii quot? 427. Totum populum repræſentant. *ibid*
Septuaginta interpretes. Eorum antiquitas, auctoritas & integritas. 594
Seraphim an *Theraphim?* 626. Faciem velant coram Deo. 792
Sered Hebr. color ruber. 480
Sericum an inde pilei? 382
Sericum pallium. 408
Sermo Logion. 613
Serpens cœruleus. 526. *Serpentum* Inſula Ophiodes. 492. 493
Siba Hebr. cauſa. 539
Siclus ſacer quid? 696
Sigillis aptiſſimæ gemmæ Sardius, Onyx & Sardonyx. 603
Simeonis lapis Topazius viridis, 489. Ejus vexillum. *ibid*
Simeon Juſtus Pontifex Max. obviam it Alexandro Magno extra urbem in veſtibus ſacris. 717
Simile & *ſimulacrum* unde dictum 545. Ejus primus Auctor. Vide Dan.
Sinus nullus in tunica. 344
Siſtra Ægyptiorum. 625
Smaragdus 497. &c. Summus ejus ſplendor. 498. Nomen habet a fulgure & ſplendore. *ibid.* Ex *Smaragdo* oculi *ibid.* *Smaragdus* fit a *Bareket* 499. 500. *Smaragdi* color 501 *Smaragdus hyacinthizon ibid.* Medicus *ibid.* Quædam dicuntur Carchedonii *ibid.* *Smaragdus* maxime viret. 502. Praſino ſimilis eſt *ibid.* Et Iridi *ibid.* *Smaragdorum* varia genera. 503 Optimæ Scythicæ *ibid.* Probatiſſimæ quæ? *ibid.* Dicuntur Chryſoberylli *ibid.* Quomodo probentur. *ibid.* *Smaragdus* gemma pretioſiſſima. 504. Earum moles *ibid.* Peruvianæ *ibid.* *Smaragdi* vires 505. Dicitur *Saphirus.* 517. Et *Achlama* 568. Ejus miracula ſi aquilæ ſcalperentur 573. Dicitur Schoham. 594. Polycratis tyranni gemma 602. *Smaragdi* Lolliæ Paulinæ. 701
Smiris lapis. Ejus pulvere poliuntur gemmæ. 467

Sol pro *Son* 354. *Solis* & Lunæ nomen ſcriptum in Amethyſto. Ejus miracula 573. *Solis* lapis eſt Chryſolithus. 591
Solium Dei inſtar Saphiri. 531
Somniare. 567
Sompozin pro Topazius. 491
Spithama Hebr. quomodo dicatur 456 Germ. dicitur ein Spanne. *ibid.* Eſt dimidium cubiti *ibid.*
Spiritus Sanctus præſens Pontifici Max. per Urim & Thummim 638. 642. *Spiritus Sanctus* loquutus eſt per Urim & Thummim. Per Prophetas, & filiam vocis 643. *Spiritus Sanctus* & ejus gratia repræſentatur per aurum. 764
Splendor dicitur de Smaragdo. 500
Sponſa Chriſti veſtita opere Phrygionico & byſſo. 750. Habet velamenta capitis 792. Vide Eccleſia.
Spuma maris gemma. 576
Stagnatura Anach. 536
Statua brachata & gauſapata. 326
Stellæ rutilare dicuntur. 475
Stibium. 509. Viride. *ibid.* Et rubrum *ibid.* Eſt antimonium *ibid.* Hyacintho gemmæ ſimile. 555
Stipendium in balteo habere. 359
Stola hyacinthina an auro diſtincta. 717. Quid ſignificet? 743
Stragula. 436
Stringo. 315
Subligaculum. 327
Succictorium. 315. 316
Succinum 547. An gemma *ibid.* Unde dicatur *gleſſum.* *ibid.*
Sudor. In loco ubi ſudant Sacerdotes non cingunt brachas 319
Suffibulum. 404
Sullæ dictum de Jul. Cæſare. 374
Superhumerale dicitur Ephod. 433
Sutura Joſepho quid? 399
Synagogæ caput & Epiſcopus 712. *Synagogæ* plures Hieroſolymis *ibid.* *Synagoga* in circuitu Templi. *ibid.*
Synedrium magnum. Ejus Senatores quot? 470. Significat totum cœtum. 650

T.

T. pro S. 547
Tabag gemma. 473. Utrum ſit *Achates* 568. an *Topaz?* *ibid.*
Tabernaculum diviſu min tres partes. 742
Tabulæ legis cælatæ ope vermis Samir 467. A Deo paratæ ſunt 635
Talaris tunica an pallium 413. *Talare* pallium 417. *Talaris* tunica quid. 781

Talentum Quinque millia talentum quot faciant milliones? 699.

Tapetes pilei vocantur 379. Ex lana coacta. *ibid.*

Tarkia gemma, *Turquois.* 486. 558

Tarſchiſch ſic non dicitur ab urbe Tarſis in Hiſpania 588 *Tarſchiſch* Hiſpaniæ Moſes non intellexit. *ibid.* Tunc temporis iſta urbs nondum in rerum natura 587. Quando condita *ibid: Tarſis* in Oceano Indico 588. Hiſpanica antiquior. *ibid.* Hiſpanicæ nomen dedit *ibid.* Vide Chryſolithus.

Tas Hebr. bracteola, lamina. 661

Templum Salomonis. In ejus ædificatione vermis *Samir* 467. In *templo* ſedere nemini permiſſum niſi ſoli Regi ex familia Davidis 712. *Templum* quouſque extendatur? 716. In *Templo* divitiæ abundant 720. In *Templo* ſecundo quæ res defecerint? 723. In *Templo* ſecundo nullus Sacerdos Spiritu Sancto donatus. 724

Templum Oniæ qua occaſione ædificatum. 681

Terra Sancta diviſa per Urim & Thummim. 642. &c.

Teſſellæ in tunica. Vide Fundæ.

Teſtamenta duo ſignificantur per Ephodum. 788

Teſtamenti veteris bona 779. Flores & ſpes *ibid.* Tunc Deus in obſcuritate habitabat 792. Patres V. Teſt. ſunt ſub reatu. 796

Teſtamenti Novi bona. 779. Fructum & nutrimentum habet *ibid.* Sub *Novo Teſtamento* Deum adorare poſſumus detecto capite 792. Nullus amplius reatus. 796

Tetragrammaton. Vide Jehova.

Teutſchen. Tuiſci. 354

Textoris opus 399. Auget pretium veſtium ſacrarum 700. *Textura* fiunt catenæ aureæ Pectoralis 461. *Textura* lapidum Græcis quid 465. *Textura* veſtium ſacrarum quid ſignificet. 773

Tharſchiſch gemma 574. Utrum ſit *Turquois* 575. An lapis albus 576. An Beryllus. *ibid.* An Opalus? 577. Quidam putant eſſe hyacinthum 578. Alii Cyaneum *ibid.* Alii Sardonychen 579. Diſtinguitur a Schoham 579. An ſignificet ungues? *ibid.* Naturam humanam Chriſti utrum repræſentet? *ibid.* An ejus gloriam & majeſtatem *ibid.* Non eſt Sardonyx 579. 584. Eſt Chryſolithus 582. &c. An habeat colorem carneum 584 Eſt colore aureo 585 586. &c Unde ſic dicatur. 587. 588

Thephilin quid? 622

Theraphim Micæ 452. 627. *Theraphim* veterum quid? 625. An Angeli 626. An idem ac *Seraphim. ibid. Theraphim* cultus Idololatricus 627. *Theraphim* utrum reſponſa dederint per Urim & Thummim 639 An per vocem. *ibid. Theraphim* uxoris Davidis. 625. 749 An fuerit imaguncula. 649

Theraph non eſt idem ac *Seraph*. Quid ſignificet. 626. *Thoreph* ignominia, *Turpha* turpitudo. *ibid.*

Theſaurus veſtium ſacrarum 703 Vocatur arx Antonia *ibid. Theſaurus* magnus veſtes Pontific. Max. *ibid. Theſauri* Regum non tantum in auro & gemmis, ſed & in veſtibus conſiſtunt 704. *Theſauri* cœleſtes. *ibid. Theſauri* Regis Ahaſſueri 704. Alexandri Severi & aliorum. *Theſauri* veſtium in corpore Juris. *ibid.*

Thorax ex lana coacta dicitur pileus. 381

Thummim perfectiones 617. Reſponſum perfectum 619. An differat ab Urim *ibid.* Vide Urim & Thummim.

Thus Chriſto ut Deo offertur. 761

Thynni terrentur oculis ex Smaragdo. 498

Tiara. 378. 382. 385. 386. *Tiaræ* Orient. populorum. 389. Earum genera duo 390. Recta *Tiara* 390. Earum forma *ibid.* 392. Phrygia 398: Turcica. 399. *Tiara* Sacerdotum tegumentum 402. *Tiara* Summi Pont. 653. &c. Dicitur Mitznephet *ibid.* Ejus forma 654. Quomodo differat a pileo reliquorum Sacerdot 654. &c. Utrum alius pileus ei impoſitus *ibid. Tiara* hyacintho variata & conſutilis *ibid. Tiara* non eſt alta 655 Ampliori mole circa tempora glomerata inſtar rotæ *ib.* Non erat capiti profunde impoſita 674. *Tiara* & corona junguntur 792. *Tiara* hyacintho variata 675. *Tiara* quid ſignificet, 792. Multis involucris caput cingit quare, 792. Vide Mitra & pileus.

Tibialia. 317

Tinctura medicamina. 422

Tintinnabula 339. In pallio 421 424. Fiunt ex auro 424. Eorum forma 425. &c *Tintinnabula* clauſa Belgice **Bellen**. Ejuſmodi an nota apud veteres *ibid* Comparantur uvis *ibid.* Eorum malleolus 425. 426. *Tintinnabula* oblonga inſtar ſcyphorum *ibid. Tintinnabuli* partes 426. *Tintinnabula* quot in pallio. 427. Eorum magnitudo 428. Quomodo pallio appenſa 429. *Tintinnabula* utrum ante ſiſtra Ægyptiorum, 625. *Tintinnabulum*

lum majus 414 *Tintinnabula* gerunt aſini 424. Eorum uſus. *ibid.* Ad ornatum vſtium Regum Perſarum *ibid.* *Tintinnabula* quid ſignificent 742. 743 744. 786. 787. Numerus eorum. Tot quot mala punica. 787

Toga tunicæ ſuperinduitur. 374 Non ſtringitur balteo *ibid.* Dicitur pallium teres 414. 415 *Toga* Romana quid. *ibid.* Differt a pallio & a *tunica* 415 697 *Toga* picta 704 In Capitolio Jovis ſervatur. *ibid.*

Tondere, detondit. 547

Topazius unde dictus 470. Ejus deſcriptio 487. &c. Ejus color *ibid.* 488. Splendor 488. A quibuſdam dicitur chryſolithus *ibid.* *Topazius* Simeonis lapis 489. Eſt *Pitdah* 490 An dictus ab Inſula *Topazio.* *ibid.* *Topazus* vox Hebræa. 491. Quomodo fiat ex *Pitdah* 491. *Topazion* Inſula 490 *Topazis* habet ſignificationem quærendi *ibid*, *Topazion* pars Arabiæ 492. *Topazii* locus natalis 492. &c. Naſcitur in petra 487. *ibid.* Quomodo reperiatur 492. &c. In magnam excreſcit molem. An ſit gemma pretioſa *ibid.* In Diademate Regum *ibid.* *Topazius* Magni Mogolis *ibid.* Sumitur pro chryſolitho 493 Ejus virtutes 494. Nomen *Topazius* retinet 518. An ſit *Schebo.* 558. *Topazius* hodie gemmariis eſt veterum chryſolithus 581. Eſt viridis. 581

Tribus duodecim non extiterunt ſub Templo ſecundo 724 Earum nomina non inferebantur in Sancta Sanctorum. Quare? 796

Triclinaria pretioſiſſima 699 Eorum ingens pretium. *ibid*

Trulla cæmentarii dicitur *Anach* 536

Truncus. 350

Tuba bellicum inſtrumentum. 647

Tubrucus quaſi tibiarum roccus. 318

Tulbant quid. 357. Unde ſic dicatur. 389. Eſt vox Arabica *ibid.*

Tulipant & *Tulipa.* 389

Tunica talaris. 321. 342. 350. 351. 416. Vide Talaris.

T*unica* Sacerdotum 336. &c. T*unica* ſtricta & teſſellata dicitur *ibid* T*unica* Latinis unde dicatur 338. &c. T*unica* Joſephi & Thamaris 337. T*unica* Sacerdot. byſſinæ. 340 &c. Dicitur menſura linea. 342. Longiores retrahuntur & balteo ſtringuntur 342 T*unica* ſtricta 343. T*unica* an habeat ſinum 344. T*unica* lacuata 344. Non habet uncinos *ibid.* Circa collum ſtringitur *ibid.* Texitur 345. &c.

Ei non aſſuuntur. manicæ. 345. T*unica* textæ *ibid*. T*unica taſchbetz*. 347. Fundis conſita. 347. &c
T*unica* veſtis vulgaris apud varios populos recepta 349. T*unicam* Chriſtus habuit *ibid*. Chuſcæus, Samuel & ſponſa Chriſti *ibid*. T*unica* chirodotæ & manicatæ 350. Exterior & interior. *ibid*. &c. In tunica nullum aurum *ibid*: Ægyptiæ tunicæ *ibid*. T*unica* Corinnæ & Semiramidis 351 T*unica* eſt veſtis muliebris & viris dedecori 351. T*unicas* viri habent *ibid*. Joſephus Chhriſtus & multi ſacrificuli *ibid*. 352. T*uuica* Perſarum 361. T*unicas* non cinctas habere, idem ac eſſe inermem 370. T*unica* cingi ſolebat olim 374. T*unica* & balteus junguntur *ibid*. T*unica* Sacerdotum quomodo cincta. 374
T*unica* albæ. 385. T*unica* dicitur pallium Pont. Max. 406 T*unica* ſerica. 408. T*unica* eſt pallium 413. T*unica* interior & exterior. 414. Interior nullo auro ornata. 414. T*unica* variæ *ibid*. Tunicas duas habere. *ibid*. Duas habuit Pont. Max. *ibid*. Exterior tunica pallium *ibid* T*unica*, toga & pallium quomodo differant. 415. T*unica* ad talos demiſſa. 417. T*unica Paſſim* quid 429. T*unica* Pont. Max Hebræorum non eſt inſtar togæ Romanæ, 697. T*unica* lacuata ſive teſſellata pretioſa 700. T*unica* quingentæ triginta. 705. T*unica* quid ſignificet. 742. 745. 753. 781
T*unica palmata* in Capitolio Jovis ſervabatur. 704
T*urbant*, pro **Tulbant**. 389
T*urcarum* diadema. *ibid*
Türckiſchbant *ibid*.
T*urquois* gemma 486. In pectorali non reperiebatur. 486. 558. Veteribus an nota. 575. An ſit T*arſis*. 575. 576
T*uſca* voces. 354
T*utulum* pileus a tutando. 403. *Tutulum* fœminarum 404. T*utulati*. 404

V.

V. pro B. 333
Vacca ruffa. 478. Ejus rogus. 769, 685. & ſeq. Cur ruffa. *ibid*
Vaſa ſancta quid? 647
Venæ repletæ ſanguine exhibent ſaphirum 523, 525. In albiſſimo corpore cœruleæ apparent. 525
Veneris gemma. 570
Ventrale. 315, 321
Ventus textilis tenuiſſima veſtis. 697
Verbum Dei æternum eſt. 787
Veritas 618. Imago Judicis Ægyp-

gyptiorum. 615
Verſicolores aves & gemmæ. 577
Veſpaſianus quo ritu ſacrificaverit 403
Veſta in pectore habet ornamentum. 615
Veſtalis Sacerdos 502. Veſtales virgines 404. Sunt judices. 615
Veſtes octodecim habuerunt Judæi? 414
Veſtibus capita tegebant ſacrificantes. 403
Veſtes Sacerdotales quo ſenſu omnes Judæi geſtaverint 451. &c
Veſtes peccata expiare 614, 742, 747
Veſtire 648. Quo ritu & ordine Sacerdotes veſtes ſacras induerint? 681
Veſtes a Deo datæ in honorem Sacerdotii. 695
Veſtes ſacræ in Theſauro occluſæ 703
Veſtiarium in Templo. 706
Veſtes Sacerdotales Cajaphas non laceravit. 709
Veſtes Pontificis Max 405, &c. An ex pretioſiori byſſo? *ibid.* *Veſtes* Pont. Max. aureas ſervare magna gloria 703, Inde ſubortæ lites *ibid.* *Veſtes* Pont Max. magnus theſaurus *ibid* Romani quare tam ſint ſoliciti ut veſtes illas cuſtodirent 703
Veſtium ſacrarum pretium 65. &c, *Veſtes* albæ Pont. Max. ex byſſo Indica & Peluſiaca triginta minis, emptæ 696. Centum minis *ibid.* *Veſtes* albæ nimis tenues rejiciuntur. 697
Veſtes aureæ pretioſiores lincis 698, &c. Veſtes duplicis materiæ triginta minarum. 698
Veſtes omnium Sacerdotum in Theſauro 704. In Templo. 706
Veſtes albæ diei expiationis non ſervabantur in Theſauro 707 Pontifex Max. iis ſemel tantum utitur *ibid.* *Veſtes ſacræ* ſumptibus publicis fiunt. 708. *Veſtib. albis* comburebatur vacca rufa. 683. & ſeqq.
Veſtium ſacrarum uſus 709, &c In templo tantum veſtiuntur, & tempore quo vices peragere debebant Sacerdotes, 709 &c, Extra templum & alio tempore *veſtibus* vulgaribus incedunt *ibid*, Iis utebantur Sacerdotes extra miniſterium quo ſenſu? 711, 713, Non poterant Sacerdotes in iis dormire noctu *ibid*, Quid actum de *veſtibus* ſacris noctu? 714 Iis non utebantur Sacerdotes in urbe Hieroſol 715, *Veſtibus ſacris* induti Sacerdotes procedebant extra urbem; ſed in ſumma neceſſitate 717 Quamdiu iis uterentur. 718

Veſtibus albis Pont. Max. non niſi unico die uſus eſt, iiſdem nunquam poſtea 718, 719. An iis uterentur reliqui Sacerdotes; *ibid.* iis uſus eſt Pontif. Max. in Sancto Sanctorum, die magnæ expiationis 719. *Veſtibus* aureis non poterat fieri ſine piaculo *ib.* *Veſtes ſordidæ*, aut *vetuſtate tritæ* cui uſui 720, 721. Quouſque *veſtes ſacræ* durare debuerint? 722, 723

Veſtium uſus ceſſat tempore Chriſti 723. *Veſtes aureæ* Pont. Max. vetuſtate conſumptæ abſconduntur. 723

Veſtium ſacrarum ſignificatio 737 &c, 745. Cur octo *veſtes* habuerint Sacerdotes 745. *Veſtes ſacræ* non adducunt ad Chriſtum & ejus merita 747. Sunt typi Chriſti 750. Significant gratiam & juſtitiam Chriſti 750. *Veſtes albæ* quid ſignificent? 750. *Veſtes nuptiales* quid ſignificent? 751. *Veſtes lavare & dealbare* quid? *ib.* *Veſtes* cur quatuor 753. Significant quatuor beneficia Chriſti 753 *Veſtes* Pont. Max. cur octo beneficia *ib.* An circumciſionem Chriſti? *ib.* *Veſtes duplicis materiæ* cur habuerint Sacerdotes 757. Quid ſignificaverint *ib.* *Veſtium colores* quid ſignificent 765. &c. Cur habuerint plures colores. *ib.* *Veſtium* textura quid ſignificet 773. *Veſtes ſacræ* ſunt ornatiores & commodiores ſutis *ib.* Earum *ornamenta* quid ſignificent 774

Veſtes talares honoratiores 781

Veſtes albæ die X. Tiſri cur Pontif. Max. habuerit 796.

Veſtes Sacerdotum in Eccleſia Chriſtiana nullæ. 797

Vexilum 389. *Vexilla* tribuum Iſraelis quomodo diſtributa fuerint? 468. Conferuntur cum gemmis in Pectorali 478 Sunt ejuſdem coloris *ib.* *Vexillum* Rubenis. Ejus color & ſigna *ib.* *Vexillum* Simeonis. Ejus color & ſigna 489. *Vexillum* Levi. Ejus color & ſigna 501. *Vexillum* Judæ. Ejus color cœleſtis, ſignum Leo 511. *Vexillum* Iſchaſcharis. Ejus color & ſigna 529. *Vexillum* Zabulonis 540. *Vexillum* Danis 553 *Vexillum* Gadis 562. *Vexillum* Nephtali 571 *Vexillum* Joſephi 600. *Vexillum* Ephraimi *ib.* *Vexillum* Menaſſæ *ib.* *Vexillum* Benjaminis. 609

Viatores habent baculos. 396

Victoriæ imaguncula. 375

Victores ſæpe ritus & mores accipiunt a victis. 625

Videntes ſunt Prophetæ. 613

Vinculum. 657

Vini colorem habet Amethyſtus 570, &c

Vinum rubrum. 478

Virgæ in pileis. 402

Vitri colorem habet Topazius. 488
Vittæ Sacerdotum. 402
Vittæ hyacinthinæ in Pectorali 462 &c. In corona 657 &c. 675 794. *Quot*? *ib.* Ornant tiaram 675. Laneæ quare? 794
Ullus pro *unus.* 354
Ulyſſis pileus exhibet pileum Sacerdotum 394. &c. *Ulyſſis* originem dedit genti Mamiliæ 395
Uncini, an in tunica? 344, &c
Ungues ſimiles Sardonychi. 579
Unio. margarita 605. Non erat in Pectorali? 605
Unus pro *ullus.* 354
Voces ſæpe a loco natali ad peregrinos tranſmigrant. 321
Voile Fala. 410
Vela manus. 321
Uphaz optimum aurum. 585
Urim & T*hummim* in vexillo Simeonis, 501
Urim & Thumim 612. &c, Erant in Pectorali 616, &c. Quid ſint? 616. Eorum etymon *ib.* *Urim* ſunt luces. 617 618. Utrum a *Iarah* docere 618. *Urim & Thummim* doctrina & veritas *ib.* *Urim* an differat a *Thummim? ib.* An fuerint imagunculæ? 619, 623. Per *Urim* data reſponſa 619. *Urim & Thummim* quid 620, &c. Utrum Pectorale an Gemmæ? an nomen Jehovæ? 620, 621. &c. Ipſa vocabula *Urim & Thummim* Pectorali indita fuiſſe 622. Revelatio per *Urim* & *Thummim* quomodo facta *ib.* &c. *Urim* an idem quod T*heraphim* 623. An inſtrumentum concavum Pectorali inditum 625 *Vrim &* T*hummim* an gemmæ 628. &c. An Adamas? *ib.* &c. *Vrim &* T*hummim* mirifica deſcriptio ex Epiphanio 628. &c. Sunt ipſæ gemmæ in Pectorali 631. Iudæorum ſententiæ de *Vrim &* T*hummim.* 631. Noſtra ſententia 632, 640. An ſolus Deus ſit eorum auctor? 635. Eorum uſus 636. Quomodo reſponſa data per *Vrim & Thummim* 637. An per litteras lucentes in Gemmis? *ib.* An vox audita? 639. Eſſe Revelationem a Deo factam 640. Revelatio per *Vrim & Thummim* quomodo differat a revelatione facta Patribus & Prophetis 641 Fit per Spiritum Sanctum 642. Per *Vrim & Thummim* diſtributa eſt Terra Sancta 642. *Vrim & Thummim* gradus Spiritus Sancti 642. *Vrim & Thummim* ſub Templo primo 643. Quo ritu facta ſit interrogatio per *Vrim & Thummim*? 643, 644. &c. In quo loco interrogatum? 643, 644 &c. Solus Pontif. Max. in-

terrogavit per *Vrim & Thummim* 646. Utrum David & Saulus etiam interrogaverint *ib.* 649. *Vrim & Thummim* an plura fuerint inſtrumenta 649. Pro quibus interrogatum ſit? 650. De quibus rebus? 651. Quo ordine 652 Interrogatio per *Vrim & Thummim* non fit in Sancto Sanctorum 719. *Vrim & Thummim* nullum tempore Chriſti 723 Quomodo extiterit ſub Templo ſecundo *ib.* Ceſſavit ſtante Templo primo 724. Per *Vrim & Thummim* Deus regnavit. 724. Urim & Thummim nullum fuiſſe ſub Templo ſecundo defenditur contra cavillationes Bernardi Angli 726per totum caput. Quoad formam *Vrim & Thummim* erant in Templo ſecundo 725 *Vrim & Thummim* ſignificant Chriſtum 791. Eis non opus erat ſub Templo ſecundo, quia Chriſtus ipſe præſens erat. 791

Vro ab Hebræo *Vr* ignis. 616

Vva inſtar tintinnabuli. Vide Tintinnabulum.

Vvæ maturæ amethyſtum referant 570. &c

X.

X*ylinum* goſſypium. 337

Z.

Z*abarget* male emendatur. 499

Zabargiad pro *Smargiad* Smaragdus 499. pro eo Zamarut *ibid.*

Zabulonis vexillum. Vide vexillum.

Zangle cingulum 355, 370

Ziz. Corona Pontif. Maximi. 657. &c *Ziz floruit* 659. *Ziz conſpicuum.* 659. *Ala*, *penna*, *penniculamentum.* *ibid.*

Zodiacus balteus. 375

Zona & *Zonam ſolvere* 357, 371. *Zonam perdere* pecuniam amittere. 359

Zonarius ſector. 359

Zona mulierum ornamentum 371. In *Zonam* reditus integræ provinciæ 371. *Zona Regina*, Provincia ſic dicta *ib.* Vide Balteus, & Cingulum.

Zupker-broodt genus pilei. 386

Zuzin Quid? 697, 544

INDEX

INDEX

Vocum Hebræarum & aliarum linguarum Orientalium,

Quæ occurrunt libro ſecundo

א

אבאטום 473, 559. pro אבאטים 559

אבנט *Balteus* 347, 354, 357, 377 389, 451, 706

אבני זכרון *Lapides memoriæ* 448

אברהם nomen in Pectorali 470

אברקסין pro אברקין *Abrachin, Bracha* 311, 321

אדם *Rubrum* 475

ادم *Rubrum* *ibid.*

אודם Gemma, *Sardius* 470, 475 476, 477. 478, 479, 481. 511 518, 520

אופז *Aurum* 585

אור 616, 618. & אור אור *aurora* 616

אורים & אורים ותמים 612, 616 617, 618, 620, 622, 632

אזר *Cingere* 370 אזור עור *Cingulum ex corio* 355

אחלמה Gemma 545, 566, 567, 568, 569, 571

אחמר Gemma 473. 478

اخمر *ibid.*

اخمي 488

איזמורד *Iſmurad* & אזמרגדין 473 497, 501, 506, 533

איפורא 433

אבט 568

אכאטים *Achates.* Vide אבאטים

الانوار *Lux* 616

البدنة *amiculum*, Ephod. 433

אלמס hinc *Adamas* 537

אמטישטא

אמן *fidit* 618

אנך 535, 536

انك 536

אספור 473. 558

אסף ידך *Collige manum tuam.* 627

אפד *Ephod* 433, 439, 443, 451

אפוד בד 451

אפנטורין 473 & אפנטיר 473, 548 605. 607

ארג & משה ארג *opus textoris* 314, 700

ארגמן *Purpura* 408

ארון *Arka* 647

אריגה *Textura* 461

ב

ב ponitur pro כ 559

ב & פ permutantur 392

ב & מ permutantùr 499

באפי pro פאפי 697

בארולין 593

בגד

בגר *Veſtis* 458
בר *linum* 337. & בדים veſtes lineæ 583
בדלה 593 בדולה 597
ברולחא 473, 593, 596
בדיל *plumbum* 536
بدن *Ammicuit* 433
بدنة *Lorica brevis* 454
بهر & بهرمان 533
ܒܘܪܟܐ בורבי *Genu.* 321
ܒܪܠܐ *gemma* 496
בוץ *Byſſus* 337
בירלא 473, 544
בית גנזי *Theſaurus* 704
בית הכנסת *Synagoga* 712
بلور *Beryllus* 517, 593
בלט & בולט *Belat. Bolet.* hinc **gebult** 636
بند **Bant/ binden** 354
בנט 354, 389
בנימין 447
בעלי מומים *vitio laborantes* 709
בקיא *verſatus* 711
ברדינין *gemma* 473, 507
ברג 499
ברולין 473 & בורלא *beryllus* 473 558, 593
ברולחא 593
ܒܪܘܠܚܐ *ibid.*
בריליות 473. בריליות חלא 473, 593
ברך *Genu* 323, 321
ברכא 323
ברכוזר *Ventrale* 321
برق & Hebr. ברק *fulgere* 498, 500, 501
ברקן & ברקתא & ברקן ושפרן 473 497
برقا 501
برقان *ibid.*
ברקסין *Bracha* 321
ברקת 475, 495, 498, 499, 500 518, 533, 568
ברקת Arab. Borchaton 501
برقش *ibid.*
برارط 378
برارن *ibid.*
ברת אנך Brittannia 536
בתנן pro מתנן 499

ג

ג & ק permutantur 391. & ג כ 392, 499. & ג & ח 460
ג eſt in Pectorali 469, 499
גבל 461
גבול pro כבול 499
גבולים 716
גרטה & גבטים 392
גואל 753
גויה 585
جزع *Geza gemma* 542
גזרה 523
גיהר *Gemma* 473, 539 & גיהרים *ibid.*
גלימה & גלימה סגורה 416
גלם Golem. Hinc *Gloma* 499
גלף γλύφω 669
גלש & שלוש **glaß**/glaber, **glat.** 547
גמל *Camelus* 499
גראנאטה *Granata* 476

ד

ד

ד pro ה 496 ר & ז permutantur 491
ד ponitur pro ר 593
ריאמאנטי *Diamanti* Adamas 539
רייקינתין Diakinthin, pro Hyacinthus 473,496,501
דין 536
דיסהים 598
דלילה 537
דם 475

ה

ה deficit in ואככר 723 reperitur in nomine Joſephi 447
הייקינתין Hyakinthin 496, 501
היכל 7 6
הימנו 443
המין 441
הומיסין 473 569
הלם *Halam* pro *Jabalom.* 537, 539
המיהיסין 569
הר הבית 7 6
دهش 613

ז

ז mutatur in ש 613. permutatur cum ד 491
زبرجد Zabargiad 499
זג *Pellicula uvæ* 425. Acinum uvæ 425, 426
זהב & זהב טהור 660
זהורי 475
זהר *Lucere* 475
זונין 544 & זתים 697
זמרגדין 473
زمرجد Smargiad. 499
זמירד 488
זר *Laicus* 646 709
زفت 488
זרת *Palmus* 456

ח

ח quomodo in pectorali 470,499
חבל *funis.* Hinc Belgice **Een Kabel.** 461 499
חבר 440
הגר & חגורה *cingere*, *cinctus*, *cinctura* 316,370,441,451
חוט & חוט קי 536. חוט של סיקרא 769
חזח 613
חזן & חזן הכנסת 712
חלוק *Camiſia* Rab. קמישא 399 413 414, 416. Hinc חלוק ein Klocke. *Cloche*, & Anglice *Cloake* pallium. Et *Cloaca* 339
חלצון *Purpura* 699
חמר & חמרא *Vinum rubrum* 478
חצצרות *Tuba* 647
חרצנים *Pellicula* uvæ 425
חרש & מעשה חרש opus ſculptoris. 445
חשב 443 444, 455, 700 777
חשב האפר *Cingulum Ephodi.* 439 441 442, 443. 450 462
חשה *ſilere* 6 3 639
חשן *Pectorale* 440, 454, 462
חשן משפט 454, & חשן דינא 454 612 613 614, 615
חתם & פתוחי חותם *Sculptores ſigilli* 466

ט

ט littera in Pectorali 470
טבאג Gemma 473, 568
טבעות & חבעות זהב *Annuli aurei* 449, 462. 450
טופזין 491. 517
ܛܘܦܕܝܘܢ Topadion. Topazius 491
טחשית ornamentum 458
טלית 411
טפ & טפים bracteolæ 661
טפאז *Topazius* 568
טרקיא *Turquois* gemma 473, 486 558

י

ו ה י & א permutantur 537
יהוה 621, 622. 647, 668, 671 674
יהוסף pro יוסף 447
יהלם *Adamas* 475, 501, 533, 534, 537, 539, 540, 606.
יום הכפורים *Dies Expiationis* 795
יעקב in Pectorali, & יצחק 470
יקר pretioſus
ירה 618
ירושלים כולה 716
ירך *Genu* & ירכים 320
ירק & ירקתא 489
ירקן *ibid.*
ישפה Iaſpis 475, 517, 539, 604, 606, 609

כ

כ ג י ח & ק permutantur 392 499
כ pro eo ponitur ב 559. Reperitur in Pectorali 470, 499
ככול pro גבול 499
כרכרנא *Carchedonius* 507
כובע *Galea* 392, & כובעין 378
כוחלין 473, 545. 555
כוחלא 506
כוש *Arabia* 492
כחלי 473, 506, 555
כים *Marſupium* 328
כיפה Hinc *Cippus* 392, *Caput*, Kopf/ Kop/ Chef, Haube/ Hupf/ Kupf/ *Cufa*, *Cucufa*, *Coeffe* &c. 392
כלאים Mixta 714
כלים *Vaſa* & veſtes 690
כלי קרש quid? 647
כמז *Collectio* 339. & כומז faſcia pectoralis 339
כמס *Recondere*. Hinc *Camaſena*, Latium 339
כנפות *Alæ* 411, 416
כפול *duplicatum* 457
כפל 461
כפף *Curvare* 392
כפיף *Depreſſus* *ibid.*
כרדוט & כרדוט רבוץ χειροδωτόν 451
כרדכוכין *Carchedonius* 473, 507
כרום 576 & כרום ימא 473
כרום ימא רבא 473. 576, 577
כרכדונין 507, 508. 533
כרכרנא 507. 508
כרכונין 507
כתונה 337, 338, 340. 349, 413, 416, 451, 706. הכתונה *Hackethona*. Hinc Gallice *Hocqueton* 338
כתונת דבוצא 336. כתונה מרמצא 340

כתונת שש *Tunica byſſina* 340, 346
כתונת תשבץ Tunica ocellata, 344, 465
כתונת פסים 349, 413
כתם *Occultare* 490. & Aurum 585
כתנא & כתנה 337
כתפות 439. 440, 443. & כתפות
האפר 450
כתר מלכים & כתר כהונה & כתר תורה & כתר 667. r כתר *Kether* dicitur *Cidaris*. *ibid.*

ל

ל pro ק 546. Mutatur in נ 605
ל pro ר 516
לבדים panni 439, 443
לבנה 519
לבן *Albeſcere* *ibid.*
לנכירי *Lyncurius* 546
לשון משמיע קיל & לשון 436
לשם Gemma 544, 545, 547, 548 549, 553. 555.

מ

מ & ב permutantur 499. מ vocibus inſeritur. Eliditur 491 518
מאטישטה *Hæmatiſta* 545, 553
מגבלות *ſunes* 461
מגבעות *Pileus* 378, 391, 392. 653 706
מגניטא M*agneta* 558
מדו בד *Veſtes lineæ* 342
מדינה *Provincia* 716
مها *Maha* Beryllus 517
מן המובחר מובחר *Optimum*. Formula Ex optimo 312, 346
מחט *Acus*. מעשה מחט *opus acus* 314
מחשבה פומלת & מחשבה 403
ممطر *Lacerna* a مطر *pluit* 406
מי ברק pro מי ברג Aquæ limpidæ 499
מכה pro נכה *ibid.*
מכנסי & מכנסי פשתים & מכנסי בד דבוץ *brachæ lineæ* 312, 317, 706
מכנסים *brachæ* 321, 327, 330, 331, 333
מלא *implere*. dicitur de gemmis 465
מסולקין 342
מעדאד pro בגדאד 499
מעיל *Pallium* 350, 406, & מעילא *ibid.* 408, 411, 412, 413, 414, 416, 451, 784
מעילים *Calcei* 333
מעל 784
מעשה אורג 324
מעשה חשב 443. 455
מעשה רקם 361
מצח *frons* 674
מצנפת 347, 391, 653
על המצנפת 675
מגבעת pro מקבעת *pileus* 392
מקדש 715. 716
מקל Hinc *Baculus* 396. 499
מרגליתא 473
מרגליטו 473
מריבג 473, 593
מרמרא 506
משבצאנא 344

משבצות זהב & משבציה 347, 444, 450, 465, 775
שבן a משובצא 344, 347
משור 356, 423, 774
مسرول *Plumipes.* 311
מתניםꟷ *Lumbi* 319

נ

נ vocibus inſeritur 491, 518. Ponitur pro ל 605
נגר ראשיהן & נגד 714
הנישה & נגש 648
נהירא 616
נזר *Corona* 658
נכנס *Ingredi* Dicitur de brachis 330
נפך *Carbunculus* 497, 507, 509, 511, 533, 555, 637.
בית הנקב/נקב *Anus* 327, 331
בנקבין pro נקבין 675

ס

סבה *Cauſa* 539
סבחלום 473, 539
סביב 416
סוסיא בדקיא & סוסיא בארג 499
סיגר quid? 316, 443, 450
סמיך 341
סמל hinc *ſimile* 545
ܣܡܩܬܐ 511
סמק *Rubere* 478, 511. & סמקן & סמוק & סמוקתא 473, 478. Hinc Belgarum *Smak* color ruber idid.
סנרלכין *Sardonyches* 597. 602
סנדלפונין Sardonyches 597
סמפורינא & 518, 491, 473 סנפרינון
ܣܦܝܠܐ Saphila 516
ספיר 475, 491, 516, 519, 520, 528, 529, 558, 606.
ספירונין 517, 518
סרבלא *Sarbala* 321
סרבלין *Brachæ* 326, 333
סרדנין *Sardonyx* 480

ע

עבורה *Miniſterium* 711
מעשה עבות & עבות *funes.* 461
לעולם & עולם 722
עון הקרשים 678
עזרה 716
יטטחף & עטף 416
בית עינוהי & עין 674
ܒܝܬ ܓܢܘܗܝ 674
עין עגלא Gemma 473, 533, 568
על quo ſenſu 674
ענבול 426
عصب & عصابة 657
עקוד 561
עקין 642
עקיק 473, 486
בית הערוה & ערוה verenda 327, 331, 332
ערקין 473, 486, 558

פ

ב & פ permutantur 392
באפי & פאפי 697
פארולין 593
פוך 509, 555
פונרתו *Cingulum cavum* 359

פורצות

פורצות pro quo פורצייט 316 &
פורצינט 316
פורצין 443
פטרה 475, 485, 491, 492, 518, 590
פטרת כוש 485, 492, 581
פטשין quid? 317
פי הראש & פי המטיל 419, 432
פירלה 576
פמלניא corrupte pro 316
פמנליא feminalia 316, 321
פנטירי 473, 548
פנינים 520, 521
פס / פסים vola manus 321
פסנטרין pro ψαλτήριον 354
פטמון 423, 424
הפקודים 447
פראלוקין *Pralukin* 473, 593
פרה אדומה 475
פרווג 473
פרווג pro פרווז 576
פרשים Pharisæi, pudici 329
פשט 321
פשתן *Linum.* 337. & פשתים 312
פתוחי חותם 669
פתיל 674. פתיל תכלת 677. פתיל אמצעי *ibid.* פתיל של המצנפת *ibid.*
פתיל של הציץ *ibid.*

צ

צ Reperitur in Pectorali 637
ص & ض permutantur 339
צבע 480
زَدِيدَا *Zedida* 509
ציץ זהב & ציץ נזר & ציצא & ציץ 656, 657, 658, 660.
ציץ של הפתיל 677
מרצה הציץ formula 678
ציצית & בן ציצית הכסת 411
צמר גפן *Xylinum* 337
צנף 389, 391, 653
צרווא & צרוא & צרידא 509

ק

ח / כ / ק & ג permutantur. 499
ק Ponitur pro ל 546 ק in Pectorali 637
קדש & קדש ליהוה 668, 669, 671
קדושה 716
קובע *Galea* 392
קיבטיא 378
קוטון *Xylinum* 337
קול & קול דממה & קול דקה 639
קליט & מעשה קליט 461
קליפים & קליפי רמונים 422
קלפות & קלפות שבחוץ 425
קלצי *Calzi* 317
قَمَصَ *Veſtiri tunica* 339
القَمِيص *Camiſia*, Hemd Chemiſe &c. 339
קנבירי 473
קנבורינון 473, 546. &
קנבירי 546
קרבונקלי *Carbunculus* 495
קרום ימים 576
קרומטטין 473, 576
קריאה 711
קרישטאל 593

קרתא & קרחא חדא Carthago, Novomagum 508

ר

ר Mutatur in ד 593
In ל 516
ראים 613
ראם 600
ראש חכנכת 712
רבוי 697
רגיל 711
רובן 512
רישנמנט Raiſonnement 613
רמון & רמונים 421, 422
רפת 626
ריקם & משה רקם 361, 444. 700.

ש

ש & ת permutantur 626. ש mutatur in ז 613. Et in ס 480. Ponitur pro ט 491. 748
שנה 557 & שני ibid.
שכו 557, 559, 562, 568
שבזין 473, 517 &
שבזיא 517
שבט & שבטי יה in Pectorali. 470. & שבטי ישורין ibid. & שבטי ישראל 470
שדי & אל שדי 766
שהם Sardonyx 440, 444, 450, 472, 477, 533, 579, 592, 593, 595, 596, 597, 599. 600, 601, 603.

שואבת & אבן שואבת 602
שוירא אן לא Gallice en la ſucur 319
שולי 416
שומפוין 491
שורצין & שורצינם 316, 443
שחום 599
שחור 529
ܫܚܡܐ 599
ש״ש 506
שלמא 617
שם / השם 671
שמות & על שמותם 469
שמיר Samir, vermis 467. Smiris ibid.
שמלה Camiſia 339
שנצים Ligamenta 328, 331, 343 344
שטטנז 356, 713
שקט 636
שרד 480
שרדנגין Sardonyches 473, 477, 597
שרדנין σάρδιος 477
سراونلات feminalia 311 333
سراولات idem 333
שרף & שרפים 626
שרשות & שרשות זהב Catenæ aureæ 448, 461, שרשות גבולות 46, 462,
שש byſſus שש משזר 311, 337, 340 356, 423

ת

ת & ש permutantur 626
تولبند *Tulbant* 389
הלעת שני 408
תולדות & כתולדותם 446, 468, 469
תורפה & תורף 626
תחת ראשיהן 714
תכלת 408, 523, 554. כליל תכלת 409
تلة *Ligaculum* 389
תלמידים 712
תמים & אורים ותמים 616, 617, 632
תפילין 622, & תפילין רישא 674
תפירה & בתפירה 324
תרף 626
תרפים 452, 626, 627
תרשיש 506, 533, 574, 475, 476, 577, 578, 579, 580, 581, 582, 583, 584. 585. 587.
תשבץ 347, 348, 700

INDEX

INDEX

vocum Græcarum quæ in Libro ſecundo occurrunt.

A.

Ἀβανὴθ 353
Ἅγια τῶν ἁγίων 645
Ἀδὰμ unde dictus 479
Ἀδάμας 475, 535, 537
Αἰολομίτρη 374 & αἰολομίτης 374
Ἄκωνον 378, 392, 393, 397
Ἀλείφωσις 536
Ἀλήθεια 618, 625, 743
Ἄλμας pro quo ἄδμας & ἀδάμας 537
Ἀμάχαλος 412, 415, 443, 456
Ἀμέθυστος 545, 558, 568, 569, 570
Ἀμιτροχίτωνες 357, 387
Ἀνάγκη 535, 536
Ἀνακτίτης 536
Ἀναξυρίδες quid? 317, 318, 326
Ἄνθινα 430
Ἄνθραξ 507, 508, 512
Ἀπαγίς 382
Ἀπερίπτακτον 436
Ἀρπεδόνες 344
Ἄῤῥαφος 345, 349, 351, 416
Ἀρχιερεύς 749, 778, 783, 794
Ἀρχιερεὺς μέγας 783
Ἀσπιδίσκαι 414
Ἀφόρισμα 658
Ἀχάτης 508

B.

B & M permutantur 499
Βάραγδος pro quo μάραγδος 499
Βήρυλλον 558, 593, 594, 595
Βία 319
Βορβεῖον 499
Βράκια *bracha* 318. 321 Ab Hebræo *Berech.* *ibid.*
Βραχθάν, à ברקה 501
Βύσσος, ἐκ βύσσου κλωστῆς 312
Βύσσος κεκλωσμένη 423

Γ.

Γλύφω, & γλύφειν 619
Γωνία 410, 411

Δ.

Δ pro Λ 537
Δαλιδα pro δαλίλα 537
Δαμαω 475, 537
Διάζωμα 316, 318
Διακένως 361 & διάκενον 440
Διδάσκαλος 712
Διεζωσμένη 600
Διπλῆν σινδόνα βυσσίνην 345
Δοκέω

E.

Ἐμπίλια, & ἐμπιλήματα 379
Ἐμβαίνειν, dicitur de brachis 327 330
Ἔνδυμα διπλῆς σινδόνος 340
Ἐνεργεῖν 713

Ἐξά-

Ἐξάμιτον 312
Ἐξανθούση 430
Ἐξωμίδες 350
Ἐπαγγελία 779
Ἐπενδύτη & ἐπενδύειν 414. &
Ἐπένδυμα 435
Ἐπίῤῥαμα 435
Ἐπίσημοι 414
Ἐπίσκοπος 712
Ἔπωμις 433, 436, 440, 453
Ἐσθῆτες ἰδιωτικαί 709
Εὔζωνος 370
Ἐτπαγές. Bene compactum 382
Ἐφὸδ βάρ 451
Ἐφόδης 433
Ἐφοὺδ 451

Z.

Ζώνη. 353. ζώνην λύειν 357, 371
Ζώναις πλατείαις 358
Ζώννυμι 315
Ζώννυσθαι pro ὁπλίζεσθαι 370
Ζωστὴρ & ζωστὴς παναίολος 361
Ζωστῆρος ὀχῆες. 362 ζωστῆρα λύειν 371. & ζωστῆρι συνεέργειν χιτῶνα 374
Ζωστός *ibid.*

H

Ἡμιφάριον 438
Ἥμισυ 325

Θ

Θαλασσοβαφής 576
Θαλαττόχρωον 554
Θεάνθρωπος 784, 788
Θύσανοι 421
Θεοκράκες πιλητοί 380

I.

Ἴασπις 517, 606
Ἱεράτευμα 793
Ἱερόν 716
Ἱμάτια 414

K

Καληγιασμένος 658
Καλασίρις 352
Καμελαύκια & καμηλαύκια. 381, 386
Κάμηλος pro κάβηλος ab Hebræo חבל. 499
Καρπωτός 321, 350
Καρχηδόνιος 507, 508
Κατεσφιγμένον 343
Καῦμα ἐλαύνειν 381
Κίδαρις 378, 383
Κικαβὴ pro cicuma 499
Κοιλιόδεσμος 359
Κολοβὸς & κολόβιον 350
Κολοβὸς ὁ κονδὸς *curtus* *ibid.*
Κόλπος *ſinus.* Inde *Golphe*, & Golpho. 344
Κορυφή 390
Κοσσυμβωτόν 336
Κρίκος 362
Κροσσοί 421
Κροσσωτός 338, 461
Κύανος, & κυάνεος δράκων 526
Κύκλῳ quid ſignificet? 416
Κυρβασία & κύρβασις 390, 392, 402. & κορυφὴ ἀλέκτορος 390
Κύρβις *ibid.*
Κώδωνες. 423

Λ.

Λ pro Δ 537
Λιγύριον, λίγυρον & λιγκύριον 546, 547, 550
Λιγυστική 550
Λόγιον, & λογεῖον. 427. & λόγιον τῶν κρίσεων 454, 613, 614
Λύγκες. 548. λύγκες βαλιαί ibid.
Λυγρὰ veſtimenta 396
Λῶρος 356, 357

Μ.

Μ & Β permutantur 499
Μάραγδος pro σμάραγδος 499, 500. Fit à βάραγδος 499, 500
Μαρμαίρω 500
Μάρμαρος ibid.
Μαρίγω 500
Μαρμαρίγω 500
Μαρμαρίζω 500
Μαρμαρυγή 500
Μαρμαρυγώδης ibid.
Μαρμαρύσσω ibid.
Μεσσαβαζανὴς pro μεσύβαζα 344
Μαχανασὴ pro μιχνεσὴ 311, 327
Μασσαβαζανὰ pro μασσαβαζανής 344
Μεσύβαζα ibid.
Μέτωπον 674
Μικρὸς pro σμικρός 499
Μίτρα. 357. μίτρην λύειν ibid.
Μιτροχίτωνες ibid.
Μολοχάς 482
Μυδάλεος madidus 537
Μυστήριον 671

Ν.

Νεάπολις 508

Ξ

Ξύρον *crus* 317, 318

Ο

Οἰνωπόν 571
Ὄνυξ. 535, 594. ὀνύχιον 595, 605
Κξύς 390
Ὀξυφοινικόν 510
Ὁπλίζεσθαι 370
Ὀχεύς. retinaculum 362

Π.

Π & Φ permutantur 379
Πάλλειν 407
Παμποίκιλος 361
Παναίολον ibid.
Πεποικιλμένος 675
Περιβόλαιον 408, 436
Περιγράφειν 341
Περιεζωσμένος 374
Περίζωμα 311, 316, 318
Περιπέζια & περιπεζίδες 316
Περισκελῆ 311, 312, 316
Περισκελίς 316
Περισφύρια ibid.
Πέταλον 657, 661
Πηχύαιον 438
Πίλειν 379, 402
Πίλημα & πίλημα πυργωτόν 379, 390
Πίλησις, πιλωτὸν, πιλοτοποιός. 379
Πίλοι Μηδικοί 379
Πίλος ὀξύς 390
Πίλος, πιλίον, πιλόω, & πιλέω 379, 380
Πατέα φύλλα 661

Πλοκὴ & ἔργον πλοκῆς 461
Ποδήρης 321, 341, 342, 350, 374, 413, 416, 417
Ποικίλοι 414
Ποικιλτόν 427
Πορφύρη μελαίνη 529
Πράσινος 594
Προηλπικότες 740, 779
Προσράπτεσθαι 420
Πρωτότοκος 783
Πτέρυξ *ala* 410, 411
Πυγαῖον 438
Πυρράζειν 511
Πυροειδὲς inſtar ignis 478

P.

Ῥαβδοῦχος, **Een roey-drager.** 396
Ῥάκος, brachæ. 323. tela 383
Ῥάπτεσθαι. 309. & ῥάπτειν 420
Ῥαπτόν 314
Ῥαφαί 399
Ῥαφός 420
Ῥίγηλος. Hinc *Rigidus* 537
Ῥοαὶ & ῥοΐσκοι 422, 423, 430, 743
Ῥύσις 743

Σ.

Σ. Τ. permutantur. 491. Σ. vocibus ab initio additur 499
Σάπφειρος 518, 594, 606
Σαράβαρα 333
Σάρδιον & σαρδόνυξ 477, 478, 595, 601
Σινδών 399
Σμάραγδος. 400 pro μάραγδος 499, 500, 594 ψευδὴ σμάραγδος 504
Σμικρὸς pro μικρός 499
Σμίρις 467
Σμιρίτης *ibid.*
Σοφισταί 711
Σπιλαμή 456
Στέφανος 658
Στήλη τρίγωνος 390
Στολὴ διάχρυσος 717
Συνακτὴρ 311, 315, 327
Συνάρθρωσις 420
Σφίγγειν 343
Σφίξις 379
Σχιστὸς, & ἀμάσχαλος σχιστός 412, 416, 443, 450

T.

Τ & Σ permutantur 491
Ταινία & ταινία λευκή 385, 387
Ταρσεῖς 575
Τελαμών. *Faſcia, balteus* 355
Τελαμὼν σινδονίτης 356
Τελείωσις 618
Τετραγράμματον 621, 743
Τετράγωνον 410
Τηκόμενον 536
Τιάρα. & ὀρθὴ τιάρα 390
Τοπάζιον 491
Τρίβωνες 409
Τριστοιχία 665, 667, 793

Υ.

Ὑάκινθον 554, 555
Ὑαλοειδής 488
Ὕαλον *ibid.*
Ὑποδύτη & ὑποδύτη ποδήρους 406, 414

Ὑφάσ-

Ὑφάσματα, & διακένως ὑφασμένη 361

Φ

Φάλα. un voile. 410
Φάσκια faſcia. 356, 357
Φιδίτια 537
Φιλίτια ibid.
Φιμινάλια 318
Φοινικόν 510
Φολισμός 618
Φρίκη *frigus* 499

X.

X pro ג & כ 477
Χαλκηδών 507
Χαμαί. Hinc *Camurum* 339
Χεθομένη pro χεθόνη 337
Χεθόν 340
Χειροδωτός 350, 451
Χιτών. 352, 413, 416. Χιτὼν κοσυμβατός. 336. Χιτὼν ἐκ βύσσου. 340. & βύσσινος χιτών. 340. χιτὼν ποδήρης 406
Χρυσολίθος 580

Ψ.

Ψαλτήριον 354

Ω.

Ὦμος 440
Ὠοειδής 397

ERRATA Libri Secundi.

Paragraphi Notantur.

PAg. 354. l. 2. qui l. quia.
P. 360. l. 25. הטרות l. הערות
P, 361. l. 11. lege *lin retors.*
P. 380. l. 36. l. tunicatam.
P. 392. l. 1. l. procurante.
P. 393. l. 27. alia. l. alias
P. 394. l. 6. Quid. l. quidquid
P. 395. l. 21. Com. l. Tom.
P. 405. l. 23. نوارند l. تواىند
Ibid. l. 29. l. כיפה
P. 413. l, 7. *bardoculla*. l. *bardocuculla.*
P. 423. l. 14. eſſe. l. eſſe rectos.
P. 460. l. 17. quidam. l. quidem.
P. 474. l. 24. אנב l. אבן
P. 478. l. 32. l. ȣ̃ ςέρνȣ.
P. 493. l. 5. l. Paraphraſte Chaldæo.
P. 495. l. 33. וישבט l. שבטי
P, 500. l. 18. l. *Achmar.*
P. 515. l. 23. jud. l. Ind.
P, 523. l. 21. poſt. Cap. xi adde

DE נפך CARBUNCULO.

P. 540. l. 26. l. puſtulas.
P. 545. l. 30. *dele* dicuntur
P. 597. l. 4. DXL. l. DCXL.
P. 607. l. 33. l. perfectiones
P. 611. l. 33. l. Ramban.
P. 614. l. 31. l. revelationes.
P. ibid. l. 36. l. revelationis.
P. 615. l. 18. בל l. כל
P. 634. l. 9. l. parte tiaræ
P. 652. l. 36. כבדי l. בגדי
P. 654. l. 35. l. contexta.
P. 664. l. 14. l. Aſmonæis.
P. 673. l. ult. vocabant. l. vacabant.
P. 680. l. 3. l. ut conſideret.
P. 696 l. 2. lege. Ideo Lyſias, ut id fieret tandem decreverat.
P. 697. l. 15. 16. l. timebant enim patres
P. 701. l. 33. l. revelavit.
P. 722. l. 14. ut. l. ut ut.

Reliqua Benevolus Lector ipſe corriget.

ECIAL 89-B
2897

GETTY CENTER LIBRARY